


C. PLINII SECUNDI

NATURALIS HISTORIÆ LIBRI XXXVII.

EX EDITIONE GABRIELIS BROTIER

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICIBUS LOCUPLETISSIMIS

ACCURATE RECENSITI.

VOLUMEN SEXTUM.

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1826.


HARVARD
COLLEGE
LIBRARY

C. PLINII SECUNDI

NATURALIS HISTORIÆ

LIBER XVIII.

Naturæ frugum, et agriculturæ studia.

1. (I.) SEQUITUR natura frugum, hortorumque, ac florum, quæque alia præter arbores aut frutices benigna tellure proveniunt, vel per se[a] tantum herbarum immensa contemplatione, si quis[1] æstimet varietatem, numerum, flores, odores, coloresque, et succos, ac vires[2] earum, quas salutis aut voluptatis hominum gratia gignit. Qua in parte primum omnium patrocinari terræ, et adesse cunctorum parenti juvat, quanquam inter initia operis[b] defensæ. Quoniam tamen ipsa materia accedit intus[3][c] ad reputationem ejus-

CAP. I. 1 Cod. Dalec. *proveniunt. Vel per se tan. her. im. contemplatio est, si quis.*—2 Chiffl. *aut vires.*—3 'Ita cod. Reg. 1. nec aliter cod. Reg. 2. et Editio princeps. Frustra emendatum, *intus accendit.*' Brotier. *intus accendit* Gronov. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *intus accedat* cod. Dalec. *accedat intus* Chiffl. Mox, *et noxia* deest in cod. Dalec. Paulo post, Chiffl. *nostramque*

NOTÆ

[a] *Vel per se*] Et erat jam sola per se herbarum contemplatio immensa.

[b] *Inter initia operis*] Lib. II. cap. 63.

[c] *Accedit intus* [*intus accendit*] Etiam in ipso progressu, nec tantum initio operis, sed et in interiore libro, argumentum ipsum impellit ad contemplationem ejusdem naturæ, cum parit res noxias. Rhenanus legit, *vitiis accedit.*

dem parientis et noxia, nostris eam criminibus urgemus, culpamque nostram illi imputamus. Genuit venena: ecquis[4] invenit illa præter hominem? Cavere[d] ac refugere alitibus ferisque satis est. Atque cum arbore exacuant limentque cornua elephanti, et uri: saxo rhinocerotes,[5] et utroque apri dentium sicas, sciantque ad nocendum se præparare animalia: quod tamen eorum tela sua, excepto homine, venenis tinguit? Nos et sagittas[e] tinguimus, ac ferro ipsi nocentius aliquid damus. Nos et flumina inficimus, et rerum naturæ elementa. Ipsum quoque quo vivitur, aërem in perniciem[f] vertimus. Neque est ut putemus ignorari ea ab animalibus: quæ præpararent[6] contra serpentium[g] dimicationes, quæ post prælium ad medendum excogitarent, indicavimus. Nec ab ullo præter hominem, veneno pugnatur alieno. Fateamur ergo culpam, ne his quidem, quæ nascuntur, contenti: etenim quanto plura[7] eorum genera humana manu fiunt! Quin et homines[8] quidem ut venena nascuntur. Atra ceu[9] serpentium lingua

culpam.—4 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *sed quis* Gronov. et vulgg.—5 Ita Harduin. et recentt. *elephanti, et duri saxo, rhi.* vel, *et uri, rhinocerotes* Turneb. *elephanti, et saxo rhinocerotes* Gronov. et vulgg. Paulo post, cod. Dalec. *quodlibet tamen eorum nescit, excepto homine, tela sua venenis tingi.*—6 Edd. vett. Gronov. Harduin. et recentt. *ab animalibus, quæ quidem quæ præpararent.* 'Desunt *quæ quidem* in codd. Regg. 1. 2. et Editione principe.' *Brotier.* 'Ms. *ab animalibus. Quæ præpararint*, et mox, *excogitarint.* Lego, *præparent*, et mox, *excogitent*, e Vet.' *Dalec.* *ab animalibus. Quæ præpararent c. s. dimicationes, quæ post, &c.* Chiffl.—7 'In scriptis et editis libris, *quando plura.* Emendandum, *quanto plura*, recte vidit Illustris Huetius.' *Brotier.* *etenim quando plura* codd. Harduini et Chiffl. cum edd. recentt. *etenim complura* Gronov. et al. ante Harduin.—8 'Ita bene cod. Reg. 1.' *Brotier.* *Quid? et hominis* cod. Dalec. *Quid? non et homines* Gronov. et al. vett. item Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Quid? non et homines quidam ad venena* Vet. Dalec. —9 *Atra seu* Gronov. Mox, Vet. Dalec. *vibratur, tabumque.*—10 'Ita bene

NOTÆ

[d] *Cavere*] Venena cavent alites ac feræ, non excogitant: homines soli inveniunt et comminiscuntur.

[e] *Nos et sagittas*] Sagittas tinxisse Gallos medicamento, quod venenum cervarium appellabant, dicetur XXVII. 76. Elleboro quoque, XXV. 25.

[f] *Aërem in perniciem*] Tum tetro halitu oris, tum emisso letali spiritu e scrobibus, quos homines ipsi fodiunt, tum alias ob causas, tum ut metalla eruant.

[g] *Contra serpentium*] Vide VIII. 36. 41. &c.

vibrat, tabesque animi[h] contacta adurit,[10] culpantium omnia, ac dirarum alitum modo, tenebris quoque suis,[11] et ipsarum noctium quieti invidentium, gemitu, quæ sola vox eorum est: ut inauspicatarum[i] animantium vice obvii quoque vetent agere, aut prodesse vitæ.[*] Nec ullum aliud abominati[12] spiritus[j] præmium novere, quam odisse omnia. Verum et in hoc eadem naturæ majestas, tanto plures bonos genuit ac frugi,[13] quanto fertilior in iis quæ juvant aluntque, quorum æstimatione et gaudio nos quoque, relictis exustioni suæ[14k] istis hominum rubis,[15l] pergemus exco-

[*] *Et livor animi adurit omnia quæ contrectat: livor, inquam, hominum culpantium omnia, ac dirarum volucrum more, quæ tenebris quoque suis, et ipsi noctium quieti obstrepunt, invidentium ceterorum hominum laudi et quieti, vel solo gemitu, quæ sola vox eorum hominum est: ita ut, inauspicatarum avium ritu, vel occursu suo vetent agere, ac prodesse hominibus.*

cod. Reg. 2.' *Brotier.* *contracta adurit* Chiffl. *contrectata adurit* Gronov. et al. vett. item Harduin. et recentt.—11 In cod. Dalec. altero deest *suis.*—12 Quidam ap. Dalec. *abominandi.*—13 Cod. Dalec. *ut fruges.*—14 'Ita codd. Regg. Colb. Chiffl. et Editio princeps. Male emendatum in recentioribus editionibus, *æstuationis* (sic) *suæ.* Nec satis Latina vox 'æstuatio.'' *Brotier.* *exustioni suæ* etiam cod. Dalec. *æstuationi suæ* Gronov. et al. vett. item Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—15 'Ita bene cod. Reg. 2. Hi homines sunt ut rubi spinis hispidi, et flammis pariter addicti.' *Brotier.* Ita quoque Vet. Dalec. *hominum turbis* Gronov. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *hominum verbis pergamus* cod. Dalec.

NOTÆ

[h] *Tabesque animi*] Livor animi, et invidia, omnia quæ contingit, veluti adurens: quando culpat omnia.

[i] *Ut inauspicatarum*] Inauspicatarum avium animantiumque occursu dirimebantur auspicia, hoc est, irrita fiebant, dissolvebantur, discutiebantur, ac disturbabantur. Plinius VIII. 82. 'Soricum occentu dirimi auspicia, annales refertos habemus.' Et X. 16. 'Bubo funebris, et maxime abominatus publicis præcipue auspiciis, deserta incolit, nec tantum desolata, sed dira etiam et inaccessa: noctis monstrum, nec cantu aliquo vocalis, sed gemitu. Itaque in urbibus, aut omnino in luce visus, dirum ostentum est.'

[j] *Abominati spiritus*] Ingenia detestatione, execratione digna. Plinius X. 16. 'Bubo abominatus publicis auspiciis.' Horat. Epod. XVI. 'Parentibusque abominatus Hannibal.'

[k] *Relictis exustioni* [*æstuationi*] *suæ*] Mss. Reg. Colb. Chiffl. *exustioni suæ*, quod defendi quoque potest, ut respondeat ei quod prius dixerat, *contrectata adurit.*

[l] *Hominum rubis* [*turbis*] In Mss. *hominum urbis.* Quid si *hominum umbris* dicam scripsisse Plinium videri? sicut de iisdem paulo ante 'tenebris quoque suis invidentium' dixit. Vel hominum turbas appellat, qui in humano genere turbas cient, ceu faces generis humani.

lere vitam: eoque constantius, quo operæ[m] nobis major, quam famæ, gratia expetitur.[4] Quippe sermo circa rura est, agrestesque usus, sed quibus vita honosque apud priscos maximus fuerit.

II. (II.) Arvorum[a] sacerdotes Romulus inprimis instituit, seque duodecimum fratrem appellavit inter illos, ab Acca Laurentia nutrice sua genitos,[1] spicea corona, quæ vitta alba colligaretur, in sacerdotio eis[2] pro religiosissimo insigni data, quæ prima apud Romanos fuit corona: honosque is non nisi vita[b] finitur, et exules etiam captosque comitatur.[3] Bina tunc jugera[c] populo Romano satis erant, nullique majorem modum[d] attribuit: quo servos paulo

[4] *Operam utiliter collocatam, quam famam avidius quæsitam, gratulari nobis homines malumus.*

CAP. II. 1 Ita Harduinus et recentt. ex codd. *genitos* deest in edd. vett. et Gronov. *appellavit. Inter illos Acca Laurentia nutrice sua genitos* Turneb. et Chiffl.—2 Ita Turneb. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *in s. ei* Gronov. et vulgg.—3 Cod. Dalec. *finitus, et ex. et capt. comitatus.*—4 Dalec. *antehac.*—5 *Seri-*

NOTÆ

[m] *Quo operæ*] Huc referenda Livii castigatio, a Plinio ipso facta in Præf. ad Titum: 'Profiteor mirari me T. Livium . . . sic orsum: satis jam sibi gloriæ quæsitum . . . Majus meritum esset, operis amore, non animi causa perseverasse,' &c.

[a] *Arvorum*] Gellius VI. 7. p. 377. 'Sabinus Masurius in primo Memorialium, Accam Laurentiam Romuli nutricem fuisse dicit. Ea, inquit, mulier ex duodecim filiis maribus unum morte amisit. In illius locum Romulus Accæ Laurentiæ sese filium dedit, seque et ceteros ejus filios Fratres Arvales appellavit. Ex eo tempore collegium mansit Fratrum Arvalium numero duodecim, cujus sacerdotii insigne est spicea corona, et albæ infulæ.' Varro de Ling. Lat. l. IV. p. 23. 'Fratres Arvales dicti sunt, qui sacra publica faciunt propterea ut fruges ferant arva.' Inde Festus, 'Ambarvales hostiæ appellabantur, quæ pro arvis a duobus fratribus sacrificabantur.'

[b] *Non nisi vita*] Sic Auguratus, et Pontificale Sacerdotium, perpetua fuere munera, nec nisi cum vita eripi potuerunt. Vide Sueton. in Augusto, cap. 31. et Senec. de Clement. I. 10. Sic in Galliæ magistratibus summis, Cancellarii dignitas, et aliæ quædam ea donatæ prærogativa sunt.

[c] *Bina tunc jugera*] Varro de Re Rust. I. 10. 'Antiquus noster ager ante bellum Punicum pendebat bina jugera, quod a Romulo primum divisa dicebantur viritim,' &c.

[d] *Majorem modum*] Majorem mensuram: modus enim de agri dicitur mensura. Horat. II. Sat. 6. 'Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus.'

ante[4] principis Neronis, contemtis hujus spatii viridariis, piscinas juvat habere majores: gratumque, si non aliquem et culinas. Numa instituit Deos fruge colere, et mola salsa[e] supplicare, atque (ut auctor est Hemina) far torrere, quoniam tostum[f] cibo salubrius esset. Id uno modo consecutum, statuendo non esse purum ad rem divinam, nisi tostum. Is et Fornacalia[g] instituit farris torrendi ferias, et æque religiosas[h] terminis agrorum. Hos enim Deos tunc maxime noverant: Sejamque[5 i] a serendo, Segestam a segetibus appellabant: quarum simulacra in Circo[j] videmus. Tertiam[k] ex his[6] nominare sub tecto religio est. Ac ne degustabant[l] quidem novas fruges aut vina, antequam sacerdotes primitias libassent.

amque cod. Dalec.—6 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *Tertiam ex iis* Gronov. et al. vett.

NOTÆ

[e] *Mola salsa*] Far sale mixtum id fuit, ut docet Ovid. Fast. I. 128. 'Cum Cereale sacerdos Imponit libum, mixtaque farra sali.'

[f] *Quoniam tostum*] Ovid. Fast. II. 521. 'Usibus admoniti flammis torrenda dedere,' &c.

[g] *Fornacalia*] Festus: 'Fornacalia, feriæ institutæ sunt farris torrendi gratia: quod ad fornacem, quæ in pistrinis erat, sacrificium fieri solebat. Fornacalia sacra erant, cum far in fornaculis torrebant.' Excogitata simul Fornace Dea, quod in fornacibus precarentur farra recte torreri. Ovid. loc. cit. vs. 525. 'Facta Dea est Fornax: læti Fornace coloni Orant, ut fruges temperet illa suas. Curio legitimis nunc Fornacalia verbis Maximus indicit,' &c. Non erant hæ feriæ statæ, sed indictitiæ.

[h] *Æque religiosas*] Ferias alteras notat, Terminalia appellata, a Deo agrorum Termino. Ovidius loc. cit. vs. 639. 'Nox ubi transierit, solito celebretur honore Separat indicio qui Deus arva suo. Termine, sive lapis, sive es defossus in agro Stipes, ab antiquis tu quoque numen habes. Te duo diversa domini de parte coronant: Binaque serta tibi, binaque liba ferunt,' &c. Februario mense Terminalia peragebantur.

[i] *Sejamque*] Ita libri omnes, recte. S. August. de Civit. IV. 8. 'Sata frumenta, quamdiu sub terra essent, præpositam voluerunt habere Deam Sejam; cum vero jam super terram essent, et segetem facerent, Deam Segetiam: frumentis vero collectis atque reconditis ut tuto servarentur, Deam Tutelinam præposuerunt.' Nummus Corneliæ Saloninæ, apud Tristan. tom. III. p. 103. DEAE. SEGETIAE.—'At in nummo Saloninæ Augustæ inscripto, DEAE SEGETIAE, cave hanc Deam Segestam pingi putes. Genius civitatis stat manibus expansis intra triumphalem arcum, sed absque lunæ crescentis effigie, quam Tristanus addidit, tom. III. p.

III. (III.) Jugum[1] vocabatur,[a] quod uno jugo boum in die exarari posset. Actus, in quo boves agerentur cum aratro,[2] uno impetu justo. Hic erat CXX. pedum: duplicatusque in longitudinem[b] jugerum faciebat. Dona amplissima imperatorum ac fortium civium, quantum quis uno die plurimum circumaravisset. Item quartarii[c] farris, aut heminæ, conferente populo. Cognomina etiam prima inde, Pilumni,[d] qui pilum pistrinis invenerat: Pisonis, a pisendo. Jam Fabiorum,[e] Lentulorum,[3] Ciceronum, ut quisque ali-

CAP. III. 1 Ita Harduin. 1. 2. 3. cum antea legeretur *Jugerum*. Mox, *uno die* margo edd. Dalec. et Gronov. e Varr.—2 Ita codd. Harduini, Dalec. Turneb. et Chiffl. cum edd. Harduin. et recentt. *quum aratur* Gronov. et al. vett.—3 *Lentinorum* Chiffl. Mox, *ut quisquis* codd. Dalec.—4 Ita Chiffl. *no-*

NOTÆ

103. Sententia enim illius tituli hæc est, 'Decuriones Eduæ Augustæ Edicto Senatus Egnatio Gallieno Egregiis Triumphis Insignem Arcum Erexere.' Nummus est argenteus in Museo nostro.' *Ed. sec.*

j *In Circo*] In Circo Maximo, regione Urbis undecima.

k *Tertiam*] Segestam, quæ, ex Diis proxime appellatis, tertium locum obtinet: nempe post Deum agrorum Terminum, Sejamque. Vide Notas et Emend. num. 1.

l *Ac ne degustabant*] Sic etiam Censorinus in Præfat. Tibull. I. 1. 'Et quodcumque mihi pomum novus educat annus, Libatum agricolæ ponitur ante Deo.'

a *Jugum vocabatur*] Hæc ex Varrone accepta. Vide Notas et Emend. num. 2. Aliud jugum, aliud jugerum est. Jugum hodie Arverni vocant, *Joug de terre.*

b *In longitudinem*] 'Ergo duo actus,' inquit Colum. V. 1. 'jugerum efficiunt longitudine pedum CCXL. latitudine pedum CXX. Galli semijugerum arepennem vocant.' Bætici quoque, teste Isidoro XV. 15. Nunc vero quod Gallis jugerum dicitur, perticis centum constat: perticæ singulæ pedibus octo et decem: jugerum igitur, pedum est MDCCC. *Un arpent.* Sed varia est in Galliis pro regionum diversitate arpenti mensura: qua de re Du-Cangium in Glossario consule, verbo 'Arapennis.' Notæ, quæ vulgo Tironis dicuntur, p. 168. 'Jugerum. Aripennis. Juctus,' forte pro 'Actus.'

c *Item quartarii*] Fuit quartarius congii quarta pars: uti sexta, sextarius. De congio XIV. 19. De hemina XXI. 109.

d *Pilumni*] De eo Servius, initio Æneid. IX. 'Pilumnus,' inquit, 'pinsendi frumenti usum invenit: unde a pastoribus colitur. Ab ipso etiam pilum dicitur.'

e *Jam Fabiorum*] Ergo a fabis serendis Fabiorum, a lentibus Lentulorum, seu *Lentinorum*, ut Mss. habent: Ciceronum, a cicere, non quidem quod in vultu gereret, ut vulgus existimat, sed quod in agro optime sereret gentis ejus auctor, cognomen inventum. Et Fabatorum quoque nomen a Fabis: unde Roscius Faba-

quod optime genus sereret. Juniorum familiæ Bubulcum[f] nominarunt,[4] qui bubus optime utebatur. Quin et in sacris nihil religiosius confarreationis[5] [g] vinculo erat: novæque nuptæ farreum præferebant. Agrum male colere, censorium[h] probrum judicabatur. Atque (ut refert Cato)[i] quem virum bonum colonum[6] dixissent, amplissime laudasse existimabant. Hinc et locupletes dicebant, loci, hoc est, agri, plenos. Pecunia ipsa[j] a pecore appellabatur. Etiam nunc in tabulis censoriis[7] pascua dicuntur omnia, ex quibus populus reditus habet, quia diu hoc solum vectigal fuerat.

minaverunt Gronov. Harduin. et recentt.—5 Ita Dalec. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *confarrectationis* Chiffl. *confarrationis* Gronov. et al. vett.—6 Chiffl. *bonumque colonum.* Mox, codd. Dalec. et Chiffl. *existimabantur.*—7 *Censoris*

NOTÆ

tus, in nummo vetere apud Patin. in Roscia gente, p. 240. Et Fabatus alter, ad quem inscripsit Epistolam 30. Plinius Junior lib. VI.—'At Fabatorum quoque nomen a fabis, quia FABATI legitur in nummo vetere apud Patin. in Roscia gente, p. 240. deductum esse, vulgo, sed falso, creditur.' *Ed. sec.*

[f] *Bubulcum*] In Junia gente familiæ unius cognomen Bubulcorum fuit: ex qua C. Junius Bubulcus, bis Consul, post Dictator et Magister Equitum, apud Livium lib. IX. p. 159. et 162. Et inter Ædiles anni 297. C. Junius, L. F. C. N. Brutus Bubulcus, in Pighii Fastis.

[g] *Confarreationis*] Usus ea voce Tacitus lib. IV. 'Patricios confarreatis parentibus genitos.' Et mox, 'Omissa confarreandi assuetudine, aut inter paucos retenta.' Est autem confarreatio, novorum conjugum, aut amicorum, adhibito libo farreo, conjunctio. Contra, diffarreatio, conjugii amicitiæve, auctore Festo, per idem libum farreum dissolutio. Vide Dionys. Halic. Rom. Antiq. lib. II. p. 95. Festus: 'Farreum, genus libi ex farre factum.' Isidori Glossæ: 'Confarreatio, Consacrorum communicatio. Confarreatus, consociatus,' Glossæ Philoxeni: *Confarreatus, συμβιώσεως χάριν ζευχθείς.* Vide Glossarium V. Cl. Du-Cangii.

[h] *Censorium*] Hoc est, animadversione, ignominia, et castigatione Censoria dignum. Notationem Censoriam dixit Cicero pro Cluent. num. 128. Castigationem Censoriam Plinius hoc lib. cap. 7. Gellius IV. 12. p. 302. 'Si quis agrum suum passus fuerat sordescere, eumque indiligenter curabat, ac neque araverat, neque purgaverat; sive quis arborem suam vineamque habuerat derelictui, non id sine pœna fuit: sed erat opus Censorium, Censoresque ærarium faciebant,' &c.

[i] *Ut refert Cato*] In Præfatione libri de Re Rust. p. 5. 'Et virum bonum,' inquit, 'cum laudabant, ita laudabant: Bonum agricolam, bonumque colonum. Amplissime laudari existimabatur, qui ita laudabatur.'

[j] *Pecunia ipsa*] Vide quæ dicturi sumus XXXIII. 13.

Mulctatio[k] quoque non nisi ovium boumque impendio dicebatur: non omittenda priscarum legum benevolentia. Cautum quippe est, ne bovem,[8] priusquam ovem, nominaret, qui indiceret mulctam. Ludos boum causa celebrantes, Bubetios vocabant. Servius rex ovium boumque effigie primus[9] æs signavit.[l] Frugem quidem aratro quæsitam furtim noctu pavisse, ac secuisse, puberi XII. tabulis[m] capital erat:[10] suspensumque Cereri necari jubebant, gravius quam in homicidio convictum: impubem prætoris[n] arbitratu verberari, noxiamque duplione decerni.[11]

Chiffl.—8 Chiffl. *ne quis bovem.*—9 Chiffl. *primum.*—10 'Ita cod. Reg. 2.' *Brotier.* Ita quoque Chiffl. *capitale erat* edd. ante Brotier. *capital erat sacratumque* Lipsius.—11 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. et re-

NOTÆ

[k] *Mulctatio*] Gellius XI. 1. p. 577. 'Mulcta quæ appellatur suprema,' inquit, 'instituta est in singulos duarum ovium, boum triginta: pro copia scilicet boum, proque ovium penuria ... Postea lege Hateria constituti sunt in oves singulas æris deni, in boves æris centeni. Minima mulcta est ovis unius,' &c. Festus: 'Mulctam Osce dici putant pœnam quandam. M. Varro ait pœnam esse, sed pecuniariam, de qua subtiliter in libro primo Quæstionum epistolicarum refert. Maximam mulctam dixerunt trium millium et viginti assium: (monetæ Gallicæ libræ sunt 120. cum assibus sedecim:) quia non licebat quondam pluribus triginta bobus, et duabus ovibus quenquam mulctari: æstimabaturque bos centussibus, ovis decussibus.' Et verbo 'Ovibus:' 'Ovibus duabus mulctabantur apud antiquos in minoribus criminibus,' &c. Judiciorum mulctas in vaccis exsolvi solitas apud Scotos, aliasque nationes, multis comprobat testimoniis V. Cl. Du-Cangius in Glossario, verbo 'Vaccæ.'

[l] *Primus æs signavit*] More Græcorum, ac præcipue Atheniensium, qui pecuniam suam bove signabant. Unde apud eos nata parœmia, *Bovem habet in lingua*, in eos jaci solita, qui accepto pretio libere id quod vere sentiunt, effari non audent. Hesych. p. 197. *Βοῦς ἐπὶ γλώσσῃ. Παροιμία ἐπὶ τῶν μὴ δυναμένων παῤῥησιάζεσθαι ... διὰ τὸ τῶν Ἀθηναίων νόμισμα ἔχειν βοῦν ἐγκεχαραγμένον, κ. τ. λ.* Quod et Scholiastes Aristoph. testatur in Avibus, p. 594. et Eustath. in Iliad. A. 449. p. 252. Vide quæ dicenda sunt XXXIII. 13.

[m] *XII. tabulis*] Ex tabula VII. c. 2. repetita lex ea est: 'Qui frugem aratro quæsitam furtim nox pavit, secuitque, suspensus Cereri necator: impubes Prætoris arbitratu verberator, noxiamque duplione decernito.' Hoc est, ut Gothofredus interpretatur: Qui frugem aratro partam furtim noctu paverit immaturam, vel maturam secuerit, Cereri sacer et devotus suspendio necator. Impubes tamen si id fecerit, arbitrio Prætoris verberator, damnumque datum in duplum sarcito.

[n] *Prætoris*] Hoc est, judicis, sive

Jam distinctio honosque civitatis ipsius non aliunde erat. Rusticæ[o] tribus laudatissimæ eorum, qui rura haberent. Urbanæ vero, in quas transferri ignominia esset,[12] desidiæ probro. Itaque quatuor[p] solæ erant a partibus Urbis, in quis[13] habitabant, Suburrana,[q] Palatina, Collina, Esquilina. Nundinis Urbem revisitabant, et ideo comitia nundinis[r] habere[14] non licebat, ne plebs rustica avocaretur. Quies[s] somnusque in stramentis erat. Gloriam[t] denique

centt. *noxiamve duplionemve decerni* Chiffl. *noxiamve duplione decerni* Ræevardus; *noxæve duplionem decerni* Lipsius; *noxamve duplionemve decerni* Gronov. et vulgg.—12 Ita codd. Harduini, Dalec. et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *ignominiæ esset* Gronov. et al. ante Harduin.—13 Chiffl. *in quibus.* —14 'Ita codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier.* *nundinis haberi* edd. Gronov. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *revisebant, et ideo comitia non nisi nundinis*

NOTÆ

Consulis. Nam regibus exactis iidem erant Prætores, qui Consules: iidem quoque a judicando dicti Judices. Sed hoc quoque nomen desiit tandem, ac tantummodo Consules appellati. Hæc multo tractata prolixius vide apud Vossium in Etymol.

[o] *Rusticæ*] Colum. in Præfat. 'At mehercule vera illa Romuli proles, ... semper rusticam plebem præposuit urbanæ. Ut enim qui in villis intra consepta morarentur, quam qui foris terram molirentur, ignaviores habiti: sic eos, qui sub umbra civitatis intra mœnia desides cunctarentur, quam qui rura colerent, ... segniores visi.'

[p] *Itaque quatuor*] Tres modo fuisse, aliisque nominibus scribit Asconius Ped. in Orat. III. contra Verr. nempe Tatiensem unam a Tatio rege: Ramnensem alteram a Romulo: Lucerem alteram a Lucumone: post de nominibus Sabinarum plures fuisse: ad postremum XXX. et quinque factas. Sed hausit Plinius a Varrone de Ling. Lat. lib. IV. 'Ab hoc quoque quatuor partes Urbis, tribus dictæ, ab locis: Suburrana, Collina, Palatina.' Et Festus: 'Urbanas tribus appellabant, in quas urbs erat dispartita a Servio Tullio rege: id est, Suburrana, Palatina, Esquilina, Collina.'

[q] *Suburrana*] Et tribus et regio Urbis sic est appellata, auctore Festo, quasi Succurrana, a stativo præsidio, quod solitum esset succurrere Exquiliis, infestantibus eam partem urbis Gabinis. Fuisse in regione Urbis tertia, auctor est P. Victor. Palatium, a quo Palatina tribus, in regione decima fuit: Esquiliæ, cum porta Collina, in quinta.

[r] *Et ideo comitia nundinis*] Vide Notas et Emend. num. 3.

[s] *Quies*] Ovid. Fast. I. 205. de Saturni ævo: 'Nec pudor in stipula placidam cepisse quietem Et fœnum capiti supposuisse suo.' Et Fast. III. 183. de Romulo: 'Aspice de canna straminibusque domum. In stipula placidi capiebant munera somni: Et tamen ex illo venit in astra toro.'

[t] *Gloriam*] Festus: 'Adoream laudem, sive gloriam dicebant: quia gloriosum eum putabant esse, qui

ipsam a farris honore adoream appellabant. Equidem ipsa etiam verba[15] priscæ significationis admiror. Ita enim est in commentariis pontificum: 'Augurio canario[u] agendo dies constituantur, priusquam frumenta vaginis exeant,[v] et antequam in vaginas perveniant.'

IV. Ergo his moribus[a] non modo sufficiebant fruges, nulla provinciarum pascente Italiam, verum etiam annonæ vilitas incredibilis erat. Manius Marcius[b] ædilis plebis primum frumentum populo in modios assibus donavit.[1 c] L. Minucius[d] Augurinus,[2] qui Sp. Melium coarguerat, farris pretium in trinis nundinis ad assem redegit undecimus

haberi, &c. Vet. Dalec.—15 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Equidem etiam verba* edd. vett. et Gronov.

CAP. IV. 1 Chiffl. *in medio passibus donavit.*—2 'Ita codd. Reg. 2. Colb. Thuan. et Editio princeps.' *Brotier.* *Minucius Augurinus,* omisso prænomine,

NOTÆ

farris copia abundaret.' Vel potius, qui farre a populo donatus esset: Nam, ut Plinius paulo ante, dona populi amplissima fuere quartarii aut heminæ farris. Horat. Od. IV. 4. 'Et pulcher fugatis Ille dies Latio tenebris, Qui primus alma risit adorea.'

[u] *Augurio canario*] Sacrum id erat, quod e rufa cane fiebat, uti fusius docebimus c. 69.

[v] *Vaginis exeant*] 'Primitus spica cum oritur, in vagina est,' inquit Varro de Re Rust. I. 48. Idem c. 32. 'Frumentum dicunt quindecim diebus esse in vaginis, quindecim florere, quindecim exarescere, cum sit maturum.'

[a] *Ergo his moribus*] Egregie hæc amplificat Columella in Præf. p. 7.

[b] *Manius Marcius*] Contigisse id Pighio videtur anno Urbis CCXCVIII. hoc est, M. Valerio Maximo, Sp. Virginio Tricosto Coss. Extat hujus M'. Manii nummus ex ære apud Patin. p. 166. quem Marcum Marcium, pro Manio Marcio, falso appellat.

[c] *Assibus donavit*] Vetus Romanorum as, Gallicæ monetæ facit denariolos æreos fere decem. Vide quæ diximus XV. 1.

[d] *L. Minucius*] Id ei prænomen est in cod. Reg. Colb. Thuan. Anno Urbis CCCXVII. præfectus annonæ, Sp. Melii consilia retexit, qui tum regnum largitionibus affectabat. Livius lib. IV. p. 72. 'L. Minucius bove aurato extra portam Trigeminam est donatus, ne plebe quidem invita, quia frumentum Melianum assibus in modios æstimatum plebi divisit. Hunc Minucium apud quosdam auctores transisse a Patribus ad plebem, undecimumque Tribunum plebis cooptatum, seditionem motam ex Meliana cæde sedasse, invenio.'—'Cum Minucium Plinius tradit undecimum fuisse Tribunum plebei, cave propterea credas unicum unquam fuisse, ac sua ipsius ætate, Tribunum plebis, non plures simul.' *Ed. sec.*

plebei tribunus: qua de causa statua ei [e] extra portam Trigeminam [f] a populo stipe collata statuta est. Trebius [3] [g] in ædilitate assibus populo frumentum præstitit: quam ob causam et ei statuæ in Capitolio ac Palatio dicatæ sunt: ipse supremo die populi humeris portatus in rogum est. Verum quo [4] anno [h] Mater Deum advecta Romam est, majorem ea æstate messem,[i] quam [5] antecedentibus annis decem, factam esse tradunt. M. Varro auctor est, cum L. Metellus [j] in triumpho plurimos duxit elephantos, assibus singulis farris modios fuisse: item vini congios,[k] ficique siccæ pondo XXX. olei p. X. carnis p. XII.[6] Nec e lati-

Gron. al. vett. Hardnin. et recentt.—3 *Treius* Chiffl. Mox, Vet. Dalec. *frumentum in modios præstitit.*—4 *Quo verum* Chiffl.—5 Ita codd. Harduini et Turneb. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *æstate, quam*, omisso *messem*, Gronov. et al. vett. Mox, *facta esset* cod. Dalec.—6 'Ita bene cod. Reg. 2. id est, olei pondo, seu libras, X. carnis pondo XII.' *Brotier. olei pondo X. carnis pondo XII.*

NOTÆ

[e] *Statua ei*] Extat insigne hujus rei monumentum in vetere nummo familiæ Minuciæ, apud Patin. p. 179. expressa ibi columna, cui imposita viri statua est, adjecto annonæ symbolo, spicis duabus, &c. Dicetur de eo iterum XXXIV. 11. Aurato præterea bove donatum, ut diximus, prodidit Livius loc. cit. Simile grati animi monumentum in simili beneficio Nervæ nummus exhibet, cum hac Epigraphe: PLEBEI. URBANAE. FRUMENTO. CONSTITUTO.

[f] *Trigeminam*] Qua tergemini fratres Horatii exierunt. Inde ei portæ nomen. Eadem Ostiensis ab Ammiano, Procopio, ceterisque ejus ævi scriptoribus appellatur. Hodie Porta S. Pauli, ab æde vicina.

[g] *Trebius*] Anno Urbis CCCXLV. Trebii apud Gruter. frequens mentio: Treii nulla, quem hoc loco substituere quidam volunt.

[h] *Verum quo anno*] M. Cornelio Cethego, P. Sempronio Tuditano Coss. anno DL. qui belli Punici secundi quintusdecimus fuit, inquit Livius l. XXIX. p. 342.

[i] *Majorem ea æstate messem*] Aberat vox hæc postrema *messem* a libris omnibus ad hunc diem editis, mutila idcirco obscuraque sententiæ. Adjecimus eam ductu admonituque codicum Mss. Reg. &c. in quibus *majorem ea æstatem esse* legimus: quod et ante nos Turnebus vidit, Advers. I. 20. p. 21.

[j] *L. Metellus*] Diximus VIII. 6. contigisse id anno Urbis DCIV. bello Punico primo. Quin et Catonis ævo, scribens de fertilitate et copia Galliæ Cisalpinæ Polybius lib. II. 'Suis etiam temporibus,' ait, 'medimnum frumenti Siculum quatuor obolis venisse: hordei, duobus: metretam autem vini, tantidem quanti hordeum.' Lipsium vide de Magnitud. Rom. IV. 9.

[k] *Item vini congios*] Assibus fuisse subintellige, quod et subsequentium mercium tum pretium fuit. De hac annonæ vilitate dictum, XV. 1.

fundiis[l] singulorum contingebat arcentium vicinos: quippe etiam lege Stolonis Licinii incluso modo[m] quingentorum jugerum, et ipso sua lege damnato, cum substituta filii persona amplius possideret. Luxuriantis jam reipublicæ fuit ista mensura. Manii quidem[n] Curii post triumphos immensumque terrarum adjectum imperio nota concio est: 'Perniciosum intelligi civem, cui septem jugera non essent satis.' Hæc autem mensura plebei post exactos reges[o] assignata est.

Quænam ergo tantæ ubertatis causa erat? Ipsorum tunc manibus imperatorum colebantur agri: ut fas est credere, gaudente terra vomere laureato et triumphali aratore: sive illi eadem cura semina tractabant, qua bella, eademque diligentia arva disponebant, qua castra: sive honestis manibus omnia lætius proveniunt, quoniam et curiosius

NOTÆ

[l] *Nec e latifundiis*] Nec tanta vilitas annonæ contingebat e latis amplisque fundis, quales nunc singuli possident, qui et vicinos suos arcent, immodica possidendi cupiditate.

[m] *Incluso modo*] Definita agri mensura, quingentis jugeribus. Varro de Re Rust. lib. I. 'Nam Stolonis illa lex, quæ vetat plus quingenta jugera habere civem Romanum, et qui propter diligentiam culturæ Stolonum confirmavit cognomen,' &c. Valer. Max. VIII. 6. 3. p. 381. 'C. Licinius Stolo . . . cum lege sanxisset, ne quis amplius quam quingenta agri jugera possideret, ipse mille comparavit: dissimulandique criminis gratia, dimidiam partem filio emancipavit. Quam ob causam a M. Popilio Lænate accusatus, primus sua lege cecidit: ac docuit, nihil aliud præcipi debere, nisi quod prius quisque sibi imperaverit.' Decem millibus æris damnatum a Popilio, hoc est, monetæ Gallicæ libris quadringentis, Livius prodidit, lib. VII. p. 126. quod emancipando filium legi fraudem fecisset. Vide et Colum. I. 3. p. 18. et Plutarch. in Camillo, p. 150. Contigit id anno Urbis CCCXCVII. Cn. Manlio Imperioso secundum Cos. C. Marcio Rutilo collega.

[n] *Manii quidem*] Vide Plutarch. in Apophtheg. p. 194. *Μάνιος Κούριος*, &c. Valerius Max. IV. 3. p. 209. de Manio Curio: 'Decretis a Senatu septem jugeribus agri populo, sibi autem quinquaginta, popularis assignationis modum non excessit: parum idoneum Reipub. civem existimans, qui eo quod reliquis tribueretur, contentus non esset.' Idem refert etiam Colum. l. I. p. 18. De eo jam diximus VII. 15.

[o] *Post exactos reges*] Varro loc. cit. 'Ejusdem gentis Stolonum C. Licinius Tribunus plebis cum esset post Reges exactos annis CCCLXV. primus populum ad leges accipiendas in septem jugera forensia e Comitio eduxit.'

funt. Serentem invenerunt dati honores [p] Seranum,[7] unde cognomen. Aranti [q] quatuor sua jugera in Vaticano, quæ Prata Quintia [r] appellantur, Cincinnato viator attulit dicta-

Gronov. Harduin. et recentt.—7 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Serranum* Gronov. et al. vett. ita quoque Val. Max. II. 4. 3. et Virgil. Æn. VI. 845. ubi

NOTÆ

[p] *Dati honores*] Nempe Consulatus, quem gessit is cum Cn. Cornelio Blasio, anno Urbis CCCCXCVII. Fuit ei M. Attilius Regulus nomen: cognomen Seranus, a serendo, ut volunt: quo Maro allusit Æneid. VI. 844. 'Et te sulco, Serane, serentem.' Tamen in nummis veteribus quam plurimis Atiliæ gentis, *Saranum* scribi, non *Seranum*, vidimus. Vide et apud Patin. in Atilia familia, p. 42. Vide Valerium Max. IV. 4. p. 217.

[q] *Aranti*] Non minus eleganter Livius l. III. p. 51. 'Spes unica imperii populi Romani L. Quintius trans Tiberim quatuor jugerum colebat agrum, quæ Prata Quintia vocantur. Ibi ab legatis, seu fossam fodiens bipalio innixus, seu cum araret, operi certe, id quod constat, agresti intentus, salute data invicem, redditaque, rogatus ut .... togatus mandata Senatus audiret, admiratus, rogitansque, Satin' salva essent omnia, togam propere e tugurio proferre uxorem Reciliam jubet: qua simul absterso pulvere ac sudore velatus processit,' &c. Vide etiam Colum. in Præf. p. 6. Gessit is Dictacturam anno Urbis CCXCVI. ut fasti quidem prodidere.

[r] *Prata Quintia*] Festus: 'Quintia Prata dicta sunt a Quintio Cincinnato, quod sibi damnato filio venditis omnibus quatuor jugerum agrum trans Tiberim paraverat.' Fuere hæc prata inter vineam Mediceam, et molem Hadriani, sive Castellum S. Angeli: hodieque campo ei nomen, *i Prati*.—'In nummis familiæ Quintiæ ap. Pat. p. 236. n. 3. ex ære mediocri, legitur in ambitu: T. QVINCTIVS CRISPINVS III. VIR. A. A. A. F. F. In medio, sc. in altera parte, intra coronam querceam, ob cives servatos, AVGVSTVS TRIBVNIC. POTEST. Verum perpulchrum et singularem alterum ex auro vidimus nuper in hac urbe, apud D. De Clesnes, qui nummus fuit hactenus Antiquariis inexploratus. Prior superficies vultum exhibet hujus Quintii Cincinnati, quem Plinius nunc celebrat: impexa cæsarie, barba veluti haud dudum rasa: sic ut annos præferat vix quadraginta. In altera pagina stat Victoria alata, læva palmam gestans, dextra coronam: qualis omnino pingitur in nummis Alexandri Magni. Latere dextro, QVINCTI. 'Quinctius:' sine prænomine, vel cognomine: quæ nota utraque caput hunc fuisse Quintiæ gentis indicat: ut et Victoria, hostium Reipublicæ domitorem in Dictatura: et capilli sponte flexi, Cincinnatum: quod ei cognomen primo datum ex joco, postea laudi et gloriæ fuit. Cum esset igitur T. Quintius sub Augusto Triumvir Auro Argento Ære Flando Feriundo, in honorem illius ex atavis suis, qui esset celebratissimus, et ex quo se genus trahere gloriaretur, nummum cudit aureum istum eximium: fecitque ejusdem ponderis, cujus sunt Alexandri M. aurea numismata. Vultum virorum insignium in nummis ferire Romæ non licuit ante

turam, et quidem, ut traditur, nudo, plenoque[8] pulveris etiamnum ore. Cui viator,[s] 'Vela corpus, inquit, ut proferam[9] senatus populique Romani mandata.' Tales tum etiam viatores erant: quod ipsum nomen inditum est subinde et ex agris senatum ducesque arcessentibus.[10] At nunc[t] eadem illa vincti pedes, damnatæ manus, inscriptique[u] vultus[11] exercent: non tamen surda[v] tellure, quæ parens appellatur, colique dicitur ipsa:[12] honore his assumto, ut non invita ea, et indignata,[13] credatur id fieri.[a] Sed nos miramur ergastulorum[w] non eadem emolumenta esse, quæ fuerint[14] imperatorum.

[a] *Honorem iis nominibus sibi habitum tellus sumit ultro, eoque contenta est: ut non ab invita ea et indignata fieri istud credatur, quod fructus edat quos rogatur, nec surda sit.*

vid. Heyn. Mox, *unde ei et cognomen* Chiffl.—8 Turneb. *nodo manus pleno. quæ nuncia morum.*—9 Chiffl. *ut perferam.*—10 Idem codex, *arcescentibus;* alii, *accersentibus.*—11 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *inscripti vultus* Gronov. et edd. vett. Mox, *non tam surda* Turneb. et Chiffl.—12 Gronov. *colique dicitur et ipsa.* Mox, cod. Dalec. *hinc assumpto;* Chiffl. *ab his sumpto.*—13 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *et indignante* Chiffl. *et indigne ferente* Gronov. et al. vett.—14 Cod. Dalec. *fuerunt.*

NOTÆ

Pompeii tempora: anteriores, quorum vultus in nummis cernimus, ab eorum posteris, siquidem Triumviri monetales essent, aut eorundem jussu vel permissu, si Consules; hunc sub Cæsaribus honorem obtinuere, in auro, vel argento; ut in nummis Syllæ Felicis observavimus.' *Ed. sec.*

[s] *Cui viator*] Columella, in Præf. p. 7. 'Illis,' ait, 'temporibus proceres civitatis in agris morabantur: et cum consilium publicum desiderabatur, a villis arcessebantur in Senatum. Ex quo qui eos evocabant, Viatores nominati sunt.' Vide etiam Festum, verbo 'Viatores.'

[t] *At nunc*] Eadem Columellæ conquestio oratione pereleganti, præfatione operis: 'Nec posthæc reor intemperantia cœli nobis ista, sed nostro potius accidere vitio, qui rem rusticam pessimo cuique servorum velut carnifici noxiæ dedimus, quam majorum nostrorum optimus quisque optime tractaverit.' Cetera consule.

[u] *Inscriptique*] Notata frons stigmate, quod inuri servis soleret. Ausonius de Pergamo scriptore servo et fugitivo: 'Tam segnis scriptor, quam lentus, Pergame, cursu Fugisti, et primo captus es in stadio. Ergo notas scripto tolerasti, Pergame, vultu: Et quas neglexit dextera, frons patitur.' De hisce stigmatibus vide Gothofredum, in Cod. Theod. lib. IX. tit. 40. de pœnis, p. 294.

[v] *Non tamen surda*] Quanquam vilissimorum hominum manibus colitur, quod ipsa poscitur, benigne producit.

[w] *Ergastulorum*] Hoc est, servo-

v. Igitur de cultura agri præcipere principale etiam apud exteros.[1] Siquidem et reges[a] fecere, Hiero, Philometor, Attalus,[2] Archelaus; et duces Xenophon, et Pœnus etiam Mago: cui quidem tantum honorem senatus noster habuit Carthagine capta, ut cum regulis Africæ bibliothecas donaret, unius ejus duodetriginta volumina censeret in Latinam linguam transferenda, cum jam M. Cato præcepta condidisset: peritisque linguæ Punicæ[b] dandum negotium, in quo præcessit omnes vir clarissimæ familiæ[c] D. Silanus. Sapientes vero complures, quos sequeremur,[3][d] prætexuimus hoc in volumine, non ingrate[e] nominando M. Varrone, qui octogesimum[4] primum[f] vitæ annum agens, de ea re prodendum putavit.

CAP. V. 1 Ita edd. vett. Gronov. Harduin. 1. et Bipont. *et apud exteros* Harduin. 2. 3. Miller. et Franz.—2 'Ita bene cod. Reg. 2. et Cl. Rezzonicus.' *Brotier.* Ita etiam Gronov. *Philometor Attalus* conjunctim, Turneb. Harduin. 1. 2. 3. et recentt.—3 'Ita bene cod. Reg. 2. Editio princeps et Cl. Rezzonicus.' *Brotier. quos sequentes* Gronov. Harduin. et recentt. *Syllanus sapientiæ compositissimæ, quos sequeremur, &c.* margo edd. Dalec. et Gronov. 'Vet. *Silanus. Sapientiæ vero composuissent;* (lege, *compositissimæ*) *quos sequimur, prætex. hoc in vol. non in grege.* Legit et *in grege* Turneb.' *Dalec.*

NOTÆ

rum, qui in ergastulis diu detenti.

[a] *Siquidem et reges*] De his agemus in Auctorum Indice.

[b] *Peritisque linguæ Punicæ*] Mss. Regg. &c. *peritisque Punice*, ut sit adverbium, sicut Græce, Latine.

[c] *Clarissimæ familiæ*] Juniæ gentis Decimus Silanus fuit.—'*Clarissimæ familiæ*] Nam ex ea familia fuere, ut jam diximus, A. Licinius Nerva Silanus, Triumvir Monetalis sub Augusto: Silanus, Orienti præfectus, in nummis ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ, sub Tiberio: M. Silanus, nepos neptis Augusti apud Plinium VII. 11. et ex eo natus Ælius Silanus, frater Nervæ Imp. in nummo inscripto AESILLAS, quem alibi explicuimus. Clarissimæ igitur familiæ 'Decimus Silanus' iste fuit.' *Ed. sec.*

[d] *Quos sequeremur* [*sequentes*] Qui priorum tempora subsecuti sunt, quosque hujus operis initio appellavimus, nempe libro primo. In Mss. Reg. 2. *quos sequeremur,* scriptura haud penitus improbanda.

[e] *Non ingrate*] Ex infinito numero libenter Varronem appellamus. In Ms. Reg. 2. *non in grege*, quasi extra gregem nominando, quia antecellit.

[f] *Octogesimum primum*] Id Varro de se ipse prodit, statim in ipso operis ingressu de Re Rust. I. 1. 'Cogitans,' inquit, 'esse properandum, quod (ut dicitur) si est homo bulla, eo magis senex. Annus enim octogesimus admonet me, ut sarcinas colligam ante quam proficiscar e vita.' In quo Varronis loco unitatis notam excidisse e numero annorum Varronis, Fulv. Ursinus in Notis p. 10. recte admonuit.

(IV.) Apud Romanos multo serior vitium cultura esse cœpit. Primoque, ut necesse erat, arva tantum coluere: quorum nobis[5] ratio nunc tractabitur non vulgari modo, verum, ut adhuc fecimus, et vetustis et postea inventis omni cura perquisitis, causaque rerum et ratione simul eruta.[6] Dicemus et sidera, siderumque ipsorum terrestria signa dabimus indubitata: quandoquidem qui adhuc ea diligentius tractavere, quibusvis potius,[7] quam agricolis, scripsisse possunt videri.

VI. Ac primum omnium oraculis majore ex parte agemus, quæ non in alio vitæ genere plura certiorave sunt. Cur enim non videantur oracula, a certissimo die[1] [g] maximeque veridico usu profecta?

(V.) Principium autem a Catone sumemus: 'Fortissimi[h] viri et milites strenuissimi ex agricolis gignuntur, minimeque male cogitantes. Prædium ne cupide emas. In re rustica operæ ne parcas, in agro emendo minime. Quod male emtum est, semper pœnitet. Agrum paraturos ante omnia intueri oportet aquam, viam,[2] et vicinum.'[i] Singula magnas[j] interpretationes habent, nec dubias. Cato in conterminis[k] hoc amplius æstimari jubet, quo pacto niteant: 'In bona enim,' inquit, 'regione bene nitent.'[3] Atilius[4]

—4 Cod. Dalec. *qui septuagesimum*.—5 Chiffl. *a nobis*. Ita margo edd. Dalec. et Gronov.—6 Cod. Dalec. *erudita*.—7 Ita codd. Harduini, cum edd. recentt. *quibusvis oratoribus potius* Gronov. et al. ante Harduin.

Cap. VI. 1 *Deo* Lips.—2 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. ita quoque Turneb. *aquarum vim* Gronov. et al. ante Harduin.—3 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *In bona enim* (sic et cod. Dalec.) *reg. bene nitent* Turneb. *In bono est, inquit, religione bene nitenti* Chiffl. *In bona est, inquit, regione bene nitere* Gronov. et vulgg.—4 *Attilius*

NOTÆ

[g] *Certissimo die*] Nam dies usum affert, qui optimus omnium est magister. Mss. omnes *die* recte: non *deo*, ut Lipsio visum. In hanc sententiam Columella egregie, I. 1. 'Usus et experientia dominantur in artibus: neque est ulla disciplina, in qua non peccando discatur,' &c.

[h] *Fortissimi*] Desumta hæc a Catone, ex Præf. libri de Re Rust. p. 5.

[i] *Aquam, viam, et vicinum*] Vide Notas et Emend. num. 4.

[j] *Singula magnas*] Has interpretationes ex Columella dabimus in Notis et Emend. num. cit.

[k] *Cato in cont.*] Cato loc. cit. 'Vi-

Regulus,[1] ille Punico bello[m] bis consul, aiebat 'neque fœcundissimis locis insalubrem agrum parandum, neque effœtis saluberrimum.' Salubritas loci non semper incolarum colore detegitur, quoniam assueti etiam in pestilentibus durant. Præterea sunt quædam partibus anni salubria: nihil autem salutare est, nisi quod toto anno salubre.[5] Malus est ager,[n] cum quo dominus luctatur. Cato inter[o] prima spectari jubet, ut solum[6] sua virtute valeat, qua dictum est[p] positione: ut operariorum[q] copia prope sit, oppidumque validum: ut navigiorum evectus vel itinerum: ut bene ædificatus et cultus, in quo falli plerosque video. Segnitiem enim prioris domini pro emtore esse arbitrantur. Nihil est damnosius deserto agro. Itaque Cato,[r] 'de bono domino melius emi, nec temere contemnendam alienam disciplinam: agroque, ut homini, quamvis quæstuosus sit, si tamen et sumtuosus, non multum superesse.'[s] Ille in

Gronov.—5 Chiffl. *salubre est.*—6 Vet. Dalec. *non solum;* unde Dalecampius

NOTÆ

cini quo pacto niteant, id animum advertito: in bona regione bene ulteres oportebit,' &c.

[l] *Atilius Regulus*] Hæc iisdem verbis Columella de Re Rust. I. 4. p. 19. 'In universum tamen quasi testificandum atque sæpius prædicandum habeo, quod primo jam Punico bello dux inclytissimus M. Atilius Regulus dixisse memoratur: fundum, sicuti ne fœcundissimi quidem soli, cum sit insalubris; ita nec effœti sit, si vel saluberrimus sit, parandum. Quod Atilius ætatis suæ agricolis majore cum auctoritate suadebat peritus usu: nam Pupiniæ pestilentis simul et exilis agri cultorem fuisse eum loquuntur historiæ.' De eo multa Seneca, de Consol. ad Helv. c. 12. p. 811.

[m] *Punico bello*] Primo.

[n] *Malus est ager*] Colum. I. 3. p. 18.

[o] *Cato inter*] Catonis verba loc. cit. 'Uti bonum cœlum habeat, ne calamitosum siet: solum bonum sua virtute valeat.'

[p] *Qua dictum est*] Quo proxime dictum est, situ, juxta amnem, aut mare, iterque commodum, &c. vel quo dictum est XVII. 3. agrum optimum situm esse oportere.

[q] *Ut operariorum*] Cato loc. cit.

[r] *Itaque Cato*] Loc. cit. 'Caveto alienam disciplinam temere contemnas. De domino bono colono, bonoque ædificatore, melius emetur.... Videto, quam minimi instrumenti, sumtuosusque ager ne siet. Scito idem agrum, quod hominem, quamvis quæstuosus siet, si sumtuosus erit, relinqui non multum.'

[s] *Non multum superesse*] Post factas impensas non multum superesse fructuum, et quæstus.

agro[t] quæstuosissimam judicat vitem:[7] non frustra, quoniam ante omnia de impensæ ratione cavit. Proxime hortos riguos: nec id falso, si sub oppido sint.[8] Et prata antiqui parata[u] dixere. Idemque Cato[v] interrogatus, quis esset certissimus quæstus, respondit, 'Si bene pascas.'[9] Quis proximus? 'Si mediocriter pascas.'[10] Summa omnium in hoc spectando fuit, ut fructus is maxime probaretur, qui quam minimo impendio constaturus esset. Hoc ex locorum occasione aliter alibi decernitur. Eodemque[w] pertinet, quod 'agricolam vendacem esse oportere' dixit. 'Fundum[x] in adolescentia conserendum sine cunctatione, ædificandum non nisi consito agro: tunc quoque

legit *num solum*. Mox, Cod. Dalec. *virtute alat*.—7 Ita codd. Harduini, Dalec. et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *indicat vitem* Gronov.—8 Margo edd. Dalec. et Gronov. *sint: mox salictum: ab hoc olivetum: et deinde prata, quæ antiqui*, e Catone.—9 Vet. Dalec. *pascat*.—10 *Si arat bene* Vet.

NOTÆ

[t] *Ille in agro*] Cato loc. cit. Varro de Re Rust. I. 7. 'Cato quidem,' inquit, 'gradatim præponens, alium alio agrum meliorem dicit esse in novem discriminibus: quod sit primus, ubi vineæ possint esse bono vino et multo: secundus, ubi hortus irriguus: tertius, ubi salicta: quartus, ubi oliveta: quintus, ubi pratum: sextus, ubi campus frumentarius: septimus, ubi cædua sylva: octavus, ubi arbustum: nonus, ubi glandaria sylva. Scrofa: Scio, inquit, scribere illum: sed de hoc non consentiunt omnes, quod alii dant primatum bonis pratis, ut ego quoque: a quo antiqui prata parata appellarunt,' &c.

[u] *Et prata . . . parata*] 'Quod protinus essent parata,' inquit Colum. de Re Rust. II. 17. p. 74. 'nec magnum laborem desiderarent.' Vel quod paratus et annuus sit hic terræ fœtus: nam et idcirco 'fœnum quoque pratorum,' auctore Festo, 'a fœnore est appellatum, quando idipsum manens, quotannis novum parit.'

[v] *Idemque Cato*] Refert id quoque Colum. lib. VI. p. 208. in Præfatione: 'Ut etiam,' inquit, 'M. Cato credidit, qui consulenti quam partem rei rusticæ exercendo celeriter locupletari posset, respondit, si bene pasceret. Rursusque interroganti quid deinde faciendo satis uberes fructus percepturus esset, affirmavit, si mediocriter pasceret.' Refert hoc ipsum Tullius de Offic. II. 88.

[w] *Eodemque*] Cato de Re Rust. c. 2. 'Patrem familias vendacem,' inquit, 'non emacem, esse oportet.' Et paulo ante: 'Vendat oleum . . . . vinum, frumentumque quod supersit. Vendat boves vetulos,' &c.

[x] *Fundum*] Verba Catonis plena elegantiæ de Re Rust. c. 3. 'Prima adolescentia patrem familiæ agrum conserere studeat. Ædificare diu cogitare oportet: conserere cogitare non oportet; sed facere. Ubi ætas accessit ad annos XXXVI. tum ædificare oportet, si agrum consitum habeas.'

cunctanter:' optimumque est[11] (ut vulgo dixere) 'aliena insania frui,' sed ita, ut villarum tutela non sit oneri. 'Eum tamen[y] qui bene habitet, sæpius ventitare in agrum: frontemque domini plus prodesse quam occipitium' non mentiuntur.

VII. (VI.) Modus hic[a] probatur, ut neque fundus villam

Dalec.—11 Dalec. *optimumque esse.*

NOTÆ

[y] *Eum tamen*] Cato c. 4. 'Ruri si recte habitaveris, libentius et sæpius venies. Fundus melius erit, minus peccabitur, fructus plus capies. Frons occipitio prior,' hoc est, potior, meliorque. Sic ille Persa apud Xenoph. in Œconom. pag. 854. interrogatus, quæ res potissimum saginaret equum, respondit, *Oculus domini*, δεσπότου ὀφθαλμός. Festive, ut semper, Phædrus II. 8. 'Cervus nemorosis excitatus latibulis, Ut venatorum fugeret instantem necem, Cæco timore proximam villam petit, Et opportuno se bovili condidit. Hic bos latenti: Quidnam voluisti tibi, Infelix ultro qui ad necem cucurreris, Hominumque tecto spiritum commiseris? At ille supplex: Vos modo, inquit, parcite, Occasione rursus erumpam data. Spatium diei noctis excipiunt vices, Frondem bubulcus affert, nec ideo videt. Eunt subinde et redeunt omnes rustici. Nemo animadvertit: transit etiam villicus, Nec ille quicquam sentit. Tum gaudens ferus Bobus quietis agere cœpit gratias, Hospitium adverso quod præstiterint tempore. Respondit unus: Salvum te cupimus quidem, Sed ille qui oculos centum habet, si venerit, Magno in periclo vita vertetur tua. Hæc inter, ipse dominus a cœna redit: Et quia corruptos viderat nuper boves, Accedit ad præsepe: Cur frondis parum est? Stramenta desunt? tollere hæc aranea Quantum est laboris? dum scrutatur singula, Cervi quoque alta est conspicatus cornua: Quem convocata jubet occidi familia, Prædamque tolli. Hæc significat fabula, Dominum videre plurimum in rebus suis.' Sic Colum. I. 1. eleganter: 'Ac ne ista quidem præsidia.... tantum pollent, quantum vel una præsentia domini; quæ nisi frequens operibus intervenerit, ut in exercitu cum abest imperator, cuncta cessant officia: maximeque reor hoc significantem Pœnum Magonem suorum scriptorum primordium talibus auspicatum sententiis: Qui agrum parabit, domum vendat, ne malit urbanum, quam rusticum larem colere. Cui magis cordi fuerit urbanum domicilium, rustico prædio non erit opus.' Et IV. 18. 'Oculi et vestigia domini, res agro saluberrima.'

[a] *Modus hic*] Ædificandi videlicet. Cato c. 3. 'Ita ædifices, ne villa fundum quærat, neve fundus villam.' Sic et Colum. I. 4. ex Catone. Quærit fundus villam, cum villa minus magna est, quam modus fundi postulat. Quærit villa fundum, cum major est villa: quæ tuenda est sumtu majore. Ita fere Varro de Re Rust. I. 11. Villam hoc loco urbanam intellige, hoc est, eam partem, quam ruri dominus sibi recepit: quæ quia elegantius instrui

quærat, neque villa fundum. Non ut fecerunt[1][b] juxta diversis eadem ætate exemplis L. Lucullus, et Q. Scævola, cum villa[c] Scævolæ fundus careret, villa Luculli agro.[2] Quo in genere censoria[d] castigatio erat minus arare, quam verrere. Nec hoc sine arte quadam est. Novissimus villam in Misenensi[e] posuit C. Marius septies consul, sed peritia castrametandi, sic ut comparatos ei ceteros etiam Sylla[3] Felix[f] cæcos fuisse diceret.

Convenit[g] nec juxta paludes ponendam esse, neque adverso[h] amne: quanquam Homerus[i] omnino e flumine semper antelucanas auras insalubres verissime tradidit.

CAP. VII. 1 Chiffl. *fecerit*.—2 'Turneb. *fructus non caperet*, (*non caret* Chiffl. male,) *villam Luculli ager*.' Dalec.—3 Gronov. *Syla*.—4 Chiffl. *æsti-*

NOTÆ

solet, urbana dicitur, quasi urbani nitoris. *Maison de campagne.*

[b] *Non ut fecerunt*] Colum. de Re Rust. I. 4. p. 20. 'Multos enim deerrasse memoria prodidit, sicut præstantissimos viros L. Lucullum, et Q. Scævolam: quorum alter majores, alter minus amplas, quam postulavit modus agri, villas exstruxit, cum utrumque sit contra familiarem,' &c.

[c] *Cum villa*] Nam et villa Scævolæ fructibus deerat, cum parva nimis esset: villam Luculli ingentem et magnificam vix amplectebatur ager.

[d] *Censoria*] Censorum animadversioni obnoxius erat, qui lautiorem villam pararet, quæ verri deberet, quam ampliorem agrum araret.

[e] *In Misenensi*] In Campania. Vide III. 9. De hac Misenensi villa multa disserit Plutarchus in Mario, p. 424.

[f] *Sylla Felix*] Qui Marii hostis fuit. Dignum videri laude vel inimico, præclarum.

[g] *Convenit*] Colum. de Re Rust. I. 5, p. 22. 'Nec paludem quidem vicinam esse oportet ædificiis, ... quod illa caloribus noxium virus eructat, et infestis aculeis armata gignit animalia, quæ in nos densissimis examinibus involant. Tum etiam natricum serpentiumque pestes, hyberna destitutas uligine, cœno et fermentata colluvie venenatas emittit, ex quibus sæpe contrahuntur cæci morbi .... sed et anni toto tempore situs atque humor instrumentum rusticum, supellectilemque, et inconditos conditosque fructus corrumpit.' Varro de Re Rust. I. 12. 'Advertendum etiam si qua erunt loca palustria, et quod arescunt, et quod in iis crescunt animalia quædam minuta, quæ non possunt oculi consequi, et per aëra intus in corpus per os ac nares perveniunt, atque efficiunt difficiles morbos.'

[h] *Neque adverso*] Columella loc. cit. 'Cavendum tamen erit, ut a tergo potius, quam præ se villa flumen habeat,... cum plerique amnes æstate vaporatis, hyeme frigidis nebulis caligent.'

[i] *Homerus*] Odyss. E. 469. frigidas esse auras antelucanas scribit: Αὔρη δ' ἐκ ποταμοῦ ψυχρὴ πνέει ἠῶθι πρό.

Spectare[j] in æstuosis[4] locis septemtriones debet, meridiem in frigidis: in temperatis exortum æquinoctialem. Agri ipsius bonitas quibus argumentis judicanda sit,[5] quanquam de terræ optimo genere disserentes abunde dixisse[k] possumus videri, etiamnum tamen traditas notas subsignabimus, Catonis[l] maxime verbis: Ebulum,[m] vel prunus sylvestris, vel rubus, bulbus minutus, trifolium, herba pratensis, quercus, sylvestris pirus, malusque, frumentarii soli notæ. Item nigra terra, et cinerei coloris. Omnis creta coquit, nisi permacra: sabulumque, nisi id etiam pertenue est:[6] et multo campestribus magis quam clivosis respondent eadem.

Modum agri[n] inprimis servandum antiqui putavere: quippe ita censebant, 'Satius esse minus serere, et melius

vosis.—5 Chiffl. *indicanda sit.*—6 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *sabulum etiam, nisi id pertenue est* edd. vett. et Gronov.

NOTÆ

[j] *Spectare*] Colum. I. 5. p. 23.

[k] *Abunde dixisse*] Libro superiore c. 3.

[l] *Catonis*] An Magonis potius? Nam apud Catonem hæc usque minime reperta. Sunt quædam ex iis apud Colum. II. 2. 'Plurimos antiquorum,' inquit, 'qui de rusticis rebus scripserunt, memoria repeto, quasi confessa, nec dubia signa pinguis ac frumentorum fertilis agri prodidisse, dulcedinem soli propriam, herbarum et arborum proventum, nigrum colorem vel cinereum,' &c. Et post quædam interposita: 'Multa sunt, quæ terram frumentis habilem significent, ut juncus, ut calamus, ut gramen, ut trifolium, ebulum, rubi, pruni sylvestres, et alia complura, quæ etiam indagatoribus aquarum nota, nonnisi dulcibus terræ venis educantur.'

[m] *Ebulum*] De his suo loco dicemus. De bulbo inprimis XIX. 30. Herba pratensis Catoni, Columellæ ac ceteris gramen est.

[n] *Modum agri*] In eam rem scite et eleganter Colum. I. 3. p. 18. 'Nos ad cetera præcepta illud adjicimus, quod sapiens unus de septem in perpetuum posteritati pronuntiavit, μέτρον ἄριστον, adhibendum modum mensuramque rebus: idque, ut non solum aliud acturis, sed et agrum paraturis dictum intelligatur: ne majorem, quam ratio calculorum patiatur, emere velit. Nam huc pertinet præclara nostri Poëtæ sententia: 'Laudato ingentia rura, Exiguum colito.' Quod vir eruditissimus, ut mea fert opinio, traditum vetus præceptum numeris signavit: quippe antiquissimam gentem Pœnos dixisse convenit, Imbecilliorem agrum quam agricolam esse debere: quoniam cum sit colluctandum cum eo, si fundus prævaleat, allidi dominum. Nec dubium quin minus reddat laxus ager non recte cultus, quam angustus eximie.'

arare:' qua in sententia et Virgilium fuisse video. Verumque confitentibus latifundia perdidere Italiam: jam vero et provincias. Sex domini semissem Africæ [o] possidebant, cum interfecit eos Nero princeps: non fraudando [p] magnitudine hac quoque sua Cn. Pompeio,[7] qui nunquam agrum mercatus est conterminum. Agro emto [q] domum vendendam, inclementer, atque non ex utilitate publici status Mago censuit, hoc exordio præcepta pandere ingressus, ut tamen appareat assiduitatem desideratam ab eo.

Dehinc peritia villicorum in cura habenda est: multaque de iis Cato præcepit.[r] Nobis satis sit dixisse, quam proximum domino corde[s] esse debere,[8] et tamen sibimetipsi non videri. Coli rura ab ergastulis [9] pessimum est, et quicquid agitur a desperantibus. Temerarium videatur unam vocem antiquorum posuisse, et fortassis incredibile penitus æstimetur:[10] 'Nihil minus expedire, quam agrum optime

—7 Vet. Dalec. *fraudabo, &c. Pompeium.*—8 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *corde esse debeat* Turneb. *cordi esse debere* Gronov. et vulgg.—9 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *rura ergastulis* Gronov. et al. vett.—10 Ita codd. Harduini et Chiffl.

NOTÆ

[o] *Semissem Africæ*] Mediam Africæ partem, hoc est, Zeugitanæ regionis, de qua dictum est v. 3.

[p] *Non fraudando*] Familiaris scriptori nostro loquendi modus. Sic paulo ante c. 5. 'non ingrate nominando M. Varrone,' &c. Quo loco, inquit, fraudari non debet merita laude Pompeius, &c.

[q] *Agro emto*] Colum. I. 1. pag. 14. 'Nisi præsentia domini frequens operibus intervenerit, ut in exercitu cum abest imperator, cuncta cessant officia. Maximeque reor hoc significantem Pœnum Magonem, suorum scriptorum primordium talibus auspicatum sententiis: Qui agrum parabit, domum vendat: ne malit urbanum, quam rusticum larem colere: Cui magis cordi fuerit urbanum domicilium, rustico prædio non erit opus,' &c.

[r] *Cato præcepit*] De Re Rust. c. 5. p. 10.

[s] *Quam proximum domino corde*] Peritia quam simillimum domino esse debere. 'Egregie cordatus homo,' egregie peritus. Optime scire oportet villicum, quæ dominus velit, ut obsequatur, et possit aliis præcipere: et tamen sibimetipsi non videri: hoc est, quod Cato c. 5. dicit, p. 10. 'Ne plus censeat sapere se, quam dominum: consideretque, ut quæ dominus imperaverit, fiant.'

colere.' L. Tarius[11] Rufus[t] infima natalium humilitate, consulatum militari industria meritus, antiquæ alias parsimoniæ, circiter millies H-S.[u] liberalitate divi Augusti congestum, usque ad detrectationem[12 v] hæredis exhausit, agros in Piceno coëmendo, colendoque in gloriam. Internecionem[w] ergo[13] famemque censemus? Immo hercules, modum judicem[x] rerum omnium[14] utilissimum. Bene colere necessarium est: optime, damnosum, præterquam sobole,[y] suo colono, aut pascendis. Alioqui colente domino[15] aliquas messes colligere non expedit, si computetur[z] impendium operæ. Nec temere olivam:[a] nec quasdam terras diligenter colere, sicut in Sicilia,[b] tradunt: itaque decipi advenas.

cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *existimetur* Gronov. et vett.—11 *L. Tatius* Vet. Dalec.—12 Chiffl. *detractionem.*—13 'Ita bene codd. Regg. 1. 2. et Editio princeps. Male recentiores, *colendoque. In gloria internecionem ergo.*' Brotier. *colendoque in gloriam. Internecionem ergo* Gronov. et al. vett. *colendoque. In gloria, &c.* Harduin. 1. 2. 3. et recentt.—14 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *hercule judico modum rerum omnium* Gronov. et vulgg.—15 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *suo colono aut pascendis. Alioqui colente domino* Chiffl. *sua, colonove pascendis. Alioqui domino* Gronov. et al. vett. *suo colono pascendum. Alioqui domino* Turneb.

NOTÆ

t *L. Tarius Rufus*] Anno Urbis DCCXXXVII. gessit Consulatum ex Kalendis Juliis, Augusti principatu, ut quidem Fasti tradunt.

u *Millies H-S*] Millies centena sestertium millia: quæ Gallicæ monetæ faciunt libras, ut vocant, 10000000. seu milliones decem.

v *Ad detrectationem*] Ut gerere se pro hærede, eo mortuo, nemo non detrectaret.

w *In gloriam. Int.* [*in gloria int.*] Neglectum agri. Numquid satius igitur, ut negligenter agrum colendo dominus esuriat?

x *Modum judicem*] Μέτρον ἄριστον esse censuerim.

y *Præterquam sobole*] Nisi ad colendum agrum opera liberorum utatur, vel coloni sui, aut aliorum, quos alioqui pasci alique a domino opus sit.

z *Si computetur*] Cum sumtus fructum superet, si colere per se dominum ipsum oporteat.

a *Nec temere olivam*] Subintellige, diligenter colere oportet: quoniam non ulla est oleis cultura, uti ex Virgilio observavimus XV. 28.

b *In Sicilia*] Ex Theophr. Hist. VIII. 6. locus hic desumtus procul dubio est: Παρ' ἄλλοις δὲ τὸ λίαν ἐργάζεσθαι βλάπτει, καθάπερ ἐν Σικελίᾳ. *Apud alios cultus nimius obest, ut in Sicilia.* Adde ejusdem Theophrasti historiam de Causis, c. 25. p. 209. de colono illo

VIII. Quonam igitur modo utilissime coluntur agri? [1] ex oraculo scilicet, malis bonis. Sed defendi æquum est abavos, qui præceptis suis prospexere vitæ. Namque cum [2] dicerent malis, intelligere voluere vilissimos. Summum providentiæ illorum fuit, ut quam minimum esset impendii. Præcipiebant enim ista, qui triumphales [c] denas [3] argenti libras in supellectile crimini dabant: qui mortuo [d] villico relinquere victorias, et reverti in sua rura postulabant: quorum hæredia [e] colenda [4] suscipiebat respublica, exercitusque ducebant, senatu [5] illis villicante.

CAP. VIII. 1 'Ita cod. Reg. 1.' *Brotier. colentur agri* Gronov. al. vett. Harduin. l. 2. 3. et recentt.—2 *Nam cum* Edd. vett.—3 'Ita bene codd. Regg. 1. 2. et Editio princeps. Frustra in recentioribus emendatum, *triumphali denas.* Id a censoribus crimini datum Cornelio Rufino bis consuli et dictatura functo, anno Urbis conditæ 478. Vide Gellium IV. 8. et XVII. 21.' *Brotier. triumphali denas* Gronov. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *triumphali viro denas* al. apud Dalec.—4 'Ita bene codd. Regg. 1. 2. In Editione principe aliisque, *prædia.* Hæredium, parvum est prædium, quod hæreditate obvenit. Id contigit Atilio Regulo anno Urbis conditæ 498. Vide Val. Max. IV. 4.' *Brotier.* Chiffl. aliique codd. *hærendia;* unde Turneb. conj. *hæredia.* Editiones ante Brotier omnes, *prædia colenda.*—5 Margo edd. Dalec. et Gronov. *respub-*

NOTÆ

Corinthio in Syracusani agri cultura aberrante: quam Plinius et antea retulit, XVII. 3. et nunc iterum indicat, cum subjungit, 'Itaque decipi advenas.'

[c] *Qui triumphales* [*triumphali*] Hoc est, triumphali viro. Quem Plinius notet hoc loco, indicabimus libro XXXIII. 50. Signat hoc tempus egregio versiculo Ovid. Fast. I. 208. 'Cum levis argenti lamina crimen erat.'

[d] *Qui mortuo*] Atilium Regulum intelligit, qui maritimo ac terrestri prælio fractis Carthaginiensium viribus, postea victus ab iis et in acie captus, anno Urbis duodequingentesimo. Valer. Max. IV. 4. 6. 'Ejusdem nominis et sanguinis Atilius Regulus, primi Punici belli gloria cladesque maxima, cum in Africa insolentissimæ Carthaginis opes crebris victoriis contunderet, ac prorogatum sibi ob bene gestas res in proximum annum imperium cognosset, Consulibus scripsit, villicum in agello, quem septem jugerum habebat, mortuum esse, occasionemque nactum mercenarium, amoto inde rustico instrumento, discessisse. Ideoque petere ut sibi successor mitteretur, ne deserto agro non esset unde uxor ac liberi sui alerentur. Quæ postquam Senatus a Consulibus accepit, et agrum Atilii illico colendum locari, et alimenta conjugi ejus ac liberis præberi, resque quas amiserat, redimi publice jussit.'

[e] *Quorum hæredia* [*prædia*] Mss. *hærendia.* Forte, *hæredia,* ut visum est Turnebo Advers. XXX. 18, pag. 1106.

Inde illa reliqua oracula: 'Nequam agricolam esse, quisquis emeret, quod præstare ei fundus posset. Malum patremfamilias, quisquis interdiu faceret, quod noctu posset, nisi in tempestate cœli. Pejorem, qui profestis diebus ageret, quod feriatis[f] deberet. Pessimum, qui sereno die sub tecto potius operaretur, quam in agro.'

Nequeo mihi temperare, quominus unum exemplum antiquitatis afferam, ex quo intelligi possit, apud populum etiam de culturis agendi morem[6] fuisse, qualiterque defendi[7] soliti sint illi viri. C. Furius Cresinus[8][g] e servitute liberatus, cum in parvo admodum agello largiores multo fructus perciperet, quam ex amplissimis vicinitas, in invidia magna erat, ceu fruges alienas pelliceret veneficiis. Quamobrem a Sp. Albino[h] curuli die dicta, metuens

lica; qui exerc. ducebant Senatu.—6 Chiffl. pro v. l. *modum.*—7 Ita codd. Harduini, Dalec. et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *qualiter defendi* Gronov. et vulgg.—8 *Cresinius* Turneb. *Cresimus* Chiffl.—9 Ita Har-

NOTÆ

[f] *Quod feriatis*] Ut Maro cecinit Georg. I. 268. 'Quippe etiam festis quædam exercere diebus Fas et jura sinunt. Rivos deducere nulla Religio vetuit: segeti prætendere sepem, Insidias avibus moliri, incendere vepres, Balantumque greges fluvio mersare salubri.' 'Quanquam Pontifices,' inquit Columella, 'negant segetem feriis sepiri debere: vetant quoque lanarum causa lavari oves, nisi propter medicinam: .... Feriis autem ritus majorum etiam illa permittit: far pinsere, faces incidere, candelas sebare,' &c. Et Cato c. 2. 'Per ferias vero fossas veteres tergeri, viam publicam muniri, vepres recidi, hortum fodiri,' &c. 'M. Porcius Cato,' inquit Columella loc. cit. 'mulis, equis, asinis nullas esse ferias dixit,' &c.

[g] *Cresinus*] Mss. *Cresimus.* Apud Gruter. p. 35. 'Creusina Secundus' legitur. Habet aliquid huic narrationi persimile Plinius ipse, de Remmio Palæmone, XIV. 5.—'Ad hanc gentem Furiam nummus pertinet argenteus e Museo nostro, et apud Patinum, p. 117. n. 3. in quo Jani bifrontis imago est, cum Epigraphe, M. FOVRI. L. F. .)(. Tropæum portis civitatis impositum: hinc aquilæ legionaria, inde Roma stans galeata, sinistra hastam gerit, sive sceptrum, dextra coronam imponit tropæo. Retro, ROMA. Infra PHLI, pro PHILI. Non est hic Furius cognomine Philus. Certe si nomen his literis designaretur, *Philius* esset, non *Philus:* ut SERGI scribi solet, pro *Sergius*, et cetera similiter omnia. At hic sententia est: 'M. Fourius Lucii Filius Philippis Legionem Imposuit,' præsidiariam scilicet, post prælium Philippense, anni U. C. DCCXII.' *Ed. sec.*

[h] *Sp. Albino*] Sp. Postumio Albino,

damnationem, cum in suffragium tribus oporteret ire, instrumentum rusticum omne in forum attulit, et adduxit familiam validam,[9] atque (ut ait Piso) bene curatam ac vestitam, ferramenta egregie facta, graves ligones, vomeres ponderosos, boves saturos. Postea dixit: 'Veneficia mea, Quirites, hæc sunt: nec possum vobis ostendere, aut in forum adducere lucubrationes meas, vigiliasque, et sudores.' Omnium sententiis absolutus itaque est. Profecto[10] opera, non impensa, cultura constat. Et ideo majores fertilissimum in agro oculum domini[i] esse dixerunt.

Reliqua præcepta reddentur suis locis, quæ propria generum singulorum erunt. Interim communia, quæ succurrunt, non omittemus. Et inprimis Catonis humanissimum utilissimumque: 'Id agendum, ut[j] diligant vicini.'[11] Causas reddit[k] ille:[12] nos[13] existimamus nulli esse dubias. Inter prima idem cavet, ne familiæ malæ sint.[l] Nihil sero[m] faciendum in agricultura omnes censent, iterumque suo quæque tempore facienda. Ex tertio præcepto, prætermissa frustra revocari. De terra cariosa[n] execratio Catonis abunde indicata est. Quanquam prædicere[14] non

duin. 1. 2. 3. et recentt. *filiam validam* Gronov. et al. vett.—10 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *absolutus. Itaquè profecto* Gronov. et edd. vett.—11 Chiffl. *utilissimumque, &c. se vicini;* Gronov. et al. ante Harduin. *et utilissimum, &c.*—12 *Reddit ille causas* cod. Dalec. —13 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *quas* Gronov. et vulgg.—14 Vet. Dalec. *prædicare.*—15 Dalec. *at saxosus bi-*

NOTÆ

ædili tum curuli, post Consule anno Urbis DLXVIII. Q. Marcio Philippo Collega.—'In hac narratione cum prius legeretur, *filiam validam*, reposuimus *familiam validam*: admoniti dicto Catonis, quod proxime sequitur, 'Ne familiæ male sit.'' *Ed. sec.*

[i] *Oculum domini*] Vide quæ in eam sententiam attulimus, c. 6. extremo. —'Quibus adde hunc Æschyli versum: Ὄμμα γὰρ Δόμων νομίζω δεσπότου παρουσίαν.' *Ed. sec.*

[j] *Id agendum, ut*] Cato c. 4. 'Vicinis bonus esto,' &c.

[k] *Causas reddit*] Quas afferemus in Notis et Emend. num. 5.

[l] *Ne familiæ malæ sint*] Vide Notas et Emend. num. proxime cit.

[m] *Nihil sero*] Cato c. 5. 'Opera omnia mature conficias face. Nam res rustica sic est, si unam rem sero feceris, omnia opera sero facies.' His adde quæ ex Columell diximus, XVII. 19.

[n] *De terra cariosa*] Diximus de ea XVII. 3.

cessat is. Quicquid per asellum fieri potest, vilissime constat. Filix biennio[o] moritur, si frondem agere non patiaris. Id efficacissime contingit, germinantis ramis baculo decussis. Succus enim ex ipsa defluens, necat radices. Aiunt et circa solstitium avulsas non renasci, nec arundine sectas, aut exaratas vomeri arundine imposita. Similiter[p] et arundinem exarari filice vomeri imposita præcipiunt. Juncosus ager verti pala[q] debet: at in saxoso bidentibus.[15] Frutecta[16] [r] igni optime tolluntur. Humidiorem[s] agrum fossis[17] concidi atque siccari, utilissimum est: fossas autem cretosis locis apertas relinqui: in solutiore terra sepibus firmari, ne procidant: aut supinis[18] [t] lateribus procumbere: quasdam occæcari,[u] et in alias dirigi majores patentioresque:[19] si sit occasio, silice vel glarea sterni. Ora autem[v] earum binis utrimque lapidibus statuminari,[20]

---

dentibus; Chiffl. in emend. *ante infractus bidentibus.*—16 'Ita bene codd. Regg. 1. 2. et Editio princeps. Male recentiores, *Fruteta.*' Brotier. *Fruteta* Gronov. Harduin. 1. 2. 3. et recentt.—17 Cod. Dalec. *fossione.*—18 Turneb. *in reprocibus, aut supinis;* Chiffl. *divis in precibus aut supinis.* Margo edd. Dalec. et Gronov. *aut supinæ lat. procumbent.*—19 Vet. Dalec. *quasdam observari, et in alias dirigi. Majores potentioresque.* Alii ap. Dalec. *et minores in alias dirigi majores, &c.* Margo edd. Dalec. et Gronov. *majores patentesque: et si sit,* e Colum. *majores patentioresque: et si sit* Chiffl.—20 Chiffl. *statuminari;* sed in emend. *intus muniri.*

NOTÆ

[o] *Filix biennio*] Colum. II. 2. pag. 41.

[p] *Similiter*] Arundinis cum filice odia et ἀντιπάθειαν altero vide exemplo firmata, XXIV. 50. Habet hæc quoque Diosc. IV. 187.

[q] *Juncosus ager verti pala*] Pastinari. Colum. loc. cit.

[r] *Frutecta* [*Fruteta*] Colum. loc. cit. 'Nemorosi frutetosique tractus duplex cura est, vel extirpandis radicitus arboribus, et removendis: vel, si raræ sint, tantum succidendis, incendendisque, et inarandis.'

[s] *Humidiorem*] Colum. II. 2. 'Si locus humidus erit abundantia uliginis, ante siccetur fossis. Earum duo genera cognovimus, cæcarum, et patentium. Spissis atque cretosis regionibus apertæ relinquuntur: at ubi solutior humus est, aliquæ fiunt patentes: quædam etiam obcæcantur, ita ut in patentes ora hiantia cæcarum competant.'

[t] *Aut supinis*] 'Declives fossas,' inquit Colum. loc. cit. 'et ad imum solum coarctatas, imbricibus supinis similes facere conveniet: nam quarum recta sunt latera, celeriter aquis vitiantur, et superioris soli lapsibus replentur.'

[u] *Quasdam occæcari*] Obtegi, in subterranei cuniculi modum.

[v] *Ora autem*] In principio atque

et alio superintegi. Sylvæ extirpandæ rationem Democritus prodidit, lupini flore in succo cicutæ uno die macerato, sparsisque radicibus.

IX. (VII.) Et quoniam præparatus est ager, natura nunc indicabitur frugum. Sunt autem duo [a] prima earum genera. Frumenta, ut triticum, hordeum: et legumina, ut faba, cicer. Differentia vero notior quam ut indicari deceat.[1]

X. Frumenti ipsius totidem genera, per tempora satu divisa.[1] [b] Hyberna, quæ circa Vergiliarum occasum [c] sata terra per hyemem nutriuntur, ut triticum, far, hordeum. Æstiva, quæ æstate ante Vergiliarum exortum[2] seruntur, ut milium, panicum, sesama, horminum, irio, Italiæ duntaxat ritu. Alioqui in Græcia [d] et Asia omnia Vergiliarum occasu[3] seruntur. Quædam autem utroque tempore in

CAP. IX. 1 Dalec. *ut indicari debeat.*

CAP. X. 1 Vet. Dalec. *satus divisa.*—2 Margo edd. Dalec. et Gronov. *quæ ante æstatem Vergil. exortu.*—3 Vet. Dalec. *a Vergiliarum occasu.*—4 *Se-*

NOTÆ

exitu fossæ bina saxa pilarum vice constituantur, et iisdem singula superimponantur, more ponticulorum: ut ejusmodi constructio ripam sustineat, ne præcludatur humoris illapsus, atque exitus. Colum. loc. cit.

[a] *Sunt autem duo*] Ab hisce verbis ad eum locum: 'Ex hordeo alterum caput,' &c. expressa fidelissime omnia ex Theophr. Hist. VIII. 1. et 2. Et quidem cap. 1. Δύο δὲ γένη τὰ μέγιστα τυγχάνει· τὰ μὲν γὰρ σιτώδη, οἷον πυροὶ, κριθαὶ, κ. τ. λ. Σῖτος igitur frumentum est, *du Blé.* Πυρὸς, triticum, *du froment.* Κριθὴ, hordeum, *de l'orge.*

[b] *Per tempora satu divisa*] Vel *satus:* hoc est, sationis tempore inter se discreta ac divisa. Theophrasto: ὧραι δὲ τοῦ σπόρου τῶν πλείστων δύο. *Satus* vel *sementis tempora ut plurimum duo notantur.*

[c] *Vergiliarum occasum*] De quo dicetur cap. 59. de exortu cap. 66. Columellam et Maronem sequitur. Is enim de Re Rust. II. 8. 'Placet nostro poëtæ,' inquit, 'adoreum, atque etiam triticum, non ante seminare, quam occiderint Vergiliæ: quod ipsum numeris sic edisserit: 'At si triticeam in messem, robustaque farra, Exercebis humum, solisque instabis aristis, Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur.' 'Absconduntur autem altero et trigesimo die post autumnale æquinoctium, quod fere conficitur nono Kalendas Octobris: propter quod intelligi debet tritici satio dierum sex et quadraginta, ab occasu Vergiliarum, qui fit ante diem IX. Kalendas Novembris, ad brumæ tempora.'

[d] *In Græcia*] In Bœotia, ut dicetur c. 56.

Italia. Ex his quædam[e] et tertio, veris scilicet. Aliqui verna, milium, panicum, lentem, cicer, alicam appellant.[f] Sementiva[4 g] autem, triticum, hordeum, fabam, napum, rapam. Et in tritici genere pars aliqua pabuli est quadrupedum causa sati, ut farrago:[h] et in leguminibus, ut vicia. At commune quadrupedum hominumque usui, lupinum.

Legumina omnia[i] singulas habent radices, præter fabam, easque surculosas,[a] quia non in multa[b †] dividuntur: altissimas autem cicer. Frumenta multis radicantur fibris,

[a] *Lignosas.* [b] *In multos ramos.*

---

mentica Vet. Dalec.—† Margo edd. Dalec. et Gronov. *quæ etiamnum in mul-*

NOTÆ

[e] *Ex his quædam*] Ut milium, ita prodente Virgilio Georg. I. 216. 'Vere fabis satio .... Et milio venit annua cura.'

[f] *Alicam appellant*] Et genus esse tritici alica hic videtur: ut ait Galenus de Alim. Facult. c. 6. p. 314. tom. VI. Τοῦ γένους τῶν πυρῶν ἐστιν ὁ χόνδρος, κ. τ. λ. Nempe alicam Plinius, tum hoc loco, tum XXII. 61. pro ea fruge accipit, ex qua sorbitio seu puls ejusdem nominis concinnatur. Et a Catone pariter sic videtur accipi c. 76. 'Placentam sic facito: Farinæ siligineæ libras II. ... farinæ libras IV. et alicæ primæ lib. II. Alicam in aquam infundito,' &c. Et cap. rursum 86.

[g] *Sementica*] Theophr. Hist. VIII. 1. Πρωϊσπορα μὲν οὖν ἐστι, πυρὸς, κριθὴ ... κύαμος, κ. τ. λ. *Quæ mature seri oportet, triticum, hordeum, ...faba, &c.* Unde intelligas quæ sementiva proprie appellentur.

[h] *Ut farrago*] Vulgo, *du fourrage, de la dragée,* ut diximus superiore libro, cap. 35. de ocymo. Festus: 'Farrago appellatur id, quod ex pluribus satis pabuli causa datur jumentis.' Columella II. 11. 'Farraginem in restibili stercoratissimo loco ... serere convenit. Ea fit optima, cum cantherini hordei decem modiis jugerum obseritur, ... Frigoribus cum alia pabula defecerunt, ea bubus ceterisque pecudibus optime desecta præbetur.' Fit ex farre, hordeo, tritico, vicia, &c. Vide c. 41.

[i] *Legumina omnia*] Legumina omnia singulari nituntur radice, eamque radicem lignosam habent, quia non in multos superne ramos ea legumina dividuntur, nec numeroso caule et ramulo se attollunt, præter fabam. Frumenta vero e diverso multis radicantur fibris, sed quæ ramos minime mittant. Hæc Plinii, hæc Theophrasti mens, Hist. VIII. 2. Τὰ μὲν χέδροπα ξυλώδη, μονόῤῥιζα, διὸ καὶ πολύκλαδα, καὶ πολύκαυλα, καὶ πολλὰς ἄνωθεν ἀπὸ τῶν καυλῶν ἀποφύσεις ἔχοντα, πλὴν κυάμου. Τὰ δὲ σιτηρὰ ἐναντίως, πολύῤῥιζα, καὶ ἀπαράβλαστα.

sine ramis.[5] Erumpit[j] a primo satu hordeum die septimo: legumina[6] quarto, vel, cum tardissime, septimo: faba a XV. ad XX.[7][k] Legumina in Ægypto tertio die. Ex hordeo[l] alterum caput grani in radicem exit, alterum in herbam, quæ et prior floret. Radicem[m] crassior pars grani fundit,[8] tenuior florem. Ceteris seminibus eadem pars, et radicem, et florem.[n]

Frumenta hyeme[o] in herba sunt: verno tempore fastigantur[9] in stipulam, quæ sunt hyberni generis: at milium et panicum in culmum geniculatum, et concavum, sesama vero in ferulaceum. Omnium satorum[10][p] fructus aut spicis continetur, ut tritici, hordei; munitur que vallo aristarum quadruplici:[11] aut includitur siliquis, ut leguminum: aut vasculis, ut sesamæ, ac papaveris. Milium, et panicum[12] tantum pro indiviso,[q] et parvis avibus expositum est. Indefensa quippe membranis[13] continentur. Pa-

tas, e Theophr.—5 Margo edd. Dalec. et Gronov. *fibris, ideoque sine ramis*, e Theophr.—6 Margo edd. Dalec. et Gronov. *legumen*.—7 Vet. Dalec. *aut XX*.—8 Margo edd. Dalec. et Gronov. *herbam quæ superior et tenuior grani pars, folium: quæ crassior et inferior radicem fundit*, e Theophr.—9 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *spicantur* Chiffl. *fastigientur* Gronov. et al. vett.—10 *Omnium satirorum* Chiffl.—11 Vat. Dalec. *quadrifido*; alii vett. *quadripedi*.—12 Ita codd. Harduini et Chiffl. *ac panicum* Gronov. et vulgg. Mox, Vet. Dalec. *tantum producta, divisa, et parvis*. Deinde pro *expositum est*, quod habent Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *exposita sunt* Gronov. et vulgg.—13 Margo edd. Dalec. et Gronov. *membrana; ὑμένι* Theophr.—14

NOTÆ

j *Erumpit*] Theophr. Hist. VIII. 1. Vide et Varronem de Re Rust. I. 45.

k *Faba a XV. ad XX.*] Theophr. Faba, inquit, quibusdam in locis die XV. alias etiam vicesimo: hæc enim omnium difficillime provenit: ac si frequens post sationem imber successerit, omnino difficilis proventu redditur: Κύαμος δὲ ἐνιαχοῦ καὶ πεντεκαιδεκαταῖος· ὅτε δὲ καὶ εἰκοσταῖος, κ. τ. λ.

l *Ex hordeo*] Theophr. Hist. VIII. 2.

m *Radicem*] Theophr. loc. cit.

n *Et florem*] Hoc est, ut dictum est proxime, in herbam exit, quæ et prior floret, sive germinat. Theophr. loc. cit. 'et radicem, et caulem seu spicam' dixit: Κύαμος καὶ τὰ ἄλλα χεδροπὰ, οὐχ ὁμοίως, ἀλλ' ἐκ τοῦ αὐτοῦ τὴν ῥίζαν καὶ τὸν καυλόν. *Faba, ceteraque legumina non eodem modo emittunt: sed eadem ex parte radicem fundunt, et caulem.*

o *Frumenta hyeme*] Theophr. loc. cit. et cap. 3.

p *Omnium satorum*] Theophr. Hist. VIII. 3.

q *Pro indiviso*] Hoc est, ex æquo. Diximus de ea voce, IX. 64.

nicum [r] a paniculis dictum, cacumine languide nutante, paulatim extenuato culmo pæne in surculum,[s] prædensis acervatur granis, cum longissima pedali phoba.[14 t] Milii comæ granum complexæ fimbriato [15] capillo [u] curvantur. Sunt et panico genera: mammosa,[v] e pano [16] parvis racemata [17] paniculis: et cacumine gemino. Quin et colore distinguitur:[18] candido, nigro, rufo, etiam purpureo. Panis multifarie et e milio fit,[w] e panico rarus.[19] Sed nullum frumentum ponderosius est, aut quod coquendo magis crescat: LX. pondo [20] panis e modio reducunt, modiumque pultis

---

'*Pedali phoba*] Quam Theophr. Hist. Plant. VIII. 3. appellat φόβην. Male *obba*.' Brotier. Codd. Harduini et Dalec. *obfa*; edd. ante Brotier, *obba*. Turneb. *cum longa pedali phoba*, qui et *loba* legi posse credit.—15 Margo edd. Dalec. et Gronov. *fibrato*.—16 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. et recentt. *Sunt et pan. mammosa genera e pano* Turneb. et Chiffl. *Mammosum est pano* Vet. Dalec. *Mammoso e pano* Gronov. et vett. edd.—17 Ita codd. Harduini, Chiffl. et Turneb. *racemato* Gronov. et vulgg. ante Harduin.—18 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *distinguuntur* Gronov. et al. vett.—19 Ita Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *rarius* Gronov. et al. ante Harduin.—20 Ita cod. Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *LX. enim pondo* Gronov. et vulgg. Mox, alii

NOTÆ

[r] *Panicum*] Grani minuti genus, milii instar: nostris, *Panis*. Joan. de Janua: 'Panicium, a panis derivatur... quoddam genus annonæ, quod in quibusdam locis eo homines sustentantur vice panis: unde dicitur panicum, quasi panis vitium, quod vice panis fungatur, secundum quosdam.' Gothorum rex Vitiges 'de horreis Ticinensibus et Dertonensibus panicum populo esurienti distrahi' præcepit, auctore Cassiod. Var. Ep. XII. 27.

[s] *In surculum*] In duritiem ligni.

[t] *Pedali phoba* [*obba*] In Mss. *Obfa*. Libentius multo agnoverim, literis permutatis, *foba*, vel potius, *phoba*. Est enim φόβη Theophrasto Hist. VIII. 3. arundinacea coma frugum omnium, quæ ad milii similitudinem accedunt: Τὰ μὲν ἔχει στάχυν· τὰ δὲ χεδροπὰ, λοβόν· τὰ δὲ κεγχρώδη, φόβην· ἡ γὰρ καλαμώδης ἀπόφυσις, φόβη. Hanc Latine panum Plinius ipse plane modo vocat.

[u] *Fimbriato capillo*] Instar crinium fimbriarumque, solutæ videri possint.

[v] *Mammosa*] Mammosum panici genus est, inquit, cui panus inest racemosus, exiguisque constans paniculis. Panicum est illud sativum Dalecampii in Hist. Plant. pag. 16. et idem vulgare Clusii pag. 215.

[w] *Et e milio fit*] Milii nunc in pulte usus, qualis olim, auctore Festo, cum 'puls miliacea ex melle, forma appellaretur: cum lacte non fastidienda,' inquit Colum. II. 9. In panificio raro. Sed is olim usus, teste etiam Colum. II. 9. pag. 56. 'Panis,' inquit, 'e milio fit, qui, antequam

ex tribus sextariis madidis. Milium intra hos[x] decem annos ex India in Italiam invectum est, nigrum colore, amplum grano, arundineum culmo. Adolescit ad pedes altitudine septem, prægrandibus culmis: lobas[21] vocant:[y] omnium frugum fertilissimum. Ex uno grano sextarii terni gignuntur. Seri debet in humidis.

Frumenta quædam[z] in tertio genu[22] spicam incipiunt concipere, quædam in quarto, sed etiamnum occultam. Genicula autem sunt tritico quaterna, farri sena, hordeo octona. Sed non ante[23] supradictum geniculorum numerum conceptus est spicæ: qui ut spem[a] sui fecit, quatuor aut quinque tardissime diebus florere incipiunt: totidemque[b] aut paulo pluribus deflorescunt.[24] Hordea vero[c] cum tardissime septem. Varro[d] quater novenis[25] diebus fruges absolvi tradit, et mense nono meti.

Fabæ in folia exeunt, ac deinde caulem[26] emittunt, nullis distinctum[e] internodiis. Reliqua legumina surcu-

ap. Dalec. *redeunt, modiusque pultis.*—21 Scaliger e Theophr. *phobas.*—22 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *in genu tertio* cod. Dalec. *in tertio geniculo* Gronov. et al. ante Harduin.—23 Vet. Dalec. *octona: et non ante.*—24 Margo edd. Dalec. et Gronov. *totidem florescunt, qui ad summum expendunt, septimo aiunt deflorescere*, e Theophr.—25 Ursin. ad Varr. p. 45. *quadragenis quinis.*—26 Chiffl. *caules.* Mox, pro *nullis*,

NOTÆ

refrigescat, sine fastidio potest absumi.'

[x] *Milium intra hos*] De milio Indico, eximiæ magnitudinis, culmique arundinei, vide Philostr. de Vita Apollon. III. 2. pag. 112. Hoc *Surgum* vocari apud populares suos auctor est Scaliger, Exercit. 292. pag. 869.—'Quidam malunt esse, *le blé d'Inde.*' Ed. sec.

[y] *Lobas vocant*] Ita Mss. omnes. Rectius tamen *phobas* dixeris, ex laudato proxime Theophrasti loco, qui leguminibus χεδροποῖς λοβὸν, miliaceis φόβην assignat.

[z] *Frumenta quædam*] Accepta hæc a Theophr. Hist. VIII. 2. et a Colum. II. 12. pag. 67. Genua porro, sive genicula, sunt veluti nodi et articuli, quibus herbacei caules et stipulæ distinguuntur.

[a] *Qui ut spem*] Qui conceptus scilicet, seu spicæ partus. Theophr. loc. cit.

[b] *Totidemque*] Post dies totidem elapsos. Theophr. loc. cit.

[c] *Hordea vero*] Theophr. πυρὸν καὶ κριθὴν, *triticum hordeumque.*

[d] *Varro*] Hæc apud Varronem nondum adhuc inventa.—'In libris deperditis.' *Ed. sec.*

[e] *Nullis distinctum*] Nullis certe geniculis interseptum, glabrum, inanemque caulem fabæ cernimus, etsi

losa sunt.[f] Ex his ramosa,[g] cicer, ervum, lens. Quorundam caules sparguntur in terram, si non habeant adminiculum, ut pisorum. Quod si non habuere, deteriora fiunt. Leguminum unicaulis[27] [h] faba sola, unus et lupinis: ceteris ramosus[i] prætenui surculo: omnibus vero fistulosus.

Folium quædam ab radice mittunt, quædam a cacumine.[28] Frumentum vero et hordeum, viciaque,[j] et quicquid in stipula est, in cacumine unum folium habet. Sed hordeo scabra sunt, ceteris lævia. Multiplicia contra fabæ, ciceri, piso. Frumentis[k] folium arundinaceum,[29] fabæ rotundum, et magnæ leguminum parti. Longiora ervilia,[l] et piso.[30] Faseolis[m] venosa: sesamæ,[n] et irioni sanguinea.[31] Cadunt folia lupino tantum, et papaveri. Legumina diutius[o] florent, et ex his ervum[32] ac cicer: sed diutissime faba XL. diebus. Non autem singuli[p] scapi tamdiu, quoniam alio

Dalec. habet *multis*.—27 Margo edd. Dalec. et Gronov. *recticaulis*, e Theophrast.—28 Margo edd. Dalec. et Gronov. *Fol. et radicem quædam mittunt ab eadem parte*, e Theophr. et mox, *quædam a cacumine folium mittunt*, &c. Alii vero ap. Dalec. *folium a grani cacumine triticum et hordeum. Utrumque vero et quicquid*, &c. Cod. Dalec. *et hordeum vitiaque et quicquid*, &c. Gronov. et al. ante Harduin. *Frumentum et hordeum utrumque et quicquid*, &c.—29 Chiffl. *harundineum*.—30 Margo edd. Dalec. et Gronov. *lathyro*, e Theophr. *cicerulæ* Gaz.—31 Dalec. *erysimo*.—32 Margo edd. Dalec. et

NOTÆ

Theophr. Hist. VIII. 2. γονατώδη καυλὸν κυάμου vocat.

[f] *Reliqua .... surculosa sunt*] Hoc est, plures e sua radice caules emittunt: τὰ μὲν χεδροπὰ πολύκαυλα. Theophr. loc. cit.

[g] *Ex his ramosa*] Πολύκλαδα, quorum caulis in plures se fundit ramulos.

[h] *Leguminum unicaulis*] De faba Græca loquitur, seu Latina: ei enim quam nos fabam vulgo dicimus, caulem non unum ex singulari radice erumpere, ut unicum lupino, experientia commonstrat.

[i] *Ramosus*] Ceteris, inquit, caulis in ramos spargitur ligno prætenui, sed eodem instar fistulæ concavo.

[j] *Viciaque*] Vide Notas et Emend. num. 6.

[k] *Frumentis*] Theophr. Hist. VIII. 3.

[l] *Erviliæ*] *Ervilia* Græcis ὦχρος est, *pisum minus* est. Nostris, *des Pois*. De majore piso, Dodonæus pag. 511. de minore pag. 512.

[m] *Faseolis*] In Mss. rectius *phasiolis*. De his egimus XVI. 92.

[n] *Sesamæ*] Mss. ubique, *sesimæ*: Græci tamen σήσαμον vocant, nempe ut Μασσαλίαν, Massiliam Latini dixere, et Μιθραδάτην quem nos Mithridatem. Gallis, *de la Jugoline*. Accurate pingitur a Dodonæo loc. cit. cap. 22. pag. 522.

[o] *Legumina diutius*] Hæc a Theophr. Hist. VIII. 2.

[p] *Non autem singuli*] Theophr. Hist. VIII. 2.

desinente alius incipit: nec tota seges, sicut frumenti, pariter. Siliquantur[q] vero omnia diversis diebus, et ab ima primum parte, paulatim flore subeunte.

Frumenta, cum[r] defloruere, crassescunt, maturanturque cum plurimum diebus quadraginta:[33] item faba: paucissimis cicer. Id enim[s] a semente diebus XL. perficitur. Milium,[t] et panicum, et sesama, et omnia æstiva, XL. diebus maturantur a flore, magna[34] terræ cœlique differentia. In Ægypto enim hordeum sexto a satu mense, frumenta septimo metuntur. In Hellade, hordeum.[35][u] In Peloponneso octavo, et frumenta etiamnum tardius. Grana in stipula crinito textu spicantur. In faba leguminibusque, alternis lateribus siliquantur.[e] Fortiora[v] contra hyemes[36] frumenta, legumina in cibo.

Tunicæ frumento plures. Hordeum maxime nudum, et arinca,[37][w] sed præcipue avena. Calamus altior frumento,

[e] *Grana in stipulis spica continentur quæ subtiliter texitur, desinitque in crinem. In faba et leguminibus, modo dextra latere, modo lævo, siliqua semina continentur.*

Gronov. e Theophr. *et magis ervum.*—33 Cod. Dalec. *quadraginta perficiantur.*—34 Cod. Dalec. *a flore. Magna.*—35 *In Hellade VII. hordeum* Chiffl.—36 'Ita bene cod. Reg. 2. et Editio princeps.' *Brotier.* Ita quoque Chiffl. *ad hyemes* Gronov. al. vett. Harduin. et recentt.—37 'Vet. *alica;* id est, zea:

NOTÆ

[q] *Siliquantur*] Siliquas faciunt. Theophr. loc. cit. Neque ut frumenti, sic et fabarum scapi singuli aut seges integra simul floret, sed particulatim.

[r] *Frumenta, cum*] Hæc a Theophr. Hist. VIII. 3. Colum. II. 12. pag. 67. 'Omne autem frumentum, et hordeum, quicquid denique non duplici semine est, spicam a tertio ad quartum nodum emittit: et cum totam edidit, octo diebus deflorescit, ac deinde grandescit diebus quadraginta, quibus post florem ad maturitatem devenit. Rursus quæ duplici semine sunt, ut faba, pisum, lenticula, diebus quadraginta florent, simulque grandescunt.'

[s] *Id enim*] Theophr. loc. cit.

[t] *Milium*] Theophr. loc. cit.

[u] *In Hellade, hordeum*] Hoc est, septimo mense metitur. Theophr. Πυροὶ δὲ ἐν τῇ ἑβδόμῳ περὶ τὴν Ἑλλάδα, κριθαί.

[v] *Fortiora*] Theophr. loc. cit. Validiora, inquit, ἰσχυρότερα contra hyemem, cœlique mutationes varias, frumentacea sunt, τὰ σιτηρά. Legumina vero in cibis valentiora putantur, πρὸς δὲ τὴν τροφὴν, τὰ χεδροπά. Vide Celsum II. 18. 'Ex leguminibus valentior rapa, napique, et omnes bulbi,' &c. Locum consule.

[w] *Et arinca*] Dicetur de ea c. 20.

quam hordeo. Arista mordacior hordeo. In area exteruntur triticum, et siligo, et hordeum. Sic et seruntur pura,[x] qualiter moluntur,[38] quia tosta non sunt. E diverso far, milium, panicum, purgari, nisi tosta, non possunt. Itaque hæc[y] cum suis folliculis seruntur cruda. Et far in vaginulis suis servant ad satus, atque non torrent.

XI. Levissimum ex his hordeum, raro excedit[a] XV. libras, et faba XXII. Ponderosius far, magisque etiamnum triticum. Far in Ægypto ex olyra[b] conficitur. Tertium genus[c] spicæ hoc ibi est. Galliæ quoque suum genus farris dedere: quod illic bracem vocant,[d] apud nos sandalam,[1e] nitidissimi grani. Et alia[2] differentia est, quod fere quaternis libris plus reddit panis, quam far aliud. Populum Romanum farre tantum e frumento CCC. annis usum, Verrius tradit.[3]

XII. Tritici genera plura, quæ fecere gentes. Italico[f]



olyra Theophr.' *Dalec.*—38 Ita codd. Harduini, Dalec. et Turneb. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *moliuntur* edd. vett. et Gronov.

CAP. XI. 1 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. Gronov. et edd. vett. *brance vocant apud nos sandalam*; Chiffl. *bracum v. a. n. scandalam*; Turneb. *bracum v. a. n. scandalum*; cod. Dalec. *brance v. a. n. sandalam.*—2 *Est et alia* Chiffl. —3 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *tradidit* Gronov.

NOTÆ

[x] *Seruntur pura*] Sine suis folliculis.

[y] *Itaque hæc*] Inprimis far, sive adoreum, quod in siccis humidisque locis seri Columella ait, II. 8. 'quoniam folliculum, quo continetur, firmum et durabilem adversus longioris temporis humorem habet.'

[a] *Raro excedit*] In singulos nimirum modios.

[b] *Far ....ex olyra*] Far cibus hoc loco est, non, uti acceptum est hactenus, singulare aliquod frumenti genus. Far e frumento Plinius mox agnoscit, hoc est, ex iis frumenti generibus quæ commemoravit initio sup. cap. Far ex olyra, nunc etiam in Ægypto. Far ex hordeo, Palladius lib. I. tit. 29. de phasianis. Modum conficiendi farris docet Archigenes apud Aëtium Serm. IX. cap. 45. pag. 124.

[c] *Tertium genus*] Post triticum hordeumque.

[d] *Bracem vocant*] Ita Mss. Reg. Colb. Th. Chiffl. non, ut editi, *brance*. *Le blé blanc de Dauphiné*. Vide Nic. Chorier Hist. Delph. lib. I. pag. 54.

[e] *Sandalem*] Sic Mss. Colb. Th. aliique. Libri vulgati, *sandalum*. *Sandalium* Charta Rogerii Regis Siciliæ, an. 1187. apud Ughellum, tom. VII. p. 564.

[f] '*Italico*] Insignis propterea liberalitas Augustorum fuit, cum triticum plebi Romanæ erogarent. Ejus-

nullum equidem comparaverim candore ac pondere, quo maxime discernitur: montanis modo comparetur Italiæ agris externum, in quo principatum tenuit Bœotia,[g] deinde Sicilia, mox Africa. Tertium pondus erat Thracio, Syrioque,[h] deinde et Ægyptio,[i] athletarum[1] cum decreto, quorum capacitas jumentis similis, quem diximus, ordinem fecerat. Græcia et Ponticum laudavit, quod in Italiam non pervenit. Ex omni eadem genere grani prætulit dra-

CAP. XII. 1 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et

NOTÆ

modi largitionis mentionem faciunt nummi duo inprimis eximii, prave hactenus intellecti. Prior est Pertinacis Augusti, alter Severi Alexandri Cæsaris. Prior est argenteus in Thesauro Regio, a Segnino delineatus, p. 124. primæ editionis IMP. CAES. P. HELV. PERTIN. AVG. capite laureato: 'Imperator Cæsar Publius Helvius Pertinax Augustus.' .)(. Stat Dea Liberalitas, ut pingi solet in nummis inscriptis, LIBERALITAS AVG. cum tabella, quam dextra manu gerit, quæque modicum tritici pretium indicaret: et cum cornucopia, quam lævo brachio tenet. Inscriptio: LIBERATIS CIVIBVS. Ejus hæc inscriptio est: 'LIBERalitas Augusti Triticum Italicum Suppeditavit CIVIBVS.' Alioquin titulus non conveniret cum argumento, sive pictura. Alterius nummi, qui est Severi Alexandri, ingeniosior aliquanto inscriptio est, M. AVREL. ALEXANDER. CAES. Caput nudum. .)(. Corona laurea, in qua, S. P. Q. R. Hanc tenet Aquila Romana. In circuitu, METROPOLIS. Hoc est, 'Munificentissime Erogato Tritico Romanæ Plebi, Omnium Liberalitatem Imperatorum Superavit,' scilicet Cæsar Alexander. Est hic nummus, ut prior, argenteus, apud Occonem p. 409.' *Ed. sec.*

[g] *Bœotia*] Consentit Theophr. de Causis IV. 10. p. 310. Τοῦ μὲν ἄλλου πυροῦ δοκεῖ τοῦ Ἀθήναζε καταπλέοντος ὁ Σικελικὸς ἰσχυρότατος εἶναι· τούτου δ' ἔτι βαρύτερος μᾶλλον ὁ Βοιώτιος, ὥσπερ ἐν ταῖς ἱστορίαις εἴρηται.

[h] '*Syrioque*] Defuit anno uno in Syria, cum agris Sidoniorum serendis triticum suppeditavit Antonius Severus Augustus: quamobrem percussere ejus honori nummum ex ære magno, qui est in Cimelio D. de Boze, hoc titulo: AETERNVM BENEFICIVM SID. DAT. Hoc est, 'Sidoniis datum.' Implet nummi aream modius, e quo spicæ emicant. Pars prior, cum Antonini Severi capite, hos exhibet titulos: M. AVREL. ANTONINVS PIVS AVGPBG MAX. 'Parthicus, Britannicus Germanicus Maximus.'' *Ed. sec.*

[i] *Athletarum*] Athletis ita censentibus, quorum edacitas, seu voracitas potius, jumentorum similis, hunc quem modo diximus in pondere frumentorum ordinem fecit. Theophr. Hist. VIII. 4. In Bœotia, inquit, ternos semisextarios tritici absumunt: Athenis Siculi, facile quinos.

contion,[j] strangium, et Selenusium,[2] argumento crassissimi calami: ita pingui solo hæc genera assignabat. Levissimum et maxime inane, seu tenuissimi calami, in humidis seri jubebat, quoniam multo egeret alimento. Hæ fuere sententiæ Alexandro Magno regnante, cum clarissima fuit Græcia, atque in toto orbe terrarum potentissima: ita tamen, ut ante mortem ejus annis fere CXLV.[k] Sophocles poëta in fabula Triptolemo[l] frumentum Italicum ante cuncta laudaverit, ad verbum translata sententia:

Et fortunatam Italiam frumento canere[3] candido.

Quæ laus peculiaris hodieque Italico est. Quo magis admiror, posteros Græcorum nullam mentionem hujus fecisse frumenti.

Nunc ex his generibus, quæ Romæ[m] invehuntur,[4] levissimum est Gallicum, atque e Chersoneso advectum: quippe non excedunt in modium vicenas libras, si quis granum ipsum ponderet.[5] Adjicit Sardum selibras,[n] Alexandrinum et trientes:[o] hoc et Siculi pondus. Bœoticum

recentt. *deinde Æzyplio* Gronov. et al. vett.—2 'Ita cod. Reg. 2. et Editio princeps.' *Brotier.* Gronov. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *dracontiam, strangiam et Selenusium;* Margo edd. Dalec. et Gronov. *canchrydiam, stlengyn, et Alexandreum,* e Theophr. *dracontion, et istelepant, et selinusium* Chiffl.—3 Chiffl. *carere.*—4 'Ita codd. Regg. 1. 2. et Editio princeps. Nec aliter dixit Tacitus, Annal. II. 23. 'Oceano invexit." *Brotier.* Ita quoque Chiffl. *Romam invehuntur* Gronov. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—5 Tur-

NOTÆ

[j] *Dracontion*] Pro his tritici generibus, tergeminum aliud Theophrastus affert Hist. VIII. 4. καγχρυδίαν, στλεγγὺν, Ἀλεξάνδρειον.

[k] *Fere CXLV.*] Egit ergo Sophocles eam fabulam Olymp. LXXVII. anno quarto, ætatis suæ vicesimo, si Suidæ credimus, qui natum ait Olymp. LXXIII. Obiit enim Alexander Olymp. CXIV. anno primo, teste Diodoro Sic. Bibl. lib. XVII. p. 579.—'Obiit enim Alexander Olymp. CXX. anno primo, Olympiadibus Pliniano calculo computatis, U. C. a. 442.' *Ed. sec.*

[l] *Triptolemo*] In ea fabula Ceres Triptolemum edocet, quantum terrarum necesse sit peragrari seminandis a se datis frugibus, Italiamque præ ceteris laudat. Vide Dionys. Halic. Antiq. Rom. lib. I. p. 10.

[m] *Quæ Romæ* [*Romam*] Mss. omnes, *quæ Romæ.*

[n] *Selibras*] Dimidiam libram.

[o] *Et trientes*] Gallici, inquit, tritici pondus, non selibra tantum, sed præterea triente, hoc est, tertia libræ parte, ab Alexandrino Siculoque superatur.

totam libram addit: Africum et dodrantes.[p] In Transpadana Italia scio vicenas quinas libras farris modios pendere: circa Clusium[q] et senas.[6] Lex certe naturæ,[7] ut in quocumque[r] genere pani militari tertia portio ad grani pondus accedat: sicut optimum frumentum esse, quod in subactu[8][s] congium aquæ capiat. Quibusdam generibus per se pondus, sicut Balearico: modio tritici panis pondo XXXV.[9] reddit: quibusdam binis[t] mixtis,[10] ut Cyprio et Alexandrino, XX. prope libras[u] non excedentibus. Cyprium fuscum est, panemque nigrum facit: itaque miscetur Alexandrinum candidum, redduntque XXV. pondo. Thebaicum libras[11][v] adjicit. Marina aqua subigi, quod plerique maritimis in locis faciunt, occasione lucrandi salis, inutilissimum.[12] Non alia de causa opportuniora morbis cor-

neb. *siliquæ granum ipsum pondere;* Vet. Dalec. *sicli pondere.*—6 Gronov. *senos.* —7 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Lex naturæ certe est* cod. Dalec. *Lex certa naturæ* Gronov. et al. vett.—8 Chiffl. *subactum.*—9 'Ita codd. Regg. 1. 2. et Editio princeps.' *Brotier.* *modo tritici panis pondo XXXV.* Chiffl. *modo tritici p. p. XXX.* Gronov. et al. vett. *modio panis pondo XXXV.* Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *quod modio* Vet. Dalec.—10 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Quibus binis mixtis* Dalec. sub. 'pondus est.' *Quibusdam in binis mistis* Gronov. et al. vett.—11 Chiffl. *libram.*—12 Vet. Dalec. et Chiffl. *vilissimum.*—13 *Gallia et Hispania*

NOTÆ

[p] *Et dodrantes*] Et præterea dodrantem, hoc est, libræ partes tres quartas.

[q] *Circa Clusium*] Hoc est, circa Clusium farris modios pendere non vicenas quinas tantum libras, sed et senas: hoc est, vicenas senas. Dalecampius perperam existimat *senas* hoc loco Senensis esse in Etruria oppidi nomen. De farre Clusino, ejusque parandi modo, vide Aëtium Serm. IX. c. 45. p. 325. Colum. II. 6. 'Far, quod appellatur Clusinum, candoris nitidi.' Martialis in Xeniis, XIII. 8. 'Far:' 'Imbue plebeias Clusinis pultibus ollas,' &c.

[r] *Ut in quocumque*] Ut cujuscumque frumenti modius in panem subactus militarem, sive castrensem, (*le pain de munition*) triente toto seu tertia parte ponderosior sit, quam granum ipsum, prius quam molatur, et subigatur in panem.

[s] *Quod in subactu*] Dum subigitur in panificio.

[t] *Quibusdam binis*] Subintellige, pondus est.

[u] *XX. prope libras*] Antequam in panem subigantur.

[v] *Thebaicum libras*] Sive granum ipsum per se alteri e duobus istis misceatur, Cyprio vel Alexandrino: sive cum altero subigatur, libram ad pondus adjicit. Thebaicum porro ex Ægypto intellige.

pora existunt. Galliæ et Hispaniæ [13] frumento in potum [w] resoluto, quibus diximus [x] generibus, spuma ita concreta pro fermento utuntur. Qua de causa levior illis, quam ceteris, panis est.[14]

Differentia est et calami. Crassior quippe melioris est generis. Plurimis tunicis [y] Thracium triticum vestitur, ob nimia frigora illi plagæ exquisitum. Eadem causa et trimestre [15] [z] invenit, detinentibus terras nivibus, quod tertio fere a satu mense et in reliquo orbe metitur. Totis hoc Alpibus notum, et hyemalibus provinciis nullum hoc frumento lætius. Unicalamum [a] præterea, nec usquam capax :[16] seriturque non nisi tenui terra. Est et bimestre [b] circa Thraciæ Ænum,[17] quod quadragesimo die, quam satum est, maturescit : mirumque, nulli frumento plus esse ponderis, et furfuribus carere. Utitur eo et Sicilia, et Achaia, montuosis [18] utraque partibus. Eubœa quoque circa Carystum. In tantum fallitur Columella,[c] qui ne trimestris [19] quidem

cod. Dalec.—14 Verbum *est* deest cod. Dalec. et Chiffl.—15 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *et trimestria* Gronov. et al. vett.—16 Dalec. *usquam non capax*.—17 Ita codd. Harduini et Turneb. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *in Eubœa* Th. *circa Thraciæ fenum* Chiffl. et pro v. l. *finem*. Gronov. et al. vett. *circa Thracium sinum*.—18 Gronov. *montosis*.—19 Chiffl. *trimestri*.—20 Ita codd. Harduini, Dalec. et Chiffl.

NOTÆ

[w] *Frumento in potum*] Cum e madida fruge parant sibi potus, zythum scilicet, Gallis *Bière*, Hispanis *Cerveza*.

[x] *Quibus diximus*] Tritico nempe Balearico, in Hispaniis : in Galliis farris genere, quod bracem vocabant, ut dictum est, tum isto cap. tum superiore.

[y] *Plurimis tunicis*] Theophr. Hist. VIII. 4. *ὁ Θρᾴκιος πολυκάλαμος.*

[z] *Et trimestre*] Tritici genus, quod intra tres menses maturescit : bimestre, quod intra binos. De his Theophr. loc. cit. *Καὶ τὸ τῶν τριμήνων, καὶ τὸ τῶν διμήνων, καὶ ἔτι γένος ἐν ἐλάττοσιν ἡμέραις τελειοῦται.* Trimestre, siliginis genus esse docet Colum. II. 6. de generibus seminum.

[a] *Unicalamum*] Unicum e radice calamum trimestre id triticum emittit : nec potest ferre plures. Theophr. loc. cit. *Τρίμηνοι δὲ πολλοὶ . . . . μονοκάλαμοι, κατὰ τὴν ἔκφυσιν, καὶ τὸ ὅλον ἀσθενεῖς.*

[b] *Est et bimestre*] Theophr. loc. cit. etsi de Æno Thraciæ silet : in Eubœa solum reperiri illud affirmat, et in Sicilia, Achaiaque.

[c] *Columella*] Lib. II. 9. p. 58. ' Neque enim est ullum, sicut multi crediderunt, natura trimestre semen :

proprium genus existimaverit esse, cum sit antiquissimum. Græci setanion [20] [d] vocant. Tradunt in Bactris [e] grana tantæ magnitudinis fieri, ut singula spicas [21] nostras æquent.

XIII. Primum ex omnibus frumentis seritur hordeum. Dabimus et dies serendo [1] cuique generi, natura singulorum exposita. Hordeum Indis sativum et sylvestre, ex quo panis [f] apud eos præcipuus, et alica.[g] Maxime quidem [h] oryza gaudent,[2] ex qua ptisanam [i] conficiunt, quam reliqui mortales ex hordeo. Oryzæ [j] folia [3] carnosa, porro similia, sed latiora: altitudo cubitalis, flos purpureus, radix gemmeæ [4] rotunditatis.

XIV. Antiquissimum [k] in cibis hordeum, sicut Atheniensium [l] ritu Menandro auctore apparet: et gladiatorum [m]

cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *sicanion* Turneb. *trimenon* Gronov. et vulgg.—21 Margo edd. Dalec. et Gronov. *olivæ nucleos*, e Theophr.

Cap. XIII. 1 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *serendi* Gronov. et vulgg.—2 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *præcipuus. Italica max. quidam oryza gaudent* Gronov. et al. vett. *præcipuus. Oryza quidem max. ut Itali gaudent*, sub. 'Indi.' *Dalec. præcipuus. Italici max. quidam or. gaudent* al. ap. Dalec. *præcipuus. Italia maxime quidem or. gaudet* Vet. Dalec. et Chiffl.—3 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. recentt. *oryzæ quidem folia* Gronov. et vulgg.—4 'Chiffl. *geminæ*. Fortassis, *genuinæ*.' Dalec.

NOTÆ

quippe idem jactum autumno melius respondet.' Non negat is peculiare tritici genus dictum antiquis esse trimestre: sed ab eo quod autumno seritur, quodque melius ita provenit, differre negat. Et c. 6. triticum trimestre, et trimestre alicastrum agnoscit.

[d] *Græci setanion*] Ita Mss. non *trimenon*, ut editi. Σητάνιος πυρὸς, sive σητάνειος, triticum quod hoc anno, id est, vere ineunte satum est. Vide Rob. Constant. in Lexico.

[e] *Tradunt in Bactris*] Theophr. loc. cit. nucleis olivæ singula Bactrici frumenti grana æquiparat.

[f] *Ex quo panis*] Vide Notas et Emend. num. 7.

[g] *Et alica*] Hoc est, ptisana ex hordeo Indico, ut ipse loquitur XXII. 66.

[h] *Maxime quidem*] Theophr. Hist. IV. 8.

[i] *Ex qua ptisanam*] Ptisana pultis genus est, quod ex farina fit hordeacea, aliisque frugibus. Hanc quæ ex oryza conficitur, nostri ipsius oryzæ nomine, du Ris vocant: quæ ex hordeo, *Orge mondé*.

[j] *Oryza*] Depictam vide apud Dodon. p. 500.

[k] *Antiquissimum*] Vide Dionys. Halic. Rom. Antiq. lib. II. p. 95.

[l] *Atheniensium*] Quoniam in Eleusinio certamine præmium victori hordeum fuit, uti testatur Pindari Scho-

cognomine, qui hordearii vocabantur. Polentam [n] quoque Græci non aliunde præferunt. Pluribus fit hæc modis. Græci perfusum aqua hordeum siccant nocte una, ac postero die frigunt, deinde [1] molis [o] frangunt. Sunt qui vehementius tostum rursus exigua aqua aspergant, et siccent [2] prius, quam molant. Alii vero virentibus spicis decussum hordeum recens purgant, madidumque in pila tundunt, atque in corbibus eluunt,[3] ac siccatum Sole rursus tundunt, et purgatum molunt. Quocumque autem genere præparato,[4] vicenis hordei libris, ternas seminis lini, et coriandri selibram,[5] salisque acetabulo,[p] torrentes ante omnia miscent in mola. Qui diutius volunt servare, cum polline ac furfuribus suis condunt novis fictilibus. Italia sine perfusione tostum in subtilem farinam[6] molit, iisdem additis, atque etiam milio. Panem ex hordeo antiquis usitatum vita damnavit, quadrupedumque [q] ferecibus est.[7]

CAP. XIV. 1 Cod. Dalec. *dein.*—2 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. et recentt. *siccentque* Gronov. et vulgg.—3 Cod. Dalec. *dividunt.* —4 Vet. Dalec. *præparata*, sub. 'polenta.'—5 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. et recentt. *selibras* Gronov. et al. Mox, Vet. Dalec. *acetabulum, torrentes ante, omnia, &c.*—6 Ita codd. Harduini, Dalec. Turneb. et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et quæ secutæ; *formam* Gronov. et

NOTÆ

liastes, Olymp. Ode 9. p. 93. *Ἄγεται δὲ αὐτόθι* (de Eleusine loquitur) *ἀγὼν Κόρης καὶ Δημήτερος, ὃς καλεῖται Ἐλευσίνια· οὗ ἔπαθλον κριθαί.* Hoc ipsum scribunt Aristides, Suidas, et auctor Etymologici.

[m] *Et gladiatorum*] Et præterea, inquit, id ex quodam gladiatorum genere intelligitur, qui hordearii appellantur, quod vetustiore ævo eo cibi genere uterentur. Milites etiam, 'qui parum in armorum prolusione profecerant,' inquit Vegetius I. 13. p. 14. 'pro frumento hordeum cogebantur accipere: nec ante eis in tritico reddebatur annona, quam sub præsentia Tribunorum experimentis datis ostendissent se omnia, quæ erant in militari arte, complesse.'

[n] *Polentam*] Polentam Græci *ἄλφιτα* vocant, torrefacti hordei farinam. In Gallia vocant, *du Gruau.* Spissandis carnium juribus venalis circumfertur: cœpitque et ex avena retorrida fieri, et eadem nominis ambage proferri.

[o] *Deinde molis*] Veteres hordeum, similesque fruges, prius torrebant, deinde molebant. Unde Virgil. Æn. I. 183. 'Et torrere parant flammis, et frangere saxo.' Nec ullum ibi *ὕστερον πρότερον*, ut sibi vulgus interpretum fingit. Vide quæ dicenda sunt cap. 23.

[p] *Acetabulo*] De hoc mensuræ genere dicetur XXI. 109.

XV. Ptisanæ inde usus validissimus saluberrimusque tantopere probatur. Unum laudibus ejus volumen dicavit Hippocrates[a] e clarissimis[1] medicinæ scientia. Ptisanæ bonitas præcipua Uticensi. In Ægypto vero est,[2] quæ fit ex hordeo, cui sunt bini anguli. In Bætica et Africa genus, ex quo fiat, hordei, glabrum appellat Turranius.[3] Idem olyram et oryzam eandem esse existimat. Ptisanæ conficiendæ vulgata ratio est.

XVI. Simili modo ex tritici semine[b] tragum[1] fit, in Campania duntaxat et Ægypto.

XVII. Amylum vero[c] ex omni tritico[1] ac siligine, sed optimum e trimestri.[d] Inventio ejus Chio insulæ debetur: et hodie laudatissimum inde est:[2] appellatum ab eo,[e] quod sine mola fiat: proximum trimestri,[f] quod e minime pon-

al. vett.—7 Ita codd. Harduini, et recentt. *quadrupedumque tradidit hordeum refectibus* Vet. Dalec. *quadrupedumque fere cibus est. Cum ptisanæ .... probetur* Chiffl. *quadrupedumque tradidit refectibus* Gronov. et vulgg.

CAP. XV. 1 *Hippocrates clarissimus* Vet. Dalec.—2 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. et recentt. *in Ægypto ea est* Gronov. et al. vett.—3 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Turennius* Gronov. et vulgg.

CAP. XVI. 1 Margo edd. Dalec. et Gronov. *trages*, e Diosc.

CAP. XVII. 1 Ita Gronov. et al. vett. item Harduin. 1. et Bipont. *ex tritico* Harduin. 2. 3. Miller. et Franz.—2 Chiffl. *id est;* et pro v. l. in marg.

NOTÆ

[q] *Quadrupedumque*] Equorum: quibus olim non avena dabatur, sed hordeum. Unde Festus: 'Hordearium æs,' inquit, 'quod pro hordeo equiti Romano dabatur.'

[a] *Hippocrates*] Is liber est, qui alias de ptisana, ut auctor est Athenæus lib. II. p. 57. nunc de victu in morbis acutis, vel contra Cnidias sententias inscriptus legitur, tomo undecimo operum Galeni, qui quatuor in eum librum Commentarios edidit.

[b] *Ex tritici semine*] Hoc est, e zea, ut ipse postea explicaturus est. Galenus in Comm. 1. ad librum Hippocr. de victu in morbis acutis, p. 14. tom. XI. Ζεῖαι, ἐξ ὧν ὁ καλούμενος τράγος γίνεται. In indice hujus loci Plinius: *De trago.* Celsus IV. 4. de difficultate spirandi, inter cibos non nimium acres, cum lenticula ptisanaque tragum recenset.

[c] *Amylum vero*] Et ex zea parari amylum scribit Diosc. II. 123. Gallis, *Amidon.*

[d] *E trimestri*] Hoc est, e trimestri tritico, de quo cap. 12. Sic Diosc. loc. cit. Ἄριστον δέ ἐστι τὸ σκευαζόμενον ἐκ πυροῦ σητανίου.

[e] *Appellatum ab eo*] Diosc. loc. cit. Ἄμυλον ὀνόμασται, διὰ τὸ χωρὶς μύλου κατασκευάζεσθαι.

[f] *Proximum trimestri*] Vide Notas et Emend. num. 8.

deroso[3] tritico. Madescit[g] dulci aqua ligneis vasis, ita ut integatur,[4] quinquies in die mutata. Melius si et noctu, ita ut misceatur pariter. Emollitum, priusquam acescat, linteo aut sportis saccatum,[5 h] tegulæ infunditur illitæ fermento, atque ita in Sole densatur. Post Chium[i] maxime laudatur Creticum, mox Ægyptium. Probatur autem lævore, et levitate:[6] atque ut recens sit: jam et Catoni dictum apud nos.[7 j]

XVIII. Hordei farina[k] et ad medendum utuntur. Mirumque, in usu jumentorum, ignibus durato, ac postea molito, offisque humana manu demissis in alvum, majores vires, torosque corporis fieri. Spicæ quædam[l] binos ordines habent, quædam plures usque ad senos. Grano ipsi[m] aliquot[1] differentiæ, longius, leviusque,[2] aut brevius, aut rotundius,[3] candidius, nigrius, vel cui purpura est. Ultimo

idem, appellatum, &c.—3 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. proximum et trimestri quodam minime ponderoso Gronov. et al. ante Harduin.—4 Chiffl. in ligneis vasis, ita ut integatur; et in emend. intingatur.—5 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. ita ut misceatur pariter emollitum, priusquam acescat. Linteo aut sportis siccatum Gronov. et vulgg.—6 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. levitate et lævore Gronov. et vulgg.—7 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. sic et cod. Dalec. jam et Catoni dictum. Apud nos hordei Gronov. et vulgg.

CAP. XVIII. 1 Cod. Dalec. aliquid.—2 Margo edd. Dalec. et Gronov. majusque, e Theophr.—3 Ibid. ex eodem, ac rotundius. Mox, Dalec. nigrius, cui purpura est, optimum ad polentam. Contra, &c. Margo edd. Dalec. et Gronov. et contra temp. major firmitas, e Theophr. vel cui purpura est, ultimo ad

NOTÆ

g *Madescit*] Diosc. loc. cit.

h *Linteo aut sportis saccatum*] Hoc est, per saccum colatum: quo modo vinum Hippocraticum colant pharmacopolæ. Vide Notas et Emend. num. 9.

i *Post Chium*] Creticum pariter laudat Diosc. loc. cit. mox Ægyptium: Chii non meminit. Alexandrinum commendat et Theodorus Priscian. lib. IV.

j *Catoni dictum apud nos*] Etsi res sit exotica amylum, inquit, jam tum ætate tamen Catonis, Romæ id cognitum est. Verba hæc sunt Catonis c. 87. 'Amylum sic facito. Siligínem purgato bene,' &c.

k *Hordei farina*] Ad aurium dolorem utitur ea Marcellus Empir. c. 9. p. 78. In pluribus vero morbis Galenus, quos in Indice Brassavoli leges.

l *Spicæ quædam*] Hordei scilicet. Theophr. Hist. VIII. 4. Τῶν μὲν κριθῶν αἱ μέν εἰσι δίστιχοι, αἱ δὲ τρίστιχοι ... πλεῖσται καὶ ἑξάστιχοι.

m *Grano ipsi*] Theophr. loc. cit.

ad polentam:[n] contra tempestates[o] candido maxima infirmitas. Hordeum frugum omnium mollissimum est: seri non vult,[p] nisi in sicca et soluta terra, ac nisi læta. Palea[q] ex optimis: stramento vero nullum comparatur. Hordeum ex omni frumento minime calamitosum, quia ante tollitur quam triticum[4] occupet rubigo. Itaque sapientes agricolæ triticum cibariis tantum[r] serunt. Hordeum sarculo[5] [s] seri dicunt, propterea celerrime redit: fertilissimumque, quod in Hispaniæ Carthagine Aprili mense collectum est: hoc seritur eodem mense in Celtiberia, eodemque anno bis[6] nascitur. Rapitur omne a prima statim maturitate festinantius, quam cetera. Fragili enim stipula et tenuissima palea granum continetur. Meliorem etiam[t] polentam fieri tradunt, si non excocta[7] maturitate tollatur.

polentam. Contra, &c. Harduin. 2. 3. Miller. et Franz.—4 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. et recentt. *quia tollitur antequam triticum* Gronov. et vulgg.—5 'Chiffl. *sacculo*; sic et Turneb. vel, *seculo*: neutrum apte.' *Dalec. dicunt, propt. quod celer. reddit* cod. Dalec. Mox, *fertile est quod* Vet. Dalec. et Chiffl.—6 Chiffl. *eodemque a nobis*; et in emend. *eodemque nobis.*—7 Turneb. *exacta.*

NOTÆ

[n] *Ultimo ad polentam*] Postremum, hoc est, purpurascens, imbecille in polenta: etsi plurimum farinæ reddit: *αἱ δὲ ἐπιπορφυρίζουσαι, αἵπερ καὶ πολυάλφιτοι δοκοῦσιν εἶναι.* Theophr. loc. cit.

[o] *Contra tempestates*] Contra hyemem, ventosque, et cœli mutationes varias. Theophr. de purpurascente hordeo: *καὶ πρὸς τοὺς χειμῶνας δὲ, καὶ τὰ πνεύματα, καὶ ὅλως τὸν ἀέρα, τῶν λευκῶν ἰσχυρότεραι, candido firmius.*

[p] *Seri non vult*] Mss. *Seri non volet*, forte pro *non volt*. Non placet certe legi, *non valet*.

[q] *Palea*] Didymus in Geopon. IV. 14. pag. 114. ad certos quosdam usus hanc reliquis anteponit: *τῶν δὲ σιτίνων τὰ κρίθινα αἱρετώτερα.*

[r] *Cibariis tantum*] Tantum tritici serunt, quantum ad familiæ cibaria satis est.

[s] *Hordeum sarculo*] Terra levissime mota, ac veluti suspensa, quemadmodum fere fit sarriendo: sarculo opus est, non aratro: atque idcirco celerrime erumpit, et maturescit. 'Agros findere sarculo' dixit Horat. I. Od. I. 11.

[t] *Meliorem etiam*] Galenus quoque de Alim. Facult. I. 11. p. 317. tom. VI. ex recenti hordeo mediocriter frixo laudatissimam fieri polentam docet: odoris etiam eximii: si arista non omnino sicca: *Ἐκ τῶν νέων κριθῶν φρυγεισῶν συμμέτρως τὸ κάλλιστον ἄλφιτον γίνεται . . . μάλιστά ἐστιν εὐώδη τὰ ἐκ τῶν ἀρίστων καὶ νέων κριθῶν γιγνόμενα, μὴ πάνυ ξηρὸν ἐχουσῶν τὸν στάχυν.*

XIX. (VIII.) Frumenti genera non eadem ubique: nec,[1] ubi eadem sunt, iisdem nominibus. Vulgatissima far, quod adoreum [a] veteres appellavere, siligo, triticum. Hæc plurimis terris communia. Arinca [b] Galliarum propria; copiosa et Italiæ est. Ægypto [2] autem ac Syriæ, Ciliciæque et Asiæ, ac Græciæ peculiares, zea, olyra, tiphe.[c] Ægyptus similaginem conficit e tritico [3] suo, nequaquam Italicæ parem. Qui zea utuntur, non habent far.[d] Est et hæc Italiæ in Campania maxime, semenque appellatur. Hoc habet nomen res præclara, ut mox docebimus:[e] propter quam Homerus [f] ζείδωρος ἄρουρα dixit: non, ut aliqui arbitrantur, quoniam vitam donaret. Amylum quoque ex ea fit, priore crassius.[g] Hæc sola differentia est.[4]

CAP. XIX. 1 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *neque* Gronov. et vulgg.—2 *In Ægypto* Chiffl.—3 Chiffl. *conficit tritico*, omissa præpositione.—4 Dalec. *differentia. Durissimum.*—5 Codd.

NOTÆ

[a] *Quod adoreum*] Unde ‘adorea liba’ apud Maronem Æneid. VII. 109. Festus: ‘Ador farris genus, edor quondam appellatum ab edendo: vel quod aduratur, ut fiat tostum: unde in sacrificio mola salsa efficitur.’

[b] *Arinca*] Nunc corrupto vetere vocabulo, in Delphinatu *Riguet* id tritici genus appellant. Nic. Chorier Hist. lib. I. p. 54. De arinca plura dicemus c. 20.

[c] *Zea, olyra, tiphe*] Tiphen et olyram rem alii eandem esse, alii diversam, veteres prodiderunt, referente eorum sententias Galeno loc. cit. c. 13. p. 319. περὶ τιφῶν, καὶ ὀλυρῶν, καὶ ζειῶν. Ipse Galenus tom. II. in Explic. Vocum Hippocr. pag. 91. Ζείας, ὀλύρας, interpretatur: perinde ac si res una sit, nominibus diversis. Hæc tria tamen et nominibus et re distinguit Anguillara, par. VI. p. 98. Tipham ait Italis appellari *Spelta*: Olyram, *Scandella*: Zeam, *Farro*. Asclepiades apud Galen. κατὰ τόπους, IX. 3. Φάῤῥους ὃ καλοῦσι ζέαν. Et quod Straboni lib. V. p. 242. ζέα dicitur, id Plinius cap. 29. *far* appellat. Et Dionys. Antiq. Rom. lib. II. pag. 95. Φαῤῥὸς, ὃ καλοῦμεν ἡμεῖς ζέαν. Ægyptios porro panem ἐκ τῶν ὀλυρέων fecisse auctor est Herod. II. 77. pag. 118.

[d] *Non habent far*] Sed zeam pro farre habent. Nam et ipsa zea far est: nec semen tantum appellatur, ut Plinius ait, sed cum farre nomen alterum commune habet, adoreum, teste Isidoro XVII. 3. ‘Adoreum, tritici genus, quod idem vulgo semen dicitur.’

[e] *Ut mox docebimus*] Cap. 29. ubi e zea quæ conficitur, alicam commendat.

[f] *Homerus*] Iliad. B. 548. et alibi passim. Quod ζεῖαν ferret: non ἀπὸ τοῦ ζῆν, vivere.

[g] *Priore crassius*] Priore amylo, de quo c. 17.

Ex omni genere durissimum far, et contra hyemes firmissimum. Patitur frigidissimos locos, et minus subactos, vel æstuosos,[5] [h] sitientesque. Primus antiquis [i] Latio cibus, magno argumento in adoreæ donis, sicuti diximus.[j] Pulte autem,[k] non pane, vixisse longo tempore Romanos manifestum, quoniam inde et pulmentaria [l] hodieque dicuntur. Et Ennius, antiquissimus vates, obsidionis famem exprimens, offam eripuisse [m] plorantibus liberis patres commemorat. Et hodie sacra prisca, atque natalium,[n] pulte fritilla [6] [o] conficiuntur: videturque tam puls ignota Græciæ fuisse, quam Italiæ polenta.

Dalec. Chiffl. aliique, *æstivosos*.—6 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd.

NOTÆ

[h] *Æstuosos*] In Mss. ubique, *æstivosos*.

[i] *Primus antiquis*] Vide Dionys. Halic. Rom. Antiq. lib. II. p. 95. ubi far esse zeam docet.

[j] *Sicuti diximus*] Cap. 3.

[k] *Pulte autem*] Valerius Max. II. 5. 'Erant majores nostri adeo continentiæ attenti, ut frequentior apud eos pultis usus, quam panis, esset.' Et ad hunc veterem morem Juvenalis respiciens, Sat. XIV. 171. 'Grandes fumabant pultibus ollæ.'

[l] *Pulmentaria*] Varro de Ling. Lat. lib. IV. 'Pulmentum,' inquit, 'quod idem cum pulte essent,' hoc est, cum pulte comederent: 'inde pulmentarium dictum.' Pulmentarium igitur obsonium quodvis dicebatur, non quod ex pulte esset: ut Lexicorum auctoribus videtur: sed quod, uti postea cum pane, sic olim cum pulte, ederetur: inde nomen. Græcis προσφάγιον inde dictum, quod addatur pani, ut notat Erasmus in c. 21. Joan. ubi Latinus interpres *pulmentarium* transtulit. Joan. de Janua: 'Pulmentum vel pulmentarium dicitur quilibet cibus citra panem.' Apud Phæd. lib. III. Fab. Canis ad Lupum: 'Affertur ultro panis, de mensa sua Dat ossa dominus, frusta jactat familia, Et quod fastidit quisque pulmentarium.' Et Seneca ficus caricas pulmentarii vicem habere dixit, obsonii Plinius, ut annotavimus XV. 21.

[m] *Offam eripuisse*] Offa enim antiquis fuit, auctore Festo quoque, glomerata puls.

[n] *Atque natalium*] Subintellige, natalium sacra. Sequioribus tamen temporibus, superstitione crescente, etiam cruentas in natalitiis sacris hostias mactavere. Horat. IV. Od. 11. die natali Mæcenatis dicta: 'Ara castis Vincta verbenis, avet immolato Spargier agno.' Lampridius, in Alexandro Severo: 'Cum ejus natalem aruspices commendarent, dixerunt eum summam rerum tenturum: idcirco quod hostiæ de ea villa, quæ esset Severi Imp. adductæ essent.'

[o] *Pulte fritilla*] Sic Mss. omnes: forte pro *frictilla* seu *frictili*, a frigendo, quoniam esset ea puls e farina fricta. An huc pertinet quod habet Varro de Vita Populi Rom. lib. I. apud Nonium c. 4. num. 291. 'Quod Ka-

XX. Tritici semine avidius nullum [a] est, nec quod plus alimenti trahat. Siliginem [b] proprie dixerim tritici delicias: candor est, et sine [1] virtute, et sine pondere, conveniens humidis tractibus, quales Italiæ sunt, et Galliæ Comatæ. Sed et trans Alpes in Allobrogum tantum Remorumque [2] agro pertinax: in ceteris ibi partibus biennio in triticum transit. Remedium,[c] ut gravissima quæque grana ejus serantur.

(IX.) E siligine lautissimus panis, pistrinarumque [d] opera laudatissima.[3] Præcellit in Italia, si Campana Pisis natæ misceatur. Rufior illa, at Pisana candidior, ponderosiorque cretacea.[4] [e] Justum est e grano Campanæ, quam vocant castratam,[f] e modio [g] redire sextarios quatuor sili-

Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *pulte firtilla* Chiffl. *pulte fitilla* Gronov. et vulgg.

Cap. xx. 1 Cod. Dalec. *delicias candore, sed sine;* Chiffl. ut in vulgg. ante Dalecampium, *delicias candore, &c.* sed in emend. *candore, virtute, pondere conveniens.*—2 'Ita cod. Reg. 2. et Editio princeps. Male cod. Reg. 1. *Memorum:* unde emendatum in recentt. edd. *Meminorum.*' Brotier. *Meminorumque* Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Nerviorum* cod. Dalec. *Morinorum* Vet. Dalec. *Avernorumque* alii vett. ap. Dalec. *Remorum* Turneb. *Memorumque* Chiffl.—3 Vet. Dalec. *pistorumque opera lautissima.*—4 Ita codd.

NOTÆ

lendis Juniis et publice et privatim fatuam pultem Diis mactat.' Apud Arnobium lib. VII. p. 230. *fitilla* dici videtur.

[a] *Avidius nullum*] Quod plus ex terra alimenti trahat.

[b] *Siliginem*] Candidi levissimique tritici genus, vulgo *Blé blanc.* Juvenal. Sat. v. 70. 'Sed tener et niveus, mollique siligine factus Servatur domino,' panis videlicet. Columella II. 6. de generibus seminum: 'Tritici genera complura cognovimus. Verum ex his maxime serendum est, quod robus dicitur, quoniam et pondere et nitore præstet. Secunda conditio est habenda siliginis, cujus species in pane præcipua pondere deficitur.' Et c. 9. humido statu cœli recte hanc provenire ait.

[c] *Remedium*] Columella II. 9. p. 55. ubi et post tertiam sationem omne triticum solo uliginoso converti ait in siliginem.

[d] *Pistrinarumque*] Huc pertinet CORPVS. PISTORVM. SILIGINIARIORVM, cujus mentio in inscriptione vetere apud Gruter. p. 81.

[e] *Cretacea*] Cui, ob candorem cretæ similem, inditum id nomen videtur: aut cui creta potius Campana admixta est, ad conciliandum alicæ candorem, ut dicetur c. 29.

[f] *Vocant castratam*] Purgatam, di-

ginis,[h] vel e gregali[5] sine castratura sextarios quinque, præterea floris semodium: et cibarii,[i] quod secundarium vocant, sextarios quatuor: furfuris, sextarios totidem. E Pisana autem siliginis sextarios quinque: cetera paria[j] sunt. Clusina, Aretinaque etiamnum sextarios siliginis asciunt:[6 k] in reliquis pares.[l] Si vero pollinem[m] facere libeat, XVI. pondo panis redeunt, et cibarii[n] tria, furfurumque semodius. Molæ discrimine hoc constat. Nam quæ sicca moluntur, plus farinæ reddunt: quæ salsa aqua sparsa, candidiorem medullam:[o] verum plus retinent in furfure. Farinam a farre dictam nomine ipso apparet. Siligineæ farinæ modius Gallicæ XXII. libras panis reddit, Italicæ[p] duabus tribusve amplius in artopticio pane. Nam furnaceis binas adjiciunt libras in quocumque genere.



Harduini et Chiffl. *ponderosior vero cretacea* Gronov. et vulgg.—5 Margo edd. Dalec. et Gronov. *ut e gregali*. Mox, Vett. ap. Dalec. *semod. et cib.* vel, *Et in cibarium panem, quem secundarium vocant, farinæ sextarios quatuor*.—6 'Ita codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier*. Ita quoque Chiffl. *adsciscunt* cod. Dalec. *assumunt* Gronov. et al. vett. item Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. Mox, Dalec. *Si vero panem fac. lib. XVI. primarii panis*.—

NOTÆ

ligentiusque excretam cribro pollinario. *Bluter la farine.*

[g] *E modio*] Capit modius sextarios sedecim. Nam amphora, seu quadrantal, sextarii sunt duodequinquaginta, inquit Festus: amphora eadem modios tres continet, auctore Volusio Mæciano. De sextariis diximus XIV. 6.

[h] *Siliginis*] Farinæ e siligine.

[i] *Et cibarii*] Cibarium appellat, farinam crassiorem, quæ post pollinem vel florem excutitur, quam furfures sequuntur. Ex ea panis conficitur, quem cibarium quoque, et secundarium vocant, *Pain bis.*

[j] *Cetera paria*] Ut in Campana siligine: quæ reddit in modios singulos, floris semodium, cibarii sextarios quatuor, &c.

[k] *Siliginis asciunt* [*assumunt*] Mss. *adsciunt*. Forte *adjiciunt*. Clusina, inquit, et Aretina farinæ reddunt non sextarios modo quinque, ut Pisana, verum etiam senos. De Clusino farre dictum est c. 12.

[l] *In reliquis pares*] Reddunt nimirum floris semodium, cibarii sextarios quatuor, &c.

[m] *Si vero pollinem*] Hoc est, si tenuissimam libet farinam excernere, quæ tenuitate etiam id superet, quod florem farinæ siligineæ diximus appellari.

[n] *Et cibarii*] Quid cibarium vocetur, paulo ante diximus.

[o] *Medullam*] Farinam.

[p] *Italicæ*] Farina, inquit, e siligine Italica panis libras reddit XXIV. aut etiam vicenas quinas, si sit artopticius panis. De eo panis genere dicemus sect. 27.

(x.) Similago e tritico[7] fit laudatissima. Ex Africo justum est e modiis redire semodios, et pollinis sextarios quinque. Ita autem[q] appellant in tritico, quod florem in siligine. Hoc ærariæ officinæ chartariæque utuntur.[r] Præterea secundarii sextarios quatuor, furfurumque tantundem. Panes vero[8] e modio similaginis CXXII.[s] e floris modio CXVII. Pretium huic annona media[t] in modios farinæ, XL. asses:[u] similagini castratæ octonis assibus amplius,[v] siligini castratæ duplum.[w] Est et alia distinctio similaginis, tempore L. Pauli[x] nata, prima XVII. pondo panis reddere visa, secunda XVIII. tertia XIX. cum triente:[a] et secundarii[9] panis quinas selibras, totidem cibarii, et furfurum sextarios sex.

Siligo nunquam maturescit pariter, nec ulla segetum minus dilationem patitur, propter teneritatem, iis quæ[10]

[a] *Est et alia bonitatis distinctio in similagine, semel tempore L. Pauli nata, cum XVII. libras panis reddere visa primum est: secunda bonitas, cum XVIII. Tertia, quando XIX. cum triente.*

---

7 *Similago ex tritico* Edd. vett.—8 'Ita bene mediæ editiones. Male in codd. Reg. Editione principe, et recentioribus, *Panis vero.*' Brotier. *Panis vere* Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—9 'Locus hic mirum in modum corruptus est in scriptis editisque libris. Quam meliorem putavi emendandi rationem sum secutus. Si quis meliora reperire valeat, experiatur.' *Brotier.* *Est et alia distinctio. Similago L. pollin autem XVII. pondo panis reddere visa, tritici XXX. cum triente, et secundarii* Gronov. et vulgg. *Est et alia distinctio, semel tempore L. Pauli nata, XVII. pondo panis reddere visa, XVIII. Tertia XIX. cum triente: et secundarii* Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. '*Est et alia distinctio, semel tempore L. Pauli nata, pondo panis reddere visa XVIII. Tertia, XIX. cum triente, &c.* Turneb. et Chiffl. Quidam vero, *Similago tritici XVII. pondo panis reddere visa, pollin autem XXX. cum triente, et secundarii*' margo edd. Dalec. et Gronov.—10 Vet. Dalec. *spicis, quæ.*—

NOTÆ

[q] *Ita autem*] Similaginem, inquit, appellant in tritico, quod in siligine florem. *Fleur de farine de froment.*

[r] *Hoc ærariæ ..... utuntur*] Quæ farina cum argilla mixta operum suorum formas effingunt, ut recte Dalecampius.

[s] *CXXII.*] Subintellige, pondo, seu libræ redeunt.

[t] *Annona media*] Moderatiore annona, cum nec omnino gravis est, nec omnino laxa.

[u] *XL. asses*] E nostris assibus, asses sunt XXXII.

[v] *Octonis ..... amplius*] Hoc est, XLVIII. assibus: monetæ nostræ asses efficiunt circiter octo et triginta.

[w] *Duplum*] Hoc est, asses XCVI. monetæ Gallicæ asses circiter LXXVI.

[x] [*Semel*] *tempore L. Pauli*] Vide Notas et Emend. num. 10.

maturuere, protinus granum dimittentibus. Sed minus, quam cetera frumenta, in stipula periclitatur, quoniam semper rectam habet spicam: nec rorem continet, qui rubiginem faciat.

Ex arinca[11] [y] dulcissimus panis: ipsa spissior, quam far, et major spica, eadem et ponderosior. Raro modius grani non XVI. libras implet. Exteritur[z] in Græcia difficulter; ob id jumentis dari ab Homero[a] dicta. Hæc enim est, quam olyram vocat. Eadem in Ægypto facilis,[b] fertilisque. Far sine arista[c] est: item siligo, excepta quæ[12] Laconica appellatur. Adjiciuntur his genera, bromos,[d] siligo excepta,[e] et tragos, externa omnia ab Oriente invecta, oryzæ[13] similia. Tiphe[f] et ipsa ejusdem est generis, ex qua fit in nostro orbe oryza.[14] [g] Apud Græcos est zea.[15] Traduntque eam ac tiphen, cum sint degeneres, redire ad frumentum, si pistæ serantur:[h] nec protinus, sed tertio anno.

11 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. et recentt. *Et arinca* Gronov. et vulgg. *Et Africa* Chiffl. Mox, Vet. Dalec. *et majore spica.*—12 Dalec. *item siligo exceptitia, quæ;* et mox, *A. his generibus, bromos, siligo et tragos,* expuncta voce *excepta;* pro qua Gronov. et vulgg. *exceptitia.* Turneb. et Chiffl. etiam *excepta.*—13 Ita codd. Harduini et Chiffl. Mox, *et ipsa ejusdem generis* Gronov. et vulgg.—14 Dalec. *olyra.*—15 Chiffl. *et ixia.*

NOTÆ

[y] *Ex arinca*] De ea diximus cap. sup.

[z] *Exteritur*] In area difficulter teritur.

[a] *Ab Homero*] Iliad. E. 195. Παρὰ δέ σφιν ἑκάστῳ δίζυγες ἵπποι Ἑστᾶσιν, κρῖ λευκὸν ἐρεπτόμενοι καὶ ὀλύρας. Ubi Didymus interpres: Ὀλύρας. εἶδος κριθώδους καρποῦ· τισὶ μὲν βρίζα, καὶ βρίζιον· τισὶ δὲ ζειὰ, καὶ ζέα. Id rursum Homerus habet Iliad. B. 560.

[b] *In Ægypto facilis*] Haud difficulter exteritur.

[c] *Far sine arista*] In Ægypto.

[d] *Bromos*] Hoc est, avena sativa, de l' Avoine. Βρόμος Galeno, de Alim. Facult. I. 14. pag. 322. tom. VI. semen est in Asia frequens, præsertim in Mysia supra Pergamum; jumentorum cibus, non hominum, nisi in fame.

[e] *Siligo excepta*] Ita Mss. non *exceptitia.* Laconicam siliginem intelligit, diversi generis a communi siligine, propter peculiarem aristam.

[f] *Tiphe*] Scaliger Exerc. 292. pag. 869. existimat esse nostrum Secale, *le Seigle:* sed falso. De secali dicemus cap. 40.

[g] *In nostro orbe oryza*] Hoc est, ptisana oryzæ similis.

[h] *Si pistæ serantur*] Hoc est, si purgatæ, sive decorticatæ. Theophr. Hist. II. 5. a quo Plinius mutuatus

XXI. Tritico nihil est fertilius: hoc ei natura tribuit, quoniam eo maxime alebat[1] hominem: utpote cum e modio, si sit aptum solum, quale in Byzacio[i] Africæ campo, centeni quinquageni modii reddantur. Misit ex eo loco Divo Augusto procurator ejus[j] ex uno grano (vix credibile dictu) CCCC. paucis minus[2] germina,[k] extantque de ea re epistolæ. Misit et Neroni similiter CCCLX.[3] stipulas ex uno grano. Cum centesimo quidem et Leontini Siciliæ campi fundunt, aliique, et tota Bætica,[4] et inprimis Ægyptus. Fertilissima tritici genera, ramosum, aut quod centigranium[5] vocant. Inventus est jam et scapus unus centum fabis onustus.

XXII. Æstiva frumenta diximus,[l] sesamam, milium, panicum. Sesama ab Indis venit: ex ea et oleum[m] faciunt:[1] color ejus candidus. Huic simile est in Asia Græciaque erysimum,[n] idemque erat, nisi pinguius esset: quod apud nos vocant irionem:[2] medicaminibus annumerandum po-

CAP. XXI. 1 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *alat* Gronov. et vulgg.—2 'Ita bene codd. Regg. et Editio princeps. Male eruditus Harduinus, *quadraginta paucis minus.*' Brotier. *XL. paucis minus* codex vetustior Dalecampii; *quadringenta paucis minus* codex alter; item Gronov. et vulgg. ante Harduin. *quadringenta paucissimis* Chiffl. Mox, *grana* pro *germina* Dalec.—3 Ita codd. Harduini, Dalec. et Chiffl. cum edd. recentt. *CCCXL.* edd. vett. et Gronov.—4 *Bæotica* codd. Turneb. et sic Theophr.—5 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. et recentt. *centigrenum* Gronov. et vulgg.

CAP. XXII. 1 Cod. Dalec. *conficiunt.*—2 Cod. Dalec. *trixon*; Turneb.

NOTÆ

est: Ἡ τίφη καὶ ἡ ζειὰ μεταβάλλουσιν εἰς πυρὸν, ἐὰν πτισθεῖσαι σπείρωνται. Varia hujus vocis πτίσσειν significatio est. Hesychius: Πτίσσαι, κόψαι· πτίσσει, κόψει. πτίσσατε, ἀποδερματίσατε. Πτίσσειν igitur Græcis est tundere, pinsere, purgare, decorticare.

[i] *Quale in Byzacio*] Supra XVII. 3. 'In Byzacio Africæ illum centena quinquagena fruge fertilem campum,' &c.

[j] *Procurator ejus*] Procurator Cæsaris vectigalia colligebat, fisci jura tuebatur, &c.

[k] *Germina*] Stipulas, sive culmos.

[l] *Æstiva . . . diximus*] Initio cap. 10.

[m] *Ex ea et oleum*] Σήσαμον Diosc. II. 121. Γίνεται δὲ καὶ ἔλαιον ἐξ αὐτοῦ, ᾧ καὶ Αἰγύπτιοι χρῶνται.

[n] *Erysimum*] Ἐρύσιμον Theophrasti, Hist. VIII. 7. Ἔστι δὲ τὸ μὲν ἐρύσιμον ὅμοιον σησάμῳ, καὶ λίπος ἔχει. Hoc de semine accipiendum, non de caule. Gallis *Cameline*, a Dodonæo pingitur, Pempt. IV. lib. II. cap. 23. pag. 523. Irio Latinorum est. Vidimus in horto Regio.

tius, quam frugibus. Ejusdem naturæ et horminum,[o] a Græcis dictum, sed cumino[p] simile, seritur cum sesama: hac, et irione,[3 q] nullum animal vescitur virentibus.

XXIII. Pistura non omnium facilis: quippe Etruria[1] spicam farris tosti pisente pilo præferrato, fistula serrata,[r] et stella[2] intus denticulata, ut nisi intenti pisant, concidantur grana, ferrumque frangatur. Major pars Italiæ ruido utitur pilo:[s] rotis etiam quas aqua verset obiter, et molat. De ipsa ratione pisendi[t] Magonis proponetur sententia: triticum ante perfundi aqua multa jubet, postea evalli,[u] deinde Sole siccatum pilo repeti. Simili modo hordeum. Hujus sextarios XX. spargi duobus sextariis aquæ. Lentem torrere[3] prius, deinde cum furfuribus leviter pisi. Aut

trionum.—3 'Male codd. Regg. et Editio princeps, *hæc, et irione:* recentiores, *hoc, et irione.*' Brotier. *hæc, et irione* Dalec. sub. 'sesama;' *hoc, et irione* edd. Harduin. et quæ sunt secutæ.

CAP. XXIII. 1 Ita codd. Hardnini, Dalec. et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *quippe et Etruria* Gronov. et vulgg. Mox, *pinsit pilo* Vet. Dalec.—2 'Quidam, *stela;* id est, columnula, sive columella; *ut si interriti pinsant* (*intriti pinsant* Chiffl.) *concid. gr. ferrumque frangatur.* Turneb. et Chiffl. *etiam et mola, quas aqua verset obiter. De ipsa.*' Dalec. *ferroque franguntur, &c.* Gronov. et vulgg. ante Harduin. Mox, *ratione pinsendi* margo edd. Dalec. et Gronov. Deinde, *proponemus sententiam* Chiffl.—3 Vet. Dalec.

NOTÆ

[o] *Horminum*] Ὅρμινον Theophr. Hist. VIII. 7. Diosc. III. 145. Ὅρμινον. Nostris *Orvale*, et *Toutebonne*. A Dodonæo delineatur, pag. 290. Genus illius alterum, pag. 292.

[p] *Sed cumino*] Theophr. loc. cit. Τὸ δὲ ὅρμινον κυμινῶδες, μέλαν· σπείρεται δὲ ἅμα καὶ τὸ σήσαμον.

[q] *Hac,* [*hoc*] *et irione*] Hormino scilicet, et irione. De sesama quidem et irione id Theophrastus asseverat, de Causis VI. 19. pag. 374. De hormino considerandum ait, Hist. VIII. 7.

[r] *Fistula serrata*] Fistula in rustico instrumento quid esset, diximus XVII. 28. sed hæc serrata dicitur, in quo ab illa altera discrepat. Fistulam ferrariam appellat Cato cap. 10. Ait igitur Plinius in extremo ambitu præferrati pili fistulam esse serratam, sive cultri serrati similitudinem, prætereaque in medio denticulatæ stellæ effigiem: ut nisi erecto semper pilo pinsatur, frangi ferrei isti denticuli possint.

[s] *Ruido utitur pilo*] Aspero, et impolito: ut recte Hermolaus.

[t] *Pisendi*] Sic Mss. ubique: 'pisendi,' et 'pisente,' et 'pisant,' et 'pisi:' nusquam, ut nunc fere usus obtinuit, 'pinsendi,' 'pinsente,' 'pinsant,' 'pinsi,' &c.

[u] *Postea evalli*] Vallo suo excludi, deglubi, gluma, corticeque suo spoliari. 'Gluma' proprie 'hordei tunicula est,' apud Festum.

addito in sextarios XX. lateris crudi frusto, et arenæ semodio. Erviliam iisdem modis, quibus lentem: sesamam in calida maceratam exporrigi: deinde confricari, et frigida mergi,[4] ut paleæ fluctuent,[v] iterumque exporrigi in Sole super lintea: quod nisi festinato peragatur, lurido colore mucescere. Et ipsa autem, quæ evalluntur, variam pisturarum[5] rationem habent. Acus vocatur, cum per se[w] pisitur spica,[6] tantum aurificum ad usus.[x] Si vero in area teritur cum stipula, palea, ut majore in terrarum parte, ad pabula jumentorum.[7] Milii, et panici, et sesamæ purgamenta apludam[y] vocant, et alibi aliis nominibus.

XXIV. Milio Campania[a] præcipue gaudet, pultemque candidam ex eo facit. Fit et panis[b] prædulcis. Sarmatarum quoque gentes hac maxime pulte aluntur, et cruda



torreri. Mox, *leviter pinsi* Dalec.—4 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. et recentt. *confricari, frigida immergi* Gronov. et vulgg.—5 Chiffl. *pristinarum.*—6 Dalec. *pinsitur spica.*—7 Chiffl. *in majore ter. parte est ad pabulum. Jum. &c.* Turneb. *ut in majore ter. &c.* Cod. Dalec. *et majore in ter. &c.* Vet. Dalec. habet etiam *pabulum.*

CAP. XXIV. 1 Chiffl. *vel sanguine cruris,* omissa præpositione.

NOTÆ

[v] *Ut paleæ fluctuent*] Mss. omnes, *fluctuentur.*

[w] *Cum per se*] A calamo, stipula, stramento, decisa ac separata. Acus, aceris, est tritici purgamentum: glumam complectitur, aristam, et spicæ scapum. Græcis ἄχυρον. Hinc 'acerosum far' apud Nonium, ex Lucilio. Festusque, verbo 'Obacerare:' 'Obacerare,' inquit, 'obloqui, atque alterius sermonem moleste impedire: quod sumtum videtur a paleis, quas Græci ἄχυρα vocant. Itaque et frumentum, et panis non sine paleis, acerosus dicitur: item lutum aceratum, paleis mixtum.'

[x] *Aurificum ad usus*] Forte quoniam, ut Plinius ipse scribit XXXIII. 19. palea citissime ardescit aurum, hoc est, acere: nam 'acus palea est,' Varroni, apud Festum: 'et quædam paleæ de frumento acus dicuntur.'

[y] *Apludam*] Festus: 'Apluda est genus minutissimæ paleæ frumenti, sive panici,' &c. Vix Gellium audio qui XI. 7. 'apludam,' ait, 'veteres rusticos frumenti furfurem appellasse.'

[a] *Milio Campania*] Vide quæ diximus cap. 10. Colum. II. 9. pag. 56. 'Milium quoque pultem, maxime cum lacte, non fastidiendam præbet.' Gallis *Millet.*

[b] *Fit et panis*] Vide Galenum de Alim. Facult. I. 15. pag. 323. tom. VI. et ea adjice quæ diximus cap. 10.

etiam farina, equino lacte, vel sanguine e cruris[1] venis admixto. Æthiopes non aliam frugem quam milii hordeique novere.

XXV. Panico[c] et Galliæ quidem,[1] præcipue Aquitania utitur. Sed et Circumpadana Italia addita faba,[d] sine qua nihil conficiunt. Ponticæ gentes nullum panico præferunt bum. Cetero[2] æstiva frumenta riguis magis etiam, quam imbribus, gaudent. Milium et panicum[e] aquis minime, cum in folia exeunt. Vetant ea inter vites arboresve frugiferas seri, terram emacrari[f] hoc satu[3] existimantes.

XXVI. (XI.) Milii præcipuus[g] ad fermenta usus, e musto[1] subacti[a] in annuum tempus. Simile fit ex tritici ipsius furfuribus minutis et optimis, e musto albo triduo maturato[2][h] subactis, ac Sole siccatis. Inde pastillos in pane faciendo dilutos, cum similagine seminis[3][i] fervefaciunt, atque ita farinæ miscent, sic optimum panem fieri arbitrantes. Græci in binos semodios farinæ satis esse

[a] *Cum musto triti.*

CAP. XXV. 1 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. et recentt. *P. et Galliæ quidam* Chiffl. *Panico Galliæ quædam* Gronov. et vulgg.—2 *Cetera* codd. Dalec. et Chiffl.—3 'Vet. *emaciari horum satu.* Turneb. *emactari*; id est, veluti enecari. Legit et *emactari* Chiffl. in emend. vero, *emacerari.*' Dalec.

CAP. XXVI. 1 Edd. quædam vett. *ex musto.*—2 Turneb. et Chiffl, *macerato.*

NOTÆ

[c] *Panico*] De eo diximus cap. 10.

[d] *Addita faba*] Paulinus Epist. III. ad Severum: 'Fabam intrivit panicio.' Et infra, 'Fabam tantum milio panicioque confundens.'

[e] *Milium et panicum*] Theophr. Hist. VIII. 7.

[f] *Terram emacrari*] Mss. Reg. Colb. &c. *emactari*. Forte, *emaciari*: qua voce Columella usus II. 10. de lupino.

[g] *Milii præcipuus*] Ita plane Geopon. auctor II. 31. pag. 68. Εἰ δὲ θέλεις εἰς ἔτος ὅλον εἶναι ζύμην, κ. τ. λ. *Si vero in totum annum fermentum habere vis, cum in doliis mustum ebullierit, spumosum illud quod efferbuit, eximito, cum farina milii commisceto, diligenterque trita in massas cogito, quas ad Solem siccatas in humido loco repones: et inde sufficienti accepta quantitate pro fermento utitor.*

[h] *Triduo maturato*] Musto recenti, et triduano. Mss. quidam, *macerato*, male.

[i] *Cum similagine seminis*] Hoc est, zeæ, quam peculiari nomine semen diximus appellari c. 19.

besses[4] fermenti[j] constituere. Et hæc quidem genera vindemiis[b] tantum fiunt. Quo libeat vero tempore, ex aqua hordeoque bilibres offæ ferventi foco vel fictili patina torrentur cinere et carbone, usque dum rubeant. Postea operiuntur in vasis, donec acescant: hinc fermentum diluitur. Cum fieret autem panis hordeaceus, ervi aut cicerculæ farina ipse fermentabatur:[c 5] justum erat, duæ libræ in quinque semodios. Nunc fermentum fit ex ipsa farina, quæ subigitur prius quam addatur sal, ad pultis modum decocta, et relicta donec acescat. Vulgo vero nec suffervefaciunt, sed tantum pridie asservata materia utuntur. Palamque est naturam[k] acore fermentari: sicut et validiora[6] esse corpora, quæ fermentato pane aluntur: quippe cum apud veteres ponderosissimo cuique tritico præcipua salubritas perhibita sit.

XXVII. Panis ipsius varia genera persequi supervacuum videtur: alias ab obsoniis appellati,[1] ut ostrearii:[l] alias a deliciis, ut artolagani:[m] alias a festinatione, ut speustici:[n]

[b] *Vindemiæ tempore.* [c] *E farina ervi aut cicerculæ fermentum adhibebatur.*

—3 Turneb. *semilaginis heminis.*—4 Chiffl. *bessem.*—5 Ita codd. Harduini, Dalec. Chiffl. et Turneb. item edd. Harduin. et quæ deinceps secutæ; *ervillæ et cicerculæ farina ipse præfermentabatur* Gronov. et vulgg. *cicer admixtione fermentabatur* Vet. Dalec. *ipse fermentabatur* alii vett. ap. Dalec. Mox, Gronov. et vulg. *justumque erat*; codd. Harduini et Dalec. *justum erat.*—6 Turneb. *naturam est ac. ferm. sicut evalidiora*; Chiffl. *est naturam ac. ferm. sicut evalidiora.*

CAP. XXVII. 1 Chiffl. *appellari.*—2 Ita codd. Harduin. et Chiffl. cum edd.

NOTÆ

[j] *Besses fermenti*] Uncias octo, seu duas tertias, ut vocant, libræ partes.

[k] *Palamque est naturam*] Ita Mss. Reg. ceterique. Naturam vocat subactam farinam, quæ interveniente acore fermentatur.

[l] *Ut ostrearii*] Quo genere panis vesci cum ostreis veteres solebant.

[m] *Artolagani*] Delicati panes, quos e vino modico, pipere, lacte, oleo vel adipe, et farina parari solitos, ait Athenæus l. III. p. 113. Ἄρτος panem, λάγανα placentam sonat.

[n] *Speustici*] A σπεύδω, accelero: quod nec fermentum apponitur, nec calefit aqua: sed statim subacta farina igni committitur. Is esse videtur, quem Cato c. 74. 'depsticium' vocat: 'Panem depsticium sic facito. Manus, mortariumque bene lavato. Farinam in mortarium indito: aquæ paulatim addito, subigitoque pulchre: ubi bene subegeris, defingito, coquitoque sub testu.'

necnon a coquendi ratione, ut furnacei,[o] vel artopticii, aut in clibanis cocti: non pridem etiam e Parthis invectus,[2] quem aquaticum vocant, quoniam aqua trahitur[p] a tenui et spongiosa inanitate,[3] alii Parthicum. Summa laus siliginis bonitate et cribri tenuitate constat. Quidam ex ovis[4] aut lacte subigunt: butyro vero gentes etiam pacatæ, ad operis pistorii genera transeunte cura.[q] Durat sua Piceno in panis inventione gratia, ex alicæ materia.[r] Eum novem diebus macerant:[5][s] decimo ad speciem tractæ[t] subigunt uvæ passæ succo: postea in furnis, ollis inditum, quæ

recentt. *invecto* Gronov. et al. vett.—3 'Ita bene cod. Reg. 1.' *Brotier.* Ita quoque Turneb. Edd. ante Brotier, *tenuem et spongiosa inanitate*; Chiffl. *ad tenuem et spongiosam inanitatem.*—4 *Quidam ovis* Gronov. et vulgg. ante Harduin. qui ex codd. suis et Chiffl. recepit, *Quidam ex ovis.*—5 'Turneb. *eo novem diebus macerato.* Al. *eam* (sub. 'materiam') *nodi: macerant uvæ passæ succo: decimo ad speciem tractæ subigunt: postea in furnis, ollis inditam, quæ rump. igni, torrent, &c.* In Chiffl. vero: *cum novem, &c. macerato: dec. ad sp. tr.*

NOTÆ

[o] *Furnacei*] Qui in furnis coquuntur: ἰπνίτας appellat Tryphon apud Athen. l. III. p. 109. Ἀρτοπτίκιοι apud eundem p. 113. nomen habent a vase, sive testo, in quo ii excoquebantur, quod et ἀρτοπτεῖον et ἀρτόπτην vocabant. Pollux l. X. Denique κριβανίτην, (sic enim Attici pronuntiant apud eundem Athen. p. 109.) in clibanis coctum vocant: hoc est, in furnaculo ferreo, æneove, sive testaceo, in quo pruna subjecta, vel superne congesta, panificium coquitur: vulgo *une Tartière.*

[p] *Aqua trahitur*] Dum in panificium massa subigitur, aqua plurima addita diducitur, protrahiturque: et ante coctionem levis spongiosusque redditur.

[q] *Transeunte cura*] Bellorum immunes, ad opera pistoria transferunt curam.

[r] *Ex alicæ materia*] Ex eodem frumenti genere, quo fit et alica. De pane Picentino, Martialis mox appellandus.

[s] *Macerant*] Aqua. 'Placentam,' inquit Cato c. 76. 'sic facito . . . Alicam in aquam infundito,' &c.

[t] *Ad speciem tractæ*] Tracta, ut ex Catone liquet, subacta manibus farina est, depsita, agitata, in longum protracta: ut ea agitatione melius fermentetur. Cato loc. cit. 'Alicam in aquam infundito: ubi bene mollis erit, in mortarium purum indito, siccatoque bene. Deinde manibus depsito: ubi bene subactum erit, farinæ libras quatuor paulatim addito: id utrumque tracta facito. In qualo ubi arescant, componito,' &c. Tracta neutro genere Cato pronuntiavit: tractam fœmineo Plinius. Tractam Turnebus Advers. XXII. 10. p. 755. putat esse quam 'Tartam' vulgo vocant, cui minime nos assentimur. Vide Rob. Constant. in Lexico, verbo Τρακτόν.

rumpantur ibi, torrent: neque est ex eo cibus, nisi madefacto: quod fit lacte maxime mulso.[6][u]

XXVIII. Pistores Romæ non fuere [1][a] ad Persicum [b] usque bellum, annis ab Urbe condita super DLXXX. Ipsi panem faciebant Quirites, mulierumque id opus erat,[2] sicut etiam nunc in plurimis gentium. Artoptam [3] Plautus [c] appellat in fabula, quam Aulul ariam scripsit: magna ob id concertatione eruditorum, an is versus poëtæ sit illius: certumque fit, Ateii Capitonis [4] sententia coquos tum [d] panem lautio-

subacto,' &c. Dalec.—6 Vet. Dalec. *lacte maxime, aut mulso.*

CAP. XXVIII. 1 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *fuerunt* edd. vett. et Gronov.—2 Chiffl. *id opus maxime erat.*—3 *Artoptasiam* Chiffl. et mox in eodem, *ob id cum certatione.*—4 ' Ita codd. Regg. Ambrosian. Editio princeps, et Cl. Rezzonicus.' *Brotier.* *A. Atteii Capitonis* edd. vett. Gronov. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. Mox, *sententia coquos tum panem* Turneb. *tostum panem* Chiffl. *sententia tostum panem* Gronov.

NOTÆ

[u] *Quod fit lacte max. mulso*] Hoc est, melle admixto. Eo lacte madefactus panis turgebat eximie, et erat sic in deliciis. Martialis XIII. 47. cujus lemma, ' Panes Picentini:' ' Picentina Ceres niveo sic nectare crescit, Ut levis accepta spongia turget aqua.'

[a] *Pistores Romæ non fuere*] *Des Boulangers.* Varro, in ταφῇ Μενίππου, referente Nonio: ' Nec pistorem ullum nossent, nisi eum qui in pistrino pinseret farinam.' Et de Vita populi Rom. l. I. ' Nec pistoris nomen erat, nisi ejus qui far pinsebat,' hoc est, molebat. Nam, ut Festus ait, ' Pistum a pinsendo pro molitum antiqui usurpabant.' Sic Plautus pistor fuit, cum molas trusatiles versando operam locaret. Minutius Felix: ' Octavius homo Plautinæ prosapiæ, ut pistorum præcipuus, ita postremus Philosophorum.' Ævo tamen subsequente, florente Repub. ac deinceps, pistores, ut notum est, ἀρτοποιοὶ appellati. Apud Plautum sane coquum sæpius, pistorem nunquam offendas, nisi pro eo qui far pinsit, hoc est, molit.

[b] *Ad Persicum*] Usque ad bellum cum Perseo Macedonum rege, quod quidem tam illius, quam totius Macedonici imperii clade ac servitute finitum est, anno Urbis conditæ DLXXXVI. Macedonia in provinciæ formam cedente.

[c] *Artoptam Plautus*] In Aulularia, II. 9. 4. ' Ego hinc artoptam ex proximo utendum peto A Congrione.' Vas illud fuit, ut diximus, in quo panis tostus coquebatur. In Mss. tamen Plinianis omnibus *Artoptasiam* hoc loco legitur: ut pro muliere panifica accepta ea vox a Plinio videatur, desumtaque ex alio quopiam Plauti versiculo, qui ex ea fabula nunc exciderit: vel pro ipsa arte coquendi, ut Fulvio Ursino visum, in appendice ad lib. P. Ciacconii, de Triclinio, p. 160.

[d] *Coquos tum*] Ita recte Turnebus emendavit Advers. XXVIII. 42. pag. 1027. cum prius legeretur, *tostum.* In Reg. 2. *costum.* Non placet Fulvii

ribus coquere solitos: pistoresque tantum eos, qui pisebant, nominatos. Nec coquos vero habebant in servitiis, eosque ex macello conducebant. Cribrorum genera Galli e setis equorum invenere, Hispani e lino[5] excussoria[e] et pollinaria, Ægyptus e papyro atque junco.

XXIX. Sed inter prima[1] dicatur et alicæ ratio, præstantissimæ saluberrimæque, quæ palma frugum indubitata Italiam contingit.[2] Fit sine dubio et in Ægypto, sed admodum spernenda. In Italia vero pluribus locis, sicut Veronensi Pisanoque agro: in Campania[f] tamen laudatissima. Campus est subjacens montibus nimbosis, totis quidem XL. M. passuum planitie. Terra ejus[3] (ut protinus soli natura dicatur) pulverea summa, inferior bibula, et pumicis vice fistulosa:[4] montium quoque culpa in bonum cedit. Crebros enim imbres percolat atque transmittit: nec dilui aut madere[g] voluit[5] propter facilitatem culturæ. Eadem acceptum[6] humorem nullis fontibus reddit, sed temperat, et concoquens intra se vice succi continet.[h] Seritur

et vulgg. ante Harduin. elisa voce, *coquos*.—5 Chiffl. *Gallæ setis equorum inven. Hispaniæ lino*. Mox, *excussoria pollinaria* Dalec.

CAP. XXIX. 1 *Sed inter hæc prima* Dalec.—2 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *quam palmam fr. indubitanter Italia contingit* Turneb. *quæ palmæ fr. indubitanter Italiæ contigit* Vet. Dalec. *quæ palma fr. indubitanter Italiam contingit* Gronov. et vulgg. *quæ palma fr. indubitata Italiæ contigit* Chiffl.—3 *Terra ejus provinciæ* Turneb. et al. *Gratia terræ ejus* Vet. Dalec.—4 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. et recentt. *fistulans* Gronov. et vulgg.—5 Margo edd. Dalec. et Gronov. *nec dilui madore vult*. Mox, Chiffl. *felicitatem*, pro *facilitatem*.—6 *Eadem igitur acceptum* Vet. Dalec. Mox,

NOTÆ

Ursini conjectura, loc. cit. legentis, *testu panem*: etsi Vossius approbat in Etymologico. Quos pistores scilicet posterior appellavit ætas, prisca coquos vocitabat. Festus: 'Coquum et pistorem apud antiquos eundem fuisse accipimus. Nævius: Coquus, inquit, edit Neptunum, Venerem, Cererem. Significat, per Cererem, panem: per Neptunum, pisces: per Venerem, olera.'

[e] *Excussoria*] Excussoria sunt, quæ ad excutiendam farinam facta: pollinaria, quæ ad purgandum pollinem.

[f] *In Campania*] Hinc 'alicariæ meretrices,' et 'alicariorum pistrina in Campania,' auctore Festo.

[g] *Nec dilui aut madere*] Ne si in lutum abiret, non tam facilis esset culturæ.

[h] *Vice succi continet*] Mss. omnes, *vice fusi*.

toto anno,[i] panico semel, bis farre. Et tamen vere segetes,[j] quæ interquievere, fundunt[7] rosam odoratiorem sativa: adeo terra non cessat parere. Unde vulgo dictum, 'Plus apud Campanos unguenti,[k] quam apud ceteros olei fieri.' Quantum autem universas terras campus Campanus[8] antecedit, tantum ipsum pars ejus, quæ Laboriæ[l] vocantur, quem Phlegræum Græci appellant. Finiuntur[m] Laboriæ via ab utroque latere consulari, quæ a Puteolis, et quæ a Cumis Capuam ducit.

Alica[n] fit e zea, quam semen[o] appellavimus. Tunditur granum ejus in pila lignea:[p] ne lapidis[q] duritia con-

Chiffl. *temperare concoquens i. se vice fusi.* Turneb. etiam, *vice fusi.*—7 Vet. Dalec. *vere, cum segetes interquievere, fundit.*—8 Margo edd. Dalec. et Gro-

NOTÆ

[i] *Seritur toto anno*] Strabo idem Græce, l. v. p. 242. de Campaniæ agro: Ἱστορεῖται δ' ἔνια τῶν πεδίων σπείρεσθαι δι' ἔτους, δὶς μὲν τῇ ζέᾳ, τὸ δὲ τρίτον ἐλύμῳ· τινὰ δὲ καὶ λαχανεύεσθαι τῷ τετάρτῳ σπόρῳ. *Traditum memoriæ est quædam Campaniæ arva toto anno conseri: bis zea, tertium panico: quædam etiam quarto satu olera producere.* Ubi *far* appellavit *zeam* perspicue Strabo.

[j] *Segetes*] Seges hic ipsa humus est, quæ ad accipiendum semen apta est. Hanc Plinius ait in eo tractu, cum interquievit a frugibus, sponte rosam fundere, quæ sit odoratior sativa.

[k] *Plus ... unguenti*] Quoniam rosæ in unguenta transeunt.

[l] *Quæ Laboriæ*] Plinius III. 9. 'Ibi Laborini campi sternuntur, et in delicias alicæ populatur messis.' Vide quæ ibi diximus in Notis.

[m] *Finiuntur*] Laborini campi finiuntur, inquit, utrimque via gemina Consulari: quarum altera a Capua Puteolos, altera Cumas ducebat. Plinium hoc loco carpit immerito Cluverius Ital. Antiq. IV. 2.

[n] *Alica*] Alica Plinio genus sorbitionis ac pultis est, cujusmodi fere nos ex oryza conficimus.

[o] *Fit e zea, quam semen*] Cap. 19. Zeam Strabonis farrem esse Plinianum jam ante monuimus. Idem Strabo loc. cit. fieri alicam e tritico ait in hoc ipso Campaniæ tractu, omni oryza potiorem: Λέγω δὲ τὸν πύρινον σῖτον, ἐξ οὗ καὶ ὁ χόνδρος κρείττων ὢν πάσης καὶ ὀρύζης, κ. τ. λ. Diosc. II. 118. e zea: Ὁ δὲ χόνδρος γίνεται μὲν ἐκ τῆς καλουμένης δικόκκου ζέας, κ. τ. λ.

[p] *In pila lignea*] Pila, sive mortarium, *un mortier*, vas concavum, quo antiqui siccata frumenta pinsebant, ac contundebant. Cato c. 14. in rustico instrumento recenset, 'paululum latam pilam, ubi triticum pinsant, unam: fullonicam unam.' Et c. 10. 'Pilam ligneam unam, fullonicam unam' dixerat. Marcellus Empir. c. 26. ad calculosos: 'Hoc medicamentum,' inquit, 'tunditur vel componitur in pila lignea, et pilo ligneo.'

[q] *Ne lapidis*] Ne duritia lapideæ pilæ, ferreique pili farinæ in modum

terat.[9] Nobilius, ut notum est, pilo, vinctorum pœnali opera. Primori[r] inest pyxis ferrea. Excussis inde tunicis, iterum iisdem armamentis nudata conciditur medulla.[s] Ita fiunt alicæ tria genera:[t] minimum, ac secundarium: grandissimum vero aphærema[u] appellant. Nondum habent candorem suum quo præcellunt: jam tamen Alexandrinæ præferuntur. Postea (mirum dictu) admiscetur creta, quæ transit in corpus,[v] coloremque, et teneritatem affert. Invenitur hæc inter Puteolos et Neapolim, in colle Leucogæo[w] appellato. Extatque Divi Augusti decretum, quo annua vicena[10 x] millia Neapolitanis pro eo numerari jussit e fisco suo, coloniam deducens Capuam. Adjecitque causam afferendi,[11] quoniam negassent Campani alicam confici sine eo metallo[y] posse. In eodem reperitur et sulfur:

nov. *circumcampanus.* Mox, Vet. Dalec. *Leboriæ:* et sic paulo post.—9 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *nam lapidis duritia congeritur* Gronov. et edd. vett. Mox, Vet. Dalec. *Nobilior*, sub. 'alica.'—10 Cod. Dalec. et Vet. ejusdem, *anno ad vicena;* Chiffl. *annua ducena.*—11 Margo edd. Dalec. et Gronov. *efferendi;* alii *præbendi.*—12 'Ita

NOTÆ

grana conterat: quæ nunc satis est ita contundi, ut suis tunicis seu folliculis spolientur, solaque medulla supersit, detritis utriculis.

r *Primori*] In extrema pili ferrei parte.

s *Conciditur medulla*] Non conteritur, ut farina, ad lævorem usque: sed in particulas quaternas quinasve grana singula franguntur. *Concasser.*

t *Ita . . . tria genera*] Infra, quod in farinario primum cribro remansit, grandissimum est: quod arctiore deinde cernitur, secundarium vocatur: quod angustissimo, cribrarium ac minimum. Nunc vero grandissimum alicæ genus appellatur, quod leviter tusum est, cui excussæ modo sunt tunicæ: secundarium, medulla ipsa in crassiores concisa partes: minimum, in tenuiores.

u *Aphærema*] Ἀφαίρεμα, forte a cortice seu tunicis zeæ ablatis.

v *Transit in corpus*] Nempe in corpus et naturam alicæ, cui colorem et teneritatem affert. Sic in fine hujus sectionis, candorem alicæ conferre lactis incocti mixtura vice cretæ dicitur.

w *Leucogæo*] A terræ seu cretæ albedine id ei colli nomen. Hodie *la Lumera.* Vide Camill. Pellegr. in Campan. Felice, p. 245. et 266.

x *Annua vicena*] In Mss. *annoadvicena.* Forte *annua ducena.*

y *Sine eo metallo*] Quicquid e terræ visceribus effoditur, id metallum dicitur. Multa affert exempla Rosvveydus noster, in Notis ad Paulinum, p. 869.

emicantque fontes Araxi[12] [z] oculorum claritati, et vulnerum medicinæ, dentiumque firmitati.

Alica adulterina[a] fit maxime quidem e zea, quæ in Africa degenerat. Latiores ejus spicæ, nigrioresque, et brevi stipula.[13] Pisunt cum arena, et sic quoque difficulter deterunt utriculos, fitque dimidia[b] nudi[14] mensura. Posteaque gypsi[c] pars quarta inspargitur, atque ut cohæsit,[d] farinario cribro succernunt. Quæ in eo remansit, exceptitia appellatur, et grandissima est. Rursus quæ transit,[15] arctiore cernitur, et secundaria vocatur. Item cribraria, quæ simili modo in tertio remansit cribro angustissimo, et tantum arenas[e] transmittente. Alia ratio ubique adulterandi. Ex tritico candidissima et grandissima eligunt grana, ac semicocta in ollis, postea arefaciunt Sole ad initium,[16] [f] rursusque leviter aspersa molis frangunt. Ex zea pulchrius, quam ex tritico, fit graneum,[17] [g] quamvis id alicæ[h] vitium sit. Candorem autem ei pro creta lactis incocti mixtura confert.

XXX. (XII.) Sequitur natura leguminum inter quæ maximus honos fabæ:[i] quippe ex qua tentatus sit etiam pa-

codd. Regg. et Editio princeps. Tota hæc Campaniæ pars scatet fontibus medicatis.' *Brotier*. Ita quoque Turneb. et Chiffl. *Oraxi* Gronov. et vulgg. item Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—13 Dalec. *brevis stipula*. Idem mox, *Pinsunt*.—14 'Vet. *modii*; alii, *nudæ*, sub. 'alicæ.' Alii nudi grani intelligunt.' *Dalec*.—15 Dalec. *transiit*.—16 Vet. Dalec. *ad indicium*; Chiffl. *ad initum*.—17 Codd. Dalec. et Vet. ejusdem, *fit granatum*; Turneb.

NOTÆ

[z] *Fontes Araxi* [*Oraxi*] Mss. *Araxi*.

[a] *Alica adulterina*] Prorsus hunc alicæ conficiendæ modum Geopon. auctor expressit, III. 7. pag. 90. tit. Χόνδρου ποίησις.

[b] *Fitque dimidia*] Nudati tunicis suis grani mensura dimidio minor est, quam erat cicumvestiti.

[c] *Gypsi*] Tenuissime cribrati. Geopon. auctor, loc. cit.

[d] *Ut cohæsit*] Ubi cum farina probe permixta est, et in unum veluti corpus coiit.

[e] *Et tantum arenas*] Admixtas scilicet, ut dictum est prius, 'Pisunt cum arena,' &c.

[f] *Ad initium*] Mss. Reg. Colb. Chiffl. *ad initum*. Forte, *ad motum*.

[g] *Fit graneum* [*granum*] Vel potius *graneum*, quod pultis vel ptisanæ genus e tritico fuisse videtur. Vide Notas et Emend. num. 11.

[h] *Quamvis id alicæ*] Quamvis hæc sit alica inferioris notæ, minusque nutriat.

[i] *Fabæ*] Quæ faba veterum fuerit,

nis. Lomentum[j] appellatur farina ea, aggravaturque pondus[1 k] illa, et omni legumine. Jam vero[2] et pabulo[l] venalis fabæ multiplex usus omnium quadrupedum generi, præcipue homini. Frumento[m] etiam miscetur apud plerasque gentes, et maxime panico[n] solida, ac delicatius[3 o] fracta. Quin et prisco ritu fabata[4 p] suæ religionis Diis in sacro est, prævalens pulmentari cibo,[q] et hebetare[r] sensus



fit tragum; Gronov. et vulgg. item Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *fit granum.* Tacite Brotier, *fit graneum.*

CAP. XXX. 1 Dalec. *farina ejus* (sic et Chiffl.) *aggravaturque tritici pondus.* Mox, pro *et omni,* quod servant codd. Harduini, Turneb. et Chiffl. cum edd. recentt. *ex omni* exhibent edd. vett. et Gronov.—2 *Jumentorum* Dalec. Mox, *venalis. Fabæ, &c.* Gronov. et al. ante Harduin.—3 Dalec. *aut delicatius.*—4 'Ita bene codd. Regg. 1. 2.' *Brotier.* Ita quoque Turneb. et Chiffl. De pulte fabata vide Festum v. 'Refriva.' *fabacia* Gronov. et al. vett. item Har-

NOTÆ

haud ita est proclive statuere. Palam enim est non esse eam quam eo nomine vulgus indigitat, *Féve:* cui faseli nomen accommodari verius censet Dodonæus, Pempt. IV. lib. II. c. 505. Certe Græcorum κύαμον, Latinorumque fabam, et rotundam esse, et exiguæ molis, ex variis antiquorum testimoniis perspicuum est: quæ dos utraque a faba nostra vulgari abest.

j *Lomentum*] Farina fabacea ἐρέγμινον ἄλευρον, κυάμινον, et ἄλευρον.

k *Aggravaturque pondus*] Frumenti, vel panici, cui immiscetur in panificio.

l *Jam vero et pabulo*] Pellicerius conjiciebat in notis sinceriorem forte lectionem fore, *Jam vero et pabulo venalium, fabæ multiplex usus, &c.* Nos vix assentimur.

m *Frumento*] Quem morem hodieque Allobroges tenent, ut fiat solidior panis.

n *Et maxime panico*] Vide quæ diximus c. 25.

o *Delicatius*] Levius, molliusque fracta, nec in tenuem omnino farinam.

p *Fabata* [*fabacia*] A jactandis fabis deducta vox, ut suspicari quidem licet, ex eo Varronis loco de Vita Populi Rom. apud Nonium, I. 2. 'Quibus temporibus,' inquit, 'in sacris fabam jactant noctu, ac dicunt se Lemures domo extra januam jacere.' Fabacia pulte Carnæ Deæ, Jani uxori, sacrificari solitum, Kalendis Juniis, quas Fabarias appellabant, auctor est Macrobius Saturn. I. 12. p.248. hunc ritum instituente Tarquinio post exactos reges. In Mss. Reg. Colb. Th. non *fabacia* sed *fabata* legitur: et Græci recentiores fabas coctas hodieque φάβατον vocant: et pultem fabatam Festus appellat, verbo *Refriva.* Apicius tamen, v. 6. Fabacias virides, fabacias frictas, fabacias Baianas in obsonium parandi modum edocet.

q *Pulmentari cibo*] Pulmentarii vice. Vide quæ diximus c. 19.

r *Et hebetare*] Didymus in Geopon. II. 33. p. 69. Οἱ δὲ φυσικοὶ φασὶ τοὺς

existimata, insomnia quoque facere. Ob hæc Pythagoricæ[s] sententiæ[5] damnata: ut alii tradidere, quoniam mortuorum animæ sint in ea. Qua de causa parentando[t] utique assumitur. Varro et ob hæc flaminem[u] ea non vesci tradit, et quoniam in floro ejus literæ lugubres reperiantur. In eadem peculiaris religio: namque fabam utique e frugibus referre mos est auspicii causa, quæ ideo referiva[6][v] appellatur. Et auctionibus adhibere[7] eam lucrosum pu-



duin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—5 'Ita codd. Regg. 1. 2.' *Brotier.* Ita quoque Chiffl. *Pythagorica sententia* Gronov. et al. vett. item Harduin. 1. 2. 3. et recentt.—6 Ita codd. Harduini, et edd. recentt. *referina* codd. Dalec. Turneb. et Chiffl. *refriva* Scalig. *refrina* Gronov. et al. vett.—7 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *adhiberi* Gronov. et

NOTÆ

κυάμους ἀμβλύνειν τὰς καρδίας τῶν ἐσθιόντων αὐτούς· διὸ καὶ ἐμποδίζειν τὰς εὐθυονειρίας νομίζονται, εἰσὶ γὰρ πνευματώδεις.

[s] *Ob hæc Pythagoricæ*] Pythagorici hujusce placiti quæ sententia sit, fuse disputatur a Gellio IV. 11. pag. 296. Facit cum Plinio Apollonius Hist. Comm. c. 46. et Tullius de Divin. I. 62. 'Jubet Plato,' inquit, 'sic ad somnum proficisci corporibus affectis, ut nihil sit quod errorem animis perturbationemque afferat. Ex quo Pythagoreis interdictum putatur, ne faba vescerentur, quod habet inflationem magnam is cibus, tranquillitatem mentis quærentibus contrariam.' Et II. 119. 'Faba quidem Pythagorici utique abstinuere: quasi vero eo cibo mens, non venter infletur.' Trahit alio eam Pythagoræ sententiam Plutarchus de Educ. Pueris, pag. 12. rursumque in Quæst. Rom. p. 286.

[t] *Parentando*] Parentalibus sacrificiis fabas adhiberi solitas, Festus affirmat. Parentalia autem epulæ erant in parentum aut propinquorum funeribus datæ.

[u] *Flaminem*] Gellius X. 15. p. 530. ex Fabii Pictoris Annalibus: 'Fabam neque tangere Diali mos est, neque nominare.' Quæ verba Festus transcribens, etiam causas adjicit: 'quod ea putatur ad mortuos pertinere: nam et lemuralibus jacitur larvis, et parentalibus adhibetur sacrificiis, et in flore ejus literæ apparere videntur.' Vide Erasm. Chil. I. Cent. I. p. 15. Adag. 'A fabis abstineto.' Adde auctorem Geopon. II. 33. pag. 70.

[v] *Quæ ideo referiva*] Ita Mss. Reg. Colb. Th. non *refrina*. Festus: 'Refrina, (vel *referiva* potius) faba dicitur, ut ait Cincius, quæ ad sacrificium referri solet domum ex segete auspicii causa, quasi revocet fruges. Ælius dubitat an ea sit, quæ prolata in segetem domum referatur, an quæ refrigatur, quod est torreatur. Sed opinionem Cincii adjuvat, quod in sacrificiis publicis, cum puls fabata Diis datur, nominatur refriva.' Cincio Plinius astipulatur.

tant.[*] Sola certe[w] frugum etiam exesa repletur crescente Luna. Aqua marina,[x] aliave salsa non percoquitur.

Seritur ante[y] Vergiliarum occasum leguminum prima, ut antecedat hyemem. Virgilius[z] eam per ver seri jubet, Circumpadanæ Italiæ ritu. Sed major pars malunt[8] fabalia[a] maturæ sationis, quam trimestrem fructum. Ejus namque siliquæ caulesque gratissimo sunt pabulo pecori. Aquas in flore[b] maxime concupiscit: cum vero defloruit, exiguas desiderat. Solum, in quo[c] sata est, lætificat stercoris vice. Ideo circa[d] Macedoniam, Thessaliamque, cum florere cœpit,[9] vertunt arva.

Nascitur et sua sponte plerisque in locis, sicut septem-

[*] *Et in venditionibus publicis, si faba simul proponeretur venalis, lucrum ex ea re, et ex eo omine, maximum futurum putabant.*

vulgg.—8 Vet. Dalec. *mavult*. Mox, Dalec. *fructum. Ejus utique siliqua caulisque;* Gronov. et vulgg. *fructum ejus. Nam siliquæ caulesque*. Deinde, cod. Dalec. *gratissimi sunt pabuli*.—9 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Har-

NOTÆ

[w] *Sola certe*] Didymus loc. cit. φησὶ δὲ τὸν κύαμον ἐκβρωθέντα ἀναπληροῦσθαι πάλιν τῆς σελήνης αὐξουμένης.

[x] *Aqua marina*] Didymus loc. cit. Et pisa nos observavimus puteana etiam aqua vix, fluviatili haud ægre coqui.

[y] *Seritur ante*] De Vergiliarum occasu, c. 59. Pallad. l. XII. in Novembri, tit. I. p. 161. 'In principio Novembris fabam spargimus,' &c.

[z] *Virgilius*] Libro Georg. I. 215. 'Vere fabis satio.' Extremo mense Junio fabam seri eodem die metique, visum a se Seneca prodit Epist. 87.

[a] *Fabalia*] Siliquas fabales, seu grandiores culmos, ex quibus siliquæ pendent. Desumta hæc a Columella, II. 10. de faba: 'Post brumam parum recte seritur: pessime vere: quamvis sit etiam trimestris faba, quæ mense Februario seratur: .... sed exiguas paleas, nec multam siliquam facit. Veteres itaque rusticos plerumque dicentes audio, malle se matura fabalia, quam fructum trimestrem.'

[b] *Aquas in flore*] Theophr. Hist. VIII. 6.

[c] *Solum, in quo*] Theophr. Hist. VIII. 9. Columella II. 10. p. 57. 'Sunt etiam qui putent in arvis hanc eandem vice stercoris fungi: quod sic ego interpretor, ut existimem non sationibus ejus pinguescere humum, sed minus hanc quam cetera semina vim terræ consumere. Nam certum habeo frumentis utiliorem agrum esse, qui nihil, quam qui istam siliquam proximo anno tulerit.' Vide etiam Palladium in Novemb. tit. I. pag. 161.

[d] *Ideo circa*] Theophr. loc. cit.

trionalis oceani insulis, quas ob id nostri Fabarias[e] appellant: item in Mauretania sylvestris passim, sed prædura, et quæ percoqui non possit.

Nascitur in Ægypto[f] spinoso caule:[g] qua de causa crocodili oculis timentes refugiunt. Longitudo[h] scapo quatuor cubitorum est, amplissima crassitudo:[i] nec genicula[j] habet, molli calamo: simile caput[k] papaveri,[10] colore roseo: in eo fabæ non supra tricenas:[l] folia ampla: fructus ipse amarus et odore:[11] sed radix[m] perquam lauta incolarum cibis, cruda, et omnino decocta, arundinum radicibus similis.[12] Nascitur et in[n] Syria, Ciliciaque, et in Torone Chalcidis lacu.

XXXI. Ex leguminibus autem Novembri[o] seruntur lens, et in Græcia pisum.[1] Lens amat[p] solum tenue magis,

dain. et recentt. *incepit* Gronov. et vulgg.—10 Turneb. *ampl. crassitudo digiti, in genicula abessent, molli calamo similis. Caput papaveris*; Chiffl. *ampl. crassitudo integenicula abesset molli calamo similis. Cap.* &c.—11 Dalec. *et inodorus.* Mox, *perquam lata* Turneb.—12 Margo edd. Dalec. et Gronov. *arundinis radice crassissima crassior*, e Theophr.

CAP. XXXI. 1 *Ex leg. aut. vomere ser. lens et pisum* al. ap. Dalec. *Ex leg.*

NOTÆ

[e] *Fabarias*] De his dictum est IV, 17.

[f] *Nascitur in Ægypto*] Hæc a Theophr. Hist. IV. 10. quæ transcripsit etiam Athenæus lib. III. pag. 72. A solo in quo provenit, faba Ægyptia vocitatur: sed colocasiam esse cave credas.

[g] *Spinoso caule*] Theophr. loc. cit. non *caule spinoso* dixit, sed *radice spinosa.* Ἰσχυρὰ γὰρ ἡ ῥίζα, καὶ οὐ πόῤῥω τῆς τῶν καλάμων, πλὴν ἐπακανθίζουσα· καὶ κροκόδειλος φεύγει, μὴ προσκόψῃ τῷ ὀφθαλμῷ, τῷ μὴ ὀξὺ καθορᾷν. Legisse Plinius videtur, vel in Theophrasti codicibus, vel apud scriptores alios, καυλὸς δ' ἐπακανθίζων.

[h] *Longitudo*] Theophr. loc. cit.

[i] *Crassitudo*] Digitalis, πάχος δὲ δακτυλιαῖος. Theophr.

[j] *Nec genicula*] Non habet genicula, sed calamum mollem: ὅμοιος δὲ καλάμῳ μαλακῷ ἀγονάτῳ. Theophr.

[k] *Simile caput*] Flos scilicet. Τὸ δὲ ἄνθος διπλάσιον ἢ μήκωνος· χρῶμα δὲ ὅμοιον ῥόδῳ κατακορές. Theophr.

[l] *Non supra tricenas*] Πλῆθος δὲ οἱ πλεῖστοι τριάκοντα.

[m] *Sed radix*] Theophr. loc. cit. et Athen.

[n] *Nascitur et in*] Theophr. et Athen. loc. cit.

[o] *Autem Novembri*] Vide Notas et Emend. num. 12.

[p] *Lens amat*] Ita Colum. II. 10. p. 59. 'Lentem sementi media, crescente Luna usque in duodecimam, solo tenui et resoluto, vel pingui et sicco maxime loco seri convenit: nam in flore facile luxuria et humore cor-

quam pingue, cœlum utique siccum. Duo genera ejus in Ægypto :[2] [q] alterum rotundius nigriusque, alterum sua figura.[r] Unde vario usu translatum est in lenticulas[s] nomen. Invenio apud auctorem, æquanimitatem[t] fieri vescentibus ea. Pisum[u] in apricis seri debet, frigorum impatientissimum. Ideo in Italia, et in austeriore cœlo, non nisi verno tempore, terra facili ac soluta.

XXXII. Ciceris natura est gigni cum salsilagine :[a] ideo solum[b] urit. Nec nisi[c] madefactum pridie, seri debet. Differentiæ[d] plures, magnitudine, figura, colore, sapore. Est enim arietino capiti simile, unde ita appellant,[e] album[1]



Novembr. ser. &c. Turneb. *Ex leg. autumno vere ser. &c.* Chiffl. *Ex l. a. Novembri s. lens in Græcia et pisum* Vet. Dalec.—2 Cod. Dalec. *ejus Ægypto*, omissa præpositione.

CAP. XXXII. 1 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *appellatur : est et album* Vet. Dalec. *appellatur album* edd. vett. et Gronov. Mox, Dalec. *Est et orobinum, quod al. Ven. vocant, et candi-*

NOTÆ

rumpitur.' Nostris, *Lentille*. Pingitur a Dodon. p. 517.

[q] *In Ægypto*] De ea lente Virgilius Georg. I. 228. 'Nec Pelusiacæ curam aspernabere lentis.' Et Martialis XIII. 9. 'Accipe Niliacam, Pelusia munera, lentem.'

[r] *Sua figura*] Qualis est lenti vulgari.

[s] *In lenticulas*] Maculas in facie, quas et lentigines vocant : Græci *φακίας* : ut lentem ipsam, cujus a similitudine deductum lenticulæ nomen, *φακόν*.

[t] *Æquanimitatem*] Auctor Geopon. II. 35. p. 71. 'Η δὲ *Αἰγυπτία φακὴ εὐθυμίαν παρέχει τοῖς ἐσθίουσι. Ægyptia lens in cibo sumta lætitiam affert vescentibus ea.* Lenticulam videri volunt sic appellatam, quoniam lenes, et lentos, et moderatos reddit eos, qui eam in cibos adhibent.

[u] *Pisum*] Columella II. 10. p. 57. 'Similis quoque ratio est pisi : quod tamen facilem et solutam terram desiderat, tepidumque locum, et cœlum frequentis humoris.' Vulgo, *Pois*.

[a] *Cum salsilagine*] Cum quodam liquore salis, qui ei leguminі peculiaris et insitus : quem si nimii imbres abluant, legumen ipsum tabe interit, et ab erucis erosum perit, inquit Theophr. Hist. VIII. 6. Ἐρέβινθοι ἀποκλυσθείσης τῆς ἅλμης σφακελίζοντες, καὶ ὑπὸ καμπῶν κατεσθιόμενοι. Cicer nostris, *Pois chiche*.

[b] *Ideo solum*] Colum. II. 10. pag. 60.

[c] *Nec nisi*] Colum. loc. cit. Pallad. lib. IV. in Martio, tit. 4. pag. 85. et auctor Geopon. II. 34. p. 70.

[d] *Differentiæ*] Theophr. Hist. VIII. 5.

[e] *Unde ita appellant*] Cicer arietinum, Columellæ loc. cit. Theophr. κριοὶ ἐρέβινθοι. Athen. lib. II. p. 54. τῶν ἐρεβίνθων τινὰς καλοῦσι κρείους. Iconem arietini ciceris habet Dodonæus, p. 515.

nigrumque.[f] Est et columbinum, quod alii Venerium vocant, candidum, rotundum, leve, arietino minus, quod religio pervigiliis adhibet. Est et cicercula[g] minuti ciceris, inæqualis, angulosi,[2] veluti pisum. Dulcissimum autem id, quod ervo[h] simillimum: firmiusque[i] quod nigrum et rufum, quam quod album.

XXXIII. Siliquæ[j] rotundæ ciceri, ceteris leguminum longæ, et ad figuram seminis latæ: piso cylindratæ:[1][k] faseolorum[l] cum ipsis manduntur granis. Serere eos qua velis terra licet ab Idibus Octobris in Kalendas Novembres. Legumina, cum maturescere cœperunt,[2] rapienda sunt, quoniam cito exsiliunt, latentque cum decidere, sicut et lupinum: quanquam prius[m] de rapis dixisse conveniat.[3]

---

dum. Pro *vocant*, Chiffl. habet *appellant.*—2 Cod. Dalec. *inæquales angulos habent.*

CAP. XXXIII. 1 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *cylindracæ* Gronov. et al. vett. Mox, *cum ipsis manducant* Dalec. *cum ipsis mandunt* Chiffl.—2 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. recentt. *cœperint* Gronov. et al. vett.—3 'Lego: *lupinum. Ad alia transeamus, quanquam prius de rapis,*' &c. Dalec.

NOTÆ

[f] *Album, nigrumque*] In his regionibus non sunt arietini ciceris differentiæ ullæ ex colore: est enim omne ex purpura subnigrum. Neque vero Theophrasti verba ista, quæ habuisse ob oculos Plinius videri forsan possit, in arietino genere nigrum candidumque esse persuadent: *Οἱ δὲ ἐρέβινθοι καὶ .... ταῖς χρώμασι, καὶ ταῖς μορφαῖς διαφέρουσιν· οἷον κριοὶ, ὀροβιαῖοι .... ἐπὶ πᾶσι δὲ τὰ λευκὰ γλυκύτερα.* Nam *ἐπὶ πᾶσι* non in omni genere ciceris album reperiri significat, sed in omni leguminum genere, ut in cicere, lente, aliisque, album nigro antecellere.

[g] *Est et cicercula*] Diosc. II. 126. *ἐρέβινθος ὁ ἥμερος*, cicer sativum, ut dicemus XXII. 72. Colum. II. 10. p. 60. 'Cicercula, quæ piso est similis.'

[h] *Quod ervo*] Unde *ὀροβιαῖος ἐρέβινθος* a Theophr. appellatur, ab ervi similitudine, quod Græci *ὄροβον* vocant.

[i] *Firmiusque*] Theophr. Hist. VIII. 6.

[j] *Siliquæ, &c.*] Theophr. totidem verbis Hist. VIII. 5. *Καὶ οἱ καλούμενοι λοβοὶ σχεδὸν ἀκόλουθοι τοῖς σπέρμασίν εἰσιν, κ. τ. λ.*

[k] *Cylindratæ*] Theophr. *κυλινδρώδεις*, ad similitudinem cylindri.

[l] *Faseolorum*] Subintellige, *siliquæ*. Faseolos porro eos intellige, de quibus egimus XVI. 92. vulgo *Féveroles.* Dioscoridi II. 176. *σμίλαξ κηπαία* est: cujus siliquam cum semine, asparagi modo elixam, oleris instar edi pariter prodidit. Græci scriptores alii *δολίχους* et *φασιόλους* vocant. Virgilius, vilem faselum, uti ex Plinio liquet, faseolos appellante

XXXIV. (XIII.) In transcursu ea attigere nostri, paulo diligentius Græci, et ipsi tamen inter hortensia: si justus ordo fiat, a frumento protinus aut certe faba dicendis, quando alii[n] usus præstantior ab his non est.[1] Ante omnia[o] namque cunctis animalibus nascuntur, nec in novissimis satiant ruris alitum quoque genera, magisque si decoquantur aqua. Quadrupedes et fronde eorum gaudent. Et homini non minor rapaciorum[p] suis[2] horis gratia, quam cymarum: flavidorum[3][q] quoque, et in horreis enecatorum, vel major quam virentium. Ipsa vero durant et in sua terra servata: et postea passa,[r] pæne ad alium proventum,[a] famemque sentiri prohibent. A vino, atque messe, tertius hic Transpadanis fructus. Terram non morose eligit, pæne ubi nihil aliud seri possit. Nebulis, et pruinis, ac frigore ultro[4][s] aluntur, amplitudine[t] admirabili. Vidi

[a] *Usque ad aliam messem.*

CAP. XXXIV. 1 Chiffl. *quando alius us. præst. his non est;* Dalec. *dicenda, quando aliis usus præst. quam his, &c.* alii ap. Dalec. *quando aliorum us. præst. quam horum, &c.*—2 Chiffl. *minor est raparum suis.*—3 Ita codd. Harduini, Turneb. et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. 'Non admodum opportune.' *Dalec. flaccidorum* Gronov. et vulgg.—4 Vox *ultro* non legitur in cod.

NOTÆ

libri hujus c. 56. quos poëta faselos vocat.

[m] *Quanquam prius*] Quam de lupino dicamus.

[n] *Quando alii*] Cum aliud nullum sit legumen præstantioris usus, quam rapa: de iis statim post frumentum fabamque instituenda videbatur oratio. Rapum Græcis γογγυλὶς et γογγύλη, nostris *une Rave.*

[o] *Ante omnia*] Colum. II. 10. 'Boves pascunt,' inquit, 'præcipue in Gallia,' &c.

[p] *Rapaciorum*] Rapacia, sive rapicia, cauliculi sunt teneri raporum, qui decocti sumuntur in cibis: sicuti cymæ ipso teste Plinio XIX. 41. sunt brassicæ caulium teneriores pariter, delicatioresque cauliculi. De rapaciis Capito c. 35. 'Rapinam et caules rapicii unde fiant, et raphanum in loco stercorato bene, aut in loco crasso serito.'

[q] *Flavidorum*] Ita Mss. omnes: non *flaccidorum*. Vide quæ de voce *flavescere*, quæ Plinio familiaris est, congessimus XV. 36.

[r] *Postea passa*] Sub dio siccata.

[s] *Ac frigore ultro*] Martialis XIII. 16. 'Hæc tibi brumali gaudentia frigore rapa Quæ damus, in cœlo Romulus esse solet.' Adde Nicandrum in Georg. lib. II. cujus carmen recitat Athen. lib. XIV. p. 133.

[t] *Amplitudine*] Quoniam incrementum omne, non in folia, sed in radi-

XL.[u] libras excedentia. In cibis quidem nostris pluribus modis commendantur: durantque ad alia, sinapis[v] acrimonia domita, etiam coloribus picta, præter suum, sex aliis, purpureo quoque: neque aliud in cibis tingui decet.

Genera eorum[w] Græci duo prima fecere, masculum, fœmininumque, et ea serendi modo ex eodem semine: densiore enim[x] satu masculescere, item in terra difficili. Semen[y] præstantius, quo subtilius. Species vero omnium tres. Aut enim in[z] latitudinem fundi, aut in rotunditatem globari.[5] Tertiam speciem[a] sylvestrem appellavere, in longitudinem radice procurrente, raphani similitudine, et folio anguloso scabroque, succo acri: qui circa messem[b] exceptus oculos purget, medeaturque[6] caligini, admixto lacte mulierum. Frigore[c] dulciora fieri existimantur et grandiora: tepore[d] in folia exeunt. Palma in Nursino[e]

Dalec. et Vet. ejusdem.—5 Vet. Dalec. *funditur, aut in r. globatur.*—6 Cod. Dalec. *purgat, medeturque.*

NOTÆ

cem vertitur, ut ait Theophr. Hist. VII. 4.

[u] *Vidi XL.*] Matthiolus in Diosc. II. 104. vidisse se innumera scribit, quæ XXX. libras penderent, et quibusdam locis centenas: magno certe naturæ miraculo, e tam exiguo semine, tribus fere mensibus tantas radices gigni.

[v] *Sinapis*] Ita Nicander in Georg. loc. cit.

[w] *Genera eorum*] Ex Theophr. loc. cit. a quo et Athenæus accepit, IX. 369.

[x] *Densiore enim*] Theophr. totidem verbis: Γίνεσθαι δὲ ἐκ τοῦ αὐτοῦ σπέρματος ἄμφω· πρὸς δὲ τὸ ἀποθηλύνεσθαι, πηγνῦναι δεῖ μανάς. ἐὰν γὰρ πυκνὰς, πάσας ἀπαῤῥενοῦσθαι, τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον, κἂν ἐν γῇ μοχθηρᾷ σπαρῶσι.

[y] *Semen*] Theophr. Βέλτιον λεπτόν.

[z] *Aut enim in*] Hanc speciem Nicander prætermisit: duas reliquas expressit eo carmine, quod Athenæus recitat loc. cit. Γογγυλίδος δισσὴ γὰρ ἰδ' ἐκ ῥαφάνοιο γενέθλη, Μακρή τε, στιφρή τε φαίνεται ἐν πρασιῇσι, κ. τ. λ. Tria hæc raporum genera depicta vide apud Dalec. Hist. v. p. 640. Orbiculatum Galli vocant, *Naveau rond.*

[a] *Tertiam speciem*] Theophr. Hist. VII. 6.

[b] *Qui circa messem*] Et hanc vim lactucæ sylvestris folio Theophrastus attribuit, loc cit. Plinius ex aliis auctoribus, et raporum succo, qui e caule exciso excipitur.

[c] *Frigore*] Nicander Georg. II. apud Athen. Theophr. Hist. VII. 4. et Martialis, allato paulo ante epigrammate.

[d] *Tepore*] Austrino tempore incrementum omne et succus abit in fo-

agro nascentibus. Taxatio in libras sestertii singuli, et in penuria bini.[f] Proxima in Algido[g] natis.

XXXV. Napi vero[h] Amiternini, quorum eadem fere natura, gaudent æque frigidis. Seruntur et ante Kalendas Martias, in jugero sextarii[i] quatuor. Diligentiores quinto sulco[j] napum seri jubent, rapa quarto, utrumque[1] stercorato. Rapa lætiora fieri,[2] si cum palea seminentur. Serere nudum volunt, precantem sibi et vicinis serere se. Satus utrique generi justus, inter duorum numinum dies festos, Neptuni atque Vulcani.[k] Feruntque subtili observatione, quota Luna præcedente[3] hyeme nix prima ceciderit,[a] si totidem luminum die[4] intra prædictum temporis spatium serantur, mire provenire. Seruntur et vere in calidis atque humidis.

[a] *Si tot diebus post Neptuni festum serantur, quota Luna fuerat præcedente hyeme, cum nix prima cecidit.*

CAP. XXXV. 1 Vet. Dalec. *utroque.*—2 Vet. Dalec. *fiunt.*—3 Pintian. *procedente.*—4 Vet. Dalec. *luminis diebus.*

NOTÆ

lia, non in radicem. Theophr. loc. cit.

[e] *Palma in Nursino*] Columella in Hortulo: 'Quin et Tardipedi sacris jam rite solutis, Nube nova seritur, cœli pendentibus undis, Gongylis illustri mittit quam Nursia campo, Quæque Amiterninis defertur bunias arvis.'

[f] *In penuria bini*] Bini sestertii, monetæ nostræ asses sunt quaterni. Mille aureis rapum emisse a Conone rustico Ludovicum XI. Regem Galliarum, ferunt.

[g] *In Algido*] Mons est in agro Tusculano, conjunctus Albano monti ab urbe Roma XV. mill. pass. quem ab algendo dictum Grammatici volunt. Vide Strab. v. p. 237.

[h] *Napi vero*] Martialis XIII. 20. cujus lemma, 'Napi:' 'Hos Amiternus ager felicibus educat hortis: Nursinas poteris parcius esse pilas.' Nursinæ pilæ rapa sunt in rotunditatem globata, de quibus dictum est proximo cap. Napus Græcis, et Columellæ paulo ante laudato, βουνιάς: nostris, un *Navet*. Pingitur a Dodon. p. 663. Ut olim porro Nursinis, sic modo Sabaudis rapis, Lemovicisque, palma tribuitur.

[i] *In jugero sextarii*] Colum. II. 10. p. 61.

[j] *Quinto sulco*] Terram ante quinquies arandam, quam napus seratur. Vide infra c. 49. 'Quarto seri sulco,' &c.

[k] *Neptuni atque Vulcani*] In Kalendario rustico, apud Gruter. pag. 139. Augusto mensi Neptunalia: Vulcanalia Septembri dicantur. Et p. 133. Vulcanalia decimo Kalend. Septemb. Neptunalia decimo Kalend. Aug.

XXXVI. (XIV.) Lupino[1] est usus proximus,[m] cum sit homini, et quadrupedum generi ungulas[1] habenti, communis. Remedium ejus,[n] ne metentes fugiat exsiliendo, ut ab imbre tollatur. Nec ullius, quæ seruntur,[2] natura assensu terræ[o] mirabilior est.[b] Primum omnium[p] cum Sole quotidie circumagitur, horasque agricolis etiam nubilo demonstrat. Ter præterea[q] floret: terram amat, terraque operiri[r] non vult. Et unum hoc seritur non arato.[s] Quærit[t] maxime sabulosa,[3] et sicca, atque etiam arenosa. Coli[u] utique non vult. Tellurem[v] adeo amat, ut quamvis frutectoso solo conjectum[4] inter folia vepresque, ad terram tamen radice perveniat. Pinguescere hoc satu arva vineasque diximus.[w] Itaque adeo[x] non eget fimo, ut optimo vi-

[b] *Nec ullius eorum quæ seruntur natura, terra ei admodum favente, mirabilior est.*

CAP. XXXVI. 1 Dalec. *fissas ungulas.*—2 Dalec. *quod seritur.*—3 Turneb. *non arata, si fuerit maxime sabulosa.*—4 Cod. Dalec. *solo coactum;* Turneb.

NOTÆ

[l] *Lupino*] Nostri *Lupin*, Græci *θερμὸν ἥμερον* vocant.

[m] *Usus proximus*] Post rapa, quæ cunctis pariter animalibus nasci diximus c. 34. 'Boves enim lupinum,' inquit Colum. II. 10. p. 56. 'per hyemem coctum maceratumque probe alit: famem quoque, si sterilitas annonæ incessit hominibus, commode propulsat.' Qui *promiscuus* hoc loco quam *proximus* legi malunt, et a Mss. fide et a Plinii mente desciscunt.

[n] *Remedium ejus*] Lupinum, inquit Theophr. Hist. VIII. 10. non prius metunt, quam imber incesserit: quoniam alioqui inter metendum e vaginulis exsiliret, atque ita periret semen. Sic etiam auctor Geopon. II. 37. p. 72. Post dies ferventes, aëre madefacto, mane demeti oportere scribit, Theophr. de Causis IV. 14. p. 318.

[o] *Assensu terræ*] Mss. *adsensu terræque.*

[p] *Primum omnium*] Hæc totidem verbis Geopon. auctor, ex Apuleio, loc. cit.

[q] *Ter præterea*] Geopon. loc. cit.

[r] *Terraque operiri*] Theophr. Hist. VIII. 11. Καὶ τὸ ὅλον δὲ οὐκ ἐθέλει θέρμος καλύπτεσθαι τῇ γῇ· διὸ καὶ οὐχ ὑπαροῦντες σπείρουσι. Vide et ejusdem scriptoris Hist. I. 12.

[s] *Non arato*] Subintellige, solo. Sic etiam Geopon. auctor, loc. cit. Colum. II. 10. 'Crudis novalibus licet ingeras: et qualitercumque obruas, sustinet coloni negligentiam.'

[t] *Quærit*] Hoc iterum inculcat c. 46. post Theophr. Hist. VIII. 11.

[u] *Coli*] Theophr. et Geopon. auctor, locis citatis.

[v] *Tellurem*] Theophr. loc. cit.

[w] *Vineasque diximus*] Lib. XVII. 6. et 7. Colum. II. 10. de lupino: 'Maxime ex iis quæ seruntur, juvat agrum. Nam vineis jam emaciatis, et arvis, optimum stercus præbet,'&c.

cem repræsentet. Nihilque aliud nullo impendio constat, ut quod ne serendi quidem gratia opus sit afferre. Protinus seritur ex arvo:[y] ac ne spargi quidem postulat decidens sponte. Primumque omnium[z] seritur, novissimum tollitur: utrumque Septembri[a] fere mense: quia si non antecessit hyemem, frigoribus obnoxium est. Impune præterea jacet, vel derelictum etiam, si non protinus secuti obruant imbres, ab omnibus animalibus amaritudine sua[b] tutum. Plerumque tamen levi sulco integunt. Ex densiore[c] terra rubricam maxime amat. Ad hanc alendam post tertium florem verti debet, in sabulo post secundum. Cretosa tantum, limosaque odit, et in iis non provenit. Maceratum[d] calida aqua homini quoque in cibo est. Nam bovem unum[e] modii singuli satiant, validumque præstant: quando etiam[5] impositum puerorum ventribus,[f] pro reme-

loco jactum.—5 Dalec. *quinetiam;* vel, *atque etiam.*

NOTÆ

[x] *Itaque adeo*] Auctor Geopon. loc. cit.

[y] *Ex arvo*] Unde metitur. Ita Mss. omnes, librique editi: non *ex area*, uti reponere nititur Pintianus, contra scriptoris sententiam: etsi emendationi suffragari Columella videtur, II. 10. p. 56. 'Spargitur,' inquit, 'statim ex area. Atque id solum omnium leguminum non desiderat requiem in horreo, sive Septembri mense,' &c.

[z] *Primumque omnium*] Theophr. Hist. VIII. 1.

[a] *Septembri*] Columella loc. cit. 'Sive Septembri mense ante æquinoctium, seu protinus a Kalendis Octobris crudis novalibus ingeras qualitercumque obruas, sustinet coloni negligentiam. Teporem tamen autumni desiderat, ut celeriter confirmetur. Nam si non ante hyemem convaluerit, frigoribus affligitur.' Adde Geopon. loc. cit.

[b] *Amaritudine sua*] Theophr. Hist. VIII. 7. Auctor Geopon. loc. cit.

[c] *Ex densiore*] Colum. II. 10. p. 57. 'Lupinum exilem amat terram, et rubricam præcipue: nam cretam reformidat, limosoque non exit agro.'

[d] *Maceratum*] Galenus lib. VI. de Facult. Simp. Medic. p. 177. *Θέρμος ἐσθίεται μὲν ἑψηθείς τε, καὶ πολλαῖς ἡμέραις ἐναποθέμενος ὕδατι τὴν πικρότητα. Lupinus edi potest coctus, multis ante diebus per macerationem amarore in aqua deposito.* Auctor Geopon. loc. cit. farina hordei, aut frumenti admixta, panificio aptum esse prodidit. Multum alere id cibi genus, Diphilus Siphnius Medicus, apud Athen. lib. II. p. 55.

[e] *Nam bovem unum*] Annuo bovis cibario modios lupini sexaginta Cato requirit, c. 60. p. 44.

[f] *Puerorum ventribus*] Marcellus Empir. c. 28. p. 199. 'Farina lupinorum decocta ex aqua, et more cata-

dio est. Condi in fumo[g] maxime convenit, quoniam in humido vermiculi umbilicum ejus in sterilitatem castrant. Si depastum sit in fronde, inarari protinus solum opus est.

XXXVII. (XV.) Et vicia[h] pinguescunt arva, nec ipsa agricolis operosa: uno sulco[i] sata, non sarritur, non stercoratur, nec aliud quam deoccatur.[j] Sationis[k] ejus tria tempora: circa occasum Arcturi,[l] ut Decembri mense pascat:[m] tunc optime[n] seritur in semen. Æque namque fert depasta. Secunda satio mense Januario est: novissima Martio: tum ad frondem utilissima. Siccitatem[o] ex omnibus, quæ seruntur, maxime amat: non aspernatur etiam

NOTÆ

plasmatis ventri imposita lumbricos vel tineas necat.' Sic etiam auctor Geopon. loc. cit. Τοὺς ἕλμινθας ἐκβάλλουσιν. Galenus autem, non impositum modo, sed etiam ex melle potum, ei morbo mederi scribit: loc. cit. Ἀναιρεῖ δὲ καὶ ἕλμινθας ἐπιπλαττόμενός τε, καὶ μετὰ μέλιτος ἐκλειχόμενος, κ. τ. λ.

[g] *Condi in fumo*] Colum. II. 10. p. 56. 'Reliquum, quod seminis superest, in tabulatum, quo fumus pervenit, optime reponis: quoniam si humor invasit, vermes gignit, qui simul atque oscilla lupinorum ederunt, reliqua pars nasci non potest.' Palladius quoque, lib. VII. in Junio, tit. 3. p. 123. Rodunt igitur vermes umbilicum (*le germe*) et sterilem reddunt.

[h] *Et vicia*] Varro de Re Rust. I. 31. 'Vicia dicta a vinciendo, quod item capreolos habet, ut vitis, quibuscum sursum versum serpit, ad scapum lupini, aliumve quem, ut hæreat: id solet vincire.' Vide plura apud Voss. in Etymol. Gallis, *de la Vesce*. Pingitur a Dodon. p. 521. Arva ea pinguescere jam diximus XVII. 7.

[i] *Uno sulco*] Terra semel tantum proscissa.

[j] *Deoccatur*] Glebæ confringuntur, et comminuuntur. Varro, loc. cit. 'Occare, id est, comminuere, ne sit gleba: quod ita occidunt, occare dicunt.' Rura nostra vulgo, *Herser*.

[k] *Sationis*] Duo priora serendi tempora agnoscit etiam Colum. II. 11. p. 63. alterum, circa æquinoctium autumnale: Januario mense alterum, vel serius etiam.

[l] *Arcturi*] De quo c. 74.

[m] *Ut Decembri ... pascat*] Ut eo mense, viciam tenera depascat in herba molle pecus, uti cecinit Maro Georg. I. 112.

[n] *Tunc optime*] Circa Arcturi occasum.

[o] *Siccitatem*] Colum. de Re Rust. II. 11. p. 63. 'Id genus præcipue non amat rores, cum seritur: itaque post secundam diei horam, vel tertiam, spargendum est, cum jam omnis humor Sole ventove detersus est: neque amplius projici debet, quam quod eodem die possit operiri: nam si nox incessit, quantulocumque humore prius, quam obruatur, corrumpetur.'

umbrosa. Ex semine ejus, si lecta matura est, palea ceteris præfertur. Vitibus præripit succum: languescuntque, si in arbusto [p] seratur.[1]

XXXVIII. Nec ervi [q] operosa cura est. Hoc amplius, quam vicia, runcatur:[r] et ipsum medicaminis[s] vim obtinens. Quippe per ervum Divum Augustum curatum, epistolis ipsius memoria extat. Sufficiunt[t] singulis boum jugis modii quini sati. Martio mense[u] satum, noxium esse bubus aiunt, item autumno gravedinosum: innoxium autem fieri primo vere satum.

XXXIX. (XVI.) Et silicia,[v] hoc est, fœnum Græcum, scarificatione[w] seritur, non altiore quatuor digitorum sulco, quantoque pejus tractatur, tanto provenit melius. Rarum dictu,[1] esse aliquid cui prosit negligentia. Id autem quod secale, ac farrago[2] [x] appellatur, occari tantum desiderat.

CAP. XXXVII. 1 Cod. Dalec. *si in arbustis seratur.*

CAP. XXXIX. 1 *Mirum dictu* margo edd. Dalec. et Gronov.—2 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *atque farrago* Gronov. et al. ante Harduin.

NOTÆ

[p] *Si in arbusto*] Si in loco serantur, ubi vites sunt arboribus applicitæ.

[q] *Nec ervi*] *Ervum* Græcis ὄροβος, Gallis *Ers*, a Dodonæo ciceris sativi nomine describitur, p. 514. a Dalecampio Hist. Plant. IV. 47. p. 468.

[r] *Runcatur*] Runcare segetes, est herbas e segetibus expurgare, quod Græci ὑποτίλλειν, et βοτανίζειν vocant: runcationem ipsam βοτανισμὸν, ipso teste Plinio, cap. 47. *Nettoyer les blés, en arrachant les méchantes herbes.*

[s] *Medicaminis*] Vide XXII. 78.

[t] *Sufficiunt*] Colum. de Re Rust. II. 11. p. 64.

[u] *Martio mense*] Colum. loc. cit. 'Mensem Martium universum negant agricolæ huic legumini convenire: quod eo tempore satum pecori sit noxium, et præcipue bubus, quos pabulo suo cerebrosos reddat.' Palladius lib. III. in Febr. tit. 7. 'Martio ervum serendum non est, ne pastu suo pecoribus noceat, et boves reddat insanos.' Theophr. Hist. II. 5. primo vere satum ait esse innoxium: autumno, gravedinosum.

[v] *Et silicia*] In Indice, *silicia*. Colum. II. 11. *siliqua*. Plinio ipsi XXIV. 120. ex Mss. omnibus, *silica*. Gallis, *Senegré, ou Fenugrec*. Pingitur a Dodonæo, p. 526.

[w] *Scarificatione*] Hoc est, proscissa leviter tellure, nec alte arata. Columella loc. cit. de fœno Græco: 'Datur opera, ut spisse terra aretur, nec tamen alte: nam si plus quatuor digitis adobrutum est, semen ejus non facile prodit: propter quod nonnulli, priusquam serant, minimis aratris proscindunt, atque ita jaciunt semina, et sarculis adobruunt.'

XL. Secale[a] Taurini sub Alpibus asiam vocant, deterrimum,[1] et tantum ad arcendam famem: fœcunda,[2] sed gracili stipula, nigritia triste, sed pondere præcipuum. Admiscetur[b] huic far, ut mitiget amaritudinem ejus: et tamen sic quoque ingratissimum ventri est. Nascitur qualicumque solo cum centesimo grano: ipsumque pro lætamine[c] est.[a]

XLI. Farrago[d] ex recrementis[b] farris prædensa seritur, admixta aliquando et vicia. Eadem in Africa fit ex hordeo. Omnia hæc pabularia:[c] degeneransque ex leguminibus quæ vocatur cracca:[1][e] in tantum columbis grata, ut pastas ea negent fugitivas illius loci fieri.

XLII. Apud antiquos erat pabuli genus, quod Cato[f] ocinum[1] vocat, quo sistebant[g] alvum bubus. Id erat e pabulis, segete viridi desecta, antequam gelaret.[2][h] Sura Ma-

[a] *Fimi loco est.* [b] *Purgamentis.* [c] *Pabulo animalium nata.*

CAP. XL. 1 Vet. Dalec. *aterrimum.*—2 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. recentt. *ad arcendam famem utile: fecunda* Gronov. et al. vett. Mox, Vet. Dalec. *sed gracili fistula.*

CAP. XLI. 1 Margo edd. Dalec. et Gronov. *arachos,* e Theophr. et Diosc. *crocca* Chiffl.

CAP. XLII. 1 'Ita bene codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier.* Ita quoque Turneb. et Chiffl. et hic et paulo post. Mox, pro *sistebant,* margo edd. Dalec. et Gronov. *ciebant,* vel *citabant,* e Varrone.—2 Fulv. Ursin. super

NOTÆ

[x] *Secale ac farrago*] Res sunt duæ diversissimæ, quod Plinius evidenter ostendit, utriusque historiam seorsim persecutus: et de utroque diversissima prodens.

[a] *Secale*] Apud Gallos veteris nomenclaturæ vestigia retinet, *le Sègle:* ut recte Dodonæus, a quo pingitur, p. 490. et Joan. Ruellius, aliique.

[b] *Admiscetur*] In panificio.

[c] *Pro lætamine*] Lætamen pro fimo dicitur, quod agros lætos, hoc est, pingues et uberes, facit. Usus et ea voce Palladius, in Februar. tit. 20. aliique.

[d] *Farrago*] De ea diximus c. 10. num. 1. Ex hordeo quoque cantherino, sive hexasticho, fieri Columella admonet II. 11.

[e] *Cracca*] Sic Mss. omnes, tum hoc loco, tum in Indice. Viciæ id genus adulterinum videtur.

[f] *Quod Cato*] Cap. 54. et 60. atque alibi passim. De ocymo egimus XVII. 35.

[g] *Quo sistebant*] Ita libri omnes: at Varro de Re Rust. I. 31. *quo ciebant.* Varronis verba retulimus XVII. 35. Forte *citabant* hic agnoscendum. Aut, quod aliis quoque accidit, alia vis est ei, si parcius; alia, si sumatur largius.

milius[3] aliter id interpretatur, et tradit fabæ modios decem,[i] viciæ duos, tantundem erviliæ in jugero autumno misceri et seri solitos.[4] Melius et avena Græca,[j] cui non cadit semen, admixta. Hoc vocitatum ocinum, boumque causa seri solitum. Varro[k] appellatum a celeritate proveniendi, e Græco quod ὠκέως dicunt.[5]

XLIII. Medica[l] externa etiam Græciæ est,[1] ut a Medis advecta per bella Persarum, quæ Darius[m] intulit: sed vel in primis dicenda, tanta dos[n] ejus est: cum ex uno satu[2] amplius quam tricenis annis duret. Similis est[o] trifolio: caule, foliisque[3] geniculata: quicquid in caule[p] assurgit, folia contrahuntur. Unum de ea et cytiso volumen Amphilochus fecit confusum.[4] Solum, in quo[q] seratur, elapi-

Varr. de Re Rust. p. 45. *genaret*, aut *genicularet*, aut *siliquaret*.—3 Ita codd. Harduini, Turneb. et Chiffl. cum edd. Harduin. et recentt. *Manilius* Gronov. et vulgg.—4 'Ita bene codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier*. *erviliæ autumno miscere, et in jugerum serere solitos* Vet. Dalec. legitur et *solitos* in cod. Dalec. *erviliæ in j. a. m. et seri solitum* Gronov. et al. vett. item Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—5 Ita codd. Harduini, Turneb. et Chiffl. cum edd. Harduin. et recentt. *ὠκὺς dicunt* Gronov. et al. vett.

CAP. XLIII. 1 Verbum *est* desideratur in edd. Gronov. et al. vett. ante Harduin.—2 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *cum uno satu* Gronov. et vulgg.—3 Chiffl. et Turneb. *postea caule foliisque*. Mox, Vet. Dalec. *geniculata, ea cum in caulem ass. in folio contrahitur*.—4 Ita codd. Harduini, Dalec. Turneb. et Chiffl. cum edd. Harduin. et re-

NOTÆ

[h] *Antequam gelaret*] Ita Mss. at ex Varrone sincerius, *antequam siliquaret*, vel *generet siliquas*. Itaque ocymum ex fabali caule, ervo, vicia, ceterisque ejuscemodi parabatur, quæ siliquas habent.

[i] *Modios decem*] Modius, sive modium, ea mensura est quam Parisienses vocant, *un boisseau*.

[j] *Avena Græca*] Quæ Græcis βρόμος, ut diximus c. 20. *L'Avoine*.

[k] *Varro*] Loco proxime citato.

[l] *Medica*] Nunc trifolium magnum vocant, fœnumque Burgundicum, *Grand trèfle, ou foin de Bourgogne, ou Luzerne*: vulgatiore vero nomenclatura, *Sainfoin*. A Clusio pingitur, Rarior. Plant. lib. VI. p. 242. vocaturque Medica Legitima. A Lobelio quoque, in Observ. stirpium, p. 498. fœni Burgundiaci nomine.

[m] *Quæ Darius*] Xerxes, si credimus Isidoro Orig. XVII. 4. 'Medica dicta, quia a Medis translata est in Græciam, tempore quo eam Xerxes rex Persarum invasit.'

[n] *Tanta dos*] Vide Colum. II. 11. p. 62. ex quo Isidorus accepit loc. cit. et Pallad. in Aprili, tit. 1. Non hi 'tricenis,' sed 'denis' habent.

[o] *Similis est*] Diosc. II. 177.

[p] *Quicquid in caule*] Caule crescente fiunt angustiora folia, προάγουσα δὲ στενοφυλλότερα γίνεται, κ. τ. λ. Diosc. loc. cit.

[q] *Solum, in quo*] Iisdem fere ver-

datum purgatumque subigitur autumno:[r] mox aratum, et occatum integitur[5] crate iterum ac tertium, quinis diebus interpositis, et fimo addito. Poscit autem siccum succosumque, vel riguum. Ita præparato seritur mense Maio:[s] alias pruinis obnoxia. Opus est densitate seminis omnia occupari, internascentesque herbas excludi. Id præstant in jugera modia vicena. Movendum[t] ne aduratur, terraque protinus[6] integi debet. Si sit humidum solum herbosumve, vincitur, et desciscit in pratum. Ideo protinus altitudine unciali herbis omnibus liberanda est, manu potius, quam sarculo. Secatur incipiens florere, et quoties refloruit. Id sexies[u] evenit per annos, cum minimum, quater. In semen maturescere prohibenda est, quia pabulum utilius est usque ad trimatum. Verno seri[v] debet, liberarique ceteris herbis: ad trimatum, marris[w] ad solum radi. Ita reliquæ herbæ intereunt sine ipsius damno, propter altitudinem radicum. Si evicerint herbæ, remedium unicum est aratio,[7] sæpius vertendo, donec omnes aliæ radices intereant. Dari non ad[x] satietatem debet, ne

centt. *confusim* Gronov. et vulgg.—5 ' Lego e Colum. *Martio tertiatum et occatum integitur.*' Dalec. *et occultum integitur* Chiffl. Mox, *et tertium* Gronov. et vulgg. ante Harduin.—6 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Cavendum ne, &c.* Gronov. et vulgg. *Monendum ne, &c.* Turneb. *Vindemia dura terra protinus* al. ap. Dalecamp. Mox, *integri debet* Turneb. Paulo post hæc verba, *Verno seri debet, liberarique ceteris herbis: ad trimatum,* ex errore typothetæ desunt in ed. Brotier.—7 ' Chiffl. *inaratio.* Lege, *in aratro.*' Dalec.—8 Ita

NOTÆ

bis Colum. loc. cit.

[r] *Autumno*] Circa Kalendas Octobris, Colum.

[s] *Mense Maio*] Mense ultimo Aprili, Colum. et Pallad. lib. v. in Aprili, tit. 1.

[t] *Movendum*] Semen scilicet, terræ commissum. Ita Mss. non *cavendum*, ut editi. Colum. loc. cit. ' Ligneis rastris, id enim multum confert, statim jacta semina obruantur, nam celerrime Sole aduruntur.'

[u] *Id sexies*] Colum. et Pallad. loc. cit.

[v] *Verno seri*] Ita etiam Mss. sed *sarriri* malim.

[w] *Marris*] De marra dixi lib. sup. cap. 35. Colum. loc. cit. ' Atque, ut dixi, ligneis rastris sarriendus, et identidem runcandus est, ne alterius generis herba invalidam medicam perimat.'

[x] *Dari non ad*] Colum. loc. cit. pag. 63. ' Teneram jumentis præbeas, sed inter initia parcius, dum consuescant, ne novitas pabuli no-

deplere sanguinem necesse sit. Et viridis utilior est. Arescit surculose,[y] ac postremo in pulverem inutilem extenuatur. De cytiso,[z] cui et ipsi principatus datur in pabulis, affatim diximus inter frutices. Et nunc frugum omnium natura peragenda est: cujus in parte de morbis [8] quoque dicatur.

XLIV. (XVII.) Primum omnium frumenti vitium avena est:[a] et hordeum in eam degenerat: sicut ipsa frumenti fit instar: quippe cum Germaniæ populi serant eam, neque alia pulte vivant. Soli maxime cœlique humore hoc evenit vitium. Sequentem causam habet imbecillitas seminis,[*] si diutius retentum est terra,[1] priusquam erumpat. Eadem est ratio, si cariosum[b] fuit cum sereretur. Prima autem statim eruptione agnoscitur: ex quo apparet in radice esse causam. Est et aliud[c] ex vicino avenæ vitium, cum amplitudine inchoata granum, sed nondum matura, priusquam

[*] *Secunda causa cur in avenam semen degeneret, oritur ex imbecillitate seminis.*

codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *vitiis* Gronov. et vulgg.

CAP. XLIV. 1 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *cum diutius retentum est terra* Gronov. et vulgg. *si diutius, &c.* Chiffl.

NOTÆ

ceat: inflat enim, et multum creat sanguinem.' Sic etiam Pallad. loc. cit.

[y] *Arescit surculose*] Utilior est, inquit, dum virescit: nam cum cœpit arescere, lignosa tota est.

[z] *De cytiso*] Lib. XIII. cap. 47.

[a] *Avena est*] Hæc ipsa sativa, ex qua pultem hodieque conficiunt rustici. Græcis βρόμος, ut diximus cap. 20. *L'Avoine.* Aliunde hæc Plinius hausit, quam a Theophrasto: nam quæ ille de ægilope retulit, Hist. VIII. 8. quæ spectari nunc a Plinio nonnulli putant, ea mox summa fide recitat, ægilopem appellans: quam festucam verius appellari Latine ipse monet.

[b] *Si cariosum*] Si vetustum aut exesum fuit.

[c] *Est et aliud*] Avena hæc sylvestris est, quæ sativæ similis, asperiores tantum, longioresque aristas habet, et in folliculis fere vacuis semen evanidum. De hac Maro cecinit, 'Infelix lolium, et steriles dominantur avenæ.' 'Steriles,' inquit Servius, 'ad discretionem earum quæ seruntur.' Avenam hanc inter frumenti vitia Naso quoque enumerat, Fast. I. 691. 'Et careant loliis oculos vitiantibus agri, Nec sterilis culto surgat avena solo.'

roboretur [a] corpus, afflatu noxio cassum [3] et inane in spica evanescit quodam abortivo.[4] [d]

Venti autem [e] tribus temporibus nocent frumento et hordeo: in flore, aut protinus cum defloruere, vel maturescere [f] incipientibus. Tum enim exinaniunt [g] grana: prioribus causis [h] nasci prohibent. Nocet et Sol [i] creber e nube. Nascuntur [j] et vermiculi in radice, cum sementem imbribus secutis, inclusit [5] repentinus calor humorem. Gignuntur et in grano, cum spicæ pluviis [6] [k] calor infervescit. Est et cantharis [l] dictus scarabæus parvus, frumenta erodens. Omnia ea animalia cum cibo [m] deficiunt. Oleum, pix, adeps, contraria seminibus, cavendumque ne contacta eis serantur. Imber in herba [n] utilis tantum: florentibus autem frumento et hordeo nocet, leguminibus innocuus, præterquam ciceri. Maturescentia [o] frumenta imbre læduntur, et

retenti terra codd. Dalec.—2 Chiffl. *roboret.*—3 Turneb. *cascum.*—4 Vet. Dalec. et Chiffl. *abortu.* Dalec. *evanescit partu quodam abortivo.*—5 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *incluserit* Gronov. et al. vett.—6 Turneb. *pluvius;* cod. Dalec. *in pluviis.* Mox, *cantharidis scarabæus*

NOTÆ

[d] *Quodam abortivo*] Ita Mss. omnes: hoc est, quodam abortivo partu, quodam abortu.

[e] *Venti autem*] Hæc accepta ex Theophr. Hist. VIII. 10.

[f] *Vel maturescere*] Ἐν τῷ ἁδρύνεσθαι, cum crassescunt, inquit Theophr.

[g] *Exinaniunt*] Exsiccat et arefacit grana vis venti vehementior, quæ tunc ingruit, cum maturescere ea cœperunt: ξηραίνει καὶ ἀφαναίνει. Theophr.

[h] *Prioribus causis*] Cum vel in flore, vel protinus ubi defloruerint, venti vehementiores incidunt.

[i] *Nocet et Sol*] Theophr. loc. cit. Ἀπόλλυσι δὲ καὶ ἥλιος ὁ ἐκνέφελος ἄμφω, hordeum scilicet, triticumque.

[j] *Nascuntur*] Altera ratione, inquit, vermis ingignitur, cum humor imbrium effundi nequit conclusus siccitate aëris circumfusi. Tunc enim calor confecta putredine animal contrahit. Theophr. de Causis III. 27. pag. 298.

[k] *Cum s. pluviis*] Cum calore imbres secuto spica fervescit.

[l] *Est et cantharis*] Hoc tantum Theophr. Hist. VIII. 10. Ἐπιγίνεται γὰρ ἡ μὲν κανθαρὶς ἐν τοῖς πυροῖς. At sane simile veri est, erodendo plus, quam insidendo, animal id officere frugibus. Est autem id non muscarum generis, quas vulgo cantharidas dicimus, sed scarabæorum, de quibus XI. 34.

[m] *Omnia . . . cum cibo*] Cibo consumto ac deficiente intereunt.

[n] *Imber in herba*] Hæc totidem verbis Theophr. Hist. VIII. 6.

[o] *Maturescentia*] Theophr. loc. cit.

hordeum magis. Nascitur et herba alba, panico similis, occupans arva, pecori quoque mortifera. Nam lolium,[p] et tribulos, et carduos, lappasque, non magis quam rubos, inter frugum morbos potius, quam inter ipsius terræ pestes, numeraverim. Cœleste frugum vinearumque malum nullo minus noxium est rubigo.[q] Frequentissima[r] hæc in roscido tractu, convallibusque, ac perflatum non habentibus: e diverso[s] carent ea ventosa et excelsa. Inter vitia segetum et luxuria est,[t] cum oneratæ[7] fertilitate procumbunt. Commune autem omnium satorum vitium erucæ,[8 u] etiam ciceris,[v] cum salsilaginem ejus abluendo imber dulcius id facit.

Est herba,[w] quæ cicer enecat et ervum, circumligando se: vocatur orobanche:[x] triticum simili modo æra:[y] hor-

Turneb. et Chiffl.—7 Ita codd. Harduini et Vet. Dalec. item edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *onerata* Gronov. et vulgg.—8 Ita tacite Brotier. *urica* Gronov. et al. vett. item Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *eruca* Turneb.

NOTÆ

[p] *Nam lolium*] Habuit hoc Virgilii carmen ante oculos, Georg. I. 150. 'Mox et frumentis labor additus: ut mala culmos Esset rubigo: segnisque horreret in arvis Carduus: intereunt segetes: subit aspera sylva, Lappæque, tribulique, interque nitentia culta Infelix lolium, et steriles dominantur avenæ.'

[q] *Rubigo*] Vitii genus, quo culmi nigrescunt: *Nielle*. E rore nascitur, cum Solis superventu excalefactus putrescit.

[r] *Frequentissima*] Accepta hæc a Theophr. Hist. VIII. 10.

[s] *E diverso*] Theophr. loc. cit.

[t] *Luxuria est*] Non foliorum modo, quod Theophr. Hist. VIII. 7. φυλλομανεῖν vocat, sed et spicarum, cum gravidis procumbit culmen aristis, ut Maro canit Georg. I. 111.

[u] *Erucæ* [*uricæ*] Ita veteres appellavere, quam nos erucam dicimus, Græci κάμπην, nostri *Chenille*: ut ante monuimus XI. 37.

[v] *Etiam ciceris*] Vide quæ diximus cap. 32.

[w] *Est herba*] Sic Theophr. Hist. VIII. 8. Et Geopon. auctor II. 41. pag. 75. Ἡ ὀροβάγχη φθείρει τοὺς κυάμους καὶ τοὺς ἐρεβίνθους περιπλεκομένη.

[x] *Orobanche*] Quod ὄροβον ἄγχει, *ervum necat*, ὀροβάγχη dicta. Sed alia est Dioscoridis ὀροβάγχη, quæ a Dodonæo pingitur, pag. 543. ut recte admonuit Anguillara, par. V. pag. 89. et post eum Dodonæus loc. cit. Hanc, quæ ervi pestis est, Dodonæus idem delineavit, sub Aphacæ nomine, pag. 535. Nam et ἀφάκη Dioscoridis est, non Theophrasti. Est autem hæc, ut arbitror, quæ Festo 'Scandulaca' dicitur, 'genus herbæ frugibus inimicæ, quod eas velut edera implicando necat.'

deum festuca, quæ vocatur ægilops:[z] lentem herba[a] securidaca,[9] quam Græci a similitudine[b] pelecinon vocant. Et hæ complexu necant.[10] [c] Circa Philippos[d] ateramon[11] nominant in pingui solo herbam, qua faba necatur: teramon, qua in macro, cum udam quidam ventus afflavit. Æræ granum[e] minimum est in cortice aculeato. Cum est in pane,[f] celerrime vertigines facit: aiuntque in Asia et Græcia balneatores, cum velint turbam pellere, carbonibus id semen injicere. Nascitur et phalangion[g] in ervo, bes-

uricæ Chiffl.—9 Turneb. et Chiffl. *herba securiclata*, ob similitudinem literarum *d* et *cl*, item *c* et *t*, in vett. scriptis.—10 Ita codd. Regg. Brott. Edd. vett. Gronov. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *Et hæ quidem complexu necant*. Brotier in Notis *negant*.—11 'Ita cod. Reg. 1. Errat autem Plinius. Nec *ateramon*, nec *teramon*, sunt herbæ. Male interpretatus est Theophrastum de Causis Plant. IV. 14. Apud Philippos nonnunquam flat ventus frigidus, quo fabæ fiunt *ἀτεράμονες*, i. e. *coctu difficiles*.' Brotier. *ateramum* Chiffl. *ateramnon*, et mox *teramnon*, Gronov. et al. vett. item Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.

NOTÆ

[y] *Triticum ....æra*] Hoc est, lolium, quæ Græcis *αἶρα*. Utralibet voce Plinius promiscue utitur. Geopon. auctor, loc. cit. Τὸ ζιζάνιον τὸ λεγόμενον αἶρα φθείρει τὸν σῖτον. Gallis *de l'Ivraie*. Iconem vide apud Dodon. pag. 529.

[z] *Hordeum ....ægilops*] Theophr. Hist. VIII. 8. Καὶ ὁ αἰγίλωψ δοκεῖ μᾶλλον ἐν ταῖς κριθαῖς. Geopon. auctor, loc. cit. Τὰς δὲ κριθὰς βλάπτει αἰγίλωψ. In eam rem multa egregie Galenus de Alim. Fac. I. 37. pag. 333. tom. VI. A Dodonæo pingitur festucæ prioris nomine, pag. 530. Rustici in Gallia *Coquiole* vulgo vocant. Avenam spica refert, unde et ei aliquando apud Latinos id nomen: Glossæ Philoxeni: Αἰγίλωψ, *avena*. Et in Nothis Diosc. pag. 472. Αἰγίλωψ, οἱ δὲ βρῶμος, Ῥωμαῖοι ἀβένα.

[a] *Lentem herba*] Auctor Geopon. loc. cit. Φακῆν (lege ex Plinio φακὸν) βλάπτει ἡ πελεκῖνος καλουμένη βοτάνη. Gallis, *Grave, ou Féve de loup*. In Mss. *Securiclata*.

[b] *A similitudine*] Quoniam ejus siliquæ sunt instar securicularum, quas Græci πελέκεις vocant. Diosc. III. 146.

[c] *Complexu necant*] Non quidem quod circumligent se, ut orobanche: sed quod densitate sua fruges complectantur, et obruant.

[d] *Circa Philippos*] Vide Notas et Emend. num. 13.

[e] *Æræ granum*] Lolii, ut modo diximus.

[f] *Cum est in pane*] Auctor Geopon. II. 41. pag. 75. de æra seu lolio: ἄρτοις δὲ μιγνυμένη, σκοτοῖ τοὺς ἐσθίοντας, *panibus admixtum obducit tenebras vescentium oculis*.

[g] *Nascitur et phalangion*] Ex Theophr. Hist. VIII. 10. Ælianus quoque Hist. Anim. IX. 39. ὀρόβῳ γεννᾶται φαλάγγια ἄττα. De phalangio, XI. 28.

tiola aranei generis, si hyems aquosa sit. Limaces nascuntur in vicia: et aliquando e terra cochleæ minutæ, mirum in modum erodentes eam. Et morbi quidem fere hi sunt.

XLV. Remedia eorum, quæcumque pertinent ad herbas, in sarculo:[h] et, cum semen[i] jactatur, cinere. Quæ vero in semine et circa radicem consistunt, præcedente cura[j] caventur. Vino ante[k] semina perfusa[1] minus ægrotare existimant. Virgilius[l] nitro et amurca perfundi jubet fabam: sic etiam[2] grandescere promittit. Quidam vero,[m] si triduo ante satum urina et aqua maceretur, præcipue adolescere putant. Ter quidem sarritam modium fractæ[3][n] e modio

CAP. XLV. 1 Ita codd. Harduini, Dalec. et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Vina ante semine perfusa* Gronov. et vulgg.—2 Chiffl. pro v. l. *sic eam*.—3 '*Sartum modium fresæ*] Sic scripti meliores: ubi obiter notandum *sartam* pro *sarritam* e Chiffletiana membrana.' *Nic. Heins.* Vid. Adverss. III. 15. p. 525. *sartum* Turneb. *satam* Chiffl. ap. Dalec. et Gronov.

NOTÆ

[h] *In sarculo*] Instrumentum rusticum quo purgantur et sarriuntur segetes. *Un sarcloir, instrument à sarcler.*

[i] *Et, cum semen*] Et quando simul cum semine cineres jactantur. Ad illud Virgilianum alludit, Georg. I. 81. 'Ne saturare fimo pingui pudeat sola, neve Effœtos cinerem immundum jactare per agros.'

[j] *Præcedente cura*] Adhibita cura ante sationem.

[k] *Vino ante*] Apuleius in Geopon. II. 16. pag. 54. Τὰ οἴνῳ ἐπιῤῥανθέντα σπέρματα ἔλαττον νοσήσει, κ. τ. λ.

[l] *Virgilius*] Georg. I. 193. 'Semina vidi equidem multos medicare serentes, Et nitro primum, et nigra perfundere amurca, Grandior ut fœtus siliquis fallacibus esset.' Fabarum nempe siliquis. Colum. II. 10. 'Priscis rusticis, nec minus Virgilio, prius amurca vel nitro macerari fabam, et ita seri placuit: nos quoque sic medicatam comperimus, cum ad maturitatem perducta sit, minus a curculione infestari.' Et Pallad. lib. XII. in Novembr. tit. I. pag. 161. 'Græci asserunt fabæ semina .... nitrata aqua respersa, cocturam non habere difficilem.'

[m] *Quidam vero*] Auctor Geopon. II. 16. pag. 55.

[n] *Modium fractæ*] E modio fabæ integræ cum tenui cuticula qua involvitur, modium fractæ seu molitæ, sine furfuribus rediturum. Colum. II. 12. 'Adeoque fabam sarriendam censeo, ut existimem debere ter sarriri. Nam sic cultam comperimus non solum multiplicare fructum, sed exiguam portionem in valvulis habere: fresæque ejus et expurgatæ modium pæne tam plenum esse, quam integræ, cum vix minuatur mensura detractis putaminibus.'

solidæ reddere. Reliqua semina[o] cupressi foliis tusis si misceantur, non esse vermiculis obnoxia: nec si interlunio[p] serantur. Multi ad milii remedia,[q] rubetam noctu arvo circumferri jubent, priusquam sarriatur, defodique in medio inclusam vase fictili: ita nec passerem, nec vermes[4] nocere: sed eruendam priusquam metatur, alioqui amarum fieri. Quin et armo talpæ contacta semina uberiora esse. Democritus[r] succo herbæ, quæ appellatur aizoon, in tegulis nascens tabulisve,[5] Latine vero sedum, aut digitellum, medicata seri jubet omnia semina. Vulgo vero, si dulcedo[6][s] noceat, et vermes radicibus inhæreant, remedium est,[t] amurca pura, ac sine sale spargere, deinde sarrire: si in articulum[u] seges ire cœperit, runcare, ne herbæ vincant.

Alii ap. Dalec. etiam *fresæ*.—4 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. et Bipont. *aut vermes* Franz. *nec vermem* Gronov. et vulgg.—5 'Alii, *stabulisve*. Nihil muto. *caballis hæsum* Turneb. *tabulis æsum* alii et Chiffl. nullo sensu. Fortassis, *tabulisve exesis*.' Dalec.—6 Chiffl. *uredo*.—

NOTÆ

[o] *Reliqua semina*] Auctor Geopon. totidem verbis, loc. cit. pag. 53. Εἰ δὲ φύλλα κυπαρίσσων κόψας, ἀναμίξεις τοῖς σπέρμασιν, ἄβρωτα ταῦτα φυλαχθήσεται. Simile quiddam refert Colum. II. 9.

[p] *Nec si interlunio*] Geopon. auctor, loc. cit. nec si Luna semiplena: ἄβρωτα δὲ μένει καὶ τὰ ἐν διχομηνίᾳ σπειρόμενα. Interlunium de coitu silentis Lunæ accipiendum.

[q] *Ad milii remedia*] Ne vermiculi aut passeres milio noceant. Habet hæc totidem fere verbis auctor Geopon. loc. cit. pag. 55. Sed uti circumferendam ait arvo rubetam, prius quam arvum fodiatur, sic et eruendam monet, prius quam seratur, ne fructus amarescat. Mss. omnes *ad milia*, unde quidam *ad similia* augurantur, male.

[r] *Democritus*] Tradit hoc rursum XIX. 58. De aizoo dicemus XXV. 102. Colum. XI. 3. pag. 904. 'Veteres quidam auctores, ut Democritus, præcipiunt semina omnia succo herbæ, quæ sedum appellatur, medicare, eodemque remedio adversus bestiolas uti, quod verum esse nos experientia docuit.' Iterumque II. 9. pag. 58. 'Quædam etiam subterraneæ pestes adultas radicibus subsectis enecant. Id ne fiat remedio est aquæ mixtus succus herbæ, quam rustici sedum appellant: nam hoc medicamine una nocte semina macerata jaciuntur.' Adde et Geopon. auctorem XII. 7. pag. 329. et II. 16. pag. 53.

[s] *Si dulcedo*] Soli dulcedo, vermes generans.

[t] *Remedium est*] Colum. loc. cit. pag. 54.

[u] *Si in articulum*] Cum genicula seu nodos culmi ostendunt. Acceptum id a Colum. II. 12. de sarritione: 'Transacto æquinoctio verno statim

Pestem a milio atque panico, sturnorum passerumve agmina, scio abigi herba, cujus nomen ignotum est, in quatuor angulis segetis defossa: mirum dictu! ut omnino nulla avis intret. Mures abiguntur cinere mustelæ vel felis diluto, et semine sparso, vel decoctarum [v] aqua. Sed redolet virus animalium eorum etiam in pane. Ob id felle [w] bubulo semina attingi utilius putant. Rubigo [x] quidem, maxima segetum pestis, lauri ramis in arvo defixis, transit in ea folia [7] ex arvis. Luxuria segetum [y] castigatur dente pecoris in herba duntaxat: et depastæ quidem, vel sæpius,[8] nullam in spica injuriam sentiunt. Retonsarum [9] [z] etiam semel omnino certum est granum longius fieri, sed inane cassumque,[10] ac satum non nasci. Babylone [a] tamen bis secant, tertio [11] depascunt:[b] alioqui folia tantum fierent. Sic quoque cum quinquagesimo fœnore messes reddit exilitas [12] soli:[c] verum diligentioribus cum centesimo.[13] [d] Neque est cura difficilis: quam diutissime adaquari

7 Ita codd. Harduini, Dalec. et Chiffl. cum edd. Harduin. et recentt. *in earum folia* Gronov. et vulgg. 'Lege, *eorum*.' Dalec. Mox, Vet. Dalec. *ex herbis*.—8 Cod. Dalec. *vel suibus*.—9 *Recusarum* Chiffl.—10 Turneb. et Chiffl. *cascumque*.—11 Chiffl. *tertium*.—12 Budæus, *felicitas*, e Theophr. *fertilitas* Vet. Dalec.—13 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *centesimo quintodecimo* Chiffl.

NOTÆ

peragi oportet intra dies viginti, ante quam seges in articulum eat: quoniam serius sarrita corrumpitur insequentibus æstivis siccitatibus, et caloribus.'

[v] *Vel decoctarum*] Mustelæ et felis.

[w] *Ob id felle*] Sic radices arborum felle taurino oblini auctor Geopon. jubet, lib. x. cap. ult. ut nec senescat cito, nec vermes producat. Apuleius ibidem, XIII. 5. felle bubulo semina illinit, ne mures attingant.

[x] *Rubigo*] Apuleius in Geopon. v. 31. pag. 150. Ἐὰν δάφνης ἐν τῇ ἀρούρᾳ κλάδους βάλῃς, μεταβαίνειν εἰς αὐτοὺς τὴν βλάβην τῆς ἐρυσίβης. *Si lauri ramos in arvum projeceris, transit in ipsos rubiginis noxa.*

[y] *Luxuria segetum*] Sunt hæc a Theophr. Hist. VIII. 7. Et a Marone Georg. I. 111. 'Quid qui ne gravidis procumbat culmus aristis, Luxuriem segetum tenera depascit in herba, Cum primum sulcos æquant sata?'

[z] *Retonsarum*] Theophr. loc. cit.

[a] *Babylone*] Theophr. loc. cit.

[b] *Tertio depascunt*] Hoc est, in segetes pecus immittunt: τὰ πρόβατα ἐπαφιᾶσιν. Sic enim caulem mittit, alioqui foliis tantum luxuriat, φυλλομανεῖ. Theophr.

[c] *Exilitas soli*] Ubi maxime exile solum, et leviter cultum.

[d] *Cum centesimo*] Theophr. Γίνεται

gaudent,[14] [e] ut præpinguis et densa ubertas diluatur. Limum autem [f] non invehunt Euphrates Tigrisque, sicut in Ægypto Nilus. Nec terra [g] ipsa herbas gignit. Ubertatis [h] tamen tantæ sunt, ut sequente anno sponte restibilis [i] fiat seges, impressis vestigio [j] seminibus: quæ tanta soli differentia admonet terræ genera in fruges describere.

XLVI. Igitur Catonis [k] hæc sententia est: 'In agro crasso et læto frumentum seri: si vero nebulosus sit idem, raphanum, milium, panicum. In frigido [l] et aquoso prius serendum, postea in calido.[1] In solo [m] autem rubricoso, vel pullo, vel arenoso, si non sit aquosum, lupinum. In creta [n] et rubrica, et aquosiore [2] agro adoreum. In sicco [o] et non herboso, nec umbroso, triticum. In solo valido [p] fabam. Viciam vero quam minime in aquoso herbidoque. Siliginem et triticum in loco aperto editoque, qui Sole quam diutissime torreatur. Lentem in frutectoso et rubricoso, qui non sit herbidus. Hordeum in novali, et in arvo, quod restibile [q] possit fieri: trimestre, ubi sementem matu-

centesimo quinquagesimo Gronov. et vulgg.—14 Ita tacite Brotier. *aquari gaudet* Parm. quam lectionem recepere Harduin. et recentt. *aquari gaudent* Vet. Dalec. *aqua rigandi* Gronov. et al. ante Harduin.

CAP. XLVI. 1 '*Si vero nebulosus sit idem, raphanum, milium, panicum. In frigido et aquoso et prius serendum, postea in calido.* Sic alii et Chiffl.' *Dalec.*—2 Margo edd. Dalec. et Gronov. *et uligine*, e Catone.—3 Gronov. *possit.*—

NOTÆ

δὲ μὴ καλῶς ἐργασαμένοις πεντηκοντόχοα· τοῖς δὲ ἐπιμελῶς, ἑκατοντόχοα.

[e] *Adaquari gaudent*] Nempe solum, quod cum per se crassum ac pingue sit, dilui copiosa aqua necesse est. Vide Notas et Emend. num. 18.

[f] *Limum autem*] Theophr. loc. cit.

[g] *Nec terra*] Theophr.

[h] *Ubertatis*] Theophr. loc. cit.

[i] *Restibilis*] Seges restibilis ager appellatur, cujus fœcunditas non uno anno exhausta, in sequentem etiam annum perseverat, etiam si segnius aretur.

[j] *Impressis vestigio*] Vel conculcatis, inquit, depressisque seminibus: ut cum exercitu transeunte decussa semina in terram corruunt. Theophr. loc. cit.

[k] *Igitur Catonis*] Cap. 6. pag. 12.

[l] *In frigido*] Vide Notas et Emend. num. 14.

[m] *In solo*] Cato cap. 34. pag. 31.

[n] *In creta*] Cato loc. cit.

[o] *In sicco*] Cato loc. cit.

[p] *In solo valido*] Quæ deinceps sequuntur, sunt ex eodem Catone cap. 35. pag. 31. usque ad ea verba, 'Subtilis et illa sententia.'

[q] *Quod restibile*] Quod anno etiam

ram facere non possis,[3] et cujus crassitudo sit restibilis.' Subtilis[r] et illa sententia: 'Serenda ea in tenuiore terra, quæ non multo indigent succo,[4] [s] ut cytisus: et, cicere excepto,[t] legumina[5] quæ velluntur e terra, non subsecantur. Unde et legumina appellata, quia ita leguntur. In pingui[u] autem, quæ cibi[6] sunt majoris, ut olus, triticum, linum. Sic ergo tenue solum hordeo dabitur: minus enim alimenti radix poscit: lenior[7] terra,[v] densiorque tritico. In loco humili[8] [w] far adoreum, potius quam triticum, seretur: temperato, et triticum et hordeum. Colles[x] robustius, sed minus, reddunt triticum. Far et siligo,[y] et cretosum, et uliginosum solum sortiuntur.'[9]

(XVIII.) Et frugibus[10] ostentum semel[z] (quod equidem

4 Chiffl. *suctu*, et pro v. l. *sumptu*. Mox, Dalec. *ut cytisum*.—5 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. item Fulv. Ursin. super Varr. de Re Rust. p. 39. *et cicer, exceptis leguminibus* Gronov. et vulgg.—6 Chiffl. pro v. l. *curæ*.—7 Gronov. et al. ante Harduin. *levior*.—8 Fulv. Ursin. ad Varr. Re Rust. p. 26. *In loco humido*.—9 Chiffl. in emend. *et cretoso et uliginoso solo seruntur*.—10 *Et in frugibus* cod. Dalec.

NOTÆ

sequente ferre fruges possit.

[r] *Subtilis*] Varronis sententia, loco mox citando, et auctoris Geopon. II. 10. pag. 49.

[s] *Non multo . . . . . succo*] Succum et Plinius et Varro appellat alimentum quod seges ad nutritionem attrahit augitque e terra. Τροφὴν appellat Theophr. de Causis III. 26. pag. 291. Αἱ μὲν γὰρ ἐλάττονος καὶ κουφοτέρας δέονται τροφῆς· αἱ δὲ πλείονος καὶ σωματωδεστέρας. Plinius Theophrastum secutus, mox *cibum* vocat.

[t] *Et cicere excepto*] Hæc ex Varrone, ut dicemus in Notis et Emend. num. 15.

[u] *In pingui*] Varro de Re Rust. I. 23.

[v] *Lenior terra*] Magisque tractabilis. Vide Notas et Emend. num. 16.

[w] *In loco humili*] Atque adeo humido: nam in loca depressa aquæ confluunt. Colum. II. 6. pag. 49. 'Triticum autem sicco loco melius coalescit: adoreum minus infestatur humore.' Et Varro I. 9. 'Itaque periti in loco humidiore far adoreum potius serunt.' Quare videndum an in contextu Pliniano *humido* quoque sincerius fuerit. Nam temperato, quod proxime sequitur, non humile, sed humidum opponitur. Mss. tamen omnes, *humili*.

[x] *Colles*] Colum. II. 9. pag. 52. 'Collis enim, quamvis robustius aliquanto, minus tamen tritici reddit.'

[y] *Far et siligo*] Colum. loc. cit. 'Densa, cretosaque, et uliginosa humus siliginem et far adoreum non incommode alit.'

[z] *Et frugibus . . . . semel*] At etiam postea, quo tempore in Numantia res male gestæ, Bononiæ fruges in arbo-

invenerim) accidit, P. Ælio,[a] Cn. Cornelio coss. quo anno superatus est Hannibal: in arboribus enim tum nata produntur frumenta.

XLVII. Et quoniam de frugum terræque generibus abunde diximus, nunc de arandi ratione dicemus, ante omnia Ægypti facilitate commemorata. Nilus ibi coloni vice fungens, evagari incipit, ut diximus,[b] a solstitio, aut nova Luna:[1] primo lente,[2] deinde vehementius, quamdiu in

CAP. XLVII. 1 'Ita codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier*. Ita quoque Gronov. et al. vett. *ut diximus, solstitio et nova Luna* Harduini codd. et Vet. Dalec. cum edd. Harduin. et recentt.—2 'Ita bene cod. Reg. 2. et Editio

NOTÆ

ribus natas refert Julius Obseq. cap. 85. pag. 45. Iterumque cap. 90. pag. 49. Et Julius Capitolinus in Antonino Pio, inter ostenta, pag. 20. 'Hordeum,' inquit, 'in Mœsia in culminibus arborum natum est.'

[a] *P. Ælio*] P. Ælio Pæto, Cn. Cornelio Lentulo Coss. anno Urbis DLIII. quo finitum esse bellum Punicum secundum, auctor est Livius lib. XXX. pag. 367. victo Hannibale a Scipione Africano majore.

[b] *Ut diximus*] Lib. V. 10.—'Nilus hic caute coloni vice fungi dicitur, non tamen haberi pro Deo dicitur. Itaque cave te fallat nummus ex ære minimo, qui est in Thesauro regio, sic inscriptus, DEO SANCTO SERAPIDI. Caput Serapis, cui modius est impositus. .)(. DEO SANCTO NILO. Fluvii decumbentis effigies, qua urnæ innititur, arundinem dextra tenet, sinistra Cornu Copiæ. Infra, ALE. Flavii Claudii Juliani Augusti gratia cusus hic nummus est, non Ægyptiæ certe, sed prorsus perelegantis fabricæ, hoc est, Gallicanæ. Cusus, inquam, ALE; hoc est, 'Primæ Lugdunensis Edicto,' ad amnem Rhodanum. Sententia prioris inscriptionis hæc est: 'Dudum Expetitum Orbi, Servator Primæ Narbonensis, Civitatum Tutator Omnium, SERAPIS Julianum Dedit Imperatorem.' Ista posterioris: 'Dudum Expetitum Orbi, Serapis Primæ Narbonensis Civitatum Tutator, Omnibus Negotiatoribus Julianum Liberatorem Obtulit.' Fluvius hic depictus certe Nilus non est, cum crocodilus hippopotamusque absit: sed Rhodanus est, Ararisve, qui Lugdunensem primam alluunt, vel secant. Nihil vatem moramur, qui apud Athenæum lib. V. p. 203. cecinit Αἰγύπτιε Ζεῦ Νεῖλε. Nec 'Deus Sanctus' quid sit, intellexere falsorum numinum cultores, ac ne sic quidem eorum aliquis verba hæc duo copulavit. Et gravi demum errore ducuntur recentes Grammatici, qui sine teste idoneo scriptore Latino, produnt aut ab 'Apis' in genitivo casu 'Apidis,' aut a 'Serapis,' 'Serapidis' posse deduci. 'Apis' in eo casu Plinius habet VIII. 71. Strabonem, similesque Græculos, qui Σεραπίδος scripsere, nec tamen ausi sunt Ἄπιδος sic inflectere, haud magni facimus, cum Plinius ipse, XXXVI. 11. 'templum Serapis' scribat, non 'Serapidis.' Tamen ævo Gallieni et Posthumi video nummos inscriptos, SERAPIDI

Leone Sol est. Mox pigrescit in Virginem transgresso, atque in Libra residet. Si duodecim[c] cubita non excessit,[3] fames certa est. Nec minus, si sedecim exsuperavit. Tanto enim tardius decedit, quanto abundantius crevit, et sementem arcet. Vulgo credebatur, ab ejus decessu serere solitos, mox sues impellere vestigiis semina deprimentes in madido solo: et credo antiquitus factitatum.[d] Nunc quoque non multo graviora[4] opera:[e] sed tamen inarari certum est abjecta prius semina in limo degressi amnis, hoc est, Novembri mense incipiente: postea pauci runcant, quod botanismon[f] vocant. Reliqua pars[g] non nisi cum falce arva visit paulo ante Kalendas Aprilis. Peragitur autem messis Maio, stipula nunquam cubitali: quippe sabulum subest; granumque limo tantum continetur.[h] Excellentius Thebaidis regioni[5] frumentum, quoniam palustris Ægyptus.[i] Similis ratio, sed felicitas major Babyloniæ Seleuciæ,[6] Euphrate atque Tigri restagnantibus, quoniam ri-

princeps.' *Brotier.* Edd. ante Brot. *ac primo lente.*—3 Cod. Dalec. *excesserit.*—4 Cod. Dalec. *graviore.* Mox, *abjecto prius semine* Vet. Dalec. Deindè, *degressi* Chiffl. *digressi* Edd. vett. et Harduin.—5 Ita Gronov. al. vett. Harduin. 1. et Bipont. *regionis* al. ap. Dalec. *regionibus* Harduin. 2. 3. Miller. et Franz.—6 Ita codd. Harduini et Vet. Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et re-

NOTÆ

COMITI AVG. sed ex inscitia fortassis Grammaticorum posterioris illius ævi.' *Ed. sec.*

[c] *Si duodecim*] Vide quæ diximus, loco mox citato libri quinti. De Nili fluentis, cum intra duodecimum tantum cubitum excrevisset, ullam aquæ partem elici ruptis aggeribus, sub ignis pœna, vetuit Arcadius Imp. anno Christi CCCCIX. leg. un. de Nili aggerib. lib. IX. Cod. Theod. tit. 32. quo anno fames seu annonæ penuria ingens Constantinopoli fuit, teste Marcellino in Chron.

[d] *Et credo . . . factitatum*] Ita sane prodidit Herod. II. 14. pag. 95. Diodorus Siculus Bibl. lib. I. pag. 52. immitti pecora ait, τὰ βοσκήματα.

[e] *Graviora opera*] Sic Mss. quos vidi, editique: Dalec. in suis, *graviore opera*, quod nec displicet.

[f] *Botanismon vocant*] Ut diximus cap. 35.

[g] *Reliqua pars*] Reliqui, inquit, ne runcant quidem segetes: nec arva revisunt post sementem, nisi cum falce, ad messem.

[h] *Granumque limo . . . . continetur*] Alitur, nutritur, sustinetur.

[i] *Ægyptus*] Pars Ægypti inferior, quæ proprie Ægyptus, et nomine alio Delta.

gandi modus ibi manu temperatur. Syria quoque[j] tenui sulco arat, cum multifariam in Italia octoni boves[k] ad singulos vomeres anhelent. In omni quidem parte culturæ, sed in hac quidem maxime, valet oraculum illud, 'Quid quæque[l] regio patiatur.'[7]

XLVIII. Vomerum[m] plura genera: culter[n] vocatur, inferius prædensam,[1] priusquam proscindatur, terram secans, futurisque sulcis vestigia præscribens incisuris, quas resupinus in arando mordeat vomer. Alterum genus est vulgare, rostrati vectis.[2][o] Tertium in solo facili, nec toto porrectum dentali,[3][p] sed exigua cuspide in rostro. Latior hæc[q] quarto generi, et acutior in mucronem fastigata,[4] eodemque[5] gladio scindens solum, et acie laterum radices

centt. *Babyloni ac Seleuciæ* Gronov. *Babylonicæ Seleuciæ* al. ante Harduin. —7 Margo edd. Dalec. et Gronov. *quæ regio patiatur*.

CAP. XLVIII. 1 'Ita bene codd. Regg. et Editio princeps. In recentt. omissum *inferius*.' Brotier. Omissum est in Gronov. al. vett. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—2 Chiffl. *rostratum, uti vectis*.—3 Chiffl. *facili, vomere toto non porrecto dentali*.—4 Ita codd. Harduini, et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Sed exacutior . . . fastigiata* Gronov. et al. vett.—5 Margo edd. Dalec. et Gronov. *eademque*, sub. 'cuspis.'—6 *Id non*

NOTÆ

j *Syria quoque*] Theophr. de Causis III. 25. p. 290. et illud adjicit, *καὶ μικροῖς ἀρότροις οἱ Σύροι χρῶνται. Idcirco pusillis aratris Syri utuntur.*

k *Octoni boves*] Non illi quidem sub jugum unum missi, sed protelo, hoc est, alii post alios juncti.

l *Quid quæque*] Ad illud Virgilianum alludit, Georg. I. 53. 'Et quid quæque ferat regio, et quid quæque recuset.' Hoc multo tractat uberius Colum. in Præfatione operis.

m *Vomerum*] Vomer, id ferrum dicitur, quod in aratro liras facit, et utrimque vomit: unde nomen. *Soc de charrue.*

n *Culter*] Brevioris vomeris genus: quod nostri agricolæ vocant, *Coutre.* In lege Salica, tit. 29. § 12. cultellus dicitur: 'Si quis alienum cultellum furaverit,' &c. Hinc 'cultellare agrum' Frontino de Limitib. Agror. est 'agrum eminentiorem ad planitiem redigere,' et quasi cultello decidere tumores.

o *Rostrati vectis*] Seu pali e ferro rostrati.

p *Dentali*] Dentale lignum illud est ad quod vomer includitur, inquit Servius, ad illud Maronis, Georg. I. 172. 'Binæ aures, duplici aptantur dentalia dorso.' Usus ea voce Colum. II. 2. 'Celsus,' inquit, 'reformidans impensam, quæ scilicet largior est amplioribus armentis, censet exiguis vomeribus et dentalibus terram subigere, quo minoris formæ bubus administrari id possit.'

q *Latior hæc*] Cuspis videlicet.

herbarum secans. Non pridem inventum in Rætia Galliæ,[r] ut duas adderent alii rotulas,[6] quod genus vocant plaumorati.[7] [s] Cuspis effigiem palæ habet. Serunt ita non nisi culta terra, et fere nova.[8] Latitudo vomeris cespites versat. Semen protinus injiciunt, cratesque[t] dentatas supertrahunt. Nec sarrienda sunt hoc modo sata. Sed protelis[9] [u] binis ternisque sic arant. Uno boum[v] jugo censeri anno facilis soli quadragena jugera, difficilis tricena, justum est.

XLIX. (XIX.) In arando magnopere servandum[1] est Catonis oraculum:[a] 'Quid est primum? Agrum bene colere. Quid secundum? Bene arare. Quid tertium? Stercorare. Sulco[b] vario ne ares. Tempestive ares.' Tepidioribus[c]

pridem inventum in Rhætia. Galliæ duas dediderunt tali rotulas Gronov. et al. ante Harduin. *adderent rotulas* Vet. Dalec. *adderent stivæ rotulas* al. ap. Dalec.—7 'Ita codd. Regg. et Editio princeps. Rotatum illud plaustrum adhuc dicitur 'plœgrat;' ut observat Illustr. Torrentius.' *Brotier.* Turneb. et Chiffl. *plaumorati;* al. ap. Dalec. *quod g. v. planaratrum:* quod nempe in planis et pinguibus eo potissimum utantur.—8 *Serunt ita non culta terra, sed vere nova* Dalec.—9 Ita codd. Harduini, Dalec. Turneb. et Chiffl. cum edd. Harduin. et recentt. *porcellis* Gronov. et al. vett. Mox, Chiffl. *conseri anno facili;* Dalec. *conseri arvo facilis.*

CAP. XLIX. 1 Chiffl. *reservandum.*—2 Ita codd. Harduini et Dalec. cum

NOTÆ

[r] *In Rætia Galliæ*] In parte Rætiæ, quæ Galliæ Togatæ ascripta est, ubi Verona, &c.

[s] *Plaumorati* [*planarati*] Rectius *plaustrarati*, ob rotulas aratro additas, similitudinemque plaustri vel currus. Vide Notas et Emend. num. 17.

[t] *Cratesque*] Crates pro occa accipitur, *une Herse*. Quid sit occare, diximus c. 37. Virgil. Georg. I. 94. 'Multum adeo rastris glebas qui frangit inertes, Vimineasque trahit crates, juvat arva.'

[u] *Sed protelis*] Ita rescripsimus ex Mss. Reg. Colb. &c. pro *porcellis*. Sic Plinius ipse IX. 17. protelis boum extrahi pisces vastæ molis dixit: ubi vide quæ sunt a nobis annotata.

[v] *Uno boum*] Unum boum jugum arandis jugeribus quadragenis, si solum est facile, par est: si difficile, tantum tricenis.

[a] *Catonis oraculum*] Cap. 61. p. 44. ex vet. cod. Meursii: 'Quid est primum? Agrum bene colere. Quid secundum? Arare. Quid tertium? Stercorare.'

[b] *Sulco*] Varro de Re Rust. I. 29. 'Qua aratrum vomere lacunam fecit, sulcus vocatur: (*une raie, un rayon:*) quod est inter duos sulcos, dicitur porca,' (*un sillon.*) Sulcum varium dicit, qui in terra varia imprimitur, id est, superne tantum et leviter in superficie irrorata, penitius et inferne sicca, quam describit Columella disertissime, II. 4. 'Sed quandocumque arabitur,' inquit, 'obser-

locis a bruma proscindi arva oportet: frigidioribus ab æquinoctio verno. Et maturius sicca regione, quam humida. Maturius densa terra, quam soluta, pingui quam macra. Ubi siccæ et graves æstates, terra cretosa aut gracilis, utilius inter solstitium et autumni æquinoctium aratur. Ubi leves æstus, frequentes imbres, pingue herbosumque solum ibi mediis caloribus.[2] Altum et grave solum etiam hyeme moveri placet: tenue valde et aridum, paulo ante sationem.[3]

Sunt et hic suæ leges: 'Lutosam[d] terram ne tangito. Vi omni arato: priusquam ares,[4] proscindito.'[e] Hoc utilitatem habet, quod inverso cespite herbarum radices necantur. Quidam utique ab æquinoctio verno proscindi volunt. Quod vere semel aratum est, a temporis argumento ver-

edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *melius caloribus* Gronov. et al. vett.—3 'Ita bene cod. Reg. 2. et Editio princeps.' *Brotier*. Ita quoque Chiffl. *ante sationis tempus* Gronov. et al. vett. item Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—4 'Ita codd. Reg. 2. et Editio princeps.' *Brotier*. Ita quoque Gronov. et al. vett. *prius quam aras* Harduini codd. et Chiffl. item Harduin.

NOTÆ

vabimus ne lutosus ager tractetur, neve exiguis nimbis semimadidus, quam terram rustici variam cariosamque appellant. Ea est cum post longas siccitates levis pluvia superiorem partem glebarum madefacit, inferiorem non attingit,' &c. Vide quæ de terra cariosa diximus XVII. 3. Theophr. de Causis III. 28. p. 293. id terræ genus ἀμφίεργον vocat, et vehementer improbat. Catonis verba sunt loc. cit. 'Agrum frumentarium cum aras, bene et tempestive ares: sulco vario ne ares.'

[c] *Tepidioribus*] Virgilius Georg. I. 43. 'Vere novo, gelidus canis cum montibus humor Liquitur, et Zephyro putris se gleba resolvit: Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro Ingemere, et sulco attritus splendescere vomer.' Vide Colum. II. 4. 'quo anni tempore campi arandi sint.'

[d] *Lutosam*] Pallad. lib. II. in Januar. c. 3. p. 38. 'Observandum est, ne lutosus ager aretur ... Nam terra, quæ lutosa tractatur in primordio, fertur toto anno non posse tractari.' Columellam uterque sequitur, II. 4. 'Quandocumque arabitur, observabimus ne lutosus ager tractetur, neve exiguis nimbis semimadidus, quam terram rustici variam cariosamque appellant ... Nam quæ limosa versantur arva, toto anno desinunt posse tractari: nec sunt habilia sementi, aut occationi, aut sationi. At rursus quæ varia subacta sunt, continuo triennio sterilitate afficiuntur.'

[e] *Proscindito*] Varro I. 19. 'Terram cum primum arant, proscindere appellant.'

vactum [f] vocatur. Hoc in novali æque necessarium est.[5] Novale est,[g] quod alternis annis seritur. Araturos [h] boves quam arctissime jungi oportet, ut capitibus sublatis arent: sic minime colla contundunt. Si inter arbores vitesque aretur, fiscellis [i] capistrari,[6] ne germinum tenera præcerpant. Sericulam [j] insitivam [7] [k] pendere, qua intercidantur radices. Hoc melius, quam convelli aratro, bovesque luctari. In arando versum [l] peragi, nec strigare [m] in actu

1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—5 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *atque requieto necessarium est* Gronov. et al. vett.—6 Chiffl. *capistrantur.*—7 *Securiculam insitivam* Gronov. et al. vett. item Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. ' Cod. Reg. 2. et Editio princeps, *Sericulam.* Pro *insitivam,* mallet Pintianus, *in stiva;* et probabilis est ejus

NOTÆ

[f] *Vervactum*] Quasi vere actum, hoc est, aratum.

[g] *Novale est*] Ager novalis proprie is est, qui nunquam antea proscissus, nunquam cultus. Sic Plinius ipse alibi vocat agrum novalem, unde vetus sylva excisa est: sed usu tamen auctorum jam vox traducta est ad signandum agrum illum, qui alternis cessat, alternis seritur. Gaius Dig. lib. L. tit. de verb. signif. leg. 'Sylva:' 'Novalis est terra præcisa, quæ anno cessavit, quam Græci νέασιν vocant.' Lege νέασιν. Glossæ: νέασις, *novalia, novalis terra.* Festus: 'Novalis ager, novæ relictus sementi.' Isidorus: 'Novalis ager est primum proscissus, sive qui alternis vacat, novandarum sibi virium causa. Novalia enim semel cum fructu erant, et semel vacua.'

[h] *Araturos*] Colum. de Re Rust. II. 2. p. 43. 'Igitur in opere boves arcte junctos habere convenit, quo speciosius ingrediantur sublimes, et elatis capitibus, ac minus colla eorum labefactentur, jugumque melius aptum cervicibus insidat: hoc enim genus juncturæ maxime probatum est.'

[i] *Fiscellis*] Sunt veluti sportæ quædam e viminibus funiculisve contextæ, quibus ora boum, equorum, mulorumque coërcentur capistrari. Acceptum hoc a Catone cap. 54. 'Boves fiscellas habere oportet, ne herbam sectentur, cum arabunt.' Græcis φιμὸς dicitur.

[j] *Serriculam* [*Securiculam*] Dolabram vocat Columella loc. cit. p. 45. 'Nec minus dolabra,' inquit, 'quam vomere bubulcus utatur, et præfractas stirpes summasque radices, quibus ager arbusto consitus implicatur, omnes refodiat, ac persequatur.' Mss. omnes, *sericulam,* forte pro *serriculam,* quam serrulam minorem in instrumento rustico Palladius vocat, lib. I. cap. ult.

[k] *Insitivam*] Ita Mss. quidem: sed cum Pintiano malim, *in stiva.*

[l] *In arando versum*] Alii versuram vocant, cum, sulco ad finem perducto, iterum eo revertimur, unde arationis principium est susceptum. Colum. II. 2.

[m] *Nec strigare*] Nec requiescere, aut cessare imperfecto sulci versu, qui uno veluti spiritu agendus est.

spiritus.[8] Justum est proscindi sulco dodrantali[n] jugerum uno die, iterari sesquijugerum, si sit facilitas soli: si minus, proscindi semissem,[o] iterari assem, quando et animalium labori natura leges statuit. Omne arvum [p] rectis sulcis, mox et obliquis subigi debet. In collibus[q] transverso tantum monte aratur, sed modo in superiora, modo in inferiora, rostrante vomere.[9] [r] Tantumque est laboris homini, ut etiam boum vice fungatur. Certe sine hoc animali montanæ gentes sarculis arant.[s] Arator, nisi[t] incurvus, prævaricatur. Inde



conjectura.' *Brotier.* *Sericulam* etiam Chiffl.—8 Ita codd. Harduini, Dalec. et Chiffl. item Pellicerius, Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *nec striare in solo sæpius* Gronov. et al. vett.—9 Vet. Dalec. *repante vomere.*—

NOTÆ

Vide Notas et Emend. num. 18.

[n] *Sulco dodrantali*] Sulco novem pollicibus alto, seu pedis unius, ut vocant, tribus quartis. Inter duos porro sulcos terra eminens, id enim monere obiter operæ pretium est, porca vocatur: hoc est, 'medius cumulus, qui inter duos latius distantes sulcos,' ut ait Colum. I. 4. 'siccam sedem frumenti præbet.'

[o] *Proscindi semissem*] Hoc est, jugeri partem mediam proscindi: iterari totum. As enim pro integra quacumque accipitur, quam in semisses duas, unciasque duodecim, et partes alias, ita ut assem, antiqui dividebant.

[p] *Omne arvum*] Præceptum illud Virgilianum est, Georg. I. 65. 'Neque illum Flava Ceres alto nequicquam spectat Olympo: Et qui proscisso quæ suscitat æquore terga, Rursus in obliquum verso prorumpit aratro, Exercetque frequens tellurem, atque imperat arvis.' Adi et Colum. II. 2. p. 44. 'Bubulcum autem per proscissum ingredi oportet, alternisque versibus obliquum tenere aratrum, et alternis recto plenoque sulcare: sed ita necubi crudum solum et immotum relinquat, quod agricolæ scamnum vocant.'

[q] *In collibus*] Aliquanto planius Columella idem II. 4. pag. 48. a quo Plinius hæc mutuatur: 'Sed in arando maxime est observandum, semper ut transversus mons sulcetur. Nam hac ratione difficultas acclivitatis infringitur, laborque pecudum et hominum commodissime sic minuitur. Paulum tamen quotiescumque iterabitur, modo in elatiora, modo in depressiora clivi, obliquum agi sulcum oportebit, ut in utramque partem rescindamus, nec eodem vestigio terram moliamur.'

[r] *Rostrante vomere*] Rostrum oblique impingente vomere. Vel *rostrato* forte *vomere* dixit, hoc est, simplici, non aurito, quo utuntur in planis, auctore Palladio, lib. I. cap. ult.

[s] *Sarculis arant*] Ut ante dictum est cap. 18.

[t] *Arator, nisi*] Proverbii speciem, inquit Erasmus, Chiliad. IV. Cent. 5. adag. 85. pag. 869. habet quod refert Plinius: Arator, nisi incurvus, prævaricatur. Præcipit ut arator arvum primum rectis sulcis proscindat: mox et obliquis subigat: id fieri vix po-

translatum hoc crimen in forum. Ibi itaque[u] caveatur, ubi inventum est. Purget vomerem subinde stimulus cuspidatus rallo.[10 v] Scamna[w] inter duos sulcos cruda ne relinquantur, glebæ ne exultent. Male aratur[x] arvum, quod satis frugibus occandum est. Id demum[y] recte subactum erit, ubi non intelligetur utro vomer ierit. In usu est et collicias[z] interponere, si ita locus poscat, ampliore sulco, quæ in fossas aquam educant.[11]

(XX.) Aratione per transversum iterata,[a] occatio sequi-

10 Ita codd. Harduini, Dalec. Chiffl. et Turneb. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *rulla* Gronov. et al. vett. *ralla* al. ap. Dalec. Ita quoque Nic. Heinsius. Vid. Syllog. Epist. tom. III. p. 132.—11 Ita codd. Harduini, Dalec. et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *deducant*

NOTÆ

test, nisi toto corpore incumbat labori: unde et Virgilio dictus 'Curvus arator.' Ceterum prævaricari est a recto sulco divertere. Unde et in causis prævaricari dicuntur, qui causam diversam adjuvant. Videlicet hoc est illud quod ait Plinius, 'Inde translatum hoc crimen in forum.'

[u] *Ibi itaque*] In agro, unde in forum translata parœmia.

[v] *Cuspidatus rallo*] Hoc est, rallo præfixus. Est autem rallum ferramentum quo raditur vomer, et inhærente terra liberatur, atque purgatur, ut Turnebus admonet, Advers. XXIV. 1. p. 809.

[w] *Scamna*] Agricolæ scamna appellant grandiores glebas, quæ solent excitari prima aratione, cum in proscisso crudum solum immotumque relinquitur: quod cavendum esse præcipit lex rusticationis. Hac voce utitur Columella II. 2. pag. 44. ut paulo ante retulimus, et alibi passim.

[x] *Male aratur*] Colum. II. 4. p. 46. 'Sed et compluribus iterationibus sic resolvatur vervactum in pulverem, ut vel nullam, vel exiguam desideret occationem, cum seminaverimus. Nam veteres Romani dixerunt male subactum agrum qui satis frugibus occandus sit.'

[y] *Id demum*] Colum. loc. cit. 'Pingues campi tam frequentibus densisque sulcis arandi sunt, ut vix dignoscatur in utram partem vomer actus sit: quoniam sic omnes radices herbarum perruptæ necantur.'

[z] *Et collicias*] In agris colliciæ sunt sulci ampliores, qui et porcæ dicti, per quos aquam delibrabant. In urbibus colliciæ, sive conliciæ, sive colliquiæ, dicebantur olim canales, qui aquam e stillicidio defluentem excipiebant. Columella II. 8. 'Cavebitur, ut patentes liras, crebrosque sulcos aquarios, quos nonnulli elices vocant, faciamus, et omnem humorem in colliquias, atque inde extra segetes derivemus.' Festus: 'Elices, sulci aquarii, per quos aqua collecta educitur e liris.' Simili forma et 'inlices' dicti canales, 'in quos aqua confluit in viis lapide stratis, ab eliciendo dicti,' ex eodem Festo.

[a] *Aratione .... iterata*] 'Offringi' autem 'terra dicitur,' auctore Festo,

tur,[b] ubi res poscit, crate vel rastro: et sato semine iteratio. Hæc quoque ubi consuetudo patitur, crate contenta,[12] [c] vel tabula aratro annexa, quod vocant lirare,[d] operiente semina:[13] unde primum appellata deliratio[e] est. Quarto seri sulco[f] Virgilius existimatur voluisse, cum dixit optimam esse segetem, quæ bis Solem, bis frigora sensisset. Spissius solum, sicut plerumque in Italia, quinto sulco seri melius est, in Tuscis vero nono. At fabam et viciam non proscisso serere sine damno, compendium operæ est.

Gronov. et al. vett.—12 'Ita bene Mss. Reg. Ambrosian. Editio princeps et Cl. Rezzonicus. Cratem contentam dicit Plinius, quæ solida textura, neque ampla, hominem stantem vix excipiat. Hujus cratis contentæ, ut et tabulæ aratro annexæ, quæ plana sunt instrumenta, usus adhuc est apud Comenses, Mediolanenses, et finitimos agrorum cultores.' *Brotier*. 'Codex Pintiani, *crate contenta;* unde ille *contexta*. Sed 'cratis contenta,' ut 'contentus funis,' cratis extenta.' *Nic. Heinsius*. Vid. Adv. III. 1. p. 394. *crate dentata* Gronov. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—13 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *operientes semina* Gronov. et al. vett. 'Alii, *operiente*, sub. 'crate,' vel 'tabula.' Lego, *operiente*

NOTÆ

'cum iterum transverso sulco aratur.'

[b] *Occatio sequitur*] Græci βωλοκοπίαν vocant, qua franguntur glebæ: occare Galli, *herser:* occam, *une herse:* unde *hercia*, et *herciare:* de quibus V. Cl. Du-Cangius in Glossario consulendus.

[c] *Crate contenta* [*dentata*] Hinc 'bidentare' veteres occare dicebant, quod occa dentata infringebantur iterum glebæ. Glossæ Philoxeni: Σκαφετός· *Fossura, bidentatio, occatio, iteratio.*

[d] *Quod vocant lirare*] Varro de Re Rust. I. 29. 'Tertio cum arant jacto semine, boves lirare dicuntur, id est, cum tabellis additis ad vomerem, simul et satum frumentum operiunt in porcis, et sulcant fossas, quo pluvialis aqua delabatur.'

[e] *Deliratio*] Quare a lira, rectoque sulco discedere.

[f] *Quarto seri sulco*] Hoc est, post quartam arationem, ut dictum est c. 35. Virgilii locus est e Georg. I. 47. 'Illa seges demum votis respondet avari Agricolæ, bis quæ Solem, bis frigora sensit.' Qua loquendi forma nihil aliud voluit is intelligi, quam quater sive quatriduo proscindi terram oportere: ut bis diurnum vernæ tempestatis teporem, bis nocturnum ejusdem frigus sentiat. Sed longe aliter hunc poëtæ locum vulgus interpretum accipit. Sic Columella I. 11. 'primo vel altero sulco seri ciceram' dixit, 'mense Martio.' Hoc est, terra semel iterumve arata. Plinius ipse supra, de napis c. 35. 'Diligentiores quinto sulco napum seri jubent, rapa quarto.' Et c. 37. 'Vicia uno sulco sata non sarritur,' &c. Atque hoc ipso loco plane statim, 'Quinto sulco seri,' &c.

Non omittemus unam etiamnum arandi rationem, in Transpadana Italia bellorum injuria excogitatam. Salassi cum subjectos Alpibus depopularentur agros, panicum miliumque jam excrescens tentavere.[g] Postquam respuebat natura, inararunt. At illæ messes multiplicatæ docuere, quod nunc vocant artrare,[14 h] id est, aratrare, ut credo tunc dictum. Hoc fit vel incipiente culmo, cum[15] jam is bina ternave emiserit folia. Nec recens subtrahemus exemplum, in Treverico agro tertio ante hunc annum[i] compertum. Nam cum hyeme prægelida captæ segetes essent, reseverunt, resarrientes[16] campos mense Martio, uberrimasque messes habuerunt. Nunc reliqua cultura tradetur per genera frugum.

L. (XXI.) Siliginem, far, triticum, semen hordeum occato, sarrito, runcato, quibus dictum erit[j] diebus. Singulæ operæ[k] cuique generi in jugero sufficient. Sarculatio[l] induratam hyberno rigore soli tristitiam laxat temporibus vernis, novosque Soles admittit. Qui sarriet,[m] caveat ne frumenti radices suffodiat. Triticum, hordeum, semen, fabam bis sarrire[n] melius. Runcatio,[o] cum seges in articu-



semina, quod lirare vocant, &c. Vid. Varr. c. 29.' *Dalec.*—14 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *multiplicatæ docet quod nunc voc. aritare* cod. Dalec. *duplicatæ docuere, quod n. v. artrare* Gronov. et al. ante Harduin.—15 Vet. Dalec. *vel cum.*—16 Chiffl. *et scient.*

NOTÆ

[g] *Tentavere*] Subintellige, depopulari, immisso, ut fit, exercitu.

[h] *Artrare*] Hoc est, segetes jam natas rursus arando proscindere.

[i] *Ante hunc annum*] Qui urbis annus erat DCCCXXX. ut diximus XIV. 5.

[j] *Quibus dictum erit*] Cap. 65.

[k] *Singulæ operæ*] Paulo aliter Columella II. 13. cui titulum fecit, 'Pro modo cujusque agri quot operæ desiderentur.'

[l] *Sarculatio*] Sive sarritio.

[m] *Qui sarriet*] Colum. II. 12. pag. 65. Palladius, lib. II. in Januar. cap. 9. p. 39. 'Sarculanda frumenta : quod opus plerique negant fieri debere, quia radices eorum detegantur, aut incidantur, et necentur frigore subsecuto : mihi autem videtur herbosis locis tantum esse faciendum.'

[n] *Fabam bis sarrire*] Ter sarriendam monet Colum. II. 12. pag. 66. Palladius, bis ; lib. II. in Januar. tit. 9. p. 39.

[o] *Runcatio*] Columella II. 12. 'Subjungenda sarritioni runcatio,' &c. De runcatione dixi c. 38.

lo[p] est, evulsis inutilibus herbis, frugum radicem[1] vindicat, segetemque discernit a cespite. Leguminum cicer eadem, quæ far, desiderat. Faba runcari[q] non gestit, quoniam evincit herbas.[2] Lupinum runcatur tantum.[r] Milium, et panicum[3] occatur, et sarritur: non iteratur, non runcatur. Silicia[4] [s] et faseoli occantur tantum. Sunt genera terræ, quarum ubertas pectinari[t] segetem in herba cogat: (cratis et hoc genus, dentatæ stylis ferreis:) eademque[5] nihilominus et depascuntur.[u] Quæ depasta sunt, sarculo iterum excitari necessarium. At in Bactris, Africa, Cyrene,[6] omnia hæc supervacua fecit indulgentia cœli, et a semente[7] non nisi messibus[8] [v] in aream redeunt: quia siccitas coërcet herbas, fruges nocturno tactas rore nutriens. Virgilius[w] alternis cessare arva suadet: et hoc,[9] si patiantur ruris

CAP. L. 1 Chiffl. *radices.*—2 'Ita cod. Reg. 2.' *Brotier. non gestit, quoniam evincit herbas: lupinum* Gronov. et al. vett. *non gestit: quoniam evincit herbas lupinum, runcatur, &c.* Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. Pro *runcatur*, cod. Dalec. *non occatur;* Chiffl. *vocatur*, et in emend. *occatur.*—3 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Milium, panicum* Gronov. et al. vett.—4 Dalec. *siliqua*, id est, dolichus.—5 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *eadem* Gronov. et vett.—6 *Cyrenis* Chiffl. Mox, *supervacua terris fecit* cod. Dalec.—7 Gronov. et al. ante Harduin. *et semente.*—8 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *nonis mensibus* Gronov. et al. vett.—9 In cod.

NOTÆ

p *Cum seges in articulo*] Cum seges in articulum ierit, ut loquitur Columella loc. cit. hoc est, cum nodum fecerit. Plinius ipse supra, c. 45. 'Si in articulum seges ire cœperit.'

q *Faba runcari*] Vide Notas et Emend. num. 19. Cur porro faba runcari non gestiat, in causa est, inquit Columella II. 12. ex Corn. Celsi sententia, quod internatæ herbæ fœno reserventur. At Columella frugibus his detrahi plurimum scribit, si runcatio relinquitur.

r *Runcatur tantum*] Non sarculatur.

s *Silicia*] Hoc est, fœnum Græcum, de quo c. 39.

t *Pectinari*] Dentata crate agitari. Ovid. de Remed. 192. 'Et tonsam raro pectine verrit humum.'

u *Depascuntur*] Immissis, ut dictum est, in arva pecudibus.

v *Non nisi messibus*] Hoc est, messis tempore. Vide Notas et Emend. num. 20.

w *Virgilius*] Georg. I. 71. 'Alternis idem tonsas cessare novales Et segnem patiere diu durescere campum. Aut ibi flava seres mutato sidere farra, Unde prius lætum siliqua quassante legumen, Aut tenues fœtus viciæ, tristisque lupini Sustuleris fragiles calamos, sylvamque sonantem.'

spatia, utilissimum procul dubio est. Quod si neget conditio, far serendum, unde et lupinum, aut vicia, aut faba sublata sint, et quæ terram faciunt [10] lætiorem. Inprimisque et hoc notandum, quædam propter alia seri obiter: sed parum provenire priori diximus [x] volumine, ne eadem sæpius dicantur: plurimum enim refert soli cujusque ratio.

LI. (XXII.) Civitas Africæ in mediis arenis, petentibus Syrtes Leptinque magnam,[1] vocatur Tacape, felici super omne miraculum riguo solo: ternis fere millibus passuum in omnem partem fons abundat, largus quidem, sed certis horarum spatiis dispensatur [2] inter incolas. Palmæ ibi prægrandi subditur olea, huic ficus, fico Punica, illi vitis: sub vite seritur frumentum, mox legumen, deinde olus, omnia eodem anno: omniaque aliena umbra aluntur. Quaterna cubita [a] ejus soli in quadratum, nec ut a porrectis metiantur digitis, sed in pugnum contractis, quaternis denariis [b] venumdantur. Super omnia est, bifera vite,[3] bis anno vindemiare. Et nisi multiplici partu exinaniatur ubertas, pereunt luxuria singuli fructus.[4] Nunc vero toto anno metitur aliquid: constatque fertilitati non occurrere [5] homines. Aquarum quoque differentia magna riguis. Est in Narbonensi [6] provincia nobilis fons, Orge nomine est: in eo herbæ nascuntur in tantum expetitæ bubus, ut mersis

Dalec. desunt *et hoc*.—10 'Ita codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier.* *terram faciant* Gronov. et al. vett. item Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.

CAP. LI. 1 Chiffl. *magna*.—2 Franz. *sed ceteris horarum, &c.* Chiffl. *sed et certis hor. spat. dispensatur*.—3 'Ita codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier.* Ita quoque Chiffl. *biferam vitem* Gronov. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—4 Cod. Dalec. *pereat luxuria fructus*.—5 Vet. Dalec. *præcurrere*.—6 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *magna riguis est. In Narbonensi* Gronov. et al. vett.

NOTÆ

[x] *Priori diximus*] Libro sup. initio c. 7. 'Necnon et satis quibusdam ipsis pasci terram dixit. Segetem stercorant fruges, lupinum, faba, vicia,' &c.

[a] *Quaterna cubita*] Petita mensura ex hominis vendentis cubito, ac ne porrectis quidem digitis, sed iisdem in pugnum contractis.

[b] *Quaternis denariis*] Asses sunt monetæ nostræ triceni bini.

capitibus totis eas quærant. Sed illas in aqua nascentes certum est non nisi imbribus ali. Ergo suam quisque terram aquamque noverit.

LII. (XXIII.) Si fuerit illa terra, quam appellavimus[c] teneram, poterit sublato[1] hordeo milium seri: eo condito, rapa:[2] his sublatis, hordeum vel triticum, sicut in Campania: satisque talis terra aratur, cum seritur. Alius ordo: ut ubi adoreum fuerit, cesset quatuor mensibus hybernis, et vernam fabam recipiat, ita ut ante hyemalem[d] ne cesset. Nimis pinguis[3] alternari potest ita, si frumento sublato legumen tertio seratur. Gracilior et in annum tertium cesset. Frumentum quidam seri[4] vetant, nisi in ea quæ proximo anno quieverit.

LIII. Maximam hujus loci partem stercorationis obtinet ratio, de qua et priore diximus[e] volumine. Hoc tantum enim[1] in confesso est, nisi stercorato[f] seri non oportere, quanquam et hic leges sunt propriæ. Milium, panicum, rapa, napus, nisi in stercoratione non seritur.[2] Non stercorato frumentum potius quam hordeum serito. Item in novalibus, tametsi in illis fabam seri volunt, eandem ubicumque quam recentissime stercorato solo. Autumno aliquid saturus, Septembri mense fimum inaret[3] [g] post im-

CAP. LII. 1 Chiffl. *sublecto.*—2 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *raphanue* Gronov. et vulgg. Mox, *his sublectis* Chiffl.—3 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *aut ante .... cesset.* *Nec non nimis pinguis* Gronov. et al. vett. *Nec non* deest in Chiffl. Mox, Chiffl. *potest.* *Ita fit fr. sublecto.*—4 Chiffl. *seri quidem.*

CAP. LIII. 1 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. recentt. *Hoc tantum unum* Gronov. et vulgg. ante Harduin.—2 'Ita bene codd. Regg. 1. 2. et Editio princeps.' *Brotier.* Ita quoque Chiffl. *serantur* Edd. vett. et Har-

NOTÆ

c *Quam appellavimus*] Lib. XVII. cap. 3.

d *Ita ut ante hyemalem*] Ita ut ante hyemalis fabæ proventum duret. Hyemalis faba ea est, quam superius dixit c. 30. seri ante Vergiliarum occasum, ut antecedat hyemem. Verna, quam Virgilius seri per ver jubet, Circumpadanæ Italiæ ritu. Vide Notas et Emend. num. 21.

e *Priore diximus*] Lib. XVII. c. 6.

f *Nisi stercorato*] Theophr. Hist. VIII. 6.

g *Fimum inaret*] Columella II. 12. 'Disjectum protinus fimum inarari et obrui convenit, ne Solis halitu vi-

brem. Utique si verno erit saturus, per hyemem fimum disponat. Justum est[h] vehes octodecim jugero tribui: dispergere autem priusquam arescat,[4] [i] aut jacto semine.[5] Si hæc omissa sit stercoratio, sequens est,[j] priusquam sarriat, aviarii pulvere. Quod ut[6] hanc[k] quoque curam determinemus, justum est singulas vehes fimi denario ire,[l] in singulas pecudes minores; in majores, denas: nisi contingat hoc, male substravisse pecori colonum appareat.[7] Sunt qui optime stercorari putent, sub dio retibus[8] [m] inclusa pecorum mansione. Ager[n] si non stercoratur,[9] al-

duin.—3 Chiffl. *inarguet.*—4 Idem codex, *prius quam ares; prius quam serat* Dalec. e Colum.—5 Ita codd. Harduini et Chiffl. item Vet. Dalec. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *aut jactato semine* Gronov. et al. vett.—6 Ita Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *serat, ante pulverem. Quod ut* Gronov. et vulgg. *serat, ante pluerit. Sed ut* al. ap. Dalec.—7 Dalec. *appa-ret.*—8 Ita Gronov. et al. vett. item Harduin. 1. et Bipont. *sub dio nunc reti-bus* Harduin. 2. 3. Miller. et Franz. *sub dio cratibus* Vet. Dalec. Vid. Nic. Heins. Adv. III. 1. p. 394.—9 Chiffl. *si non fuerit stercoratus.*

NOTÆ

res remittat: et ut permixta humus prædicto alimento pinguescat,' &c.

[h] *Justum est*] Colum. loc. cit. 'Jugerum autem desiderat, quod spissius stercoratur, vehes quatuor et viginti: quod rarius, duodeviginti.' Idem XI. 2. in Novembri, subdit, 'Vehes autem stercoris habet modios octoginta.' Vehis aliud nihil fuit quam plaustri onus, *une charetée*, et quidem quantum protelo boum vehi solet. Cod. Theod. lib. XIV. tit. 6. leg. 1. 'Coctoribus calcis per ternas vehes singulæ amphoræ vini præbeantur: Vecturariis vero amphora .... A Vecturariis etiam trecentos boves præcipimus dari.'

[i] *Priusquam arescat*] Ne Solis halitu, ut dictum est, vires remittat: 'Itaque,' ut subdit Columella loc. cit. 'cum in agro disponentur acervi stercoris, non debet major modus eorum dissipari, quam quem bubulci eodem die possint obruere. Sed disjectum protinus fimum inarari et obrui convenit, ne Solis halitu vires amittat, et ut permixta humus prædicto alimento pinguescat.'

[j] *Sequens est*] Secunda stercoratio fiet, ante sarritionem, jacto pulvere ex aviariis. Vide Notas et Emend. num. 22.

[k] *Quod ut hanc*] Hoc est, *Sed ut hanc*. Cicero Ep. XIV. 4. 'Quod utinam minus vitæ cupidus fuissem.'

[l] *Denario ire*] Hoc est, venire denario singulas fimi vehes, quas tricenis diebus singulæ pecudes minores efficiunt: denario item denas, quas pecudes majores pariter menso reddunt. Colum. II. 15. 'Parum autem diligentes existimo esse agricolas, apud quos minores singulæ pecudes tricenis diebus minus quam singulas, itemque majores denas vehes stercoris efficiunt,' &c.

[m] *Retibus*] Vel, ut fere fit, cratibus.

[n] *Ager*] Colum. II. 16. 'Nec ignorare colonos oportet, sicuti refriges-

get: si nimium stercoratus est, aduritur: satiusque est id sæpe, quam supra modum facere. Quo calidius [o] solum est, eo minus addi stercoris, ratio est.

LIV. (XXIV.) Semen optimum [p] anniculum, bimum deterius, trimum pessimum, ultra sterile. Et in uno omnium definita genere ratio est: quod in ima [q] area subsedit,[1] ad semen reservandum est. Id enim optimum, quoniam gravissimum: neque alio modo utilius discernitur.[2] Quæ spica per intervalla semina habebit, abjicietur. Optimum granum [r] quod rubet, et dentibus fractum,[3] eundem habet colorem: deterius, cui plus intus albi est. Certum terras [s] alias plus seminis recipere, alias minus. Religiosumque [t] inde primum colonis augurium, cum avidius accipiat, esurire creditur, et comesse semen. Sationem locis humidis celerius fieri ratio est, ne semen imbre putrescat: siccis

CAP. LIV. 1 Cod. Dalec. *arca subsedit.*—2 Cod. Dalec. *dispergitur.* Franz. *discernituo.*—3 Cod. Dalec. *et dein fractum.*—4 Nic. Heinsius, Adv.

NOTÆ

cere agrum, qui non stercoretur: ita peruri, si nimium stercoretur: magisque conducere agricolæ frequenter id potius, quam immodice facere.'

[o] *Quo calidius*] Colum. loc. cit. 'Nec dubium quin aquosus ager majorem stercoris copiam, siccus minorem desideret: alter, quod assiduis humoribus rigens hoc adhibito regelatur: alter, quod per se tepens siccitatibus, hoc assumto largiore, torretur: propter quod nec deesse ei talem materiam, nec superesse oportet.'

[p] *Semen optimum*] Hæc a Theophr. Hist. VIII. 11. Eadem habet auctor Geopon. II. 14. p. 52.

[q] *Quod in ima*] Tractat hoc diserte Columella II. 9. 'Optimam quamque spicam legere oportet.... et semper quod propter magnitudinem ac pondus in imo subsederit, ad semen reservandum.... Neque enim dubium est, ex robusto semine posse fieri non robustum: quod vero protinus exile natum sit, nunquam robur accipere manifestum est. Ideoque Virgilius, cum et alia, tum et hoc de seminibus præclare sic disseruit: 'Vidi ego lecta diu, et multo spectata labore Degenerare tamen, ni vis humana quotannis Maxima quæque manu legeret: sic omnia fatis In pejus ruere, ac retro sublapsa referri.''

[r] *Optimum granum*] Colum. II. 9. 'Granum autem rutilum, si cum diffissum est, eundem colorem interiorem habet, integrum esse non dubitamus. Quod extrinsecus albidum, intus etiam conspicitur candidum, leve ac vanum intelligi debet,' &c.

[s] *Certum terras*] Theophr. Hist. VIII. 6.

[t] *Religiosumque*] Ridet id merito Theophr. loc. cit.

serius, ut pluviæ sequantur; ne diu jacens atque non concipiens, evanescat.[4] Itemque festinata satione densum spargi semen, quia tarde concipiat: serotina rarum, quia densitate nimia necetur. Artis quoque cujusdam est, æqualiter spargere.[5] Manus utique congruere debet cum gradu, semperque cum dextro pede. Fit quoque [u] quorundam occulta ratione, quod sors [6] genialis atque fœcunda est. Non transferendum est ex frigidis locis semen in calida, neque ex præcocibus in serotina: idque in contrarium præcepere quidam falsa diligentia.

LV. Serere in jugera [a] temperato solo [1] justum est tritici aut siliginis modios V. farris, aut seminis, (quod frumenti genus ita appellamus,) [b] X. Hordei VI. Fabæ [c] quintam partem amplius quam tritici: viciæ XII.[d] ciceris et cicerculæ,[e] et pisi, III. lupini X.[f] lentis III. sed hanc cum fimo arido seri volunt: ervi VI.[g] siliciæ VI.[h] faseolorum IV. pa-

III. 8. p. 460. conj. *eviescat:* quem consule.—5 Ita Gronov. et al. vett. item Harduin. 1. et Bipont. *est, spargere* Harduin. 2. 3. Miller. et Franz. —6 Chiffl. *fors.*

CAP. LV. 1 Ita Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *in jugero*

NOTÆ

[u] *Fit quoque*] Fit ex arte quadam occulta, inditoque a natura solerti membrorum motu, satio læta et fœcunda.

[a] *Serere in jugera*] Colum. II. 9. p. 51. 'Jugerum agri pinguis plerumque modios tritici quatuor; mediocris,' sive temperati, 'quinque postulat: adorei modios novem, si est lætum solum,' &c. Idem p. 55. de hordeo: 'Jugerum sex modios postulat.' Vide et Varron. de Re Rust. I. 44.

[b] *Ita appellamus*] Appellavimus sane c. 19.

[c] *Fabæ*] Ita fere Colum. II. 10. p. 57.

[d] *Viciæ XII.*] Subintellige, modios, ut in sequentibus.

[e] *Cicerculæ*] Colum. II. 10. p. 61. 'Cicerculæ, quæ piso est similis .... tres modii jugerum implent.' Ac paulo post de cicere, p. 61. 'Jugero modii tres abunde sunt.' De lupino, p. 57. 'Jugerum decem modii occupant.' Et pag. 59. de lente: 'Jugerum agri paulo plus quam modius occupat.' Et pag. 57. de faseolis idem cum Plinio sentit: de milio quoque, et panico, pag. 56. Vide rursus eundem Colum. in Octobri, XI. 2.

[f] *Lupini X.*] Colum. II. 10. de lupino: 'Jugerum decem modii occupant.' Et mox de piso: 'Eadem mensura jugerum, vel modio minus quam phaselum, licet obserere.'

[g] *Ervi VI.*] Quinque duntaxat modios desiderat Palladius lib. II. in Ja-

buli XX. milii, panici, sextarios quatuor.[2] Pingui solo plus, gracili minus. Est et alia distinctio: in denso, aut cretoso, aut uliginoso solo, tritici aut siliginis modios sex:[i] in soluta terra, et sicca,[3] et læta, quatuor. Macies enim[j] soli, nisi rarum[4] culmum habeat, spicam minutam facit et inanem. Pinguia arva ex uno semine[5] fruticem numerosum fundunt, densamque segetem e raro semine emittunt. Ergo inter quatuor et sex modios pro natura soli, alii quinque non minus seri, pluresve præcipiunt: item in consito, aut clivoso, ut in macro.[6] Huc pertinet oraculum illud magnopere custodiendum: 'Segetem ne defruges.'[k] Adjecit iis Accius[7] in Praxidico, 'ut sereretur, cum Luna esset in Ariete, Geminis, Leone, Libra, Aquario.' Zoroastres, 'Sole duodecim partes Scorpionis transgresso, cum Luna esset in Tauro.'

LVI. Sequitur huc dilata et maxima indigens cura de tempore fruges serendi quæstio, magnaque ex parte ratione

temperati soli Gronov. et al. ante Harduin.—2 Vet. Dalec. *sex.*—3 'Ita bene codd. Regg. Lang. et Editio princeps.' *Brotier.* Ita quoque Vet. Pintiani. *in soluta terra nuda, et sicca* Gronov. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *et nuda, et sicca* al. edd. ante Pintian.—4 Ita codd. Harduini et edd. recentt. *Macrum enim solum nisi rarum* Chiffl. *Macies enim soli major, nisi rarum* Gronov. et al. vett.—5 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *ex una seminis radice* Gronov. et al. vett.—6 Dalec. *aut in macro.*—7 Vet. Dalec. *iis Actius;* Chiffl. *his Artius.*

NOTÆ

nuar. c. 8. de ervo.

[h] *Silicia VI.*] Hoc est, fœni Græci. Ita Palladius loc. cit. cap. 7. p. 39.

[i] *Modios sex*] Vide Notas et Emend. num. 23.

[j] *Macies enim*] Colum. II. 9. 'Et e contrario macer locus tantumdem seminis poscit. Nam nisi rare conseritur, vanam et minutam spicam facit. At ubi ex uno semine pluribus culmis fruticavit, etiam ex rara segete densam facit.'

[k] *Segetem ne defruges*] Ex Catone de Re Rust. cap. 5. 'Segetem ne defruget: nam id infelix est.' Defrugare segetem videtur, inquit Hermolaus, qui vel nimia fœtura exinanit agros, vel per inscitiam, aut negligentiam perdit. Mss. quidem omnes, *defruges*, præ se ferunt. At Catonis, ut quidam aiunt, antiqui libri *defrudet*. Atque ut defrudat, sive defraudat, genium suum homo, qui sibi non indulget, et misere vivit, et tanquam demenso suo detrahit; idem facit, inquiunt, qui segeti et agro culturam et opera justa non tribuit, sed vel de aratione, vel lætamine, vel semente deducit.

siderum connexa. Quamobrem sententias omnium inprimis ad id pertinentes exponemus. Hesiodus, qui princeps omnium[1] de Agricultura præcepit, unum tempus serendi tradidit a Vergiliarum occasu. Scribebat enim in Bœotia Helladis, ubi ita seri diximus.[a] Inter diligentissimos convenit, ut in alitum quadrupedumque genitura, esse quosdam ad conceptum impetus et terræ. Hoc Græci ita definiunt: cum sit calida et humida. Virgilius[b] triticum et far a Vergiliarum occasu seri jubet, hordeum inter[c] æquinoctium autumni et brumam: viciam vero,[d] faseolos et lentem, Boote occidente. Quo fit, ut horum siderum aliorumque exortus et occasus digerendi[2] sint in suos dies. Sunt qui et ante Vergiliarum occasum seri jubeant, duntaxat in arida terra, calidisque provinciis: custodiri enim semen, corrumpente humore,[e] * et a proximo imbre uno die erumpere.

* *Custodiri enim in arida terra semen, quemadmodum e contrario humore corrumpitur.*

CAP. LVI. 1 Chiffl. in emend. *primus hominum.*—2 Chiffl. *dirigendi.*—

NOTÆ

[a] *Ita seri diximus*] Initio c. 10.

[b] *Virgilius*] Et eum secutus Colum. II. 8. p. 50. 'Placet nostro poëtæ adoreum, atque etiam triticum, non ante seminare, quam occiderint Vergiliæ: quod ipsum numeris sic edisserit: 'At si triticeam in messem, robustaque farra, Exercebis humum, solisque instabis aristis, Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur.' Abscondantur autem altero et trigesimo die post autumnale æquinoctium, quod fere conficitur nono Kalend. Octobris,' &c.

[c] *Hordeum inter*] Virgil. Georg. I. 208. 'Libra die somnique pares ubi fecerit horas, Et medium luci atque umbris jam dividet orbem, Exercete, viri, tauros, serite hordea campis, Usque sub extremum brumæ intractabilis imbrem.'

[d] *Viciam vero*] Idem ibid. vs. 227. 'Si vero viciamque seres, vilemque faselum, Nec Pelusiacæ curam aspernabere lentis, Haud obscura cadens mittet tibi signa Bootes: Incipe, et ad medias sementem extende pruinas.' Hoc est, ab occasu Bootæ, ad brumam usque, seri vicia, lens, faselus, potest. Bootæ porro occasum, Arcturi intellige, quæ stella in Boote est. Dicemus de occasu eo c. 74.

[e] *Corrumpente humore*] Quod alioqui ab humore corrumperetur. Sunt hæc accepta a Colum. II. 8. 'Si seri sunt imbres, quamvis sitienti solo recte semen committitur: idque etiam in quibusdam provinciis, ubi status cœli talis est, usurpatur. Namque quod sicco solo ingestum et inoccatum est, perinde ac si repositum in horreo, non corrumpitur. Atque

Alii statim ab occasu Vergiliarum sequi imbres, a septimo fere die. Aliqui in frigidis ab æquinoctio autumni: in calidis serius, ne ante hyemem luxurient. Inter omnes autem convenit circa brumam[f] serendum non esse, magno argumento: quoniam hyberna[3] semina, cum ante brumam sata sint,[4] septimo die erumpant: si post brumam, vix quadragesimo. Sunt qui properent,[g] atque ita pronuntient, festinatam sementem sæpe decipere, serotinam semper. E contrario alii, vel vere potius serendum, quam malo autumno.[5] Atque ubi fuerit necesse, inter Favonium[h] et vernum æquinoctium.

Quidam, omissa cœlesti subtilitate, temporibus definiunt.[6] Vere linum,[i] et avenam, et papaver: atque, uti nunc etiam[7] Transpadani servant, usque in Quinquatrus:[j] fabam, siliginem, Novembri[8] mense: far Septembri extremo usque in Idus Octobris. Alii post hunc diem in Kalendas Novembris. Ita his nulla naturæ cura est: illis nimia, et ideo cæca subtilitas: cum res geratur inter rusticos, literarumque expertes, non modo siderum. Et confitendum

3 Abundare hanc dictionem autumat Fulv. Ursin. ad Varr. pag. 46.—4 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *sata sunt* cod. Dalec. *sata sint* Gronov. et vulgg.—5 Ita codd. Harduini et Chiffl. *quam male in autumno* Gronov. et vulgg.—6 'Ita bene cod. Reg. 2. Male recentiores editiones, *cœlesti cura, ut inutili, &c.*' Brotier. *cœlesti subtilitate, temp. serunt* Chiffl. *cœlesti cura, ut inutili, temporibus, &c.* Gronov. Harduin. 1. 2. 3. et recentt.—7 Vox *etiam* deest in Chiffl.—8 *Novembre* Chiffl.—9 *Sed confiten-*

NOTÆ

ubi venit imber, multorum dierum sementis uno die surgit.' Eodem fere sensu legi hic posset, *non corrumpente humore.*

f *Circa brumam*] Vide Notas et Emend. num. 24. Accepta hæc maxima ex parte a Varrone de Re Rust. I. 34.

g *Sunt qui properent*] Colum. XI. 2. 'Sed tum omnia in agricultura strenue facienda sunt, tum maxime sementis. Vetus agricolarum proverbium, Maturam sationem sæpe decipere solere: seram nunquam, quin mala sit.'

h *Inter Favonium*] Quo tempore Favonii spirent, diximus II. 47.

i *Vere linum*] Virgilius tamen Georg. I. 212. lini ac papaveris sationem autumno adjudicat.

j *Quinquatrus*] Dies festus Minervæ fuit: sic dictus, quod esset post diem quintum Idus Martias, hoc est, XIV. Kalend. Aprilis. Vide Voss. in Etymol. De his multa Ovid. Fast. III. 810. Festus, verbo 'Quinquatrus,' aliique.

est,[9] cœlo maxime constare ea: quippe Virgilio jubente prædisci ventos ante omnia ac siderum mores,[10 k] neque aliter,[11] quam navigantibus, servari. Spes ardua et immensa, misceri posse cœlestem divinitatem imperitiæ: sed contemplanda tam[12] grandi vitæ emolumento. Prius tamen[13] sideralis difficultas, quam sensere etiam periti, subjicienda contemplationi est: quo deinde[14] lætior mens discedat a cœlo, et facta[15] sentiat, quæ futura prænosci non possint.

LVII. (XXV.) Primum omnium dierum ipsorum anni Solisque motus prope inexplicabilis ratio est. Ad CCCLXV. adjiciunt etiamnum intercalarios[1 a] diei noctisque quadrantes. Ita fit, ut tradi non possint certa siderum tempora. Accedit confessa rerum obscuritas, nunc præcurrente,[b] nec paucis diebus, tempestatum significatu,[2] quod

dum est Vet. Dalec.—10 Idem Vet. *moras*.—11 Gronov. et al. ante Harduin. *non aliter*.—12 'Ita codd. Regg. 1. 2. et Editio princeps.' *Brotier*. *sed contemplanda tamen* cod. Dalec. *sed tentanda tam* Gronov. et al. vett. item Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—13 *Plus tamen* cod. Dalec.—14 Ita codd. Harduini, Dalec. et Chiffl. *quod deinde* Gronov. et al. vett.—15 Chiffl. *et facta*.

CAP. LVII. 1 Cod. Dalec. *interscalarios*.—2 Cod. Dalec. *significatione*.—

NOTÆ

k *Ac siderum mores*] Locus Virgilii est, Georg. I. 204. 'Præterea tam sunt Arcturi sidera nobis Hœdorumque dies servandi, et lucidus Anguis, Quam quibus in patriam ventosa per æquora vectis Pontus, et ostriferi fauces tentantur Abydi.'

a *Intercalarios*] Dies intercalarius is est, qui quarto cuique anno vertenti accessit, quem sex horæ appendices quater ductæ, hoc est, diei unius quadrans seu quarta pars quater repetita colligit.

b *Nunc præcurrente*] Nunc maturius et ante sui sideris tempus, ortumve et occasum, hyberna, æstivaque, ac ceteræ deinceps tempestates antevertunt: id quod Græci προχείμασιν: nunc tardius eædem alio anno recurrunt, quod ἐπιχείμασιν, vel, ut alii, μεταχείμασιν vocant. Festus, Paulusve: 'Præsiderare dicitur, cum maturius hyberna tempestas movetur, quasi ante sideris tempus.' Vegetius IV. 40. 'Aut enim circa diem statutum, aut ante, vel postea, tempestates fieri compertum est: unde præcedentes, προχείμασιν: nascentes die solenni, ἐπιχείμασιν: subsequentes, μεταχείμασιν, Græco vocabulo nuncupaverunt.' Eleganter Columella in Præf. 'Neque enim semper eundem cœlum et annus velut ex præscripto habitum gerunt: nec omnibus annis eodem vultu venit æstas, aut hyems,' &c.

προχείμασιν Græci vocant: nunc postveniente, quod ἐπιχείμασιν:[3] et plerumque alias citius, alias tardius cœli effectu ad terram deciduo: vulgo[4] serenitate[c] reddita confectum sidus audimus. Præterea cum omnia hæc statis sideribus cœloque affixis constent, interveniunt motu stellarum grandines, imbres,[5] et ipsi non levi effectu, ut docuimus,[d] turbantque conceptæ spei ordinem. Idque ne nobis tantum putemus accidere, et reliqua fallit animalia sagaciora[a] circa hoc, ut quo vita eorum constet: æstivasque alites præposteri aut præproperi rigores necant, hybernas æstus. Ideo Virgilius[f] errantium quoque siderum rationem ediscendam præcipit, admonens observandum frigidæ Saturni stellæ transitum. Sunt qui certissimum veris indicium arbitrentur ob infirmitatem animalis, papilionis proventum. Id eo ipso anno,[g] cum commentaremur hæc, notatum est, proventum eorum ter repetito frigore extinctum, advenasque volucres[h] ad VI. Kalendas Februarii spem[6] veris attulisse, mox sævissima hyeme conflictatas.

Res anceps: primum, omnium a cœlo peti legem: deinde eam argumentis[a] esse quærendam. Super omnia est mundi[b] convexitas,[7] terrarumque globi differentia, eodem sidere alio tempore aliis aperiente se gentibus: quo

[a] *Certis signis.* [b] *Cœli.*

3 Ita Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *prochimazin .... epichimaazin* Gronov. et al. vett. Vid. Obss. Misc. tom. IX. par. 3. p. 406. 407.—4 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *unde vulgo* Gronov. et al. ante Harduin.—5 Cod. Dalec. *motus stel. grandinum, imbrium.*—6 Vet. Dalec. *speciem.*—7 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *convexitate* Gronov. et al. ante Harduin.—

NOTÆ

[c] *Vulgo serenitate*] Cum a sideribus oriri tempestates vulgus existimet, ubi hæ præteriere, et sua cœlo reddita serenitas est, tunc sidus confectum dicitur.

[d] *Ut docuimus*] Lib. XVII. c. 2.

[e] *Sagaciora*] In eo præsensionum genere alioqui sagacissima.

[f] *Ideo Virgilius*] Georg. I. 335. 'Hoc metuens, cœli menses et sidera serva: Frigida Saturni quo sese stella receptet,' &c.

[g] *Id eo ipso anno*] Urbis DCCCXXX. ut diximus XIV. 5.

[h] *Advenasque volucres*] Hirundines.

fit ut causa ejus[i] non iisdem diebus ubique valeat. Addidere difficultatem et auctores diversis in locis observando, mox etiam in iisdem diversa prodendo. Tres autem fuere[j] sectæ: Chaldæa, Ægyptia, Græca. His addidit apud nos quartam Cæsar dictator,[k] annos ad Solis cursum redigens singulos, Sosigene perito scientiæ ejus adhibito. Et ea ipsa ratio postea comperto errore[l] correcta est: ita ut XII. annis continuis non intercalaretur, quia cœperat sidera annus[8] morari, qui prius antecedebat. Et Sosigenes ipse trinis commentationibus, quanquam diligentior ceteris,[9] non

8 Vet. Dalec. *ceperant sidera annum.*—9 Ita codd. Harduini et Vet. Dalec.

NOTÆ

[i] *Quo fit ut causa ejus*] Vis ejus et efficientia.

[j] *Tres autem fuere*] Apud Chaldæos Astrologiæ inventorem fuisse Abrahamum, auctor est Eusebius Præpar. IX. 17. p. 419. et Berosus apud ipsum, c. 16. A Chaldæis ad Ægyptios per eundem Abrahamum esse propagatam, simile veri est. De Chaldæis, Ægyptiisque, Cicero de Divin. I. 93. 'Ægyptii, et Babylonii, in camporum patentium æquoribus habitantes, cum ex terra nihil emineret, quod contemplationi cœli officere posset, omnem curam in siderum cognitione posuerunt.' Græci ab utraque gente Kalendaria et ἡμερολόγια accepere. Sic enim Theon de iis scribit, in Διοσημεῖα Arati: Ἐδέξαντο δὲ αὐτὰ Ἕλληνες παρὰ Αἰγυπτίων καὶ Χαλδαίων.—'Chaldaica anni forma eadem ac Judaica est. De Ægyptia autem et Græca vetere, vide Herodotum II. 4.' *Ed sec.*

[k] *Cæsar dictator*] Sueton. in Julio, c. 40. 'Fastos correxit, jampridem vitio Pontificum per intercalandi licentiam adeo turbatos, ut neque messium feriæ æstati, neque vindemiarum autumno competerent, annumque ad cursum Solis accommodavit, ut CCCLXV. dierum esset, et intercalario mense sublato, unus dies quarto quoque anno intercalaretur,' &c.

[l] *Comperto errore*] Hæc quæ angustiori sermone Plinius contraxit, fusius a Macrobio explicantur, Saturn. I. 14. p. 255. 'Sacerdotes,' inquit, 'sibi errorem novum ex ipsa emendatione fecerunt. Nam cum oporteret diem, qui ex quadrantibus confit, quarto quoque anno confecto, antequam quintus inciperet, intercalare, illi quarto non peracto, sed incipiente, intercalabant. Hic error sex et triginta annis permansit: quibus annis intercalati sunt dies duodecim, cum deberent intercalari novem. Sed hunc quoque errorem sero deprehensum correxit Augustus: qui annos duodecim sine intercalari die transigi jussit: ut illi tres dies, qui per annos triginta et sex vitio Sacerdotalis festinationis excreverant, sequentibus annis duodecim, nullo die intercalato, devorarentur. Post hoc unum diem, secundum ordinationem Cæsaris, quinto quoque incipiente anno intercalari jussit: et omnem hunc ordinem æreæ tabulæ ad æternam custo-

cessavit tamen addubitare, ipse semet corrigendo. Auctores prodidere ea, quos prætexuimus[m] volumini huic, raro ullius sententia cum alio congruente. Minus hoc in reliquis mirum, quos diversi excusaverint[10] tractus. Eorum qui in eadem regione dissedere, unam discordiam ponemus exempli gratia: occasum matutinum Vergiliarum Hesiodus (nam hujus quoque nomine extat Astrologia[n]) tradidit fieri, cum æquinoctium autumni conficeretur. Thales vigesimo quinto die ab æquinoctio: Anaximander vigesimo nono: Euctemon[o] XLVIII.

Nos sequemur observationem Cæsaris: maxime[11] hæc erit Italiæ ratio. Dicemus tamen et aliorum placita: quoniam non unius terræ, sed totius naturæ interpretes sumus: non auctoribus positis (id enim verbosum est) sed regionibus: legentes[12] tantum meminerint, brevitatis gratia, cum Attica nominata fuerit, simul intelligere Cycladas insulas: cum Macedonia, Magnesiam, Thraciam: cum Ægyptus, Phœnicen, Cyprum, Ciliciam: cum Bœotia, Locridem, Phocidem, et finitimos semper tractus: cum Hellespontus, Cherronesum,[13] et continentia usque Atho montem: cum Ionia, Asiam, et insulas Asiæ: cum Peloponnesus, Achaiam et ad Hesperum[14] [p] jacentes terras. Chaldæi As-

diligentior esset celeris Gronov. et vulgg.—10 Cod. Dalec. *excusaverunt.*—11 Gronov. *maximeque.*—12 Ita codd. Harduini et Vet. Dalec. *ut legentes* Gronov. et vulgg.—13 *Chersonesum* cod. Dalec.—14 Cod. Dalec. *et ad vesperam.*

NOTÆ

diam incisione mandavit.' Iisdem pæne verbis rem narrat Solinus c. I. p. 5. Vide apud Petav. de Doctr. Temp. IV. 3. p. 319. diagramma, in quo bissextiles dies tam vitiosi quam emendati apertissime subjiciuntur oculis.

[m] *Quos prætexuimus*] Libro primo, in Indice voluminis hujus decimi octavi.

[n] *Astrologia*] Laudatur hic Hesiodi liber a Theone, et vocatur 'Ἀστρικὴ βίβλος: idque Hesiodi genuinum opus fuisse Callimachus docet in Epigrammate, quod extat in Arati Vita, quam Petavius edidit in Uranologio, p. 270. De hac Hesiodi, Thaletisque, et Anaximandri sententia eundem Petavium consule, Var. Dissert. in Uranol. II. 9. p. 97.

[o] *Euctemon*] Εὐκτήμων. De eo in Auctorum Indice. Sic libri omnes. Perperam *Eudæmon* reponere nititur Pithœus Advers. II. 13. p. 434.

[p] *Et ad Hesperum*] Elidem, Arcadiam, Messeniam.

syriam et Babyloniam demonstrabunt. Africam, Hispanias,[15] Gallias sileri non erit mirum: nemo enim observavit in iis, qui siderum proderet exortus. Non tamen[q] difficili ratione dignoscentur in illis quoque terris digestione circulorum, quam in sexto volumine fecimus: qua cognatio[16] cœli, non gentium modo, verum urbium quoque singularum intelligitur, nota ex his terris, quas nominavimus, sumta convexitate circuli pertinentis ad quas quisque quæret terras, et ad earum siderum exortus, per omnium circulorum pares umbras. Indicandum et illud, tempestates ipsas ardores suos[r] habere quadrinis annis: et easdem non magna differentia reverti ratione Solis: octonis vero augeri easdem, centesima revolvente se Luna.

LVIII. Omnis autem ratio observata est tribus modis: exortu siderum, occasuque, et ipsorum temporum cardinibus.[s] Exortus occasusque binis modis intelliguntur. Aut enim adventu[t] Solis occultantur stellæ et conspici desinunt,

—15 *Hispaniam* cod. Dalec.—16 Cod. Dalec. *quoniam cognito.*

NOTÆ

[q] *Non tamen*] Tamen in promtu ratio est qua id noscatur, per segmenta scilicet et circulos, ut est a nobis libro sexto extremo traditum: unde et cœli habitus, et positio, non gentium modo, sed quod majoris diligentiæ est, singularum urbium, cognoscitur. Assumta enim per Africam, exempli gratia, aliasve terras, quas observator adierit, convexitate circuli, hoc est, delecto segmento, vel ex gnomone, vel ex quantitate diei ac noctis; regionem deinde vel urbem desumet, paribus umbris respondentem: unde pares colliget siderum ortus atque occasus.

[r] *Ardores suos*] Regressus, ac vices majore cum vi et efficientia. Id ex Eudoxi manasse schola, ipse antea prodidit, II. 48. Redire vices easdem tempestatum, annorum quaternum circuitu, videtur etiam sensisse Columella, III. 6. extremo: 'Quo tempore,' inquit, 'Sol in eandem partem signiferi per eosdem numeros redit, per quos cursus sui principium cœperat: quem circuitum meatus dierum integrorum mille quadringentorum sexaginta unius ἀποκατάστασιν vocant studiosi rerum cœlestium.'

[s] *Cardinibus*] Qui cardines anni vocentur, mox ipse aperiet.

[t] *Aut enim adventu*] Aut adventu Solis exorientis occultantur stellæ, nec tam is occasus stellarum, quam occultatio dici debet. Aut ejusdem Solis occidentis abscessu proferunt sese stellæ omnes, immenso illo cœli tractu quem cernimus: atque is emersus potius quidam dici debet, quam exortus. Nihil dum Plinius hoc loco de ortu matutino vespertinoque stellarum, seu

aut ejusdem abscessu proferunt se. Emersum hoc melius, quam exortum, consuetudo dixisset: et illud occultationem potius, quam occasum. Alio modo,[u] quo die[1] incipiunt apparere vel desinunt, oriente Sole, aut occidente, matutini vespertinive cognominati, prout alterutri[2] eorum mane vel crepusculo contingit. Dodrantes[v] horarum cum minimum intervalla ea desiderant ante Solis ortum, vel post occasum, ut aspici possint. Præterea bis quædam[w] exoriuntur et occidunt. Omnisque sermo de his est stellis, quas adhærere cœlo diximus.

LIX. Cardo temporum[a] quadripartita anni distinctione constat, per incrementa lucis. Augetur hæc a bruma, et æquatur noctibus verno æquinoctio diebus XC. horis tribus. Deinde superat[b] noctes ad solstitium diebus XCV. horis duodecim,[1] usque ad æquinoctium autumni *diebus XCII. horis duodecim.*[2] Et tum æquata die procedit ex eo ad brumam diebus LXXXVIII.[3] horis tribus. Horæ nunc

CAP. LVIII. 1 Pintian. *cum die.*—2 Cod. Dalec. *prout alteruter.*

CAP. LIX. 1 '*Ad solstitium diebus XCIX. horis duodecim*] Ita codd. Regg. 1. 2. et Editio princeps.' *Brotier.* Edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *diebus XCIII. &c.*—2 'In scriptis et editis libris perperam omissum, *diebus XCII. horis duodecim.*' Brotier.—3 'Ita cod. Reg. 1. et Editio princeps.' *Idem. diebus LXXXIX.* Gronov. al. vett. Harduin. 1. 2. 3. et recentt.

NOTÆ

vero, seu heliaco et apparente: quanquam ita visum viris alias eruditis. Cum nihil aliud velit Auctor, quam quod dixit II. 11. 'affixas cœlo stellas Solis fulgore non cerni interdiu.' Neque in tota hac concertatione subtilitatem nimiam affert, cum, ut ipse præmonuit c. 56. res inter rusticos geratur, literarumque expertes.

[u] *Alio modo*] Hic alter modus ortus occasusque stellarum, bifariam dividitur. Ortus matutinus dicitur, cum apparere stella incipit, paulo ante Solis ortum horizontem superans. Ortus vespertinus, cum occidente Sole ab horizonte ortivo stella emergit. Occasus matutinus, cum stella infra occiduum horizontem conditur, Sole exoriente. Occasus vespertinus, cum paulo post Solis occasum in eundem occiduum horizontem demergitur.

[v] *Dodrantes*] Tres horæ quadrantes.

[w] *Præterea bis quædam*] Ut Arcturus Maiis Idibus, Juniisque, occidit matutino, ut dicetur c. 67. Aquila bis exoritur, ut dicemus c. 69.

[a] *Cardo temporum*] Cardinem vocat, unde anni quarta quæque pars incipit: ver, æstas, &c.

[b] *Deinde superat*] Vide Notas et Emend. num. 25.

in omni accessione æquinoctiales,[c] non cujuscumque diei significantur: omnesque eæ differentiæ fiunt in octavis partibus[d] signorum. Bruma Capricorni, a. d. VIII.[e] Kalendas[4] Januarii fere: æquinoctium vernum, Arietis: solstitium, Cancri: alterumque æquinoctium, Libræ: qui et ipsi dies raro non aliquos tempestatum significatus habent.

Rursus hi cardines[f] singulis etiamnum articulis temporum dividuntur, per media omnes dierum spatia. Quoniam inter solstitium et æquinoctium autumni, Fidiculæ occasus autumnum inchoat die XLVI.[5] [g] At ab æquinoctio eo ad brumam, Vergiliarum matutinus occasus hyemem die

—4 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *XVIII. Kal.* Dalec. *ad VIII. Calendas* Gronov. et vulgg.—5 *XLV.* Edd. ante Harduin. Mox, '*hyemem die*

NOTÆ

[c] *Æquinoctiales*] Græci ἰσημερινὰς vocant, horas inter se æquales, cujusmodi sunt æquinoctiali die: cum hora quælibet diurna cuilibet nocturnæ per se est æqualis. Aliæ præterea sunt Inæquales dictæ, et Temporales, quarum quælibet duodecima pars est diei cujusvis noctisve, seu brevior illa, seu longior sit. Harum in Italia hodieque usus. Ex dierum noctiumque inæqualitate, bruma vel solstitio, die vel nocte, horarum ejuscemodi inæqualitas oritur.

[d] *In octavis partibus*] Cum Sol octavum signi cujuspiam gradum perlustrat. Verum cum priscis illis scriptoribus visum est cardines annuos non in signorum initiis, sed in octavis partibus statuere: non tam eos ad exacta Solis æquinoctia, solstitiave, respexisse arbitror, quam uti populo servirent, cui accommodata magis ea ratio fuit, ad tempestatum significatus: quod non in ipso præcise signi capite, sed aliquantum in eo spatio provectus vim suam efficientiamque monstraret. Audi Colum. IX. 14. 'Nec me fallit Hipparchi ratio, quæ docet solstitia et æquinoctia non octavis, sed primis partibus signorum confici. Verum in hac ruris disciplina, sequor nunc Eudoxi, et Metonis, antiquorumque fastos Astrologorum, qui sunt aptati publicis sacrificiis: quia et notior est ista vetus agricolis concepta opinio,' &c.

[e] *A. d. VIII.*] Hoc est, ante diem octavum Kalend. Ita Sosigenes Solis ingressum in Arietem, VIII. Kal. April. seu XXV. Martii: in Capricornum, VIII. Kal. Janu. seu XXV. Decemb. et sic de aliis constituendum censuit: quod quamobrem ita censuerit, explicat erudite Petavius de Doctr. Temp. IV. 27. p. 369. Verus tamen et ἀκριβὴς Solis ingressus non in hos dies incidit.

[f] *Rursus hi cardines*] Hæ quatuor anni partes intervallis aliis et sectionibus singulæ dividuntur.

[g] *Inchoat die XLVI.*] Ita Mss. Reg. Colb. aliique: sic quoque ratione calculi exposcente. Colum. XI. 2. 'Pridie Idus Augusti, Fidis occidit mane, et Autumnus incipit.'

XLIII.[h] Inter brumam et æquinoctium die XLV. flatus Favonii[i] vernum tempus. Ab æquinoctio verno initium æstatis die XLVIII.[j] Vergiliarum exortu matutino.[6] Nos incipiemus a sementibus frumenti, hoc est, Vergiliarum occasu matutino. Nec deinde parvorum siderum mentione concidenda[a] ratio est, et difficultas rerum augenda, cum sidus vehemens[k] Orionis iisdem diebus longo decedat spatio.[b]

LX. Sementibus tempora plerique præsumunt,[c] et ab undecimo die autumnalis æquinoctii fruges serunt, adveniente Coronæ exortu,[l] continuis diebus certo prope imbri-

[a] *Breviter expedienda.* [b] *Longum cœli spatium decurrat, cum occidit.* [c] *Antevertunt.*

XLIII.] Ita codd. Regg. 1. 2. et Editio princeps.' *Brotier.* Ita quoque Gronov. et al. ante Harduin. *die XLIV.* Harduin. 1. 2. 3. et quæ deinceps secutæ.—6 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *exortus matutinus* Gronov. et vulgg.

NOTÆ

[h] *Hyemem die XLIII.* [*XLIV.*] Ita Mss. ipseque Plinius II. 47. ubi et id tempus in III. Idus Novembris ait incidere. Etsi Colum. XI. 2. 'Sexto Idus Novembris, Solis exortu, Vergiliæ mane occidunt, significat tempestatem, hyemat. Quinto Idus Novembris, hyemis initium.'

[i] *Die XLV. flatus Favonii*] Is dies sextus est ante Februarias Idus, ut dictum est II. 47.

[j] *Æstatis, die XLVIII.*] Colum. XI. 2. 'Septimo Idus Maias, æstatis initium ... Sexto Idus, Vergiliæ totæ apparent.' De matutino exortu hæc accipe. Consule etiam ea quæ dicturi sumus c. 66.

[k] *Cum sidus vehemens*] De quo Virgil. Æneid. I. 539. 'Cum subito assurgens fluctu nimbosus Orion.' Et Horatius I. Od. 28. ubi Austrum pluvium comitem vocat occidentis Orionis: 'Me quoque devexi rapidus comes Orionis Illyricis Notus obruit undis.' Constat id sidus stellis amplius quingentis, telescopio deprehensis: quarum insignes sex eæ sunt, quæ in Orionis ense jam pridem annotatæ: aliæque tres in cingulo, quas S. Jacobi baculum, vel Tres Reges, agricolæ vulgo vocant. De occasu illius dicetur c. 74.

[l] *Coronæ exortu*] Borealis scilicet, sive Gnossiæ, Thesei, aut Ariadnæ. Quo die oriatur, dicemus c. 74. Hunc exortum Coronæ matutinum Maro intellexit, ac sementis initium esse voluit, Georg. I. 222. 'Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur, Gnosiaque ardentis decedat stella Coronæ, Debita quam sulcis committas semina: quamque Invitæ properes anni spem credere terræ.' Democritus tamen in Geopon. II. 12. p. 50. circa Coronæ occasum seri jubet, quia tunc imbres plurimi: Δημόκριτος δὲ ... περὶ τὴν τοῦ Στεφάνου δύσιν σπείρειν συμβουλεύει· τότε γὰρ οὐ μόνον ὄμβροι ἐκπέμπεσθαι πολλοὶ εἰώθασιν, κ. τ. λ.

um promisso. Xenophon [m] antequam Deus signum dederit. Hoc Cicero [1] Novembris [n] imbre fieri interpretatus est: cum sit vera ratio non prius serendi, quam folia cœperint decidere. Hoc ipso Vergiliarum occasu fieri putant aliqui, a. d. III. Idus Novembris, ut diximus.[o] Servantque id sidus etiam vestis institores,[2] [p] et est in cœlo notatu facillimum. Ergo ex occasu ejus de hyeme augurantur, quibus est cura [q] insidiandi negotiatoris avaritia.[3] Nubilo occasu pluviosam hyemem denuntiat: statimque augent lacernarum [4] pretia: sereno asperam, et reliquarum [r] vestium accendunt. Sed ille indocilis cœli agricola [a] hoc signum

[a] *Qui cœli signa nosse nequit.*

CAP. LX. 1 'Chiffl. *Cicero NR.* id est, *noster;* Latinus, non externus. Sic XXIX. 6. 'Varro noster." *Dalec.*—2 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *fieri putant. Aliqui ad III. N. ut d. servant: quoniam id sidus e. v. institoris est* Gronov. et al. vett. *institutor* cod. Dalec. *institor* Vet. Dalec.—3 Vet. Dalec. *avaritiæ.*—4 Gronov. *lucernarum*, ex operarum lapsu; quod pessime recepit Franzius. Mox, *et tum reliquarum* Dalec.

NOTÆ

[m] *Xenophon*] Locus est in Œconom. p. 860. de sementis tempore: Ἐπειδὰν γὰρ ὁ μετοπωρινὸς χρόνος ἔλθῃ, πάντες που οἱ ἄνθρωποι πρὸς τὸν Θεὸν ἀποβλέπουσιν, ὁπότε βρέξας τὴν γῆν ἀφήσει αὐτοὺς σπείρειν. *Cum autumni tempus advenerit, homines omnes ad Deum respiciunt, quando terra irrigata seminandi potestatem eis facturus sit.*

[n] *Hoc Cicero Nov.* [*noster*] Hoc est, e Latinis auctoribus: ut Græcis Xenophon, cujus librum, qui Œconomicus inscribitur, in Latinum e Græco a se conversum esse Tullius ipse testatur, de Offic. II. 87. In Mss. Reg. 1. 2. &c. *Cicero NR.* In editis perperam, *Cicero Novembris.* Plinius alibi, lib. VII. et XXIX. 'Varro noster.'—'At editiones omnes, Romana, anni 1470. Parmensis, Veneta, aliæque vetustissimæ, *Novembris imbre*, rectissime, ut suadet quod proxime sequitur, *a. d. III. Idus Novembris.*' Ed. sec.

[o] *Ut diximus*] Lib. II. c. 47. Vergiliarum ergo occasus in diem D. Martini festum incidit: qui dies solennis πιθοιγιῶν, in quo dolia relinuntur, et potum vini recentis gustandum amici propinant.

[p] *Vestis institores*] Mercatores. Apud Juvenal. Sat. VII. 'Institor hybernæ tegetis.' Vide Notas et Emend. num. 26.

[q] *Quibus est cura*] Sincerius fortasse ac planius fuerit: *Quibus est cura insidiandi negotiatoribus, avaritia.* Adjectitiam illam esse Pintianus sensit avaritiæ voculam. Sic Plinius c. 74. damnat sævitiam insidiantium caritati annonæ.

[r] *Et reliquarum*] Hoc est, et tum reliquarum vestium pretia augent, annonamque urunt.

habeat inter suos vepres, humumque suam aspiciens, cum folia viderit decidua. Sic judicetur anni temperies,[5] alibi tardius, alibi maturius. Ita enim sentitur, ut cœli locique afficit[6] natura: idque in hac ratione præcellit, quod eadem et in mundo publica est, et unicuique loco peculiaris. Miretur hoc, qui non meminerit ipso brumali die pulegium in carnariis[7] [s] florere: adeo nihil occultum esse natura voluit. Et serendi igitur hoc dedit signum. Hæc est vera interpretatio, argumentum naturæ[b] secum afferens. Quippe sic terram peti[8] suadet, promittitque quandam stercoris vicem, et contra rigores terram satusque[9] operiri[t] a se nuntiat, ac monet festinare.

LXI. Varro in fabæ[a] utique satu hanc observationem custodiri præcepit. Alii plena[b] Luna serendam. Lentem vero a vicesima quinta ad tricesimam.[1] Viciam quoque[c] iisdem Lunæ diebus: ita demum sine limacibus fore. Quidam pabuli causa sic seri jubent, seminis autem vere. Est

[b] *Signum a natura datum.*

Paulo post *τὸ cœli* deest in Vet. Dalec.—5 'Ita codd. Regg. 1. 2. et Editio princeps.' *Brotier.* *Si indicatur anni temperies* Gron. Harduin. 1. 2. 3. et recentt.—6 Cod. Dalec. *efficit.*—7 Vet. Dalec. *e coronariis.* 'Vid. Theophr. de Caus. 1. 8. legitur tamen, 'in carnariis,' XIX. 6. sub finem, et 'suspensa in tectis,' II. 41.' *Dalec.*—8 Margo edd. Dalec. et Gronov. *sic terra se peti.*—9 'Ita cod. Reg. 2. et Editio princeps.' *Brotier.* *et contra rigores terram flatusque* Gronov. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *contra rigores flatusque operiri se* cod. Dalec.

NOTÆ

[s] *In carnariis*] Carnarium locus est, ubi salitæ carnes domi reponuntur. Vide Notas et Emend. num. 27. Interim id observandum, quod in carnariis suspenso pulegio accidere Plinius ait, id in tectis pariter suspenso contingere ab eodem observatum jam antea, II. 41.

[t] *Operiri*] Foliis cadentibus.

[a] *Varro in fabæ*] Libro scilicet primo de Re Rust. c. 34. 'Fabam optime seri in Vergiliarum occasu.'

[b] *Alii plena*] Pallad. lib. XII. in Novemb. tit. 1. p. 161.

[c] *Viciam quoque*] Colum. II. 11. 'Viciæ autem duæ sationes sunt. Prima, quam pabuli causa circa æquinoctium autumnale serimus, septem modios ejus in unum jugerum. Secunda, qua sex modios mense Januario, vel etiam serius, jacimus semini progenerando . . . observandum erit, ne ante quintam et vigesimam Lunam terræ mandetur. Aliter satæ fere limacem nocere comperimus.'

et alia manifestior ratio, mirabiliore naturæ providentia, in qua Ciceronis[d] sententiam ipsius verbis subsignabimus:

Jam vero semper viridis semperque gravata
Lentiscus triplici solita est grandescere fœtu;
Ter fruges[e] fundens, tria tempora monstrat arandi.

Ex his unum hoc erit, idem et lino ac papaveri serendo. Cato de papavere ita tradit: 'Virgas et sarmenta, quæ tibi usioni[f] supererunt,[2] in segete comburito. Ubi eas combusseris, ibi papaver serito.' Sylvestre in miro usu[3][g] est melle decoctum ad faucium remedia; visque somnifera etiam sativo. Et hactenus de hyberna semente.

LXII. (XXVI.) Verum ut pariter omnis culturæ quoddam breviarium[h] peragatur, eodem tempore convenit et arbores stercorare, accumulare item vineas: sufficit in jugerum opera:[i] et ubi patietur loci ratio, arbusta ac

CAP. LXI. 1 'Ita bene codd. Regg. 1. 2.' *Brotier*. Gronov. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *a vigesimo quinto ad trigesimum*.—2 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *quæ tibi incisioni supererunt* cod. Dalec. *quæ tibi satione superant* Gronov. et al. vett.—3 'Ita bene cod. Reg. 2.' *Brotier*. *serito sylvestre, quod in miro usu* Gronov. Harduin. et recentt.

NOTÆ

[d] *Ciceronis*] De Divin. I. 15.

[e] *Ter fruges*] Vide Notas et Emend. num. 38.

[f] *Quæ tibi usioni*] Quod post tuum usum supererit. Vide Notas et Emend. num. 29.

[g] *In miro usu*] Q. Serenus Samonicus, cap. Uvæ, faucibus, &c. medendis: 'Disce etiam miram ex humili medicamine curam: Actiaco melli jungas agreste papaver, Decoctumque simul mandes, mansumque vorabis.' De vi papaveris somnifica dicetur inferius suo loco.

[h] *Quoddam breviarium*] Quod veteres summarium, Græci Epitomen, nunc vulgus Compendium vocat. Hujus vocis usus apud Sueton. in Augusto, c. 101. et in Galba, c. 12. Seneca Ep. XXXIX. p. 241. 'Commentarios, quos desideras, diligenter ornatos, et in angustum coactos, ego vero componam. Sed vide ne plus profectura sit oratio ordinaria, quam hæc quæ nunc vulgo Breviarium dicitur, olim, cum Latine loqueremur, summarium vocabatur.'

[i] *Sufficit ... opera*] *Opera*, pro diurno opere, seu labore diei unius accipi, tralatitium est. Sic Colum. II. 13. 'Pro modo cujusque agri quot operæ designentur.' Et mox, 'Legumina occupant operas LX. id est, menses duos.' Et paulo ante, 'Segetes sarriuntur sesquiopera.' Et IX. 2. in Octobri: 'Antiqui singulis operis singula jugera sarriri, et occari volunt: quod an recte fieri possit, affirmare non ausim.' Galli dicunt, *par journées, les journées des ouvriers*.

vineas putare, seminariis solum bipalio præparare, incilia[j] aperire, aquam de agro pellere, torcular lavare[1 k] et recondere. A Kalendis Novembris gallinis ova supponere nolito, donec bruma conficiatur. In eum diem[l] ternadena subjicito æstate tota, hyeme pauciora, non tamen infra novena. Democritus talem futuram hyemem arbitratur, qualis fuerit brumæ dies, et circa eum terni: item solstitio æstatem. Circa brumam plerisque[2] bis septem,[m] halcyonum fœtura, ventorum quiete, mollius[3] cœlum: sed et in his et in aliis omnibus ex eventu significationum intelligi sidera debebunt, non ad dies utique præfinitos expectari tempestatum vadimonia.

LXIII. Per brumam[n] vitem ne colito. Vina tum defæcari, vel etiam diffundi[o] Hyginus suadet, a confecta ea[p] septimo die, utique si septima Luna competat. Cerasa[q]

CAP. LXII. 1 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *levare* Gronov. et al. vett.—2 Vet. Dalec. *plerumque*. —3 Vet. Dalec. *mollit;* cod. Dalec. *molliunt*, sub. 'dies 14.'

NOTÆ

[j] *Incilia*] Incilia sunt principia fossarum, quibus e flumine vel e lacu deduci aquæ possint. Accepta hæc maxima parte ex Catone c. 155. 'Per hyemem aquam de agro depellere oportet. In monte fossas inciles plures habere oportet... Cum pluere incipiet, familiam cum ferreis sarculis exire oportet, et incilia aperire, aquam diducere in vias, et segetem curare oportet, uti fluat.' Elices et sulcos aquarios appellat Columella loc. cit. Incilia idem v. 9. 'Sic olea in clivo sit, incilia excitentur, quæ limosam aquam deducant.'

[k] *Torcular lavare*] Vide Notas et Emend. num. 30.

[l] *In eum diem*] Vide x. 74. et 75.

[m] *Bis septem*] Diebus scilicet circa brumam. Id vero plerisque ita visum ait, nam aliis aliter: Columella lib. XI. c. 2. Halcyoneos dies in extremum Februarium rejiciente: 'VIII. Kalendas Martias,' inquit, 'Halcyonei dies vocantur: in Atlantico quidem mari summa tranquillitas notata est.'

[n] *Per brumam*] Habuit ante oculos illud Varronis de Re Rust. I. 35. 'Septimo intervallo inter Vergiliarum occasum, et brumam ... vineas, arbustumque putare: dum in XV. diebus ante et post brumam ... ne facias.' Atque illud etiam Columellæ de Arboribus c. 5. 'Per brumam vitem ne colito,' &c.

[o] *Vel etiam diffundi*] Quid sit vina diffundi, diximus XIV. 16.

[p] *A confecta ea*] Post brumam confectam.

[q] *Cerasa*] Varro de Re Rust. I. 39. 'Circiter solstitium inseri ficus solet: necnon brumalibus diebus cerasus.'

circa brumam seri. Bubus glandem[r] tunc aspergi convenit in juga singula modios. Largior valetudinem infestat, et quocumque tempore detur, si minus XXX. diebus continuis data sit, narrant verna scabie pœnitere. Materiei cædendæ tempus hoc dedimus.[s] Reliqua opera nocturna maxime vigilia constant, cum sint noctes tanto ampliores. Qualos, crates,[t] fiscinas texere: faces incidere:[u] ridicas præparare interdiu XXX. palos LX. In lucubratione[v] vespertina ridicas V. palos X. totidem antelucana.

LXIV. A bruma[a] in Favonium Cæsari nobilia sidera significant,[1 b] tertio Kalendas[c] Januarii matutino Canis



CAP. LXIV. 1 Cod. Dalec. *Cæsar n. s. significat.*—2 Dalec. *Italiæ, cum sol*

NOTÆ

[r] *Bubus glandem*] Cato c. 54. 'Ubi sementim patraveris, glandem parari legique convenit, et in aquam conjici. Inde semodios singulis bubus in dies dari oportet,' &c. Columella XI. 2. in Octobri: 'Glandis quoque non inutile est singulis jugis modios singulos dare: nec tamen amplius, ne laborent: nec minus diebus XXX. præbueris. Nam si paucioribus diebus detur, ut ait Hyginus, per ver scabiosi boves fiunt.'

[s] *Materiei . . . dedimus*] Lib. XVI. 74.

[t] *Qualos, crates*] Ex Colum. XI. 2. in Decembri: 'Sed etiam longis noctibus ad diurnum tempus aliquid adjiciendum est. Nam multa sunt quæ in lucubratione recte aguntur. Sive enim vineas possidemus, pali et ridicæ possunt dolari exacuique . . . sive palmæ spartivæ fœcunda est, fiscinæ, sportæque, seu virgultorum corbes ex vimine,' &c.

[u] *Faces incidere*] Maronis hoc præceptum est, Georg. I. 291. 'Et quidam seros hyberni ad luminis ignes Pervigilat, ferroque faces inspicat acuto.'

[v] *In lucubratione*] Colum. XI. 2. in Februar. p. 370. 'Item ad lucubrationem vespertinam palos decem vel ridicas quinque conficere: totidemque per antelucanam lucubrationem,' &c.'

[a] *A bruma*] Concinnavit Kalendarium vetus Romanorum, notato ortu occasuque stellarum, ex hoc Plinii libro, e Columella, Ovidiique Fastis, Petavius noster in Uranologio, pag. 102. et seqq.

[b] *Cæsari . . . significant*] Ex sententia Cæsaris, tempestatem aut aliud quidpiam præsignificant. Frequens ea locutio et familiaris Ptolemæo de Appar. Καίσαρι ἐπισημαίνει, Καλλίππῳ ἐπισημαίνει, κ. τ. λ. Simplex, at celebris est vox apud Græcos, ἐπισημασία, *Præsignificatio*, seu simpliciter mavis, *significatio*: quod sidera nempe, prout orirentur, aut occiderent, *significarent* tum tempestates, quibus arandum, metendum, simile quid agendum foret; tum dies quibus speraretur, metueretur ve pluvia, ventus, aut vis quæpiam in aëre. Notanda

occidens. Quo die Atticæ et finitimis regionibus Aquila vesperi occidere traditur. Pridie Nonas Januarii Cæsari Delphinus[d] matutino exoritur, et postero die[e] Fidicula, quo Ægypto Sagitta vesperi occidit. Item ad VI. Idus Januarii ejusdem Delphini vespertino occasu continui dies hyemant Italiæ, et cum Sol in Aquarium sentitur[2] transire, quod fere XVI.[f] Kalendas Februarii evenit: VIII. Kalendas stella regia[g] appellata Tuberoni in pectore Leonis occidit matutino. Et pridie Nonas[h] Februarias Fidicula vesperi. Hujus temporis[i] novissimis diebus, ubicumque patietur cœli ratio, terram ad rosarum et vineæ satum vertere bipalio oportet. Jugero operæ IX.[3] sufficiunt. Fossas purgare, aut novas facere. Antelucanis[j] ferramenta acuere, manubria aptare, dolia quassa sarcire, ipsorumque tabulas[4 k] scabendo purgare, aut novas facere.

in Aq. sentitur. Edd. vett. *It. et cum sol in Aq. sentiatur.*—3 'Locum hunc optime emendavit eruditus Petavius. Male Ms. Reg. 1. et recentiores editiones, *operæ LX.* Ms. Reg. 2. et Editio princeps, *LXX.* Quod neque tempori, neque operi respondet.' *Brotier.*—4 'Ita Editio princeps.' *Brotier.*

NOTÆ

hic Columellæ verba, IX. 2. p. 369. 'Siderum occasus tempestatem facit: interdum tantummodo significat.'

[c] *Tertio Kalend.*] Colum. loc. cit. p. 388. 'Tertio Kalendas Januarias Canicula vespere occidit, tempestatem significat. Quarto Kalendas Janu. Aquila vespere occidit: hyemat.' De ortu et occasu stellarum matutino aut vespertino abunde egimus c. 58.

[d] *Delphinus*] Ovidio Fast. I. 457. VI. Idus oritur matutino.

[e] *Et postero die*] Nempe Nonis. Ita Columella: 'Nonis Januariis Fidis exoritur mane: tempestas varia.' Ovidius quoque, Fast. I. 315. 'Institerint Nonæ: missi tibi nubibus atris Signa dabunt imbres exoriente Lyra.'

[f] *Quod fere XVI.*] Columella loc. cit. 'XVII. Kalend. Januar. Sol in Aquarium transit: Leo mane incipit occidere: XVI. Kalend. hyemat.' Plinio concinit Ovidius Fast. I. 651.

[g] *Stella regia*] Quæ et Cor Leonis a situ vocatur, et βασιλίσκος seu *regulus:* quod quibus illa in ortu præest, ii regiam habere nativitatem videantur, inquit Geminus Elem. Astron. c. 2. p. 12. Colum. XI. 2. in Januario: 'VI. Kalend. Januar. Leonis quæ est in pectore clara stella occidit: nonnunquam significatur hyems bipartita.' Ovidio, ut videtur, Fast. I. 655. VIII. quoque Kalendas Januar. ea stella occidit.

[h] *Et pridie Nonas*] Columellæ, 'Tertio Nonas.'

[i] *Hujus temporis*] Colum. XI. 2. in Februar. p. 371. et 372.

[j] *Antelucanis*] Columella loc. cit. in Decembri.

LXV. A Favonio in æquinoctium vernum Cæsari significat, XIV. Kalendas[1] Martii triduum varie.[a] Et VIII. Kalendas[b] hirundinis visu, et postero die Arcturi exortu vespertino. Item tertio Nonas Martii Cæsar Cancri exortu id fieri observavit.[c] Major pars auctorum Vindemitoris[2][d] emersu, octavo Idus[e] Aquilonii piscis exortu,[3] et postero die Orionis. In Attica Milvum[4] apparere observatur. Cæsar et Idus Martias ferales[f] sibi annotavit Scorpionis occasu:[g] XV. vero Kalendas Aprilis Italiæ Milvum ostendi:[h] duodecimo Kalendas Equum occidere[i] matutino.

ipsorumque laminas Gronov. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *ipsorumque lanas* cod. Dalec.

CAP. LXV. 1 Ita Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *XVII. Cal.* Gronov. et al. vett. Mox, *triduum varium* Vet. Dalec.—2 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *vindemiatoris* Gronov. et vulgg. —3 Dalec. *exortus.*—4 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin.

NOTÆ

[k] *Ipsorumque tabulas* [*laminas*] Mss. omnes, *lanas*. Ut ut est, tabulas asseresque intelligit, quibus dolia compingantur.

[a] *Triduum varie*] Per triduum varia tempestas. Vide Notas et Emend. num. 31.

[b] *Et VIII. Kalendas*] Subintellige, varia tempestas est, quo die hirundo conspicitur: et postero, quo Arcturus vespertino exoritur. Columella, loc. cit. 'VII. Kalendas Martias, ventosa tempestas: hirundo conspicitur.' 'Ex quo hic forte, *Et VII. Kalendas* scribendum, ut dixi II. 47. Et prius: 'IX. Kalend. Mart. Arcturus prima nocte oritur: frigidus dies Aquilone vel Coro: interdum pluvia.' Arcturum biduo posterius oriri Plinius facit.

[c] *Id fieri observavit*] Nempe varium, incertumque tempus. Et Colum. loc. cit. pag. 373. 'IV. Nonas Martii, Favonius, interdum Auster, hyemat.'

[d] *Vindemitoris*] Ita Mss. Ovidius quoque Fast. III. 407. 'At non effugiet Vindemitor,' quem oriri is ait tertio Nonas Martias. Columella, sexto, loc. cit. 'VI. Nonas Martii, Vindemiator apparet, quem Græci τρυγητῆρα dicunt. Septemtrionales venti.' Emersum porro intellige, matutinum.

[e] *Octavo Idus*] Subintellige, ut prius, varia tempestas. Columella, loc. cit. 'III. Idus Martii, Piscis Aquilonius desinit oriri. Septemtrionales venti.' De exortu matutino hæc accipe.

[f] *Idus Martias ferales*] De Idibus Martiis, quo die Cæsar in Senatu est interfectus, vide Plutarch. in Cæsare, p. 737.—'Celebratum eo die Cæsaris funus fuisse, Plinius eo verbo indicat. At non eo pertinere nummum inscriptum BRVT. IMP. 'Brutus Imperator,' cum vultu Bruti prioris: et altera parte, EID MAR. cum pileo inter pugiones duos; jamdudum monuimus.' *Ed. sec.*

[g] *Scorpionis occasu*] Nempe vespertino. Columella, loc. cit. 'Idibus Martii Nepa incipit occidere: sig-

Hoc intervallum temporis vegetissimum agricolis, maximeque operosum est,[a] in quo præcipue falluntur. Neque enim eo die vocantur ad munia, quo Favonius flare debeat, sed quo cœperit. Hoc acri intentione servandum est. Hoc illo mense signum Deus habet, observatione minime fallaci aut dubia, si quis attendat. Unde autem spiret is ventus,[5] quaque parte veniat, diximus secundo[j] volumine, et dicemus mox paulo operosius. Interim ab eo die (quisquis ille fuerit) quo flare cœperit, non utique VI. Idus Februarii, sed sive ante, quando prævernat,[b] sive post, quando hyemat: post eam diem, inquam, innumera rusticos cura distringat, et prima quæque peragantur, quæ differri nequeunt. Trimestria[k] serantur. Vites putentur, qua diximus,[l] ratione. Oleæ curentur. Poma serantur, inseranturque. Vineæ pastinentur. Semina digerantur, instaurentur alia. Arundines, salices, genistæ serantur, cædanturque. Serantur vero ulmi, populi, platani, uti dictum est.[m] Tum et segetes convenit purgare, sarrire hybernas fruges, maximeque far. Lex certa in eo,[n] cum quatuor fibrarum esse

[a] *Vegetos maxime poscit agricolas, et maxima affert opera.*
[b] *Quando ver præmature incipit.*

Milvium Gronov. et vulgg.—5 Ita codd. Harduini, alii ap. Dalec. Harduin.

NOTÆ

nificat tempestatem.' Nepa, Scorpio est.

[h] *Milvum ostendi*] Oriri matutino. Milvum alii Cycnum, et Olorem: Milvium Naso vocat, unoque die ortum ejus stellæ anticipat: assignat enim decimosexto Kalendas Aprilis, Fast. III. 793. 'Stella Lycaoniam vergit declivis ad Arcton Milvius: hæc illa nocte videnda venit. Quid dederit volucri, si vis cognoscere, cœlum,' &c.

[i] *Equum occidere*] Columella, loc. cit. p. 374. 'XII. Kalendas Aprilis, Equus occidit mane.'

[j] *Diximus secundo*] Lib. II. c. 46. et 47.

[k] *Trimestria*] Hæc hujus intervalli opera, quæ verna dicuntur, eadem Varro præcipit, de Re Rust. I. 29. p. 62. et c. 30. Columella XI. 2. in Februario, et Pallad. in Febr. tit. 3.

[l] *Qua diximus*] Lib. XVII. c. 35.

[m] *Uti dictum est*] Lib. XVII. c. 15. etsi de ulmis ibi, populis, fraxinisque actum est: non de platanis: sed et harum par ratio est: cum seminaria omne genus ut serantur hoc temporis intervallo, Varro præcipiat loc. cit.

[n] *Lex certa in eo*] In sarriendo farre. Colum. II. 12. 'Triticum et ado-

cœperit.[e] Faba vero non antequam trium foliorum. Tunc quoque[o] levi sarculo purgare verius, quam fodere. Florentem utique XV. primis diebus non attingere. Hordeum[p] nisi siccum ne sarrito.[6] Putationem[q] æquinoctio peractam habeto. Vineæ jugerum[r] quaternæ operæ putant alligantque: in arbusto singulæ operæ arbores XV. Eodem hoc tempore hortorum[s] rosariorumque cura est, quæ separatim proximis voluminibus[7] dicetur: eodem et topiariorum. Tunc optime scrobes fiunt. Terra in futurum proscinditur, Virgilio[t] maxime auctore, ut glebas Sol coquat. Utilior sententia, quæ non nisi temperatum solum in medio vere[u] arari jubet: quoniam in pingui[v] statim sulcos occupant

[e] *Cum quatuor fibras habere radix cœperit.*

1. 2. 3. et recentt. *iis ventus* Gronov. et vulgg.—6 Ita codd. Harduini et Dalec. *sicco ne serito* Gronov. et al. vett.—7 Vet. Dalec. *proximo volumine.*—

NOTÆ

reum, cum quatnor fibras habere cœperint, hordeum, cum quinque; faba et cetera legumina, cum quatuor digitis a terra extiterint, recte sarrientur.' Pallad. lib. II. in Januar. tit. 9. p. 39. 'Triticum et far sarritur quatuor foliorum: hordeum quinque,' &c.

[o] *Tunc quoque*] Hæc vero non ad fabam tantum, verum ad omnia quæ sarriuntur, refert Columella II. 12. sicut et de florentibus non attingendis: 'Curandum,' inquit, 'ne florentem segetem tangamus: sed aut antea, aut mox cum defloruerit.'

[p] *Hordeum*] Columella, loc. cit. Vide Notas et Emend. num. 32.

[q] *Putationem*] Colum. XI. 2. 'A Kalendis Martii eximia est vitium putatio, usque in decimum Kalendarum Aprilium, si tamen se gemmæ nondum moveant.'

[r] *Vineæ jugerum*] Columella de Arboribus, c. 5. 'Jugerum valentis et jam constitutæ vineæ quatuor operis putatur, sex alligatur. Arbusto nihil ejusmodi potest apte finiri,' &c.

[s] *Hortorum*] Colum. loc. cit. 'Rosarium serotinum perfossum et cultum habere jam tempus est.' Et paulo ante: 'His diebus commode instruuntur horti,' &c.

[t] *Virgilio*] Georg. I. 63. 'Ergo age, terræ Pingue solum primis extemplo a mensibus anni Fortes invertant tauri, glebasque jacentes Pulverulenta coquat maturis Solibus æstas.' Primos anni menses appellat, quod paulò antea ver novum dixerat.

[u] *In medio vere*] Anni tempore jam incalescente, inquit Colum. II. 4.

[v] *Quoniam in pingui*] Quæ duo gemino versu complexus est eleganter Maro Georg. I. 69. 'Illic, officiant lætis ne frugibus herbæ: Hic, sterilem exiguus ne deserat humor arenam.'

herbæ; gracili insecuti æstus exsiccant: tum namque succum venturis [8] seminibus auferunt. Talia autumno melius arari certum est.

Cato verna [w] opera sic definit: Scrobes fieri, seminaria propagari: in locis crassis et humidis ulmos, ficos, poma, oleas seri: prata stercorari [9] Luna sitiente,[x] quæ rigua non erunt: a flatu Favonii [10] defendi, purgari, herbas malas radicitus erui, ficus interpurgari, seminaria fieri,[11] et vetera sarciri. Hæc antequam vinea florere incipiat. Itemque [12] piro [y] florente arare incipiat macra arenosaque. Postea uti quæque [13] gravissima et aquosissima, ita postremo arato. Ergo hæc aratio has habebit notas, lentisci [z] primum fructum ostendentis, ac piri florentis. Erit et tertia in bulborum satu, scillæ.[a] Item in coronamentorum narcissi,

8 Vet. Dalec. *exsiccant*, *certumque succum futuris;* alii ap. Dalec. *exsiccant ideoque succum*, &c.—9 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. Ita quoque Cato. Gronov. et al. vett. *oleas, prata stercorari.*—10 'Ita cod. Reg. 2.' *Brotier. ab afflatu Favonii* Gronov. et al. vett. item Harduin. 1. 2. 3. et recentt.—11 Margo edd. Dalec. et Gronov. *seminaria nova fieri*, e Catone.—12 *Idemque* cod. Dalec. *Itaque* Vet. Dalec.—13 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *postea utique* Gronov. et vulgg. Mox, *ista postremo*, &c.

NOTÆ

[w] *Cato verna*] De Re Rust. c. 40. p. 35. 'Per ver hæc fieri oportet. Sulcos et scrobes fieri seminariis: vitiariis locum verti. In locis crassis et humectis ulmos, ficos, poma, oleas seri oportet,' &c.

[x] *Luna sitiente*] Cato c. 50. p. 40. 'Luna silente,' ut puto, mendose. De priore voce diximus XVII. 8. Posteriorem Plinius ipse interpretatur, XVI. 74. Catonis verba hæc sunt, quæ institutam a nobis loci hujus interpunctionem defendunt: 'Prata primo vere stercorato, Luna silenti, quæ irrigua non erunt. Ubi Favonius flare cœperit, tum prata defendes: depurgato, herbasque malas omnes radicitus effodito.... Ficos interputato, et in vinea ficos succidito alte .... Seminarium facito, et vetera resarcito. Hoc facito antequam vineam defodere incipias.'

[y] *Itemque piro*] Cato c. 131. p. 68. 'Dapem pro bubus piro florente facito. Postea verno arare incipito: ea loca primum arato, quæ rudecta arenosaque erunt: postea uti quæque gravissima atque aquosissima erunt, ita postremo arato.'

[z] *Lentisci*] Ut dictum est c. 61.

[a] *Scillæ*] Subintellige, 'florentis.' Nam uti lentiscum, sic etiam ter florere scillam Aratus prodidit, in Διοσημεία: Ὅσσα δ' ἐπὶ σχίνου ἀροτὴρ ἐπιδρόσσατο καρπῷ, Τόσσα καὶ ἐν σκίλλης τεκμαίρεται ἄνθεϊ λευκῷ. De narcisso prodit idem Theophr. Histor. VII. 12. ut quidem videtur.

namque et hæc ter florent, primoque flore primam arationem ostendunt,[14] medio secundam, tertio novissimam, quando inter sese alia aliis notas præbent. Ac non in novissimis cavetur, ne fabis florentibus attingatur hedera: id enim noxium et exitiale ei est tempus. Quædam vero et suas habent notas, sicuti ficus. Cum folia pauca in cacumine acetabuli modo [b] germinent, tunc maxime serendas ficus.[15]

LXVI. Æquinoctium vernum a. d. VIII. Kalendas[1] Aprilis peragi videtur. Ab eo ad Vergiliarum exortum matutinum, Cæsari significant [c] Kalendæ Aprilis. III. Nonas Aprilis in Attica Vergiliæ vesperi occultantur. Eædem postridie in Bœotia: Cæsari autem et Chaldæis Nonis: [d] Ægypto Orion et gladius ejus incipiunt abscondi. Cæsari sexto Idus [e] significatur imber Libræ occasu. XIV. Kalendas Maii [f] Ægypto Suculæ occidunt vesperi, sidus vehemens, et terra marique turbidum: sextodecimo Atticæ: XV. Cæsari, continuoque triduo significat. Assyriæ autem XII. Kalendas. Hoc est vulgo appellatum sidus Parilicium,[2] [g] quoniam XI. Kalendas Maii urbis Romæ na-

Vet. Dalec.—14 'Lego: *in coronamentorum satu, narcissi: item in bulborum scillæ. Namque et hæc ter floret, prim. &c. ostendit*, e Theophr. et Arato.' *Dalec.*—15 Dalec. *germinant, tunc max. serendæ ficus.*

CAP. LXVI. 1 Gronov. et al. ante Harduin. *ad VIII. Cal.*—2 Ita Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *Palilicium* Gronov. et al. ante Har-

NOTÆ

[b] *Acetabuli modo*] Cum frondes e gemma cœperint aperire sese, et explicare: ac caliculorum similitudinem quandam præ se ferre.

[c] *Cæsari significant*] Tempestatem. Scripserat in Kalendario suo Cæsar, 'Kalendis Aprilis: Tempestas.'

[d] *Et Chaldæis Nonis*] Postridie Columellæ IX. 2. p. 375. 'Octavo Idus Aprilis, Vergiliæ vespere celantur.'

[e] *Cæsari sexto Idus*] Biduo post Columellæ loc. cit. 'Quarto Idus Aprilis, Sole oriente Libra occidere incipit: interdum tempestatem significat.'

[f] *XIV. Kalend. Maii*] Sic etiam Columellæ loc. cit. 'XIV. Kalendas Maias, Suculæ se vesperi celant: pluviam significat.'

[g] *Parilicium*] Ita Mss. non *Palilicium*. Quoniam, cum sit natura pluvium sidus, tamen XI. Kalend. Maii, quo Romæ Parilia, urbisque natales, celebrantur, serenitatem adducere solebat: ejusque idcirco observatio insignis fuit. *Parilia* rectius scribi

talis, quo fere serenitas redditur, claritatem observationi dedit: nimborum argumento Hyadas appellantibus Græcis has stellas. Quod nostri [h] a similitudine cognominis Græci propter sues impositum arbitrantes, imperitia appellavere Suculas. Cæsari et VIII. Kalendas [3] notatur dies.[i] VII. Kalendas Ægypto Hædi exoriuntur: VI. Kalendas Bœotiæ et Atticæ Canis vesperi occultatur. Fidicula mane [j] oritur: V. Kalendas Assyriæ Orion totus absconditur, IV. autem [k] Canis: [4] VI. Nonas Maii [l] Cæsari Suculæ matutino exoriuntur, et VIII. Idus Capella pluvialis.[m] Ægypto autem eodem die Canis vesperi occultatur. Sic fere in VI. Idus Maii, qui est Vergiliarum exortus,[n] decurrunt sidera.

duin.—3 'Ita codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier*. *Cæsari ad VIII. Cal.* Gronov. et al. vett. *Cæsari a. d. VIII. Cal.* Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—4 'Ita codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier*. *tertio*

NOTÆ

quam *Palilia*, tum Mss. omnes monent, tum fusius ipsi docebimus XIX. 24.

[h] *Quod nostri*] Acceptum hoc a Tullio Tirone in Pandectis, cujus verba Gellius recitat, XIII. 9. p. 667. 'Adeo,' inquit, 'veteres Romani literas Græcas nesciverunt, et rudes Græcæ linguæ fuerunt, ut stellas, quæ in capite Tauri sunt, propterea Suculas appellarint, quod eas Græci ὑάδας vocant: tanquam id verbum Latinum Græci verbi interpretamentum sit: quia Græce ὕες, *sues* Latine dicantur: sed ὑάδες οὐκ ἀπὸ τῶν ὑῶν, ita ut nostri Opici putaverunt, sed ab eo quod est ὕειν, appellantur: nam et cúm oriuntur, et cum occidunt, tempestates, pluvias, largosque imbres cient. *Pluere* autem et Græca lingua ὕειν dicitur.' Ita ille: quem cum Gellius reprehendere conatur, nihil nisi nugas affert.

[i] *Notatur dies*] Tempestatem eo die significat.

[j] *Fidicula mane*] In nonum Kalendas Fidiculæ ortum conjicit Columella loc. cit.

[k] *IV.* [*tertio*] *autem*] Postero die Columella loc. cit. 'Pridie Kalendas Maias, Canis se vespere celat: tempestatem significat.'

[l] *VI. Nonas Maii*] Et Columella loc. cit. p. 376. 'VI. Nonas Maias Sucula cum Sole exoritur.'

[m] *Et VIII. Idus Capella pluvialis*] Ipsis Maii Kalendis oriri Ovidius censet, Fast. V. 111. 'Ab Jove surgat opus: prima mihi nocte videnda Stella est in cunas officiosa Jovis. Nascitur Oleniæ sidus pluviale Capellæ: Illa dati cœlum præmia lactis habet.'

[n] *Vergiliarum exortus*] Nempe matutinus. Columella loc. cit. 'Nonis Maii Vergiliæ exoriuntur mane.... VI. Idus, Vergiliæ totæ apparent.' Ovid. Fast. V. 599. 'Pleiadas aspicies omnes, totumque sororum Agmen, ubi ante Idus nox erit una su-

In hoc temporis [o] intervallo, xv. diebus primis agricolæ rapienda sunt ea, quibus peragendis ante æquinoctium non suffecerit, dum sciat inde natam [p] exprobrationem fœdam, putantium vites, per imitationem cantus [5] alitis temporariæ,[q] quam [6] cuculum vocant. Dedecus enim habetur, opprobriumque meritum, falcem ab illa volucre in vite deprehendi, ut ob id petulantiæ sales [r] etiam cum primo vere ludantur. Auspicio tamen detestabiles videntur. Adeo minima quæque in agro naturalibus trahuntur argumentis. Extremo autem [s] hoc tempore panici [7] miliique satio est. Justum est [8] hoc seri maturato hordeo: atque etiam in eodem arvo est signum illius maturitati et horum sationi [9] commune, lucentes vespere per arva cicindelæ.[t] Ita appellant rustici stellantes volatus, Græci vero lampyridas, incredibili benignitate naturæ.

autem Canis Gronov. Harduin. 1. 2. 3. et recentt.—5 Dalec. *tum vites per initium cantus.*—6 'Ita bene codd. Regg. 1. 2.' *Brotier.* Ita quoque Vet. Dalec. *temporarii, quem* Gronov. Harduin. 1. 2. 3. et recentt.—7 Gronov. *panaci.*—8 Verbum *est* deest in cod. Dalec.—9 Ita edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *atque etiam in eodem arvo. Estque signum illius maturitatis, et h. sationis* Gronov. et al. vett.

NOTÆ

per. Tum mihi non dubiis auctoribus incipit æstas: Et tepidi finem tempora veris habent.'

[o] *In hoc temporis*] Columella loc. cit.

[p] *Dum sciat inde natam*] Probro nimirum solebat objici vindemiatoribus, si cuculus eos deprehendisset putantes vineam: et a viatoribus cuculi vocabantur, per imitationem cantus hujus avis. Horat. I. Sat. 7. 28. 'Tum Prænestinus salso multumque fluenti Expressa arbusto regerit convicia, durus Vindemiator et invictus, cui sæpe viator Cessisset, magna compellans voce cucullum.' Ubi Porphyrio: 'Solent,' inquit, 'rustici circa viam arbusta vindemiantes, a viatoribus cuculi appellari: cum illi provocati tantam verborum amaritudinem in eos effundunt, ut viatores illis cedant, contenti eos cuculos iterum atque iterum appellare.' Deridebatur itaque vinitor, et appellabatur avis pigra, ac nidi sui immemor.

[q] *Alitis temporariæ*] Est enim cuculus avis æstiva. Vide quæ dicta sunt x. 11.

[r] *Petulantiæ sales*] Suadet pudor, ut multo malim ex alio te, optime lector, quam ex me discere, quos petulantiæ sales appellet. Itaque, si ita lubet, Erasmum adi, Chiliad. IV. Cent. 5. Adag. 84. 'Cuculus,' pag. 869.

[s] *Extremo autem*] Confer ista cum iis quæ habet Columella II. 9. fere sub finem, de milii ac panici satione.

[t] *Cicindelæ*] De his XI. cap. 34.

LXVII. (XXVII.) Jam Vergilias[a] in cœlo notabiles caterva fecerat: non tamen his contenta, terrestres fecit alias, veluti vociferans: 'Cur cœlum intuearis, agricola? Cur sidera quæras,[1] rustice? jam te breviore somno fessum premunt noctes? Ecce tibi inter herbas tuas spargo peculiares[2] stellas,[b] easque vespera[3] et ab opere disjungenti[c] ostendo: ac ne possis præterire, miraculo solicito.[a] Videsne[4] ut fulgor igni similis alarum compressu tegatur,[5] secumque lucem habeat et nocte? Dedi tibi herbas horarum indices: et ut ne Sole[d] quidem[b 6] oculos tuos a terra avoces, heliotropium ac lupinum circumaguntur cum illo. Cur etiam nunc altius spectas, ipsumque cœlum scrutaris? Habes ante pedes tuos ecce Vergilias.'[e] In certis eæ diebus proveniunt, durantque fœdere sideris hujusce:[c] partumque eas illius esse certum est. Proinde quisquis æstivos fructus ante illas severit, ipse frustrabitur sese. Hoc intervallo et apicula procedens fabam florere indicat: fabaque florescens eam evocat. Dabitur et aliud finiti frigoris indicium. Cum germinare[f] videris morum, injuriam postea frigoris nolito.

[a] *Quod te prætereuntem suo fulgore solicitet ac moneat.*
[b] *Ne Solis quidem causa.* [c] *Quasi icto fœdere cum Vergiliis.*

CAP. LXVII. . 1 Cod. Dalec. *intueris agr. Cur sid. quæris.*—2 Cod. Dalec. *speculares.*—3 'Ita codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier.* Al. ante Brotier, *easque vespere.*—4 Cod. Dalec. *possit præt. miraculi solicitudo, videsne.* —5 Cod. Dalec. *subtegatur.*—6 Cod. Dalec. *et ut ne sic quidem.*—7 'Ita codd.

NOTÆ

Stellantes volatus lepide appellat lucida stellularum instar animalcula, quæ subsiliant ac volitent.

[a] *Jam Vergilias*] In Galliis vulgus appellat, *La Poussinière.*

[b] *Peculiares stellas*] Nimirum cicindelas.

[c] *Ab opere disjungenti*] Cum vesperi cessas ab opere rustico.

[d] *Et ut ne Sole*] Ne vel propter Solem cœlum aspicias.

[e] *Ecce Vergilias*] Cicindelas, quæ cum Vergiliarum tempore oriantur, instar earum esse possint.

[f] *Cum germinare*] Idcirco sapientissima arborum dicta morus, quod nisi exacto frigore non germinat, ut dictum est XVI. 41. Passeratius in eam rem, carmine singulari de Moro: 'Sit pudor insanis, Morus sapit, illa doloso Nil temere credit zephyro: nam veris adulti Jam certum expec-

Ergo opera,[g] taleas olivarum ponere, ipsasque oleas interradere,[h] rigare prata æquinoctii diebus primis. Cum herba creverit in festucam, arcere aquas: vineam pampinare.7 Et huic lex sua,[i] cum pampini quatuor digitos longitudine expleverint. Pampinat una opera jugerum. Segetes iterare.[j] Sarritur 8 vero diebus viginti. Ab æquinoctio sartura nocere et vineæ et segeti existimatur.9 Et oves lavandi [k] hoc idem tempus est.

A Vergiliarum exortu significant Cæsari, postridie Arcturi [l] occasus matutinus: 10 tertio Idus [m] Maii Fidiculæ exortus: XII. Kalendas Junii Capella vesperi occidens, et in Attica Canis. XI. Kalendas Cæsari Orionis gladius occidere incipit: tertio Nonas Junii Cæsari et Assyriæ Aquila vesperi oritur: septimo Idus 11 Arcturus [n] matutino

Regg. et Editio princeps.' *Brotier.* Gronov. Harduin. et al. ante Brotier. *vineas pampinare.*—8 Vet. Daleç. *Segetes runcare. Sarriuntur.*—9 'Ita codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier. et segeti æstimatur* Gronov. al. vett. Harduin. 1. 2. 3. et recentt.—10 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Arcturi occasus matutini* Gronov. et al. vett. Mox, *et tertio Idus* Vet. Dalec. *quarto Idus* cod. Dalec.—11 'Ita codd. Regg.' *Brotier.*

NOTÆ

tans Solem, non germinat ante, Frigoris infesti quam cuncta recesserit aura: Tum floretque, viretque simul: longæque rependit Damna moræ: atque una totam se nocte profundit.' Et mox: 'Insidias cœli ne tunc vereare sereni Amplius, et vasto quæ cæca pericula ponto: Ut bene subductam deducas, navita, pinum, Sint tibi Vergiliæ, videas cum germina mori.'

[g] *Ergo opera*] Varro de Re Rust. I. 31.

[h] *Interradere*] Sive, ut Cato loquitur, cap. 150. *interputare.* Egimus de hac voce XV. 2. Columella XI. 2. pag. 876. 'Oleæ putantur, et emuscantur.' Palladius in Maio, tit. 4. pag. 116. 'Nunc locis prægelidis et pluviosis oleæ putantur, et eis muscus abraditur.'

[i] *Et huic lex sua*] Columella de Arboribus, cap. 5. 'Vineam novellam omnes gemmas agere sinito: simul atque pampinus instar quatuor digitorum erit, tum demum pampinato,' &c.

[j] *Segetes iterare*] Iterato sarrire. Vide Columellam II. 12.

[k] *Et oves lavandi*] Colum. XI. 2. in Aprili: 'Oves Tarentinæ radice lanaria lavari debent, ut tonsuræ præparentur.'

[l] *Postridie Arcturi*] Hoc est, V. Idus Maias, occidit matutino Arcturus. Et hic occasus tempestatem significat. Nam VI. Idus Vergiliæ oriuntur.

[m] *Tertio Idus*] Colum. loc. cit. 'Tertio Idus Maias, Fidis oritur, significat tempestatem.'

[n] *Septimo* [*octavo*] *Idus Arcturus*] Colum. loc. cit.

occidit: Italiæ sexto, et quarto Idus Delphinus vesperi exoritur: septimodecimo [12] Kalendas Julii gladius Orionis oritur, quod Ægypto post quatriduum.[13] VIII. Kalendas Julii vero longissimus dies [14] totius anni, et nox brevissima solstitium conficiunt.

In hoc temporis intervallo vineæ pampinantur, curaturque ut vinea vetus semel fossa sit, bis novella. Oves tondentur: lupinum stercorandi causa vertitur: terra proscinditur: vicia in pabulum secatur: faba metitur, dein concutitur.[o]

(XXVIII.) Prata circa Kalend. Junii cæduntur, quorum facillima agricolis cura ac minimi impendii, hæc de se postulat dici. Relinqui debent [p] in læto solo vel humido, vel riguo, eaque aqua pluvia rigari via publica.[15] Utilissimum simul et herbæ arare, deinde cratire, serere florem ex fœnilibus, atque ex præsepibus fœno dilapsum spargere, priusquam cratiantur. Nec primo anno rigari, nec pasci ante [q] secunda fœnisecia, ne herbæ vellantur, obtrituque hebeten-

octavo Idus Gronov. al. vett. Harduin. 1. 2. 3. et recentt.—12 Gronov. Harduin. et al. *decimoseptimo.*—13 'In scriptis editisque libris hic additur, *undecimo Kalendas, ejusdem Orionis gladius Cæsari occidere incipit.* At hæc expungenda. Sunt enim loco suo dimota; et pertinent ad cap. 31. diemque quintum ante Idus Novembris. Quod erudito Petavio jam fuit observatum.' *Brotier. quatriduum. undecimo Cal. ejusdem Orionis gladius Cæsari occidere incipit. VIII. Cal. Julii, &c.* Gronov. et al. vett. item Harduin. et recentt.—14 'Ita codd. Regg. 1. 2.' *Brotier.* Ceteræ edd. *longissima dies.*—15 Margo edd. Dalec. et Gronov. *in riguo solo, vel læto, et humido, eaque aqua pluvia rigari vel*

NOTÆ

[o] *Dein concutitur*] Vide Notas et Emend. num. 33.

[p] *Relinqui debent*] In herbæ fœnique proventum summitti. Tractat hæc etiam Columella II. 17. pag. 74. Palladius in Septembri, tit. 10.

[q] *Nec pasci ante*] Nec immitti pecora nisi post fœnisecia anni secundi. Columella II. 18. pag. 76. 'Nec pecora quidem oportet teneris adhuc et subsidentibus pratis immittere: sed quoties herba prosiluerit, desecare. Nam pecudes molli solo infigunt ungulas, atque interruptas non sinunt herbarum radices serpere, et condensare. Altero tamen anno minora pecora post fœnisecia permittemus admitti . . . . Tertio deinde, cum pratum solidius ac durius erit, poterit etiam majores recipere pecudes,' &c.

tur. Senescunt prata,[r] restituique debent faba in his sata, vel rapis, vel milio. Mox insequente anno frumento, rursusque in prata tertio relinqui. Præterea quoties secta sint, sicilire,[16][s] hoc est, quæ fœniseces præterierunt, secari. Est enim inprimis inutile, enasci herbas sementaturas.[t] Herba optima in prato trifolii, proxima graminis, pessima nummuli,[17][u] siliquas etiam diras ferentis. Invisa et equiselis[v] est, a similitudine equinæ setæ. Secandi tempus, cum spica deflorescere cœpit,[18] atque roborari: secandum,[w] antequam inarescat. Cato[x] 'Fœnum,' inquit, 'ne sero seces: priusquam semen maturum sit, secato.' Quidam pridie rigant, ubi sunt rigua. Noctibus roscidis[y] secari melius. Quædam partes Italiæ[19] post messem secant.

publica.—16 'Ita codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier.* *siciliri* Gronov. al. vett. Harduin. 1. 2. 3. et recentt.—17 'Ita codd. Regg. Lang. et Editio princeps. Nummulus, *la nummulaire*, herba ovibus lethifera; qua degustata, tabidum morbum, *la clavelée*, contrahunt.' *Brotier.* Gronov. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *pessima mimmuli.* Mox, Gronov. et al. vett. ante Harduin. *siliqua etiam dira fœnisecis; invisa et equiselis est;* Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *siliquas etiam diras ferentis. Invisa et equisetis est:* Vet. Dalec. *siliqua etiam dira hærendo invisa et equisetis est.* Codd. Regg. Brot. et Editio princeps etiam, *equiselis.*—18 Cod. Dalec. *cœperit.* Mox, pro *secandum*, alii ap. Dalec. *secundum.*—19 *Italiæ*

NOTÆ

[r] *Senescunt prata*] Eleganter hæc Columella de Re Rust. II. 18. pag. 75. 'Igitur eum locum, quem prato destinaverimus,' &c. et Palladius loc. cit.

[s] *Sicilire*] Hinc sicilimenta de prato Cato vocat, de Re Rust. cap. 5. ea desegmina. Veteres *sicilire* pro 'secare' usurpabant. Varro de Re Rust. cap. 49. pag. 68. 'Quo facto siciliunda prata, id est, falcibus consectanda quæ fœniseces præterierunt: ac quasi barba tuberosum reliquerunt campum.'

[t] *Sementaturas*] Sementare est semen producere, Gallis, *Gréner, venir à gréne.*

[u] *Pessima nummuli* [*mimmuli*] Haud satis compertum herbæ genus. Vide Notas et Emend. num. 34.

[v] *Et equiselis* [*equisetis*] De qua XXVI. 83. 'Equisetum hippuris a Græcis dicta, et in pratis vituperata nobis,' &c.

[w] *Secandum*] Columella II. 19. pag. 77. 'Fœnum autem demetitur optime antequam inarescat: nam et largius percipitur, et jucundiorem cibum pecudibus præbet.'

[x] *Cato*] Cap. 53. pag. 41. 'Fœnum, ubi tempus erit, secato: cavetoque ne sero seces. Priusquam semen maturum fiet, secato: et quod optimum fœnum erit, seorsum condito.'

[y] *Noctibus roscidis*] Virgil. Georg. I. 289. 'Nocte leves stipulæ melius, nocte arida prata Tondentur: noctes

Fuit hoc quoque majoris impendii apud priores. Creticis tantum [z] transmarinisque cotibus notis, nec nisi oleo falcis aciem excitantibus. Igitur cornu propter oleum ad crus ligato fœnisex incedebat. Italia aquarias cotes dedit, limæ vice [20] imperantes ferro. Sed aquariæ protinus virent.[21] Falcium ipsarum duo genera: Italicum brevius, ac vel inter vepres quoque tractabile. Galliarum latifundia majoris compendii, quippe medias cædunt herbas, brevioresque prætereunt. Italus fœnisex dextra una manu secat.[22] Justum est [a] una opera jugerum in die desecari: alligarique manipulos mille ducentos, quaterna pondo.[23] Sectum verti [b] ad Solem, nec nisi siccum construi oportet: nisi fuerit hoc observatum diligenter, exhalare matutino nebulam quandam, metasque mox [c] Sole accendi, et conflagrare certum est. Rursus rigari [d] desecta oportet, ut se-

deest in cod. Dalec.—20 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *vicem* Gronov. et al. vett.—21 Quidam ap. Dalec. *protinus viget*, id est, aciem trahit. Alii, *potius durat*.—22 *Itali fœnisecces d. u. m. secant* cod. Dalec.—23 Alii ap. Dalec. *quaternum pondo*.—24 Ita codd. Har-

NOTÆ

lentus non deficit humor.'

[z] *Creticis tantum*] Cum ad acuendas falces non nisi Creticis et trans mare vectis cotibus, usus foret. De his cotibus, XXXVI. 47. ubi et de aquariis dicetur.

[a] *Justum est*] Columella XI. 2. in Maio: 'Per hos dies fœnisiciæ instituendæ. Bonus operarius prati jugerum desecat, nec minus mille ducentos manipulos unus obligat, qui sint singuli quaternarum librarum.'

[b] *Sectum verti*] Columella II. 19. 'Nonnunquam etiam cum cecidimus, imber oppressit: quod si permaduit, inutile est udum movere, meliusque patiemur superiorem partem Sole siccari: tunc demum convertemus,' &c.

[c] *Metasque mox*] Hæc a Columella II. 19. 'Est autem modus in siccando, ut neque peraridum, neque rursus viride colligatur: alterum, quod omnem succum si amisit, stramenti vicem obtinet: alterum, quod si nimium retinuit, in tabulato putrescit: ac sæpe concaluit, ignem creat, et incendium . . . . . Certe quicquid ad eum modum, quo debet, siccatum erit, in metas exstrui conveniet, easque ipsas in acutissimos vertices exacui. Sic enim commodissime fœnum defenditur a pluviis: quæ etiamsi non sint, non alienum tamen est prædictas metas facere, ut si quis humor herbis inest, exsudet, atque excoquatur in acervis.' Meta porro dicitur fœni congeries vel strues in acutissimum verticem exacuta.

[d] *Rursus rigari*] Columella II. 18. totidem verbis.

cetur autumnale fœnum, quod vocant cordum. Interamnæ in Umbria quater anno secantur, etiam non rigua. Ter vero plerisque in locis: et postea in ipso pabulo[e] non minus emolumenti est, quam a fœno. Armentorum id cura, jumentorumque progeneratio suum cuique consilium dabit, optimo maxime[24] quadrigarum quæstu.

LXVIII. Solstitium peragi in octava parte Cancri, et octavo Kalendas Julii diximus.[f] Magnus hic anni cardo, magna res mundi. In hoc usque a bruma dies creverunt, sex mensibus. At Sol ipse[1] ad Aquilonem scandens, ac per ardua enisus ab ea meta incipit flecti, et degredi ad Austrum, aucturus noctes aliis sex mensibus, ablaturusque diei mensuram. Ex hoc deinde rapiendi convehendique fructus alios atque alios tempus, et præparandi se contra sævam feramque hyemem: decebatque hoc discrimen indubitatis notis signasse naturam. Quam ob rem eas manibus ipsis agricolarum ingessit, vertique jussit ipsa die folia, et esse confecti[g] sideris signum: nec sylvestrium arborum remotarumque, ne in saltus[2] devios montesque eundum esset quærentibus signa: non rursus urbanarum, et quæ[3] topiario tantum coluntur, quanquam et in his illa

duini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *consilium dabit optimum, maxime* Gronov. et vulgg.

CAP. LXVIII. 1 'Ita codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier.* Mox, *ac p. a. exixus* Pintian.—2 Pintian. ex codd. *ut in saltus.*—3 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *urbanarum quæque*

NOTÆ

[e] *In ipso pabulo*] Columella II. 17. 'Pratum,' inquit, 'minimi sumtus egens, per omnes annos præbet reditum: neque eum simplicem: cum etiam in pabulo non minus reddat, quam in fœno.'

[f] *Solstitium . . . . . . diximus*] Libri hujus cap. 59.

[g] *Et esse confecti*] Confecti solstitii. Sic XVI. 36. 'Mirum inprimis id, quod ulmo, tiliæque, et oleæ, et populo albæ, et salici evenit. Circumaguntur enim folia earum post solstitium. Nec alio argumento certius intelligitur sidus confectum.' Vide etiam Varronem de Re Rust. I. 46. Gellium quoque, IX. 7. pag. 471. 'Vulgo et scriptum,' inquit, 'et creditum est, folia olearum arborum brumali et solstitiali die converti: et quæ pars eorum fuerat inferior, atque occultior, eam supra fieri atque exponi ad oculos, et ad Solem, quod nobis quoque semel atque iterum experiri volentibus ita esse propemodum visum est.' Adde et Schol. Ni-

visantur. Vertit oleæ ante pedes satæ, vertit tiliæ ad mille usus petendæ: vertit populi albæ etiam vitibus nuptæ. 'Adhuc parum est, inquit:[4] ulmum vite dotatam habes: et hujus vertam. Pabulo[h] folia ejus stringis, vitem deputas. Aspice, et tenes sidus. Alia parte cœlum respiciunt, quam qua spectavere pridie. Salice omnia alligas, humillima arborum, ipse toto capite altior: et hujus circumagam. Quid te rusticum quereris? Non stat per me, quominus cœlum intelligas, et cœlestia scias. Dabo et auribus signum.[5] Palumbum utique exaudi gemitus. Transisse solstitium caveto putes, nisi cum incubantem videris palumbum.'

A solstitio ad Fidiculæ occasum sexto Kalendas Julii[6] Cæsari Orion exoritur: zona autem ejus quarto Nonas Assyriæ: Ægypto vero Procyon matutino æstuosus: quod sidus apud Romanos non habet nomen, nisi Caniculam hanc velimus intelligi, hoc est, minorem canem: ut[7] in

Gronov. et vulgg.—4 Sic Gronov. et al. vett. et Ed. Harduin. 1. *est* deest in edd. Harduin. 2. 3. Miller. et Franz. Mox, Vet. Dalec. *veterinorum pabulo versa folia stringis, stringens vitem deputas. Aspice et tenebris sidus.* Al. ap. Dalec. *stringens autem.*—5 *Dabo et ex avibus signum* cod. Dalec. et Vet. ejusdem.—6 Ita ex codd. Harduinus et recentt. Ita quoque Varro I. 31. Colum. XI. 2. et Hadr. Jun. e Tab. Cæsaris Dictat. VI. 32. *sexto Cal. Junii* Gronov. et al. vett.—7 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *minorem canem, sane ut* Gronov. et al.

NOTÆ

candri in Theriac. pag. 32. 'Η ἐλαία τὰ γλαυκὰ τῶν φύλλων ἄνω ἔχει ἐν θέρους ὥρᾳ· τὰ δὲ μέλανα, χειμῶνος.

[h] *Pabulo*] Jumentorum. Vide quæ diximus XVI. 38. nota 13. Stringere porro folia dici pro decutere, tralatitium est. Maro in Eclogis: 'Hic ubi densas Agricolæ stringunt frondes.'

[i] *Nisi caniculam*] Nisi caniculam, inquit, appelles, quæ vox minorem canem sonat. Caniculam Plinius vocat, quem alii Σείριον, quæ stella lucidissima est, et flagrantissima in ore majoris Canis: quæ et Προκύων dicta est, quod ante Canem oritur. Ita Galenus lib. I. Epidemicῶν Hippocr. Sirium πρόκυνα vocat: Κύων μὲν γὰρ, inquit, τὸ σύμπαν ἄστρον· ὁ δὲ ἐπὶ τοῦ γέννυος αὐτοῦ Σείριος, ὃν ὀρθῶς ἄν τις ὀνομάζοι τὸν Πρόκυνα. Sirium addit appellari a nonnullus κύνα, quod totius nomen est sideris: rectius tamen *Antecanem*, πρόκυνα appellari, quam *canem*. Hæc et alia multa Lælius Bisciola Soc. Jesu, Horar. Subcesivar. XII. tom. II. 2. 'Est enim benignum (Plinii verbis utor) et plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris, non ut plerique faciunt. Scito enim conferentem auctores me deprehendisse' a Salmasio in Solin. pag. 430. hæc aliaque quàm plurima

astris pingitur. Est autem [j] magnopere pertinens, sicut paulo mox [k] docebimus. Tertio Nonas [l] Chaldæis Corona occidit matutino, Atticæ Orion totus eo die exoritur. Pridie Idus Julii et Ægyptiis Orion desinit exoriri: XVI. Kalendas [8] Augusti Assyriæ Procyon [9] exoritur. Dein postridie [10] [m] fere ubique, confessum inter omnes sidus indicans, quod Canis ortum vocamus, Sole partem primam [n] Leonis ingresso. Hoc fit post solstitium XXIII. die.[o] Sentiunt id maria,[p] et terræ, multæ vero et feræ, ut suis locis diximus.[q] Neque est minor ei veneratio, quam descriptis in Deos stellis. Accenditque Solem, et magnam æstus obtinet causam. XIII. Kalendas [11] Augusti [r] Ægypto Aquila occidit matutino, etesiarumque [s] prodromi flatus incipiunt,

vett.—8 Chiffl. *XVII. Cal.*—9 '*Cheiron* Tab. Cæs. Hadr. Jun. quod tamen suspectum est.' *Dalec.*—10 Tab. Cæs. *post triduum.*—11 Ita Harduin. I. 2. 3.

NOTÆ

ex Bisciola transcripta ad verbum, nec Bisciolam tamen nominatum.

[j] *Est autem*] Magna vis hujus sideris est, lateque pertinet, magna efficientia. Vide Notas et Emend. num. 35.

[k] *Sicut paulo mox*] His verbis proxime fere sequentibus: 'Sentiunt id maria . . . . et magnam æstus obtinet causam.'

[l] *Tertio Nonas*] Columella XI. 2. pag. 378. 'Quarto Nonas Julias Corona occidit mane.'

[m] *Dein postridie*] Hoc est, XV. Kalendas Augusti. Sic ipse II. 47. 'Ardentissimo autem æstatis tempore exoritur Caniculæ sidus, Sole primam partem Leonis ingrediente, qui dies XV. ante Augustas Kalendas est.' Adde his ea quæ ibi diximus. Vide Notas et Emend. num. 36.

[n] *Sole partem primam*] Hoc ex veterum sententia scripsit. Reipsa anno primo Juliano, ortus Sirii matutinus heliacus, de quo nunc sermo est, Romæ contigit in gradu Leonis 7. 43'. Augusti fere 2. Nunc in Leonis 20. 40'. incurrit, Augusti circiter 14. Itaque Canicularium dierum initium ab ortu illo heliaco descivit: ac semper longius deinde recedet. Hanc μετάπτωσιν orbis stellati, seu progressionem astrorum in consequentia, prisca ætas ignorabat: ideoque designatos semel a majoribus suis ortus occasusque constanter tenebat.

[o] *XXIII. die*] Hoc iterum repetit cap. seq. Est igitur is dies XVIII. Julii, sive, ut dictum est, II. 47. XV. Kalendas Augusti.

[p] *Sentiunt id maria*] De hoc argumento vide Geminum cap. 14. pag. 58. et Petavium Var. Dissert. II. 10. in Uranol. pag. 101.

[q] *Ut suis locis diximus*] Lib. II. cap. 40. et IX. 25. His adde ea quæ Cicero habet de Divin. lib. I. pag. 209. et Manil. I. 388.

[r] *XIII. Kalend. Augusti*] Vide Notas et Emend. num. 37.

[s] *Etesiarumque*] De his egimus II. 47.

quod Cæsar x. Kalendas sentire Italiam existimavit. Aquila Atticæ[t] matutino occidit: III. Kalendas[12] regia in pectore Leonis stella matutino Cæsari emergit.[13][u] VIII. Idus Aug.[v] Arcturus medius occidit: III. Idus Fidicula occasu suo autumnum inchoat, ut is annotat: sed ut vera[14] ratio id fieri invenit, sexto Idus easdem.[15]

In hoc temporis intervallo res summa vitium agitur, decretorio uvis sidere illo, quod Caniculam appellavimus.[16] Unde carbunculare[17][w] dicuntur, ut quodam uredinis carbone exustæ.[18] Non comparantur huic malo grandines, procellæ, quæque nunquam[19][x] annonæ intulere caritatem. Agrorum quippe mala sunt illa: carbunculus autem regionum late patentium, non difficili remedio, nisi calumniari naturam rerum homines, quam sibi prodesse, mallent. Ferunt Democritum,[y] qui primus intellexit, ostenditque

Miller. Bipont. et Franz. *XVIII. Cal.* edd. vett. et Gronov.—12 Margo edd. Dalec. et Gronov. *nono Calendas*, e Colum.—13 'Male codd. Regg. et Editio princeps, *immergit*. Recentiores, *immergitur*. Vide Ptolem. et Colum. XI. 2.' *Brotier*.—14 Cod. Dalec. *sed vera*, omisso *ut*.—15 'Ita codd. Regg. Lang. et Editio princeps.' *Brotier*. *Idus ejusdem* Gronov. et vulgg. item Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—16 Cod. Dalec. *vocamus*.—17 Dalec. *carbunculari*.—18 Idem, *quadam carbonis uredine exustæ*.—19 'Ita quidem libri omnes scripti et editi. Verius tamen, *quæque unquam*; ut jam monuit eru-

NOTÆ

[t] *Aquila Atticæ*] Columella quoque, XI. 2. pag. 379. 'Tertio Kalendas Augustas Aquila occidit, tempestatem significat.'

[u] *Cæsari emergit* [*immergitur*] Matutinum exortum hæc verba demonstrant, quem pridie Columella statuit: loc. cit. 'Quarto Kalendas Augusti, Leonis in pectore claræ stellæ exoriuntur, interdum tempestatem significat.' In Mss. *immergit*. Mallem, *emergit*.

[v] *VIII. Idus Aug.*] Columella pag. 380. 'VII. Idus Augusti Aquarius (lege *Arcturus*) occidit medius: nebulosus æstus. Pridie Idus Augusti, Fidis occidit mane, et Autumnus incipit.'

[w] *Unde carbunculare*] De carbunculatione diximus XVII. 37.

[x] *Quæque nunquam*] Sic Mss. quos vidimus. Forte, *quæque unquam*.

[y] *Ferunt Democritum*] Thaleti hoc Cicero ascribit de Divin. lib. II. pag. 201. Arist. quoque Polit. I. 7. et Laërtius in Thalete. Plinius omne oleum coëmisse ait: Cicero, omnem oleam, antequam florere cœpisset: Aristoteles, et Laërtius, τὰ ἐλαιουργεῖα, hoc est, *trapeta* sive *torcularia oleo premendo*.

cum terris cœli societatem, spernentibus hanc curam ejus opulentissimis civium, prævisa olei caritate ex futuro Vergiliarum ortu, qua diximus[z] ratione, ostendemusque jam plenius, magna tum vilitate[20] propter spem olivæ, coëmisse in toto tractu omne oleum, mirantibus qui paupertatem et quietem doctrinarum ei sciebant inprimis cordi esse. Atque ut apparuit causa, et ingens divitiarum cursus, restituisse mercedem[a] anxiæ et avidæ dominorum pœnitentiæ, contentum ita probasse, opes sibi in facili, cum vellet, fore. Hoc postea Sextius[b] e Romanis sapientiæ assectatoribus Athenis fecit eadem ratione. Tanta literarum occasio est: quas equidem miscebo agrestibus negotiis, quam potero dilucide atque perspicue. Plerique dixere rorem inustum Sole acri, frugibus rubiginis causam esse, et carbunculi vitibus: quod ex parte falsum arbitror, omnemque uredinem frigore tantum constare, Sole innoxio. Id manifestum fiet attendentibus. Nam primum omnium non hoc evenire, nisi noctibus et ante Solis ardorem, deprehenditur, totumque lunari[c] ratione constat: quoniam talis injuria non fit nisi interlunio, plenave Luna, hoc est, prævalente: utroque enim habitu plena est, ut sæpius diximus:[d] sed interlunio omne lumen, quod a Sole accepit, cœlo regerit.[21]

ditus Harduinus.' *Brotier.* *nec quæque unquam* cod. Dalec.—20 Cod. Dalec. *magna tunc vilitate.*—21 Cod. Dalec. *accipit, cælo regyrat.*—22 Vet. Dalec.

NOTÆ

[z] *Qua diximus*] Initio cap. superioris.

[a] *Restituisse mercedem*] Ita Mss. Forte sincerius, *mercem.*

[b] *Sextius*] De eo Seneca Epist. 59. pag. 288. 'Sextium ecce cum maxime lego, virum acrem, Græcis verbis, Romanis moribus philosophantem,' &c. 'Q. Sextium patrem' appellat Epist. 64. pag. 295.

[c] *Totumque Lunari*] A Luna vitium rubiginis oritur. Theophr. de Causis v. 27. pag. 292. Ἡ δ' *ἐρυσίβη, σαπρότης τίς· οὐδὲν δὲ σαπρὸν ἄνευ θερμότητος ἀλλοτρίας· μάλιστα δὲ ἐρυσιβοῦται σῖτος ταῖς πανσελήνοις· διὸ καὶ τὴν σελήνην τῇ θερμότητι σήπειν τῆς νυκτός.* Rubigo autem putredo quædam est: nec putridum esse quicquam potest sine alieno calore. Triticum pleniluniis potissimum rubiginem capit. Ratio in calore est, quo etiam noctu Luna putrefacere potest.'

[d] *Ut sæpius diximus*] Inprimis II. 6. ubi 'in ipso coitu non cerni' Lunam admonet, 'quoniam haustum

Differentia utriusque habitus magna, sed manifesta:[22] namque interlunio æstate calidissima est, hyeme gelida. E diverso[23] in plenilunio æstate frigidas facit noctes,[24] hyeme tepidas. Causa evidens: sed alia[25] redditur a Fabiano, Græcisque auctoribus. Æstate enim interlunio necesse est cum Sole nobis proximo circulo currat, igne ejus cominus recepto candens: eademque interlunio absit hyeme, quando abscedit et Sol. Item plenilunio æstivo procul abeat adversa Soli: hyeme autem ad nos per æstivum circulum accedat. Ergo per se roscida quoties alget, infinitum quantum illo tempore cadentes pruinas congelat.

LXIX. Ante omnia autem duo genera esse cœlestis injuriæ meminisse debemus. Unum quod tempestates vocamus, in quibus grandines, procellæ, ceteraque similia intelliguntur: quæ cum acciderint, vis major[a] appellatur.[1] Hæc ab horridis sideribus exeunt, ut sæpius diximus, veluti Arcturo, Orione, Hœdis. Alia sunt illa, quæ silente cœlo serenisque noctibus fiunt, nullo sentiente, nisi cum facta sunt. Publica hæc, et magnæ differentiæ a prioribus, aliis rubiginem, aliis uredinem, aliis carbunculum appellantibus, omnibus vero sterilitatem. De his nunc dicemus, a nullo ante nos prodita, priusque causas reddemus.

(XXIX.) Duæ sunt præter lunarem, paucisque cœli locis constant. Namque Vergiliæ privatim attinent[2] ad fructus,

magna, et manifesta.—23 *E contrario* cod. Dalec.—24 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *gelidas facit noctes* Gronov. et vulgg.—25 Vet. Dalec. *sed alia quam.*

CAP. LXIX. 1 Margo edd. Dalec. et Gronov. *quæ cum plenilunio acced. vi majore impelluntur*, ex Hadr. Jun. Legitur et *vi majore impelluntur* in Vet. Dalec.—2 Vet. Dalec. *primatum tenet.* Vid. Hadr. Jun. VI. 22.—3 Vet. Dalec.

NOTÆ

omnem lucis aversa illo regerat, unde acceperat.'

[a] *Vis major*] Græci θεοῦ βίαν vocant, Latine vim divinam dixit Ulpianus, leg. fluminum, § Servus, Dig. damni infecti. Idem, leg. 19. Dig. tit. 2. locati conducti, § Ex conducto, vim tempestatis calamitosæ. Et § culpæ autem, eodem titulo: 'Vis major, quam Græci θεοῦ βίαν appellant, non debet conductori damnosa esse, si plus quam tolerabile est, læsi fuerint fructus.' Cœli vim majorem appellat Colum. I. 7.

ut quarum exortu [f] æstas incipiat, occasu hyems, semestri spatio intra se messes vindemiasque et omnium maturitatem complexæ. Est præterea in cœlo, qui vocatur lacteus circulus, etiam visu facilis. Hujus defluvio,[g] velut ex ubere aliquo, sata cuncta lactescunt, duorum siderum observatione, Aquilæ in septemtrionali parte, et in austrina Caniculæ, cujus mentionem suo loco fecimus.[h] Ipse circulus fertur per Sagittarium atque Geminos, Solis centro bis æquinoctialem [3] circulum secans, commissuras eorum obtinente hinc Aquila, illinc Canicula. Ideo effectus utriusque ad omnes frugiferas pertinent terras: quoniam in his tantum locis Solis terræque centra congruunt. Igitur horum siderum diebus, si purus atque mitis aër genitalem illum lacteumque succum transmiserit in terras, læta adolescunt sata. Si Luna,[4] qua dictum est[i] ratione, roscidum frigus asperserit, admixta amaritudo, ut in lacte, puerperium necat.[j] Modus in terris hujus injuriæ, quem fecit [5] in quacumque convexitate comitatus utriusque causæ. Et ideo non pariter in toto orbe sentitur, ut nec dies. Aquilam diximus [k] in Italia exoriri a. d. XIII. Kalendas [6] Januarii. Nec patitur ratio naturæ quicquam in satis ante eum diem spei esse certæ. Si vero interlunium incidat, omnes hybernos fructus et præcoces lædi necesse est.

centrum infra æquinoctialem; cod. Dalec. *centro vix æquinoctialem*.—4 *Sin Luna* Pintian.—5 Dalec. *quem facit*.—6 Gronov. et al. vett. *ad XIII. Calendas*.—

NOTÆ

[f] *Ut quarum exortu*] Sic Aratus, et qui Aratum transtulere, Tullius et Avienus. Vide Petavium Var. Dissert. II. 9. in Uranolog. pag. 100.

[g] *Hujus defluvio*] Hoc veterum commentum hodie merito Philosophi rident. Vide Fromondum Meteorol. lib. II. art. ult. pag. 86.

[h] *Suo loco fecimus*] Cap. sup. circa initium. Mox centra Solis ac terræ vocat, cœli terræque partem mediam a Sole signatam, cum circulum æquinoctialem describit.

[i] *Qua dictum est*] In fine cap. sup.

[j] *Puerperium necat*] Puerperium de prole quoque ipsa, fœtuque, dicitur. Plinius, VII. 9. 'Uno partu duodecim puerperia egesta.' Et cap. 3. 'Aut puerperæ, aut puerperio.'

[k] *Aquilam diximus*] Ante mensem Januarium, sed non appellato die, oriri Aquilam subobscure innuit XVI. 42. ubi amygdalam concipere Aquila exoriente ait, eandem florere mense Januario.

Rudis fuit priscorum vita atque sine literis: non minus tamen ingeniosam fuisse in illis observationem apparebit, quam nunc esse rationem. Tria namque tempora fructibus metuebant, propter quod instituerunt ferias, diesque festos, Rubigalia,[l] Floralia,[m] Vinalia. Rubigalia Numa constituit anno regni sui XI. quæ nunc aguntur a. d. septimum Kalendas[7] Maii, quoniam tunc fere segetes rubigo occupat. Hoc tempus Varro[n] determinavit Sole Tauri partem decimam obtinente, sicut tunc[8] ferebat ratio. Sed vera causa est, quod post dies unum et triginta[9][o] ab

7 Dalec. *quæ nunc agunt ad septimum Cal.* Gronov. et al. ante Harduin. *quæ nunc aguntur ad septimum Calendas.*—8 Vet. Dalec. *sic tunc.*—9 'Male scripti et editi libri, *post dies undeviginti.* Emendandum *unum et triginta* recte observavit eruditus Petavius in Uranolog. II. 10. Id quoque manifestum ex Plinio, qui æquinoctium vernum in VIII. Kalendas Aprilis contulit; a qui-

NOTÆ

l. *Rubigalia*] Varro de Ling. Lat. lib. v. pag. 47. 'Robigalia dicta ab Robigo. Secundum segetes huic Deo sacrificatur, ne rubigo occupet segetes.' Paulus ex Festo: 'Robigalia, dies festus, septimo Kal. Maias, quo Robigo Deo suo, quem putabant rubiginem avertere, sacrificabant.' Ovid. Fast. IV. 907. 'Flamen in antiquæ lucum Rubiginis ibat, Exta canis flammis, exta daturus ovis. Protinus accessi, ritus ne nescius essem, Edidit hæc flamen verba, Quirine, tuus. Aspera Rubigo, parcas cerealibus herbis,' &c. Vetus inscriptio apud Reines. pag. 218. ROBIGO. ET. CERERI. ET. FLORÆ. SACRVM.

m *Floralia*] Varro de Re Rust. I. 1. 'Quarto invoco Rubigum ac Floram, quibus propitiis neque rubigo frumenta atque arbores corrumpit, neque non tempestive florent. Itaque publicæ Robigo feriæ Robigalia: Floræ ludi Floralia sunt instituti.' Arnobius adv. Gent. lib. IV. 'Flora illa genitrix et sancta, obscœnitate ludorum bene curat ut arva florescant.'—'Ludorum Floralium mentio est in nummo Serviliæ gentis argenteo apud Patinum, in Famil. p. 260. n. 4. et in Museo nostro. Hinc duos exhibet gladiatores: in imo C. SERVIL. M. F. (quas duas postremas literas Patinus omisit; vidit etiam, ut in nostro sunt, Begerus in Thesauro Brandenburgico p. 585.) In altera parte caput Deæ Floræ est: retro lituus, insigne C. Servilii auguratus: inscriptio FLORAL. PRIMVS. Quod cave legas, ut vulgo fit, 'Floralia primus:' nam ubi verbum, aut quale subintelligitur? Lege ergo 'FLORALia PRopriis IMpensis veneri sacravit:' nempe 'Servilius,' cujus nomen in parte nummi priore legitur. In tutela Veneris sunt horti, ut Varro dicit infra, lit. 2.' *Ed. sec.*

n *Hoc tempus Varro*] De hac Varronis sententia Petavium vide Var. Dissert. in Uranol. II. 10. pag. 104.

o *Post dies unum et triginta* [*undeviginti*] Vide Notas et Emend. num. 38.

æquinoctio verno, per id quatriduum,[p] varia gentium observatione in IV. Kalendas Maii, Canis occidit, sidus et per se vehemens,[q] et cui præoccidere Caniculam [r] necesse sit. Itaque iidem Floralia quarto Kalendas easdem instituerunt, Urbis anno DXVI.[s] ex oraculis Sibyllæ, ut omnia bene deflorescerent. Hunc diem Varro determinat, Sole Tauri partem quartamdecimam obtinente. Ergo si in hoc quatriduum inciderit plenilunium, fruges, et omnia quæ florebunt, lædi necesse erit. Vinalia priora, quæ ante hos dies sunt IX. Kalendas Maii degustandis vinis[t] instituta, nihil ad fructus attinent: nec quæ adhuc diximus, ad vites oleasque, quoniam earum conceptus exortu Vergiliarum incipit a. d. VI. Idus Maii, ut docuimus.[u] Aliud hoc quatriduum est, quod neque rore sordere velint: exhorrent enim frigidum sidus Arcturi postridie occidens:[v] et multo minus plenilunium incidere.

Nonas [w] Junii iterum Aquila exoritur vesperi, decretorio die florentibus oleis vitibusque, si plenilunium in eum incidat. Equidem et solstitium VIII. Kalendas Julii [10] simili



bus ad VII. Kalendas Maii sunt dies XXXI.' *Brotier*.—10 'Ita bene codd.

NOTÆ

[p] *Per id quatriduum*] A VII. Kalendas ad IV.

[q] *Et per se vehemens*] Ut in ortu suo immodicos æstus excitare caniculam, sic occidentem frigora et inimicas frugibus pruinas commovere, Plinius his verbis significat. Columella XI. 2. 'Pridie Kalend. Maias: Canis se vespere celat, tempestatem significat.' Hoc Manilius voluit, I. 388. 'Subsequitur rapido contenta Canicula cursu, Quo nullum terris violentius advenit astrum, Nec gravius cedit.'

[r] *Præoccidere caniculam*] Rutilam canem immolari necesse est ad placandum sidus. Vide Notas et Emend. num. 39.

[s] *Urbis anno DXVI.*] Vide Notas et Emend. num. 40.

[t] *Degustandis vinis*] Et antequam degustarent, libandis. Nam in his festis vinalibus, priusquam e dolio vinum gustarent, Jovi libabant: si ita fecissent, reliquum omne vinum sacrum fiebat, et usibus humanis eripiebatur. Festus: 'Calpar, vinum novum, quod ex dolio demitur sacrificii causa ante quam gustetur. Jovi enim prius sua vina libabant, quæ appellabant Festa Vinalia.'

[u] *Ut docuimus*] Tum XVI. 42. tum hujusce libri cap. 66.

[v] *Postridie occidens*] Nempe X. Kalendas Maii: ut etiam sensit Columella XI. 2.

[w] *Nonas*] Columella loc. cit. 'IV. Nonas Junii, Aquila exoritur, tem-

causa duxerim, et Canis ortum post dies a solstitio XXIII. sed interlunio accidente, quoniam vapore [x] constat culpa, acinique præcoquuntur [y] in callum. Rursus plenilunium nocet a. d. IV. Nonas Julii, cum Ægypto Canicula exoritur: vel certe XVI. Kalendas [z] Augusti, cum Italiæ. Item XIII. Kalendas Augusti, cum Aquila occidit, usque in X. Kalendas easdem. Extra has causas sunt Vinalia altera,[a] quæ aguntur a. d. XIV. Kalendas [11] Septembris. Varro a Fidicula [12] incipiente occidere mane, determinat, quod vult initium autumni [b] esse, et hunc diem festum tempestatibus leniendis institutum. Nunc Fidiculam [c] occidere a. d. VI. Idus Augusti servatur.[13]

Intra hæc constat cœlestis sterilitas. Neque negaverim posse eam permutari arbitrio legentium, locorum æstimantium naturas. Sed a nobis rationem demonstratam esse

Regg. et Editio princeps.' *Brotier.* *VIII. Cal. Junii* Gronov. al. vett. Harduin. 1. 2. 3. et recentt.—11 'Ita bene codd. Regg. Lang. et Editio princeps. In vetere quoque Kalendario, 'XIV. Kal. Septembr. VIN.' i. e. Vinalia. Vide et Festum.' *Brotier.* *ad decimumtertium Cal.* Gronov. al. vett. Harduin. 1. 2. 3. et recentt.—12 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Varro et a Fidicula* cod. Dalec. *Et Varro a Fidicula* Edd. vett.—13 Pintian. et Vet. Dalec.

NOTÆ

pestas ventosa, et interdum pluvia.'

[x] *Quoniam vapore*] Calore, ut diximus II. 40.

[y] *Acinique præcoquuntur*] Superiore libro, cap. 37. 'Siderationis genus est in vitibus ... cum acini, priusquam crescant, decoquuntur in callum.'

[z] *Vel certe XVI. Kalendas*] Biduo ante Columella loc. cit. hoc est, Idibus, Procyonis sive Caniculæ exortum matutinum assignat.

[a] *Vinalia altera*] Nempe rustica. Varro de Ling. Lat. v. pag. 47. 'Vinalia a vino. Hic dies Jovis, non Veneris. Hujus rei cura non levis in Latio. Nam aliquot locis vindemiæ primum e sacerdotibus publice fiebant, ut Romæ etiamnunc,' &c. Et pag. 48. 'Vinalia rustica dicuntur ante diem XII. Kalend. (lego *XIII.*) Septemb. quod tum Veneri dedicata ædes, et horti ejus tutelæ assignantur, ac tum sunt feriati olitores.' Festus quoque: 'Rustica vinalia appellantur, mense Augusto, quartodecimo (lego *XIII. tertiodecimo,* non *XIIII.*) Kal. Septemb. Jovis dies festus, quia Latini bellum gerentes adversus Mezentium, omnis vini libationem ei Deo dedicaverunt: eodem autem die Veneri templa sunt consecrata ... quia in ipsius Deæ tutela sunt horti.'

[b] *Initium autumni*] Jam id attigit cap. 59.

[c] *Nunc Fidiculam*] Quæ et Lyra dicitur, ut ante monuimus. Pridie Idus oriri Columella existimat, loc. cit.

satis est: reliqua observatione cujusque constabunt. Alterutrum quidem fore in causa, hoc est, plenilunium aut interlunium, non erit dubium. Et in hoc mirari [14] benignitatem naturæ succurrit: jam primum hanc injuriam omnibus annis accidere non posse, propter statos siderum cursus: nec nisi paucis noctibus anni: idque quando futurum sit, facile nosci. Ac ne per omnes menses timeretur, earum quoque lege [d] divisum, æstate interlunia præterquam biduo secura esse, hyeme plenilunia: nec nisi æstivis brevissimisque noctibus [e] metui, diebus non idem valere. [15] Præterea tam facile intelligi, [f] ut formica minimum animal interlunio quiescat, plenilunio etiam noctibus operetur. Avem parram [g] oriente Sirio, ipso die non apparere, donec occidat. E diverso chlorionem prodire [16] ipso die solstitii. Neutrum vero Lunæ statum noxium esse, ne noctibus quidem, nisi serenis, et omni aura quiescente: quoniam neque in nube, neque in flatu cadunt rores: sic quoque non sine remedio.

LXX. Sarmenta, [h] aut palearum acervos, et evulsas herbas fruticesque, per vineas camposque, cum timebis, in-

observatur.—14 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *Et in hoc mirabilem admirari* Gronov. et al. vett. ante Harduin.—15 Cod. Dalec. *non diebus ita valere.*—16 'Ita bene cod. Reg. 2. De Chlorione, *le Loriot*, jam quoque dictum, x. 45.' *Brotier.* Ita quoque scribit Pintian. *vireonem prodire* Gronov. al. vett. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.

NOTÆ

[d] *Earum quoque lege*] Noctium earum, quæ sunt metuendæ frugibus, hanc legem, hanc conditionem esse: ut interlunia noctu nonnisi duo æstate, plenilunia hyeme, nisi biduo pariter, metuenda sint: cum, uti dictum est num. 2. roscidum frigus Luna forsan aspersit, admiscetque amaritudinem, satis.

[e] *Brevissimisque noctibus*] Ut minor sit noscendi mora.

[f] *Præterea ... intelligi*] Quando interlunium sit.

[g] *Avem parram*] De parra et vireone vide quæ diximus x. 45.

[h] *Sarmenta*] Nunc remedia proponit adversus rubiginem, et Columellam sequitur, de Arbor. cap. 13. 'Ne rubigo vineam vexet. Palearum acervos inter ordines verno tempore positos habeto in vinea: cum frigus contra temporis consuetudinem intellexeris, omnes acervos incendito: ita fumus nebulam et rubiginem removebit.' Habet hoc ipsum et Diophanes, in Geopon. v. 31.

cendito: fumus medebitur. Hic e paleis et contra nebulas auxiliatur, ubi nebulæ nocent. Quidam tres[i] cancros vivos cremari jubent in arbustis, ut carbunculi non noceant. Alii siluri[j] carnem leviter uri a vento, ut per totam vineam[1] fumus dispergatur. Varro auctor est, si Fidiculæ occasu, quod est initium autumni, uva picta consecretur inter vites, minus nocere tempestates. Archibius ad Antiochum Syriæ regem scripsit, 'Si fictili novo obruatur rubeta rana[2] in media segete, non esse noxias tempestates.'

LXXI. Opera rustica[k] hujus intervalli, terram iterare,[1] arbores circumfodere: ubi æstuosa regio poscat, accumulare. Germinantia, nisi in solo luxurioso, fodienda non sunt. Seminaria purgari sarculo. Messem hordeaceam facere. Aream ad messem creta[2] præparare,[l] Catonis sententia amurca temperatam,[3] Virgilii operosius. Majore ex parte æquant tantum, et fimo bubulo dilutiore illinunt. Id satis ad pulveris remedium videtur.

CAP. LXX. 1 Pintian. scribit, *leviter uri, ut a vento per totam vineam.*—2 Hoc verbum, *rana*, pro glossemate habet Pintian.

CAP. LXXI. 1 'Male recentiores editiones, *terram iterare, arare.* Verbum, *arare*, non habent codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier.* *terram iterare, arare* Gronov. et al. vett. item Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—2 Pro *creta*, Pintian. mallet, *terra.*—3 'Ita codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier.* Ita quoque cod. Dalec. *amurca temperata* Gronov. et al. vett. item Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.

NOTÆ

[i] *Quidam tres*] Sic Apuleius in Geopon. loc. cit.

[j] *Alii siluri*] Auctor Geopon. loc. cit. pag. 150. Τινὲς δὲ σίλουρον τὸν ἰχθὺν κατατεμόντες, καίουσι κατὰ ἄνεμον, κατὰ πᾶν μέρος τοῦ χωρίου τὴν ὀσμὴν ποιοῦντες. *Quidam silurum piscem concisum urunt secundum ventum, ac per omnes regionis partes odorem spargunt.*

[k] *Opera rustica*] Columella XI. 2. in Augusto.

[l] *Aream ... creta præparare*] Cato c. 129. 'Aream ubi frumentum teratur, sic facies. Confodiatur minute terra, et amurca bene conspergatur, ut combibat quam plurimum. Ubi bene comminuta terra fuerit, et amurcam combiberit, cylindro aut pavicula coæquato,' &c. Cato cretam non nominat: sed interpres Plinius ex Catonis sententia cretam dixit amurca temperandam. Virgilius vicissim amurcam non nominat, sed cretam, Georg. I. 178. 'Area cum primis ingenti æquanda cylindro, Et vertenda manu, et creta solidanda tenaci, Ne subeant herbæ, neu pulvere victa fatiscat.'

LXXII. (XXX.) Messis ipsius ratio varia. Galliarum[a] latifundiis valli[b] prægrandes dentibus in margine infestis, duabus rotis per segetem impelluntur, jumento in contrarium juncto: ita dereptæ in vallum cadunt spicæ.[1] Stipulæ[c] alibi mediæ falce præciduntur, atque inter duas mergites[2][d] spica distringitur. Alibi ab radice vellunt: quique id faciunt,[3] proscindi ab se obiter agrum interpretantur, cum extrahant succum. Differentia hæc: ubi stipula domos contegunt, quam longissimam servant. Ubi fœni inopia est, stramento paleam quærunt. Panici culmo non tegunt. Milii culmum fere inurunt. Hordei stipulam bubus gratissimam servant. Panicum et milium singulatim[4] pectine manuali[e] legunt Galliæ.

CAP. LXXII. 1 'Lege ex Palladio: *vehiculum prægrande, &c. impellitur, jum. in contr. jun. ita dir. in vehiculum cad. spicæ.*' Dalec.—2 Margo edd. Dalec. et Gronov. *iterum et desecta mergite*, e Varrone.—3 Vet. Dalec. *quod qui faciunt.*—4 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *sigillatim* Gronov. et al. vett.

NOTÆ

[a] *Galliarum*] In Galliarum fundis latioribus, fit vehiculum, seu carpentum, in vanni seu valli grandioris modum, cujus in fronte seu margine denticuli plurimi ac rari sint: id duabus rotis brevibus fertur, impellente bove, qui capite in vehiculum verso a tergo ipsius jugo aptetur et vinculis, qui sit mansuetus, nec modum compulsoris excedat. Hic ubi vehiculum per messes cœpit impellere, omnis spica in carpentum denticulis comprehensa decidit, abruptis relictisque paleis: et ita per paucos itus ac reditus brevi horarum spatio tota messis impletur. Ita fere Palladius lib. VII. in Junio, tit. 2. p. 122.

[b] *Valli*] Vallus hoc loco vehiculum nobis esse videtur, vanni grandioris instar, compactum. Vallum pro vanno Varro dixit de Re Rust. I. 52.

[c] *Stipulæ*] Varro de Re Rust. I. 50. sub urbe Roma id fieri solitum ait.

[d] *Inter duas mergites*] Mergas appellat Columella II. 21. pag. 78. ferramenta metendis frugibus idonea: 'Sunt autem,' inquit, 'metendi genera complura: multi falcibus verriculatis, atque iis vel rostratis, vel denticulatis, medium culmum secant: multi mergis: alii pectinibus spicam ipsam legunt,' &c. Festus: 'Mergæ, furculæ, quibus acervi frugum fiunt, dictæ a volucribus mergis, quia ut illi se in aquam mergunt, dum pisces persequuntur, sic messores eas in fruges demergunt, ut elevare possint manipulos.' Plautus in Pœnulo V. 2. 58. 'Palas vendendas sibi ait, et mergas datas, Ut hortum fodiat, atque ut frumentum metat.' Joan. de Janua: 'Merga a merges dicitur, id est, furca cum qua cona segetis portatur.'

[e] *Pectine manuali*] Cum pectine subdito, ut fit in tondendis hominum capillis, extantes spicæ præscindun-

Messis ipsa [f] alibi tribulis in area, [g] alibi equarum [h] gressibus exteritur, alibi perticis [i] flagellatur. Triticum, quo serius metitur, copiosius invenitur: quo celerius vero, hoc speciosius [j] ac robustius. Lex aptissima [k] antequam granum indurescat, et cum jam traxerit [5] colorem. Oraculum vero, biduo celerius messem facere potius, quam biduo serius. Siliginis [l] et tritici etiam ratio [6] in area horreoque. Far, quia difficulter excutitur, convenit cum palea sua condi: et stipula tantum, et aristis liberatur.

Palea plures gentium pro fœno utuntur. Melior ea, quæ tenuior, minutiorque, et pulveri propior: ideo optima e

—5 Colum. *jam rubicundum traxerit.*—6 Pintian. *eadem ratio.*—7 Alii, *muria*

NOTÆ

tur, et singulæ quidem, nec, ut fit in frumentis, plures comæ vel jubæ simul.

[f] *Messis ipsa*] Seges, seu fruges demessæ.

[g] *Tribulis in area*] Tribula, sive tribulum, vehiculum est terendis frumentis destinatum: unde nomen quoque suum habet, velut teribula, quoniam terat et extundat. Virgilius Georg. I. 164. 'Tribulaque, traheæque, et iniquo pondere rastri.' Ubi Servius: 'Tribula genus vehiculi omni parte dentatum, unde teruntur frumenta, quo maxime in Africa utuntur.' Varro neutrius generis facit, de Re Rust. I. 52. 'E spicis,' inquit, 'in aream excuti grana: quod fit apud alios jumentis junctis, ac tribulo: id fit e tabula lapidibus aut ferro exasperata, quæ imposito auriga, aut pondere grandi trahitur jumentis junctis, ut discutiat e spica grana. Aut fit ex assibus dentatis cum orbiculis, quod appellant plaustrum Pœnicum.' Nonius fœminini c. 8. 'Tribulæ,' inquit, 'fœmininum: Virgilius Georg. I. 'Tribulæque, trahæque, et iniquo pondere rastri.''

[h] *Alibi equarum*] Varro, loc. cit. 'Apud alios exteritur grege jumentorum inacto, et ibi agitato perticis, quod ungulis e spica exteruntur grana.' Sic pariter Columella II. 21.

[i] *Alibi perticis*] Uti nunc maxima parte Galliarum. Has perticas etiamnum flagella vocant, *des Fleaux.* Baculis excuti, ac tundi fustibus, dixit Columella II. 21. p. 78.

[j] *Hoc speciosius*] In area et in acervo melius quam in agro frumenta grandescere, ac si tempestive decisa sint, postea capere incrementum, auctor est etiam Columella loc. cit.

[k] *Lex aptissima*] Columella loc. cit. 'Recrastinari non debet, sed æqualiter flaventibus jam satis, antequam ex toto grana indurescant, cum rubicundum colorem traxerunt, messis facienda est, ut potius in area et in acervo, quam in agro, grandescant frumenta,' &c.

[l] *Siliginis*] Hoc eum arbitror velle, quod statim ex Columella diximus, in area et in acervo magis, quam in agro, frumenta grandescere.

milio,[m] proxima ex hordeo, pessima ex tritico, præterquam jumentis opere laborantibus. Culmum saxosis locis cum inaruit, baculo frangunt, substratu animalium.[n] Si palea defecit, et culmus teritur. Ratio hæc: maturius desectus, muria diu respersus,[7] dehinc siccatus in manipulos convolvitur, atque ita pro fœno bubus datur. Sunt qui accendant in arvo et stipulas, magno Virgilii præconio.[o] Summa autem[p] ejus ratio, ut herbarum semen exurant. Ritus diversitatem magnitudo facit messium, et caritas operariorum.[8]

LXXIII. Connexa est ratio frumenti servandi. Horrea operose tripedali[1 a] crassitudine, pariete lateritio, exædificari jubent aliqui. Præterea superne[b] impleri, nec afflatus admittere, aut fenestras habere ullas. Alii ab exortu tantum æstivo, aut septemtrione,[c] eaque sine calce[d]

diu respergitur; cod. Dalec. *muria aspersus.*—8 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *et raritas operariorum* cod. Dalec. *et caritas operarum* Gronov. et vulgg.

CAP. LXXIII. 1 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *operosa tripedali* Gro-

NOTÆ

[m] *Ideo optima e milio*] Ad pabulum scilicet jumentorum. Columella VI. 3. 'Minus commode tuemur armentum paleis, quæ ubique, et quibusdam regionibus solæ præsidio sunt: eæ probantur maxime ex milio, tum ex hordeo, mox etiam ex tritico.'

[n] *Substratu animalium*] Ut stramenti vice animalibus substernatur in hyberna stabulatione.

[o] *Virgilii præconio*] Georg. I. 84. 'Sæpe etiam steriles incendere profuit agros, Atque levem stipulam crepitantibus urere flammis: Sive inde occultas vires et pabula terræ Pinguia concipiunt: sive illis omne per ignem Excoquitur vitium, atque exudat inutilis humor,' &c.

[p] *Summa autem*] Præcipua, inquit, optimaque ratio Virgilii est, ut herbarum inutilium semina igne exurantur. Hunc igitur intellectum Plinius putavit esse horum verborum, 'Omne per ignem Excoquitur vitium.' Alii *summa autem ratio* legunt, demta vocula *ejus:* ut sit sententia, prætermissam ab eo vate rationem validissimam, quæ hunc ritum probaret. Sed Mss. omnes reclamant.

[a] *Horrea... tripedali*] Bipedali contentus Palladius I. 19. p. 18.

[b] *Præterea superne*] Non per fenestras, sed per tabulatum, cameramve, in horreum grana conjici.

[c] *Aut septemtrione*] Hunc situm approbat Vitruvius I. 4. p. 8.

[d] *Eaque sine calce*] Amurcam immiscet calci Columella loc. cit. ad solum sternendum, pavimentaque coagmentanda. Item Geopon. auctor, II. 25.

construi, quoniam sit frumento inimicissima: nam quæ de amurca præceperint, indicavimus.[e] Alibi contra[f] suspendunt granaria lignea columnis, et perflari undique malunt, atque etiam a fundo. Alii omnino pendente tabulato extenuari granum arbitrantur: et si tegulis subjaceat, confervescere. Multi ventilari[2 g] quoque vetant: curculionem[h] enim non descendere infra quatuor digitos, nec amplius periclitari. Columella[i] et Favonium ventum conferre frumento præcipit: quod miror equidem, siccissimum[3 j] alioqui. Sunt qui rubeta rana in limine horrei pede e longiori-

nov. et al. vett. 'Ms. *operosa et tripedali.* Lege, *et tripedalis crassitudinis parieti.*' Dalec.—2 *Multi ventilare* Vet. Dalec.—3 Vet. Dalec. *siccissimo;* Dalec. *sic-*

NOTÆ

[e] *Nam quæ . . . indicavimus*] Lib. XV. c. 8. Adde iis Columellam I. 6. 'Neque me præterit sedem frumentis optimam quibusdam videri horreum camera contectum, cujus solum terrenum priusquam consternatur perfossum, et amurca recenti, non salsa, madefactum, velut Signinum opus, paviculis condensatur.'

[f] *Alibi contra*] Sic libri omnes. Varro de Re Rust. I. 57. p. 70. 'At triticum condi oportet in granaria sublimia, quæ perflentur vento ab exortu, ac Septemtrionum regione, ad quæ nulla aura humida ex propinquis locis aspiret.' Et paulo post: 'Granaria in agro quidam sublimia faciunt, ut in Hispania citeriore, et in Apulia: ita ut non solum a lateribus per fenestras, sed etiam subtus a solo ventus regyrare possit.'

[g] *Multi ventilari*] Columella I. 6. p. 26. 'Sic emunita sola et latera horreorum, ut retuli, prohibent curculionem: quod genus exitii cum incidit, multi opinantur arceri posse, si exesæ fruges in horreo ventilentur, et quasi refrigerentur. Id autem falsissimum est: neque enim hoc facto expelluntur animalia, sed immiscentur totis acervis: qui, si maneant immoti, summis tantum partibus infestantur: quoniam infra mensuram palmi non nascitur curculio: longeque præstat id solum, quod jam vitiatum est, quam totum, periculo subjicere,' &c.

[h] *Curculionem*] Refert hoc ipsum Palladius loc. cit. ex Columella. Virgil. Georg. I. 185. 'Populatque ingentem farris acervum Curculio.' Vermis est frumenta corrodens, vulgo *Calendre, Charenson.* Plautus in ea fabula, quam de parasiti cujusdam nomine Curculionem inscripsit, IV. 4. 30. 'Ubi nunc Curculionem inveniam? CA. In tritico facillime Vel quingentos curculiones pro uno faxo reperias.'

[i] *Columella*] Lib. II. c. 21. pag. 79. 'At ubi paleis immixta sunt frumenta, vento separentur. Ad eam rem Favonius habetur eximius, qui lenis æqualisque æstivis mensibus perflat.' Sic etiam auctor Geopon. II. 25.

[j] *Siccissimum*] Tepidum Favonium, sed subsolano tamen sicciorem esse dixit, II. 48.

bus suspensa,[4] invehere jubeant. Nobis referre plurimum tempestivitas condendi videbitur. Nam si parum tostum atque robustum collectum sit,[5] aut calidum conditum, inimica innasci[k] necesse est.

Diuturnitatis[l] causæ plures. Aut in ipsius grani corio, cum est numerosius, ut milio: aut succi pinguedine, qui pro humore sufficit[6] tantum, ut sesamæ: aut amaritudine, ut lupino et cicerculæ. In tritico maxime nascuntur animalia,[7] quoniam spissitate sua concalescit, et furfure crasso vestitur. Tenuior hordeo palea, exilis et legumini: ideo non generant. Faba crassioribus tunicis operitur, ob hoc effervescit. Quidam ipsum[m] triticum diuturnitatis gratia aspergunt amurca, mille modios quadrantali. Alii Chalcidica aut Carica creta, aut etiam absinthio. Est et Olynthi,[n] ac Cerinthi Eubœæ terra, quæ corrumpi non sinat. Nec fere condita in spica læduntur. Utilissime tamen servan-

cissimum locum quærenti.—4 Cod. Dalec. *rubetam ranam, &c. suspensam.*—5 Ita Gronov. al. vett. Harduin. 1. et Bipont. *robustum sit*, omisso *collectum*, Harduin. 2. 3. Miller. et Franz.—6 Margo edd. Dalec. et Gronov. *qui in tantum pro humore sufficit.*—7 'Ita codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier. cres-*

NOTÆ

[k] *Inimica innasci*] Formicam et curculionem.

[l] *Diuturnitatis*] Hæc a Theophr. de Causis IV. 16. p. 320. Πρὸς δὲ θησαυρισμὸν ἄριστα μὲν κέγχρος, καὶ ἔλυμος, καὶ σήσαμον, καὶ θέρμος, καὶ ἐρέβινθος· τὰ μὲν, ὅτι πολυχίτωνα καὶ ξηρὰ, τὰ δ' ὅτι λιπαρά. Ὁ δὲ θέρμος καὶ ὁ ἐρέβινθος πικρότητά τινα ἔχουσι καὶ δριμύτητα· καὶ διατηροῦσι δὲ ταῦτα ἀπαθῆ, ὥσπερ εἴρηται. *Omnium optime recondi possunt, milium, panicum, sesama, lupinum, cicer. Milium et panicum, qui tunica multiplici integuntur, et sicca sunt: sesama, ob succi pinguitudinem: lupinum et cicer, amaritudinem quandam et acrimoniam habent, quæ conservare ea sine noxa possunt, ut dictum est. Cicerculam* Theophrasti ἐρέβινθον dici obiter animadverte.

[m] *Quidam ipsum*] Varro de Re Rust. I. 57. 'Quidam ipsum triticum amurca conspergunt, cum addant in circiter mille modium, quadrantal amurcæ. Item alius aliud affriat, aut aspergit: ut Chalcidicam, aut Caricam cretam, aut absinthium.' De quadrantali seu amphora dixi XIV. 5.

[n] *Est et Olynthi*] Creditur et terram apud quosdam haberi, inquit Theophr. Hist. VIII. cap. extremo, qua illitum triticum servari unice potest: Δοκεῖ δὲ καὶ γῆ τις εἶναι παρά τισιν, ἣ διαπαττομένη συντηρεῖ τὸν πυρὸν ὥσπερ ἥ τε ἐν Ὀλύνθῳ, καὶ ἐν Κηρίνθῳ τῆς Εὐβοίας.

tur in scrobibus, quos siros vocant,[o] ut in Cappadocia, et in Thracia. In Hispania et Africa, ante omnia ut sicco solo fiant, curant: mox ut palea substernatur. Præterea cum spica sua conduntur.[8] Ita frumenta si nullus spiritus penetret, certum est nihil maleficum nasci.[9] Varro[p] auctor est, sic conditum triticum durare annis quinquaginta, milium vero centum. Fabam[q] et legumina in oleariis cadis oblita[10] cinere, longo tempore servari. Idem fabam a Pyrrhi regis ætate in quodam specu Ambraciæ usque ad piraticum Pompeii Magni bellum durasse, annis circiter centum viginti. Ciceri tantum nullæ bestiolæ in horreis innascuntur. Sunt qui urceis[11] [r] cineri substratis, et illitis acetum habentibus, leguminum acervos superingerant, ita non nasci maleficia[s] credentes. Alii qui in[t] salsamentariis cadis gypso illinant: alii qui lentem aceto laserpitia-

cant animalia Gronov. al. vett. Harduin. et recentt.—8 Dalec. *condantur.*—9 Vet. Dalec. *frumenta, &c. innasci.*—10 Vet. Dalec. *cadis oblitis.*—11 *Sunt qui*

NOTÆ

[o] *Quos siros vocant*] Varro loc. cit. 'Quidam granaria habent sub terris, speluncas, quas vocant σειροὺς, ut in Cappadocia ac Thracia. Alii, ut in Hispania citeriore, puteos, ut in agro Carthaginiensi et Oscensi. Horum solum paleis substernunt, et curant ne humor aut aër tangere possit, nisi cum promitur ad usum: quo enim spiritus non pervenit, ibi non oritur curculio.' Habet eadem Columella I. 6. Hesychius: Σιροῖς, ὀρύγμασιν, ἐν οἷς κατετίθεντο τὰ σπέρματα.

[p] *Varro*] Loco citato. In Bibliotheca Cæsarea Viennæ Austriæ capsulam asservari, scribit Lambecius ei Bibliothecæ præfectus, l. VI. p. 316. qua in capsula frumentum sit conditum, quod anno 1664. trecentorum jam ac tricenum esset annorum, ut ex affixis ei capsæ publicis instrumentis ac monumentis liquet.

[q] *Fabam*] Varro de Re Rust. I. 58.

[r] *Sunt qui urceis*] Fictilibus æneisve vasis, coopertis, intus acetum habentibus, foris cinere illitis, inferne cinere rursum substratis.

[s] *Maleficia*] Bestiolas frugibus inimicas.

[t] *Alii qui in*] Quod de leguminibus generatim Plinius et universe pronuntiat, hoc inprimis de lente Columella II. 10. 'Ea,' inquit, 'ne curculionibus absumatur, ... in Sole siccetur, et radice silphii trita cum aceto aspergatur, defriceturque: atque ita rursus in Sole siccata, et mox refrigerata recondatur, si major est modus, in horreo: si minor, in vasis oleariis, salsamentariisque, quæ repleta confestim gypsata sunt. Quandocumque in usus promserimus, integram lentem reperiemus. Potest tamen etiam citra istam medicationem cineri mixta commode servari.'

to [12] respergant, siccatamque oleo inungant. Sed brevissima observatio, quod vitiis carere velis, interlunio legere. Quare plurimum refert, condere quis malit, an vendere. Crescente [u] enim Luna frumenta grandescunt.

LXXIV. (XXXI.) Sequitur ex divisione temporum autumnus a Fidiculæ occasu ad æquinoctium, ac deinde Vergiliarum occasum, initiumque hyemis. In his intervallis significant,[1 a] pridie Idus Augusti Atticæ Equus oriens vesperi: Ægypto et Cæsari Delphinus occidens.[b] XI. Kalend. Septembris [c] Cæsari et Assyriæ, stella, quæ Vindemitor [2] appellatur, exoriri mane incipit, vindemiæ maturitatem promittens. Ejus argumentum erunt acini colore mutati. Assyriæ V. Kalendas et Sagitta occidit, et etesiæ desinunt. Vindemitor Ægypto Nonis exoritur. Atticæ Arcturus matutino, et Sagitta occidit mane. Quinto Idus [d] Septembris, Cæsari Capella oritur vesperi. Arcturus vero medius pridie Idus, vehementissimo [e] significatu terra marique per dies

orcis Pintian. Mox, Vet. Dalec. *et pice illitis.*—12 'Ita codd. Regg. 1. 2.' *Brotier.* Ita quoque edd. vett. Gronov. Harduin. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *laserpiato* Harduin. 1. operarum lapsu. Cod. Dalec. *illinunt.* *Aliqui lentem aceto laserpitiato respergunt, s. o. inungunt.*

CAP. LXXIV. 1 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *significatur* Gronov. et vulgg.—2 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *antevindemiator*, *προτρυγητὴρ*, Ptolem. *προτρύγητος et provindemiator* Vitr. *τρυγητὴρ* Hesiod. *vindemiator* Gronov. et al. vett.

NOTÆ

[u] *Crescente*] Frumenta Luna crescente lecta grandescunt in area.

[a] *Significant*] Hoc est, ut sæpe diximus, tempestatum significatus habent dies aut sidera mox appellanda.

[b] *Delphinus occidens*] Occasu vespertino: quem Idibus Columella adjudicat: 'Idibus Augusti, Delphini occasus, tempestatem significat.' Et postero die, 'XIX. Kalend. Septemb. ejusdem sideris matutinus occasus tempestatem significat.'

[c] *XI. Kalend. Septemb.*] Quatriduo post Columellæ XI. 2. 'VII. Kalend. Septemb. Vindemiator exoritur mane, et Arcturus incipit occidere: interdum pluvia.'

[d] *Quinto Idus*] Columellæ: 'Septimo Idus Capra exoritur, tempestatem significat.'

[e] *Vehementissimo*] Plautus in Rudente Prolog. vs. 69. 'Increpui hybernum, et fluctus movi maritimos: Nam Arcturus signum sum omnium acerrimum: Vehemens sum exoriens: cum occido, vehementior.' Stella est eximie conspicua in signo Bootæ sive Arctophylacis, post caudam majoris ursæ: unde nomen habet, quasi ἄρκτου οὐρά. Cicero, in Phæ-

quinque. Ratio ejus hæc traditur: si Delphino occidente imbres fuerint, non futuros per Arcturum. Signum orientis ejus sideris servetur hirundinum abitus:[3] namque deprehensæ[f] intereunt. Sextodecimo Kalendas Octobris, Ægypto Spica, quam tenet Virgo, exoritur matutino, etesiæque desinunt. Hoc idem Cæsari[g] XIV. Kalendas, XIII. Assyriæ significant: et XI. Kalendas Cæsari commissura Piscium[h] occidens, ipsumque æquinoctii sidus[i] VIII. Kalend. Octobr. Deinde consentiunt (quod est rarum) Philippus, Calippus,[4] Dositheus, Parmeniscus, Conon, Criton, Democritus, Eudoxus,[5] IV. Kalendas Octobris Capellam matutino exoriri, et III. Kalendas Hædos. Sexto Nonas Octobris Atticæ Corona exoritur mane. Asiæ et Cæsari V. Kalend. Heniochus occidit matutino. Tertio Kalendas Cæsari Corona exoriri incipit: et postridie occidunt Hædi vesperi. VIII. Idus Octobris Cæsari fulgens in Corona stella oritur. Et III. Idus[6] Vergiliæ vesperi. Idibus Corona tota. Sexto Kalendas Novembris Suculæ vesperi exoriuntur. Pridie Kalendas Cæsari Arcturus occidit: et Suculæ exoriuntur cum Sole. Quarto Nonas Arcturus occidit vesperi. Quinto Idus Novembris gladius Orionis occidere incipit. Dein III. Idus[7] Vergiliæ occidunt.

—3 Vet. Dalec. *abitu.*—4 'Ita codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier.* *Callippus* Gronov. Harduin. 1. 2. 3. et recentt.—5 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Eudoxus, Ion* Gronov. et al. vett.—6 *Et VI. Idus* margo edd. Dalec. et Gronov. e Colum.—7 'Ita codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier.* *Deinde III. Idus* Gronov. Harduin. 1. 2. 3. Miller.

NOTÆ

nom. de Arctophylace: 'Arctophylax, vulgo qui dicitur esse Bootes, &c. Huic autem subter præcordia fixa videtur Stella micans radiis, Arcturus nomine claro.'

[f] *Nanque deprehensæ*] Quæ ab eo sidere deprehenduntur, nec ante abierint, quam exoriatur, frigore intereunt.

[g] *Hoc idem Cæsari*] Et Columellæ XI. 2. p. 381. 'XIV. Kalend. Octob. Spica Virginis exoritur.'

[h] *Commissura Piscium*] Ea tæniola est, qua uterque piscis connectitur, ut quidem in globo pingitur. Columella eodem die pisces occidere matutino ait.

[i] *Æquinoctii sidus*] Sol æquinoctium faciens.

In his temporum intervallis opera rustica, napos, raphanos serere, quibus diebus diximus.[j] Vulgus agreste et rapa post ciconiæ [k] discessum male seri putat. Nos omnino post Vulcanalia, et præcocia [8] [l] cum panico. A Fidiculæ autem occasu viciam, faseolos, pabulum:[m] hoc silente [9] Luna [n] seri jubent. Et frondis præparandæ tempus hoc est. Unus frondator quatuor frondarias fiscinas complere in die justum habet. Si decrescente Luna præparetur, non putrescit: aridam colligi non oportet.

Vindemiam antiqui nunquam existimavere maturam ante æquinoctium: jam passim rapi cerno. Quamobrem et hujus tempora notis argumentisque signentur. Leges ita se habent: 'Uvam calidam [10] ne legito, hoc est, in ejus siccitate, ac nisi imber [o] intervenerit. Hanc ne legito rorulentam, hoc est, si ros nocturnus fuerit, nec priusquam [11] Sole discutiatur. Vindemiare incipito, cum ad palmitem pampinus procumbere cœperit, aut cum exemto acino ex densitate intervallum non compleri [12] apparuerit, acinum non augeri.' Acinos plurimos fert,[13] si contingat crescente Luna vindemiare.[14] Pressura una culeos XX,[p] implere



Bipont. et Franz.—8 Margo edd. Dalec. et Gronov. *et matura frumenta*, e Colum.—9 Vet. Dalec. *et hoc silente.*—10 *Uvam calaridam* Vet. Dalec. Mox, Vet. Dalec. *in ea siccitate.*—11 Vet. Dalec. *non prius quam.*—12 Vet. Dalec. *intervallo non completo.*—13 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *Acino plurimum refert* Gronov. et al. vett.—14 Cod. Dalec. *vindemiari.*—15 'Lego, *Ad totid.*

NOTÆ

[j] *Quibus diebus diximus*] Cap. 85. 'Inter duorum numinum dies festos, Neptuni atque Vulcani.'

[k] *Post ciconiæ*] De ejus discessu diximus c. 31.

[l] *Et præcocia*] Rapa nimirum, cum panico, quod seri diximus ante Vergiliarum exortum initio c. 10.

[m] *Pabulum*] Sive ocymum, ut dictum est XVII. 35. 'Ocymum, quod in vinea seri Cato jubet, antiqui appellabant pabulum,' &c.

[n] *Hoc silente Luna*] Hoc est, in interlunio, ut dictum est XVI. 74. Adde Marbodæum de Lapid. Pretios. c. 19. qui Lunam silentem Lunam primam interpretatur.

[o] *Ac nisi imber*] Simile est quod Cato præcipit c. 112. de vino Coo faciendo: 'Uvas relinquito in vinea, sinito ut bene coquantur: et ubi pluerit, et siccaverit, tunc deligito,' &c.

[p] *Culeos XX.*] De culeo diximus XIV. 5. De lacu c. 7.

debet. Hic est pes justus.[q] Ad totidem culeos et lacus,[r] XX. jugeribus unum sufficit torculum.[15 s] Premunt aliqui singulis,[t] utilius binis, licet magna sit vastitas[u] singulis. Longitudo in his refert, non crassitudo: spatiosa[v] melius premunt. Antiqui[w] funibus vittisque loreis ea detrahebant,[a] et vectibus. Intra centum annos[x] inventa Græcanica,[y] mali rugis per cochleas bullantibus,[z] palis affixa arbori stella, a palis arcas lapidum attollente secum arbore:[b 16 a] quod maxime probatur. Intra viginti duos[b] hos annos inventum, parvis prelis, et minori torculari, ædificio breviore, et malo[c] in medio decreto,[17] tympana[d] imposita

[a] *Deprimebant prela.*

[b] *Græcanica torcula, in quibus rugæ torcularii mali per cochleam torquentur: imposita arbori affixaque ex altero trabis capite stella lignea e palis decussatim positis: quibus e palis arcæ lapidum pendeant, quas secum attollat arbos.*

-----

culeos XX. jugeribus unum sufficit torculum et lacus, sub. 'unus.' *Dalec.*—16 Vet. Dalec. *præli cochleæ illabentibus pal. aff. arboris stella, cum prælo arcas lap. attol. sursum arbore.*—17 Vet. Dalec. *erecto.*—18 'Lege, *Sed tamen Calend.*

NOTÆ

[q] *Hic est pes justus*] Hæc mensura pressuræ justa ac legitima.

[r] *Et lacus*] *Pour vingt cuvées.*

[s] *Torculum*] *Un Pressoir.* Torculum, torcular, torcularium, dixere promiscue vetusti scriptores.

[t] *Premunt aliqui singulis*] Torculis, sive prelis scilicet. Est autem prelum torcularium, *l'arbre du pressoir.*

[u] *Licet magna sit vastitas*] Duobus prelis longitudinem pedum quadragenum Vitruvius assignat VI. 9. p. 116. latitudinem, 24.

[v] *Spatiosa*] Quæ nempe longiora sunt, et eadem latiuscula.

[w] *Antiqui*] Meminit ejus moris loco cit. Vitruvius: 'Ipsum autem torcular, si non cochleis torquetur, sed vectibus,' &c.

[x] *Intra centum annos*] Augusti principatu.

[y] *Græcanica*] Subintellige torcula: *Pressoir à vis.*

[z] *Bullantibus*] Decurrentibus per cochleam spiris crassioribus, torosis, extantibus, in bullæ morem rotundatis. Pius etiam dixisse videtur una significatione vocis hujusce *bullantibus*, quam possit ulla copia sermonis enarrari.

[a] *Attollente secum arbore*] Ad æquipondium videlicet, interim dum ex altero capite arbos deprimitur: uti in tollenonibus fieri quotidie promptum est intelligere. De tollenonibus, XIX. 20.

[b] *Intra viginti duos*] Anno igitur Urbis DCCCVIII. Neronis, tertio: hæc enim Auctor commentabatur anno DCCCXXX.

[c] *Et malo*] Malus torcularius in medio statuitur, *La vis du pressoir.*

[d] *Tympana*] Asseres planos ac latos, uvis quæ sunt premendæ impositos.

vinaceis superne toto pondere urgere, et super prela construere congeriem.[e]

Hoc et poma colligendi tempus, et observatio, cum aliquod maturitate, non tempestate, deciderit: hoc et fæces exprimendi: hoc et defrutum[f] coquendi silente Luna noctu: aut si interdiu, plena: ceteris diebus aut ante exortum Lunæ, aut post occasum. Nec de novella vite, aut palustri, nec nisi e matura uva, nec nisi foliis despumandum: quia si ligno contingatur vas, adustum ac fumosum fieri putant. Justum vindemiæ[g] tempus ab æquinoctio ad Vergiliarum occasum dies XLIV. Ab eo die oraculum occurrit, frigidum picari[h] pro nihilo ducentium. Sed jam et Kalendis Januarii,[18] defectu vasorum, vindemiantes vidi, piscinisque musta condi, aut vina effundi priora, ut dubia[i] reciperentur. Hoc tam sæpe proventu nimio evenit, quam sævitia[19] insidiantium caritati civili. Sed æqui patrisfamilias modus est, annona cujusque anni uti. Id peræque etiam lucrosissimum. Reliqua de vinis affatim dicta sunt. Item vindemia facta olivam esse rapiendam, et quæ ad oleum pertinent, quæque ad Vergiliarum occasum agi debent.

LXXV. (XXXII.) His, quæ sunt necessaria, adjicientur de Luna, ventisque, et præsagiis, ut sit tota sideralis ratio

Novembr. Non satis enim credibile, uvas non collectas in vinea durare posse ad Januarium usque mensem.' *Dalec.* *Januarii vind. vidi, piscinisque defectu vasorum musta condi, et vina* Vet. Dalec.—19 Vet. Dalec. *quam segnitia.*

NOTÆ

[e] *Congeriem*] Lapidum videlicet, ad pondus augendum.

[f] *Hoc et defrutum*] Ita Columella XII. 19. p. 427.

[g] *Justum vindemiæ*] Varro de Re Rust. I. 34.

[h] *Frigidum picari*] Hoc est, inutile esse et intempestivum, ac nihili, vasa seu dolia parare, picare, instruere, post eum diem, cum cœlum esse tum frigidum cœpit: serum esse tum comparare, quæ promta esse prius oportuit.

[i] *Ut dubia*] Nova scilicet, quibus vetusta vina præstant. Sunt enim ea dubiæ bonitatis, quorum tam sera pressura, quæque serius sunt vasis condita.

perfecta. Namque Virgilius[j] etiam in numeros Lunæ digerenda quædam putavit, Democriti secutus ostentationem. Nos legum utilitas, quæ in toto opere, in hac quoque movet parte. Omnia quæ[k] cæduntur, carpuntur, conduntur, innocentius decrescente Luna, quam crescente, fiunt. 'Stercus,[l] nisi decrescente Luna, ne tangito. Maxime intermenstrua[m] dimidiaque stercorato. Verres, juvencos, arietes, hædos, decrescente Luna castrato. Ova Luna nova supponito. Scrobes Luna plena noctu facito. Arborum radices Luna plena operito. Humidis locis interlunio serito, et circa interlunium quatriduo.' Ventilari quoque frumenta ac legumina, et condi circa extremam Lunam jubent: seminaria, cum Luna supra terram sit, fieri: calcari musta, cum Luna sub terra: item materias[n] cædi,[1] quæque alia suis locis diximus. Neque facilior est observatio ac jam dicta a nobis secundo volumine:[o] sed quod intelligere vel rustici possint, quoties ab occidente Sole cernetur, prioribusque noctis horis lucebit, crescens erit, et oculis dimidiata judicabitur: cum vero occidente Sole orietur ex adverso, ita ut pariter aspiciantur, tum erit plenilunium. Quoties ab ortu[p] Solis orietur, prioribusque noctis horis detrahet lumen, et in diurnas extendet, decrescens erit, iterumque dimidia. In coitu vero (quod interlunium vocant) cum apparere desierit. Supra terras autem erit, quamdiu et Sol, interlunio, et prima tota die: secunda, horæ unius dextante sicilico:[q] ac deinde tertia usque ad quintamdecimam,

CAP. LXXV. 1 'Ita codd. Regg.' *Brotier*. Edd. ante Brotier, *materias*

NOTÆ

[j] *Namque Virgilius*] Georg. I. 276. Mox *quædam Lunæ*, hoc est, quædam de Luna.

[k] *Omnia quæ*] Vide quæ dicta sunt I. 74.

[l] *Stercus*] Auctor Geopon. II. 19. p. 59. Ὅτι δὲ σελήνης αὐξανούσης οὐ χρὴ κοπρίζειν, κ. τ. λ.

[m] *Intermenstrua*] Sive intermestri, ut dictum est XVI. 75.

[n] *Item materias*] Vide XVI. 74.

[o] *Secundo volumine*] Lib. II. c. 11.

[p] *Quoties ab ortu*] Quoties ab exortiva cœli parte orietur, sed serius, ita ut nocti suum lumen per aliquot horas neget.

multiplicatis horarum iisdem portionibus: quintadecima tota supra terras noctu erit, eademque sub terris tota die. Sextadecima ad primæ horæ nocturnæ dextantem sicilicum sub terra aget, easdemque portiones horarum per singulos dies adjiciet usque ad interlunium. Et quantum primis partibus noctis detraxerit, quod sub terris agat,[2] tantundem novissimis ex die adjiciet supra terram. Alternis autem mensibus XXX. implebit numeros, alternis vero detrahet singulos. Hæc erit ratio lunaris.

LXXVI. (XXXIII.) Ventorum paulo scrupulosior. Observato Solis ortu quocumque libeat die, stantibus hora diei sexta,[a] sic ut ortum eum a sinistro humero habeant, contra mediam faciem meridies, a vertice septemtrio erit. Qui ita limes per agrum currit, cardo[b] appellatur. Circumagi deinde melius est, ut umbram suam quisque cernat: alioqui post hominem erit. Ergo permutatis lateribus, ut ortus illius diei a dextro humero fiat, occasus a sinistro, tunc erit hora sexta, cum minima umbra contra medium fiet hominem. Per hujus mediam longitudinem duci sarculo sulcum; vel cinere lineam, verbi gratia, pedum viginti, conveniet: mediamque mensuram, hoc est, in decimo pede, circumscribi circulo parvo, qui vocetur umbilicus.[c] Quæ pars

oedi.—2 Cod. Dalec. *quando sub terris agit.*

NOTÆ

[q] *Dextante sicilico*] Secunda die, inquit, Luna supra terras erit per dextantem sicilicum unius horæ vesperi, hoc est, 51. min. ¼. seu per quinque sextas partes unius horæ, et aliquanto amplius. Finge horam unam in partes duodenas tribui: dextans ex illis denas complectitur: sicilicus, partis undecimæ quartam partem.

[a] *Hora diei sexta*] Quæ nobis meridies est, et duodecima diei hora.

[b] *Cardo*] Limiti, fossæ, viæ, quæ a meridie ad septemtrionem ducebatur, Cardinis nomen inditum a mundi cardine, ut Hyginus admonet initio libri de limitibus constituendis.

[c] *'Qui vocetur umbilicus*] Umbilicum Plinius admonet appellari spatium instar circuli circumscriptum, in medio agro, vel regionis. Sic III. 17. 'Cutiliæ lacum' dixit idem a Varrone appellari 'Italiæ umbilicum.' Eo sensu etiam in Cantico Canticorum dicitur, VII. 2. 'Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis.' Nam ibi populus Juda Hierosolymitanæ toparchiæ præconium facit, et Bethlehem oppidum, quod in medio illius toparchiæ sive regionis est, cisternam dicit ha-

fuerit a vertice umbræ, hæc erit ventus septemtrionalis. Illo tibi, putator, arborum plagæ ne spectent, neve arbusta vineæve, nisi in Africa, Cyrenis, Ægypto. Illinc flante ne arato, quæque alia præcipimus.[1] Quæ pars lineæ fuerit a pedibus umbræ, meridiem spectans, hæc ventum Austrum dabit, quem a Græcis Notum diximus vocari. Illinc flatu veniente, materiam vineamque, agricola, ne tractes. Humidus aut[d] æstuosus[2] Italiæ est. Africæ quidem incendia cum serenitate affert. In hunc Italiæ palmites spectent, sed non plagæ arborum vitiumve. Hunc oliveti metator Vergiliarum quatriduo,[e] hunc caveat insitor calamis, gemmisque inoculator. De ipsa regionis hora præmonuisse conveniet. Frondem media die, arborator, ne cædito. Cum meridiem adesse senties, pastor, æstate contrahente se umbra, pecudem a Sole in opaca cogito. Cum æstate[f] pasces, in occidentem specta[3] ante meridiem, post meridiem in orientem: aliter noxium, sicut hyeme[g] et vere, si in rorulentum duceres. Ne contra[4] septemtrionem paveris supradictum.[h] Clodunt ita,[i] lippiuntve ab afflatu, et alvo

Cap. lxxvi. 1 Cod. Dalec. *præcepimus.*—2 Dalec. *et æstuosus.*—3 Vet. Dalec. *spectent.*—4 Dalec. ex codd. *vere, in rorulentum ducere. Ne contra.* Edd. vett. *Nec contra.*

NOTÆ

bere similem crateri bene tornato, quo nihil effici possit rotundius, nec unquam potus egentem. Cisterna hæc, cujus fit mentio ii. Reg. xxiii. 15. 'Desideravit ergo David, et ait: O si quis mihi daret potum aquæ, de cisterna, quæ est in Bethlehem juxta portam!' 'Pocula' enim pro ipso potu dixere Latinitatis auctores optimi. Sic 'viventia pocula' dixit Plinius xxviii. 2. Sic etiam Horat. ii. Sat. 6. 70. 'Siccat inæquales calices conviva, solutus Legibus insanis: seu quis capit acria fortis Pocula, modicis humescit lætius.'' *Ed. sec.*

[d] *Humidus aut*] Vide quæ diximus in Notis et Emend. ad l. ii. num. 45.

[e] *Hunc....quatriduo*] Quo de quatriduo egimus xvii. 2.

[f] *Cum æstate*] Vide quæ in eam rem diximus viii. 75. Adde Palladium lib. xii. in Novemb. tit. xiii. p. 171.

[g] *Sicut hyeme*] Colum. vii. 3. peg. 256. 'Hyeme et vere, matutinis temporibus intra septa contineantur, dum dies arvis gelicidia detrahat: nam pruinosa iis diebus herba pecudi gravedinem creat, ventremque proluit,' &c. Vide et cap. 5. ejusdem libri, p. 263. Palladium quoque loc. cit.

[h] *Supradictum*] Libentius agnoverim, *sit prædictum:* quasi dicat, prædoctus esto, ut cap. seq. Quo enim loco id ante dixerit, non occurrit.

[i] *Clodunt ita*] Oculos nimirum, ut

cita pereunt. Qui fœminas concipi voles, in hunc ventum[j] spectantes iniri cogito.

LXXVII. (XXXIV.) Diximus[k] ut in media linea designaretur umbilicus. Per hunc medium transversa currat alia.[1] Hæc erit ab exortu æquinoctiali ad occasum æquinoctialem: et limes qui ita secabit agrum, decumanus vocabitur.[l] Ducantur deinde aliæ duæ lineæ in decusses[2] obliquæ, ita ut a septemtrionis dextra lævaque ad Austri dextram lævamque descendant. Omnes per eundem currant umbilicum, omnes inter se pares sint, omnium intervalla paria. Quæ ratio semel in quoque agro ineunda erit: vel si sæpius libeat uti, e ligno facienda, regulis paribus in tympanum[m] exiguum, sed circinatum adactis. Ratione qua doceo, occurrendum ingeniis quoque imperitorum est. Meridiem excuti placet, quoniam semper est idem: Sol autem quotidie ex alio cœli momento, quam pridie, oritur: ne quis forte ad exortum capiendam putet lineam.[3] Ita cœli exacta parte, quod fuerit lineæ caput septemtrioni proximum a parte exortiva solstitialem habebit exortum, hoc est, longissimi diei, ventumque Aquilonem, Boream[n] Græcis dictum. In hunc ponito arbores vitesque. Sed hoc flante

CAP. LXXVII. 1 Cod. Dalec. *alia lubis.*—2 Gronov. *decusseis.*—3 Margo edd.

NOTÆ

qui nictatione laborant. Inde fortassis Clodia gens apud Romanos nomen traxit.

[j] *Qui feminas . . . . in hunc ventum*] In septemtrionem videlicet, qui noxius est, non in Aquilonem, qui salubrior: in quem quæ spectare coguntur oves, mares edunt, ut diximus ex Aristotele, ceterisque, VIII. 72. dicemusque iterum cap. seq.

[k] *Diximus*] Sup. cap.

[l] *Decumanus vocabitur*] Festus quoque: 'Decumanus appellatur limes, qui fit ab ortu Solis ad occasum. Alter ex transverso currens, appellatur Cardo.' Atque eam ob causam quoniam literæ X figuram exhibet, quæ nota denarii est, decumano limiti factum id nomen. Alia causa appellationis decumani ovi, decumanique fluctus, apud Festum, quem consule. Vide plura apud Voss. in Etymol.

[m] *Tympanum*] Hoc est, tabulam solidam ac planam.

[n] *Aquilonem, Boream*] De varia appellatione ventorum diximus abunde II. 46. &c.

ne arato: frugem ne serito: semen ne jacito. Præstringit enim atque percellit[4] hic radices arborum, quas positurus afferes. Prædoctus esto: alia robustis prosunt, alia infantibus. Nec sum oblitus, in hac parte ventum Græcis poni, quem Cæciam vocant. Sed idem Aristoteles, vir immensæ subtilitatis, qui id ipsum fecit, rationem convexitatis mundi reddit, qua contrarius Aquilo Africo flat. Nec tamen eum toto anno in prædictis timet agricola. Mollitur sidere[o] æstate media, mutatque nomen, et etesias vocatur. Ergo cum frigidum senties, caveto; ac quacumque[5] Aquilo prædicitur, tanto perniciosior septemtrio est. In hunc Asiæ,[p] Græciæ, Hispaniæ, maritimæ Italiæ, Campaniæ, Apuliæ arbusta vineæque spectent. Qui mares[q] concipi voles, in hunc[r] pascito, ut sic ineuntem ineat.[6] Ex adverso Aquilonis ab occasu brumali Africus flabit, quem Græci Liba vocant. In hunc a coitu cum se pecus circumegerit, fœminas conceptas esse scito.

Tertia a septemtrione linea, quam per latitudinem umbræ duximus, et decumanam vocavimus, exortum habebit æquinoctialem, ventumque Subsolanum, Græcis Apelioten[7] dictum. In hunc salubribus locis villæ vineæque spectent. Ipse leniter pluvius: tamen est siccior Favonius,[8] ex adverso ejus ab æquinoctiali occasu, Zephyrus Græcis nominatus. In hunc spectare oliveta Cato jussit.[s]

Dalec. et Gronov. *capi unicam putet lineam. Ista.*—4 Vet. Dalec. *prægelat.*—5 Vet. Dalec. *ad quæcumque.*—6 Vet. Dalec. *ut sic matres ineantur;* alii ap. Dalec. *ut sic in eumdem ineat;* alii ibid. *ut sic mares ineant.*—7 'Vet. *Apheliotem*, magis ex etymologia.' *Dalec.*—8 *Favonio. Ex* cod. Dalec.—9 Vet.

NOTÆ

[o] *Mollitur sidere*] Aquilo nimirum: qui etesias appellatur: de quo jam antea Plinius II. 47. 'Aquilones,' inquit, 'quos etesias appellant. Mollire eos creditur Solis vapor geminatus ardore sideris.'

[p] *In hunc Asiæ*] In Aquilonem, aut Cæciam, non in Septemtrionem.

[q] *Qui mares*] In Aquilonem adhuc, aut Cæciam. Vide quæ dicta sunt VIII. 72.

[r] *In hunc*] In Africum.

[s] *Cato jussit*] Ut diximus XV. 6.

Hic ver inchoat, aperitque terras tenui frigore saluber. Hic vites putandi, frugesque curandi, arbores serendi, poma inserendi, oleas tractandi jus dabit, afflatuque nutritium exercebit.[9] [t]

Quarta a septemtrione linea, eadem Austro ab exortiva parte proxima, brumalem habebit exortum, ventumque Vulturnum, Eurum Græcis dictum, sicciorem et ipsum, tepidioremque. In hunc apiaria et vineæ Italiæ, Galliarumque, spectare[10] debent. Ex adverso Vulturni flabit Corus, ab occasu solstitiali et occidentali latere septemtrionis, Græcis dictus Argestes, ex frigidissimis et ipse, sicut omnes qui a septemtrionis parte spirant. Hic et grandines infert, cavendus et ipse, non secus ac septemtrio. Vulturnus, si a serena cœli parte cœperit flare, non durabit in noctem: at Subsolanus in majorem partem noctis extenditur. Quisquis erit ventus, si fervidus sentietur, pluribus diebus permanebit. Aquilonem prænuntiat terra siccescens repente, Austrum humescens rore occulto.

LXXVIII. (XXXV.) Etenim prædicta[1] ventorum ratione, ne sæpius eadem dicantur, transire convenit ad reliqua tempestatum præsagia, quoniam et hoc placuisse Virgilio [u] magnopere video. Siquidem in ipsa messe sæpe concurrere prælia ventorum damnosa imperitis refert. Tradunt eundem Democritum metente fratre ejus Damaso [v] ardentissimo æstu orasse, ut reliquæ segeti parceret, raperetque desecta sub tectum, paucis mox horis sævo imbre vaticinatione approbata. Quin immo et arundinem non nisi impendente pluvia seri jubent, et fruges insecuturo imbre.

Dalec. *afflatumque nutricium excitabit.*—10 *Galliarum spectare* Gronov.
CAP. LXXVIII. 1 *At enim prædicta* Vet. Dalec.—2 'Ita cod. Reg. 2. et

NOTÆ

[t] *Nutritium exercebit*] Tenui frigore nutritium arborum agricolam exercebit. Hic Pinetus, ut sæpe, cespitat.

[u] *Virgilio*] Georg. I. 318. 'Sæpe ego ventorum concurrere prælia vidi.'

[v] *Damaso*] Refert hoc ipsum Clemens Alexandr. Stromat. lib. VI. p. 631. ubi et Damasum fratrem Democriti vocat: Laërtius quoque in Democrito, l. IX. p. 247.

Quamobrem et hæc breviter attingimus,[2] scrutati maxime pertinentia.

Primumque a Sole capiemus præsagia. Purus oriens,[w] atque non fervens, serenum diem nuntiat: at hybernam pallidus grandinem. Si et occidit[x] pridie serenus, et oritur, tanto certior fides serenitatis. Concavus oriens[y] pluvias prædicit: idem[3] ventos,[z] cum ante exorientem eum nubes rubescunt: quod si et nigræ[4] rubentibus intervenerint, et pluvias. Cum orientis[a] atque occidentis radii rubent, coire[5] pluvias. Si circa occidentem rubescunt nubes, serenitatem futuræ diei spondent. Si in exortu[b] spargentur[6] partim ad Austrum, partim ad Aquilonem, pura circa eum serenitas sit licet, pluviam tamen ventosque significabunt. Si in ortu aut[c] in occasu contracti cernentur radii, imbrem. Si in occasu ejus pluet, aut radii in se[7] nubem trahent, asperam in proximum diem tempestatem significabunt. Cum oriente radii non illustres eminebunt, quamvis circumdati nube non sint, pluviam portendent. Si ante exortum nubes globabuntur, hyemem asperam denuntiabunt. Si ab ortu repellentur, et ad occasum abibunt, serenitatem. Si

Editio princeps.' *Brotier.* *breviter attingemus* Gronov. al. vett. Harduin. 1. 2. 3. et recentt.—3 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *item* Gronov. et al. vett.—4 Dalec. *si nigræ.*—5 Vet. Dalec. *radii videntur coire.*—6 *Si in e. sparguntur* Vet. Dalec.—7 Vet. Dalec. *licent radii*

NOTÆ

[w] *Purus oriens*] Theophr. de Signis Seren. p. 128.

[x] *Si et occidit*] Theophr. loc. cit.

[y] *Concavus oriens*] Sol abditus in cavo nubis. Theoph. de Signis Vent. p. 118. Virgil. Georg. I. 441. 'Ille ubi nascentem maculis variaverit ortum Concavus in nubem, medioque refugerit orbe, Suspecti tibi sint imbres,' &c.

[z] *Idem ventos*] Festus Rufus Arati interpres, p. 69. 'Ignea si fulgor præcurrit plurimus ora, Flamina crebra salis quatiunt vada,' &c.

[a] *Cum orientis*] Theophr. de Sign. Pluv. et Vent. p. 111.

[b] *Si in exortu*] Festus Avienus p. 69. de Sole: 'Sed non ora cavo similis, medioque recedens Ore quasi, vel si radios discingitur ultro, Figat ut Australem porrecti sidere partem, Ac Borean rigidi jaculetur luminis igne, Et vento et pluviis reparata luce carebit.'

[c] *Si in ortu aut*] Rufus Avienus loc. cit.

nubes Solem circumcludent, quanto minus luminis relinquent, tanto turbidior tempestas erit: si vero etiam duplex orbis fuerit, eo atrocior. Quod si in exortu fiet, ita ut rubescant nubes, maxima ostendetur tempestas. Si non ambibunt,[8] sed incumbent, a quocumque vento fuerint, eum portendent. Si a meridie, et imbrem. Si oriens cingetur orbe, ex qua parte is se aperit, expectetur ventus. Si totus defluxerit æqualiter, serenitatem dabit. Si in exortu longe radios per nubes porriget, et medius erit inanis, pluviam significabit. Si ante ortum radii se ostendent, aquam et ventum. Si circa occidentem candidus circulus erit, noctis levem[9] tempestatem: si nebula, vehementiorem: si candente Sole, ventum: si ater circulus fuerit, ex qua regione is ruperit se, ventum magnum.[10]

LXXIX. Proxima sint jure Lunæ præsagia. Quartam eam[d] maxime observat Ægyptus. Si splendens[e] exorta puro nitore fulsit,[1] serenitatem: si rubicunda,[f] ventos: si nigra,[g] pluvias portendere creditur. In quinta cornua ejus obtusa, pluviam: erecta et infesta ventos semper significant: quarta tamen maxime. Cornu ejus septemtrionale acuminatum atque rigidum, illum præsagit ventum: inferius, Austrum: utraque recta, noctem ventosam. Si quartam orbis rutilus cingit, ventos[2] et imbres præmonebit.

aut in se.—8 *Si non abibunt* cod. Dalec.—9 Cod. Dalec. *lenem.*—10 Cod. Dalec. *ventus fiat, et circulus fuerit, ex qua reg. is eruperit, ventum magnum.*

CAP. LXXIX. 1 Cod. Dalec. *nitore fulserit.*—2 *Si quartæ orbis rutilus, cie-*

NOTÆ

[d] *Quartam eam*] Vide Festum Avienum, p. 65. et 67.

[e] *Si splendens*] Virgil. Georg. I. 432. 'Sin ortu in quarto, namque is certissimus auctor, Pura nec obtusis per cœlum cornibus ibit, Totus et ille dies, et qui nascentur ab illo, Exactum ad mensem, pluvia ventisque carebunt.'

[f] *Si rubicunda*] Virgil. Georg. I. 430. 'At si virgineum suffuderit ore ruborem, Ventus erit: vento semper rubet aurea Phœbe.'

[g] *Si nigra*] Virgil. Georg. I. 427. 'Luna revertentes cum primum colligit ignes, Si nigrum obscuro comprenderit aëra cornu, Maximus agricolis pelagoque parabitur imber.'

Apud Varronem ita est: Si quarto die Luna erit directa,[3] magnam tempestatem in mari præsagiet, nisi si coronam circa se habebit, et eam sinceram: quoniam illo modo non ante plenam Lunam hyematurum[4] ostendit. Si plenilunio per dimidium pura erit, dies serenos significabit: si rutila, ventos: nigrescens, imbres. Si caligo orbis nubem[5] incluserit, ventos, qua se ruperit: si gemini orbes cinxerint, majorem tempestatem. Et magis, si tres erunt, aut nigri, interrupti[6] atque distracti. Nascens Luna, si cornu superiore obatrato[7] [h] surget, pluvias decrescens dabit: si inferiore, ante plenilunium: si in media nigritia illa fuerit, imbrem in plenilunio. Si plena circa se habebit orbem, ex qua parte is maxime splendebit, ex ea ventum ostendet. Si in ortu cornua crassiora fuerint, horridam tempestatem. Si ante quartam non apparuerit, vento Favonio flante, hyemalis toto mense erit. Si sextadecima vehementius flammea apparuerit, asperas tempestates præsagiet. Sunt et ipsius Lunæ octo articuli,[i] quoties in angulos Solis incidit, plerisque inter eos tantum observantibus præsagia ejus, hoc est, tertia, septima, undecima, quintadecima, nonadecima, vigesimatertia, vigesimaseptima, et interlunium.

LXXX. Tertio loco stellarum observationem esse oportet. Discurrere[a] eæ videntur interdum, ventique protinus sequuntur, in quorum parte[1] ita præsagivere: Cœlum cum



bit ventos cod. Dalec.—3 Vet. Dalec. *recta.*—4 Cod. Dalec. *hiemandum.*—5 *Si orbem caligo nubis* quidam ap. Dalec.—6 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *aut nigri aut interrupti* Gronov. et al. ante Harduin.—7 'Ita codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier.* *superiore obatro* Gronov. al. vett. Harduin. 1. 2. 3. et recentt.

CAP. LXXX. 1 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt.

NOTÆ

h *Si cornu . . . obatrato* [*obatro*] Mss. *obatrato.*

i *Sunt . . . octo articuli*] Octo veluti puncta seu stationes, ac positus Lunæ, unde si una cum Sole a terra conspiciatur, diversos tum octo angulos facere ambo videntur. Aspectum octilem Astronomi seu octogonum vocant.

a *Discurrere*] Vide quæ in eam rem diximus II. 6. et 36.

æqualiter totum erit splendidum, articulis temporum, quos [2] proposuimus,[b] autumnum serenum præsagibunt, et frigidum. Si ver et æstas [c] non sine riguo aliquo transierint, autumnum serenum et densum, minusque ventosum facient. Autumni serenitas ventosam hyemem facit. Cum repente stellarum fulgor obscuratur, et id neque [3] nubilo, neque caligine, pluvia aut graves denuntiantur tempestates. Si volitare [d] plures stellæ videbuntur, quo feruntur albescentes, ventos ex iis partibus nuntiabunt.[4] Aut si cursitabunt,[5] certos: si id in pluribus partibus fiet, inconstantes ventos effundent. Si stellarum errantium aliquam orbes incluserint, imbres. Sunt in signo [e] Cancri duæ stellæ parvæ, Aselli appellatæ, exiguuminter illas spatium obtinente nubecula, quam Præsepia appellant. Hæc cum cœlo sereno apparere desierit, atrox hyems sequitur. Si alteram earum Aquiloniam caligo abstulit, Auster sævit: si Austrinam, Aquilo. Arcus cum sunt [f] duplices, pluvias nuntiant: a

---

ex quarum parte Gronov. et al. vett.—2 Dalec. *articulo temporis, quem;* a Fidiculæ nempe occasu ad æquinoctium, quem articulum postremum exposuit initio cap. 74.—3 Vet. Dalec. *utique neque*.—4 Cod. Dalec. *nunciant*.—5 *Ac si circa stabunt* cod. Dalec. *Ac si circa puræ stabunt* Vet. Dalec.—6 Vet.

NOTÆ

[b] *Articulis .... quos proposuimus*] Cap. 60. his verbis: 'Rursus hi cardines singulis temporum articulis dividuntur, per media omnes dierum spatia. Quoniam inter solstitium et æquinoctium autumni, Fidiculæ occasus autumnum inchoat,' &c.

[c] *Si ver et æstas*] Vide Theophr. de Signis Tempest.

[d] *Si volitare*] Virgil. Georg. I. 365. 'Sæpe etiam stellas vento impendente videbis Præcipites cœlo labi, noctisque per umbras Flammarum longos a tergo albescere tractus.' Recte vero admonuit Seneca Natur. Quæst. I. 1. p. 832. 'Argumentum tempestatis nautæ putant, cum multæ transvolant stellæ: quod si signum ventorum est, ibi est, ubi venti sunt, id est, in aëre, qui medius inter Lunam et terram est.' Vide etiam Avienum, p. 71.

[e] *Sunt in signo*] Geminus in Elem. Astron. c. 2. p. 12. 'Εν τῷ Καρκίνῳ *νεφελοειδεῖ συστροφῇ ἐοικότες καλοῦνται φάτνη· οἱ δὲ πλησίον αὐτῆς δύο ἀστέρες κείμενοι, ὄνοι προσαγορεύονται. Quæ stellæ in Cancro nebulosæ, stellarum congregationi similes sunt, vocantur Præsepe: duæ stellæ præsepi vicinæ vocantur Asini.* Vide et Festum Avienum, fol. 79. Plinius Theophrastum hoc loco transcribit, e de Sign. Pluv. et Vent. p. 112.

[f] *Arcus cum sunt*] Aratus in Prognosticis, interprete Avieno, fol. 71.

pluviis,[6] serenitatem non perinde certam: circuli novi circa sidera aliqua, pluviam.[7]

LXXXI. Cum æstate vehementius tonuit quam fulsit, ventos ex ea parte denuntiat: contra si minus tonuit, imbrem. Cum sereno cœlo fulgetræ erunt et tonitrua, abhyemabit.[1] Atrocissime[g] autem, cum ex omnibus quatuor partibus cœli fulgurabit. Cum ab Aquilone tantum, in posterum diem aquam portendet.[2] Cum a Septemtrione, ventum eum. Cum ab Austro, vel Coro, aut Favonio, nocte serena fulguraverit, ventum et imbrem ex iisdem regionibus demonstrabit. Tonitrua matutina ventum significant, imbrem meridiana.

LXXXII. Nubes cum sereno cœlo[1] feruntur, a quacumque parte id fiet, expectentur venti: si eodem loco globabuntur, appropinquante Sole discutientur. Et hoc si ab Aquilone[2] fiat, ventos; si ab Austro, imbres portendent. Sole occidente si ex utraque parte[3] ejus cœlum petent, tempestatem significabunt. Vehementius atræ ab oriente, in noctem aquam minantur: ab occidente, in posterum diem. Si nubes, ut vellera[h] lanæ, spargentur multæ ab oriente, aquam in triduum præsagient. Cum in cacuminibus[i] montium nubes consident,[4] hyemabit. Si cacu-

Dalec. *nuntiant et pluviis.*—7 *Circulus nubis .... aliqui pluviam* in eodem Vet.

CAP. LXXXI. 1 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *fulget, pluviæ erunt, et tonitrua, et hiemabit* Gronov. et vulgg. *fulgurat, pluviæ erunt, et tonitrua, et hiemabit* Vet. Dalec.—2 'Ita codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier.* Edd. Gronov. al. vett. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *aquam portendit.*

CAP. LXXXII. 1 Vet. Dalec. *in cælum.*—2 Cod. Dalec. *appropinquantesque soli discutiantur, et hoc ab Aquilone.*—3 Vet. Dalec. *si ab utraque parte.*—4 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. et Bipont. *conci-*

NOTÆ

'Si discolor Iris Demittat gemino se fornice ... Plurimus abruptis fundetur nubibus imber.'

[g] *Atrocissime*] Theophr. de Sign. Vent. p. 119.

[h] *Si nubes, ut vellera*] Aratus loc. cit. 'Vellera si cœlo volitent,' &c. Theophr. quoque de Sign. Pluv. et Vent. p. 111.

[i] *Cum in cacuminibus*] Theophr. de Signis Tempest. Ὀρέων κορυφαὶ κατεχόμεναι ὑπὸ νεφέλων, χειμέριον.

mina pura fient, disserenabit.[j] Nube gravida candicante, quod vocant tempestatem albam, grando imminebit. Cœlo quamvis sereno, nubecula quamvis parva [5] flatum procellosum dabit.

LXXXIII. Nebulæ e montibus descendentes, aut cœlo cadentes, vel in vallibus sidentes,[1] serenitatem promittunt.

LXXXIV. Ab his terreni ignes proxime significant: pallidi namque, murmurantesque, tempestatum nuntii sentiuntur: pluviæ etiam [1] in lucernis fungi.[k] Si flexuose volitet flamma, ventum. Et lumina [l] cum ex sese flammas elidunt, aut vix accenduntur. Item cum in eo pendentes coacervantur scintillæ: vel cum tollentibus ollas carbo adhærescit: aut [2] cum contectus ignis e se favillam discutit, scintillamve emittit: vel cum cinis in foco concrescit, et cum carbo vehementer perlucet.

LXXXV. Est et aquarum significatio. Mare si tranquillum in portu [1] a cursu stabit, et murmuraverit intra se, ventum prædicit. Si identidem, et hyemem, et imbrem. Littora ripæque [m] si resonabunt tranquillo, asperam tem-

dent edd. vett. et Gronov.—5 Vet. Dalec. *quævis parva.* Mox, pro *flatum procellosum*, quod ex codd. Regg. et Editione principe recepit Brotier, aliæ edd. habent, *ventum procellosum.*

CAP. LXXXIII. 1 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *in vallibus sedentes* Gronov. et al. vett. ante Harduin.

CAP. LXXXIV. 1 Vox *etiam* deest in cod. Dalec.—2 'Vet. *in iis*, sub. 'luminibus.'' *Dalec.*

CAP. LXXXV. 1 *Mare si tranquillo portu* cod. Dalec.—2 *Littoris ripæque*

NOTÆ

[j] *Disserenabit*] Dies serenus erit. Theophr. de Signis Seren. Τὰ ὄρη, ὅταν τὰς κορυφὰς καθαρὰς ἔχωσιν, εὐδίαν σημαίνει. *Montes cum habent pura cacumina, serenitatem significant.*

[k] *In lucernis fungi*] Theophr. de Signis Pluv. et Vent. p. 111. Καὶ οἱ μύκητες, ἐὰν νότια ᾖ, ὕδωρ σημαίνουσι. *Fungi in lucernis, flantibus Austris, aquas prænuntiant.* Virgil. Georg. I. 390. 'Nec nocturna quidem carpentes fila puellæ Nescivere hyemem, testa cum ardente viderent Scintillare oleum, et putres concrescere fungos.'

[l] *Et lumina*] Theophr. de Signis Temp. p. 124.

[m] *Littora ripæque*] Theophr. loc. cit. et de Signis Vent. p. 118. Virgil. Georg. I. 356. 'Continuo ventis surgentibus aut freta Ponti Incipiunt agitata tumescere: et aridus altis

pestatem: item maris ipsius tranquillo sonitus, spumæve dispersæ,[2] aut aquæ bullantes. Pulmones marini in pelago, plurium dierum hyemem portendunt. Sæpe et silentio intumescit, flatuque[3] [n] altius solito jam intra se esse ventos fatetur.

LXXXVI. Equidem et montium sonitus, nemorumque mugitus prædicunt: et sine aura, quæ sentiatur, folia ludentia.[o] Lanugo populi, aut spinæ,[p] volitans; aquisque pluma innatans. Atque etiam in campis tempestatem venturam præcedens suus fragor: cœli quidem murmur non dubiam habet significationem.

LXXXVII. Præsagiunt et animalia. Delphini[q] tranquillo mari lascivientes, flatum, ex qua veniunt parte: item spargentes aquam turbato, tranquillitatem. Loligo volitans,[r] conchæ adhærescentes, echini[s] affigentes sese, aut arena saburrantes, tempestatis signa sunt. Ranæ quoque[t]

ipsius tranquillus sonitus spumæve dispersæ cod. Dalec.—3 Pintian. *fluctuque*.

NOTÆ

Montibus audiri fragor: aut resonantia longe Littora misceri: et nemorum increbrescere murmur.'

[n] *Flatuque*] Forte, *inflatuque*.

[o] *Folia ludentia*] Virgil. Georg. I. 368. 'Sæpe levem paleam, et frondes volitare caducas, Aut summa nantes in aqua colludere plumas,' &c.

[p] *Lanugo ... aut spinæ*] Spinæ albæ. Aratus, in Διοσημεῖα, p. 117. Ἤδη καὶ πάππος λευκῆς, γήρειον ἀκάνθης. Sic enim Plinius legisse intelligitur, et λευκῆς de alba populo accepisse: et quidem recte. Sunt autem albæ spinæ, quam Arati schol. κινάραν vocat, pappi, carduorum flores, ut Festus explanat. Avienus Aratum sic reddidit: *Jamque super latices florum volitare senectam, &c.* Mox *suus fragor* idem valet, ac peculiaris, qui in campis solet audiri, fragor.

[q] *Delphini*] Cic. de Divin. lib. II. p. 270. 'Loligines et Delphini exultantes tempestatem futuram significant.'

[r] *Loligo volitans*] Plutarchus in Quæst. Natur. p. 916. Διὰ τί τευθὶς φαινομένη σημεῖόν ἐστι μεγάλου χειμῶνος; *Cur loligo conspecta signum est magnæ tempestatis?* Causam ejus rei ibi investigat. Adi et Theophr. de Signis Tempest. p. 124.

[s] *Echini*] Vide IX. 51.

[t] *Ranæ quoque*] Sic Aratus, interprete Avieno, loc. cit. 'Si repetunt veterem ranæ per stagna querelam.' Unde imitatus Aratum Maro intelligitur, Georg. I. 378. 'Et veterem in limo ranæ cecinere querelam.'

ultra solitum vocales. Et fulicæ [u] matutino clangore. Item mergi, anatesque, pennas rostro purgantes, ventum: ceteræque aquaticæ aves concursantes: grues in [v] mediterranea festinantes:[1] mergi maria [w] aut stagna fugientes. Grues silentio [x] per sublime volantes, serenitatem: sic noctua [y] in imbre garrula: at sereno, tempestatem: corvique [z] singultu [2] quodam latrantes, seque concutientes, si continuabunt, ventos: si vero carptim vocem resorbebunt, ventosum imbrem. Graculi [a] sero a pabulis recedentes, hyemem. Et albæ aves,[b] cum congregabuntur. Et cum terrestres [c] volucres contra aquam clangores dabunt, perfundentes sese: sed maxime cornix.[d] Hirundo tam

Cap. lxxxvii. 1 Vet. Dalec. *fugientes.*—2 Vet. Dalec. *at serena tempestate*

NOTÆ

[u] *Et fulicæ*] Idem Arati interpres, p. 71. 'Et cum parva fulix trepido petit arva volatu, Stagna sinens, longasque iterat clangore querelas: Indicat insanis freta mox canescere ventis: Latipedemque anatem cernes excedere ponto Sæpius.' De mergis et anatibus, Theophr. de Signis Pluv. et Vent. p. 112. et de Signis Vent. p. 118.

[v] *Grues in*] Aratus, eodem interprete, fol. 72. 'Si Threiciæ per aperta Sponte grues trepidant, nec sese audacibus æthræ Committunt pinnis ... Mox tempestates et nubila tetra cientur.' Adde et Ælian. Hist. Anim. vii. 7.

[w] *Mergi maria*] Lucanus eleganter v. 552. 'Nec placet incertus qui provocat æquora Delphin: Aut siccum quod mergus amat: quodque ausa volare Ardea sublimis pennæ confisa natanti.' Adde Virgil. Georg. i. 360. et Cassiod. Var. Ep. iii. 48.

[x] *Grues silentio*] Theophr. de Signis Seren. p. 128. et Ælian. locis citatis.

[y] *Sic noctua*] Theophr. et Ælian. locis citatis.

[z] *Corvique*] Aratus loc. cit. 'Agmine cum denso circumvolitare videtur Graculus, et tenui cum stridunt gutture corvi, Convenit instantes prænoscere protinus imbres.'

[a] *Graculi*] Theophr. de Signis Tempest. p. 125.

[b] *Et albæ aves*] Theophr. loc. cit. et Ælianus.

[c] *Et cum terrestres*] Servius in Georg. i. 375. 'Hic locus,' inquit, 'omnis de Varrone est, Atacino scilicet: ille enim sic: 'Tum liceat pelagi volucres, tardæque paludis Cernere inexpleto studio certare lavandi: Et velut insolitum pennis infundere rorem: Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo,'' &c. De hirundine etiam Theophr. de Signis Pluv. et Vent. p. 111.

[d] *Maxime cornix*] Geopon. auctor, i. 3. p. 7. *Καὶ κορώνη ἐπ' αἰγιαλοῦ τὴν κεφαλὴν διαβρέχουσα, ἢ πᾶσα νηχομένη ... ὄμβρους προμηνύει.* Lucanus v. 555. 'Quodque caput spargens undis, vel-

juxta aquam volitans, ut penna sæpe percutiat. Quæque in arboribus habitant, fugitantes in nidis suis.[3] Et anseres[e] continuo clangore intempestivi. Ardea[f] in mediis arenis tristis.

LXXXVIII. Nec mirum, aquaticas, aut in totum volucres præsagia aëris sentire. Pecora[g] exultantia, et indecora lascivia ludentia, eandem significationem habent. Et boves[h] cœlum olfactantes, seque lambentes contra pilum.[1][i] Turpesque porci[j] alienos sibi manipulos[2] fœni lacerantes: segniterque et contra industriam suam absconditæ formicæ, vel concursantes, aut ova progerentes.[k] Item vermes[l] terreni erumpentes.

corvi singultu.—3 Vet. Dalec. *in nidos suos.*

CAP. LXXXVIII. 1 Cod. Dalec. *contra pluviam;* Vet. Dalec. *citam pluviam.* —2 Vet. Dalec. *alieno subsultu manipulos;* alii vett. ap. eundem, *alieno sibilo manipulos.*

NOTÆ

ut occupet imbrem, Instabili gressu metitur littora cornix.'

[e] *Et anseres*] Theophrast. loc. cit. p. 124.

[f] *Ardea*] Inter signa tempestatis Lucanus illud affert, v. 549. 'Quodque ausa volare Ardea sublimis pennæ confisa natanti.'

[g] *Pecora*] Hoc illud est quod Virgilius ait, Georg. I. 423. 'Et lætæ pecudes,' &c. Aratus, interprete Avieno, p. 74. 'Pastor id indicium pluvialis frigoris edet, Et si persultans aries lascivius herbas Appetat: aut sese sustollant saltibus hædi: Vel si juge gregi cupiant hærere,' &c. Vide etiam Ælian. Hist. Anim. VII. 8.

[h] *Et boves*] Virgilius Georg. I. 375. 'Aut bucula cœlum Suspiciens, patulis captavit naribus auras.' Id quod ex Varrone Atacino hausisse Virgilium auctor est Servius in eum locum, ubi Varronis carmen laudat ejuscemodi: 'Et bos suspiciens cœlum, mirabile visu, Naribus aëreum patulis decerpsit odorem.' Theophr. quoque de Sign. Pluv. et Vent. pag. 111.

[i] *Contra pilum*] Sic pecti capillos dixit Cælius Aurel. II. 4. nunc pro capillatura, nunc contra capillaturam. Mss. omnes, *contra pluviam.* Diversa paululum sententia Avienus loc. cit. 'Bubus arator idem trahit atræ signa procellæ, Lambere si lingua prima hos vestigia forte Viderit, aut dextrum prosternere corpus in armum.'

[j] *Turpesque porci*] Explicat id Politianus, in Rust. 'Cum sibi non factos sus dissipat ore maniplos.'

[k] *Aut ova progerentes*] Atacinus Varro loc. cit. 'Nec tenuis formica cavis non evehit ova.' Virgil. Georg. I. 380. 'Sæpius et tectis penetralibus extulit ova Angustum formica terens iter.'

[l] *Item vermes*] Theophr. de Sign. Temp. p. 124.

LXXXIX. Trifolium quoque inhorrescere, et folia contra tempestatem surrigere certum est.

XC. Necnon et in conviviis mensisque nostris, vasa, quibus esculentum additur, sudorem repositoriis[1 m] linquentia, diras tempestates prænuntiant.

CAP. XC. 1 Vet. Dalec. *sudorem in repositoriis.* Cod. Dalec. *relinquentia.*

NOTÆ

[m] *Repositoriis*] Quid repositorium olim diceretur, aperiemus opportunius XXXIII. 49.

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD LIBRUM XVIII.

NATURALIS HISTORIÆ

C. PLINII SECUNDI.

1. Cap. II. *Tertiam ex his nominare sub tecto religio est*] Tutelinam, cujus Augustinus et alii meminere, eam esse Deam, quam nominare sub tecto religio fuit, existimant Turnebus Advers. xx. 36. et Cælius Rhodig. xxi. 29. pag. 1005. quoniam fortassis, ut Macrobius admonet Saturn. I. 16. p. 264. 'apud veteres qui nominasset Salutem, Semoniam, Sejam, Segetiam, Tutilinam, ferias observabat.' Verum ex eo ipso Macrobii testimonio plane efficitur, non aliam hac in parte Tutelinæ Deæ, quam Sejæ Segetiæque, conditionem fuisse: cum tamen dispares eas fuisse hac silentii religione sub tecto, Plinius velit. Eccur autem non liceret Tutelam nominare, quam et in navi et in ædibus passim nominari et advocari cernimus apud Petronium in Satyrico? An Meja potius intelligenda Dea est, a messibus nominata? Nam Tertull. de Spectac. cap. 8. 'Singula,' inquit, 'ornamenta Circi, singula templa sunt . . . Sessias a sementationibus, Messias a Messibus, Tutelinas a tutela fructuum sustinent columnæ. Ante has tres aræ trinis Diis parent, magnis, potentibus. Eosdem Samothracas existimant.' Ut igitur Sessia in Sejam, sic Messia Dea, quæ altero nomine Segesta appellata fuit, forte in Mejam commutata: quam, propterea quod ea vox putidum quid olet ac sonat, sub tecto eo nomine nominare religio fuit. Sed Segestam ipsam verius, ut arbitror, intellexit, quam nominari sub tecto idcirco religio fuit, quod ad aliam vocem molliendam, quæ turpiculæ foret vel inauspicata, nempe 'Egesta,' vel 'Egestas,' conficta illa existimaretur. Sic enim et de Siciliæ oppido Festus refert: 'Segesta, quæ nunc appellatur, oppidum in Sicilia est, quod videtur Æneas condidisse, præposito ibi Egesto, qui eam Egestam nominavit. Sed præposita est ei S litera, ne obscœno nomine appellaretur, ut factum est in Malevento quod Beneventum dictum est.' Sane si eam, quam nominari sub tecto religio est, non ipse jam appellasset, minime nunc ipse diceret, *Tertiam ex his:* nam quid est aliud, *ex his*, quam ex proxime appellatis Diis?

2. Cap. III. *Jugum vocabatur*] Prius

legebatur *jugerum:* at *jugum* scribi oportere vel ex eo perspicuum est, quod de jugero postea agitur. Adde Varronem, a quo hæc Plinius mutuatur, de Re Rust. c. 10. ita scripsisse: 'Modos,' inquit, 'quibus metirentur rura, alius alios constituit. Nam in Hispania ulteriore metiuntur jugis: in Campania versibus: apud nos in agro Romano ac Latio, jugeris. Jugum vocant, quod juncti boves uno die exarare possunt. Versum dicunt centum pedes quoquoversum quadratum. Jugerum, quod quadratos duos actus habeat. Actus quadratus, qui et latus est pedes CXX. et longus totidem: is modus Acnua Latine appellatur.' Lege, *Agna*, ex Colum. v. 1. ubi et agna quid sit, et porca, definit.

3. CAP. VI. *Et ideo Comitia nundinis*] Qui *nisi nundinis* reponi volunt, et omnium exemplarium auctoritati refragantur, et Festo in fragmento, p. 21. 'Nundinas feriatum diem esse voluerunt antiqui, ut rustici convenirent mercandi vendendique causa: eumque nefastum, ne si liceret cum populo agi, interpellarentur nundinatores.' Qui suam emendationem Varronis, Columellæ, et Dionysii Halicarnassei testimonio corroboratam putant, recentiorem Urbis morem cum prisco majorum instituto commutant.

4. CAP. VI. *Aquam, viam, et vicinum*] In Mss. Reg. aliisque, *aquam, vim.* In editis, *aquarum vim*, male. Cato ipse, a quo hæc manarunt, e Præf. libri de Re Rust. pag. 5. *aquam, viam*, scribendum suggerit: 'Loco,' inquit, 'salubri ager siet, bonumque aquarium, (alii codd. 'boumque aquarium,') oppidum validum prope siet, aut mare, aut amnis, qua naves ambulent, aut via bona celebrisque.' Columella quoque, I. 3. p. 16. 'Post hæc duo principalia subjungebat Cato illa non minus intuenda: viam, et aquam, et vicinum. Multum conferre agris iter commodum: primum, quod est maximum, ipsam præsentiam domini, qui libentius commeaturus sit, si vexationem viæ non reformidet: deinde ad vehenda et exportanda utensilia . . . De bonitate aquæ ita omnibus clarum est, ut pluribus non sit disserendum . . . . De vicini commodo non est quidem certum, quem nonnunquam mors, aliæque nobiscum diversæ causæ mutant,' &c.

5. CAP. VIII. *Ne familiæ malæ sint*] Ita libri hactenus vulgati, cum Reg. 1. cod. forte propter illud Catonis, c. 4. 'Vicinis bonus esto: familiam ne siveris peccare,' nimirum in vicinos. 'Si te libenter vicinitas videbit, facilius tua vendes, operas facilius locabis, operarios facilius conduces. Si ædificabis, operis, jumentis, materia juvabunt,' &c. In Reg. 2. cod. haud minus forte sincere: *Ne familiæ male sit*, propter istud ejusdem scriptoris, c. 5. 'Familiæ male ne sit, provideat: ne algeat, ne esuriat,' &c.

6. CAP. X. *Frumentum vero, et hordeum, viciaque*] Prius legebatur, *Frumentum et hordeum utrumque:* ubi se torquet mirum in modum Dalecampius, ut quodnam sit hordeum utrumque, explanet. Nos sinceram hanc lectionem, ope codicis Colb. 3. et Paris. repræsentamus.

7. CAP. XIII. *Ex quo panis apud eos præcipuus, et alica. Maxime quidem oryza gaudent, &c.*] Prius legebatur: *panis apud eos præcipuus. Italica maxime quidem, &c.* Atque ita sane codices manu exarati omnes præ se ferunt, sed rejecta interpunctionis nota, post vocem *Italica*. Dalecampius scribendum ita conjiciebat, *Oryza quidem maxime ut Itali gaudent.* Alii aliter: Salmasius, nihil. Facilis tamen emendatio, vel literulæ unius immutatione, ut patet. Auctor emendandi Theophr. Hist. IV. 5. unde hæc exscripta sunt, *Est*, inquit, *et hordeum, et triticum, et genus quoddam aliud hordei sylvestris, ex quo panis*

præcipuæ suavitatis, et alica perbona. Κριθαὶ δὲ, καὶ πυροὶ, καὶ ἄλλο τι γένος ἀγρίων κριθῶν, ἐξ ὧν καὶ ἄρτοι ἡδεῖς, καὶ χόνδρος καλός. Peculiaria Indiæ semina ibi Græcus scriptor persequitur. Moxque subjicit, paucis admodum interjectis: Μᾶλλον δὲ σπείρουσι τὸ καλούμενον ὄρυζον, ἐξ οὗ τὸ ἕψημα· τοῦτο δὲ ὅμοιον τῇ ζειᾷ, καὶ περιπτισθὲν, οἷον χόνδρος. *Maxime quidem oryzam serunt, similem zeæ: tanquam alica pinsitur, &c.* Ex oryza et oleum facere Indos dictum est xv. 7.

8. Cap. xvii. *Proximum trimestri, quod e minime ponderoso tritico*] Sic totidem plane literis apicibusque Reg. cod. ceteriqne, quibus usi sumus: et Tolet. quoque, quo Pintianus. Est enim sententia, primas tribui amylo, quod fit e trimestri. Dixerat enim proxime antea: 'Amylum vero ex omni tritico ac siligine, sed optimum e trimestri.' Secundas vero a trimestri tribui amylo, quod fiat e tritico minime ponderoso. Hactenus libri editi sic habuere, *Proximum e trimestri quodam minime ponderoso tritico.* Atqui hanc præcipuam esse tritici trimestris dotem ac laudem, paulo ante Plinius insinuarat, c. 12. ut nulli frumento plus esset ponderis: ex interpolatorum igitur officina prodit trimestre illud ponderosum, non ex Museo Pliniano.

9. Ibid. *Linteo aut sportis saccatum*] Non *siccatum*, ut in libris omnibus legitur, qui sunt hactenus editi. Erroris admonnit Dioscorides, qui ex eodem fonte hortos suos rigavit, unde hæc Plinius. Sic enim ille ii. 123. de amylo: Καὶ τὸ λοιπὸν διηθήσαντας ἐμβάλλειν εἰς ὑλιστῆρα, διϋλίσαντας δὲ εὐθέως ψύχειν ἐπὶ κεραμίδων καινῶν ἐν ἡλίῳ ὀξυτάτῳ· ἔνικμον γὰρ, κἂν ἐπ' ὀλίγον μείνῃ, ὀξίζει. *Reliquum vero colo trajiciendum: moxque ut excolatum fuerit, super tegulis novis ardentissimo sub Sole siccari, densarique oportet. Namque si paulisper udum manserit, acescit.* Est autem ea vox 'saccatum' Plinio ceteroqui perfamiliaris: qua rursum abutitur, xx. 79. xxix. 39. &c.

10. Cap. xx. *Semel tempore L. Pauli nata, XVII. pondo panis reddere visa, XVIII. Tertia, XIX. cum triente*] Exemplarium Mss. vestigia summa fide secuti sumus: sic enim habent Reg. 1. 2. Colb. 1. 2. 3. Th. &c. *Semel tempore L. pollinatam XVII.* ceteraque, ut edidimus: discrepante ab his longissime librorum editorum scriptura, quæ est hujuscemodi: *Similago L. pollin autem XVII. pondo panis reddere visa, tritici XXX. cum triente, &c.* Ambustum nihilominus hunc locum, nec satis adhuc sanum esse, non negaverim: sed jactura, ut reor, facili.

11. Cap. xxix. *Ex Zea pulchrius, quam ex tritico, fit granum*] Mss. Reg. 1. Colb. 1. *granacum.* Reg. 2. et Th. *gracum.* Colb. 2. omnium optime *granæum.* Cato cap. 86. 'Graneam triticeam sic facito: Selibram tritici puri in mortarium purum indat, lavetque bene, corticemque deterat bene, eluatque. Postea in ollam indat,' &c. Turnebus Advers. ii. 42. p. 1027. legendum putabat, *fit tragum.* Sed de trago jam superius pronuntiatum a Plinio est, c. 16. 'Simili modo e tritici semine tragum fit,' &c.

12. Cap. xxxi. *Ex leguminibus autem Novembri seruntur lens, &c.*] In Mss. Reg. Colb. Th. *Ex leguminibus autumno vere seruntur*, forte pro *autumno et vere.* Nam lentis sationes duas agnoscit Columella, ii. 10. 'Sationes ejus duas,' inquit, 'servamus: alteram maturam, per mediam sementim: seriorem alteram, mense Februario.' De Februario etiam subscribit Palladius, lib. iii. in Febr. tit. 4. p. 51. 'Hoc etiam mense lenticulam seres,' &c.

13. Cap. xliv. *Circa Philippos ateramnon nominant in pingui solo herbam, qua faba necatur: teramnon, qua in macro, cum udam quidam ventus afflavit*] Hoc loco Plinium supinæ negligen-

tim Dalecampius arguit, eumque secutus Salmasius, in eo libro quem sic inscripsit, Præfatio ad Plinium : Ruellius utrique præivit, de Nat. Stirp. lib. II. p. 327. Censent enim ii perperam acceptum ab eo hunc Theophrasti locum, de Causis IV. 14. pag. 316. Μαρτυρεῖ καὶ τὸ περὶ Φιλίππους συμβαῖνον περὶ τοὺς κυάμους· ἐκεῖ γὰρ σφόδρα ψυχρὸν πνεῦμα· καὶ ἀτεράμονές τινες γίνονται. *Testatur et illud quod apud Philippos evenit fabis : ventus enim eo loco vehementer frigidus est : ideoque fabæ incoctiles nonnullæ efficiuntur.* Id quod Plutarchus quoque narrat, Sympos. Quæst. VII. 2. 2. pag. 701. Ἐνιαχοῦ δὲ καὶ πνεῦμα λικμωμένοις ἐπιγινόμενον, ἀτεράμονας ποιεῖ, διὰ τὸ ψῦχος· ὥσπερ ἐν Φιλίπποις τῆς Μακεδονίας ἱστοροῦσιν. *Cum ventus quidam ventilantibus supervenit, frigore suo fruges prædures et incoctiles facit, quod Philippis Macedoniæ oppido aiunt evenisse.* Itaque cum fabas ii dicant alias esse coctiles, alias incoctiles, sive quæ coqui nisi admodum ægre non possent, (τεράμονας et ἀτεράμονας Græci vocant :) ex his duabus vocibus herbarum duo nomina, vel Plinium, vel libertum ejus, qui Græca volumina scriberet, pueriliter somniasse pronuntiant. At longe ex alio fonte hæc hausisse Plinium, quam ex Theophrasto, duo apertissime produnt : primum est, macri pinguisque soli discrimen, cujus apud eum scriptorem vestigium nullum extat : alterum, quod teramnon ex indiviso pariter, et ateramnon in vitio dicatur esse : cum fabas coctiles sive τεράμονας ille palam in pretio ponat, nec sane immerito.

13. Cap. XLV. *Aquari gaudet, ut præpinguis et densa ubertas diluatur*] Multo id sincerius visum, uti est in editione Parmensi, quam *aqua rigandi*, ut in ceteris. Favet enim admodum tum ipsa per se orationis structura, tum ipse etiam Theophrastus, a quo hæc manarunt. Sic enim ille Hist. VIII. 7. Ἡ δὲ ἐργασία, τὸ ὡς πλεῖστον χρόνον ἐμμένειν τὸ ὕδωρ.... πίειραν γὰρ οὖσαν καὶ πυκνὴν τὴν γῆν, δεῖ ποιῆσαι μανήν. *Cultura omnis in eo est, ut quam diutissime aqua permaneat : cum enim ea terra crassa, spissaque sit, raram atque solutam reddere opus est.*

14. Cap. XLVI. *In frigido et aquoso*] Hæc a superiore sententia, quicum temere connectebantur antea, divelli sejungique, ex Catone liquet, qui nunc a Plinio transcribitur. Sic enim ille, cap. 6. pag. 12. 'Ubi ager crassus et lætus est sine arboribus, eum agrum frumentarium esse oportet. Idem ager si nebulosus est, rapa, raphanos, milium, panicum, id maxime seri oportet.' Hæc tantum eo loci affert. Mox c. 34. p. 30. 'Redeo ad sementim. Ubi quisque locus frigidissimus aquosissimusque erit, ibi primum serito. In calidissimis locis sementim postremum fieri oportet.'

15. Ibid. *Et cicere excepto, legumina quæ velluntur e terra, &c.*] Perturbata admodum sententia prius legebatur, *Et cicer exceptis leguminibus, &c.* Admonuit erroris ipse Varro, a quo Plinius hæc fere ad verbum exscripsit. Sunt enim hæc illius verba, de Re Rust. I. 23. 'Neque in pingui terra omnia seruntur recte, neque in macra nihil. Rectius enim in tenuiore terra ea, quæ non multo indigent succo, ut cytisum, et legumina, præter cicer : hoc enim quoque legumen, et cetera quæ velluntur, legumina dicta. In pingui rectius, quæ succi sunt majoris, olus, triticum, siligo, linum.'

16. Ibid. *Lenior terra, densiorque tritico*] Ita recte Mss. Reg. ceterique, non, uti prius legebatur in editis, *levior*. Nam pugnant inter se, *levior, densiorque*. Adde Theophr. Hist. VIII. 9. emendationi huic mire suffragantem : Πυρὸς, inquit, ἀγαθὴν ζητεῖ χώραν, ἡ δὲ κριθὴ δύναται καὶ ἐν ταῖς ψαφαρωτέραις ἐκφέρειν. Multoque expressius Plutarchus, in Quæst. Natur. pag. 215. Διὰ τί πυροφόρος ἡ πίων καὶ

βαθεῖα χώρα, κριθοφόρος δὲ μᾶλλον ἡ λεπτόγεως; Quare pinguis et profunda terra tritici ferax est: hordei ea potius quæ tenuior est? Cum præsertim, eodem Plutarcho teste, illud agricolis in ore sit: *Σῖτον ἐν πηλῷ φυτεύετε, τὴν δὲ κριθὴν ἐν κόνει. Triticum in cæno serite, hordeumquè in pulvere.* Lenior autem terra, uda est et madida hoc loco, et aqua copiosa diluta solutaque.

17. Cap. xlviii. *Non pridem inventum in Rhætia Galliæ, ut duas adderent alii rotulas, quod genus vocant planarati*] Sic libri fere omnes editi, tantum post Frobenium. Priores *plammorati* habent. Mss. Reg. Colb. aliique, *Plaumorati.* Goropius Becanus Gallicor. lib. I. p. 11. mavult *Plomerat* legi: quod Cimbrorum lingua, seu vetere Gallica, *Plograt* aratri rotam notet, *Plog met rat*, aratrum cum rota. Nos simplicius *Plaustrarati* malumus. Servius ad Georg. I. 172. Mantuæ, quæ in Gallia Togata, et Cisalpina existit, aratra habuisse rotas, ex eo Virgilii versu colligit: 'Cæditur et tilia ante jugo levis, altaque fagus, Stivaque, quæ currus a tergo torqueat imos.' 'Currus autem dixit,' inquit Servius, 'propter morem provinciæ suæ, in qua aratra habent rotas, quibus juvantur.' Ut minime mirum sit, gentes eas Latine composita voce, quæ significatum et usum ejus exprimeret, *Plaustrarati* extulisse. Rhæti enim, ut Galli Togati, Latina lingua, vel Plinii certe tempore, utebantur. Verum non uni huic duntaxat voculæ, sed et sententiæ integræ medicinam attulimus, quæ prius ita legebatur: *Id non pridem inventum in Rhætia. Galliæ duas addiderunt tali rotulas, quod genus vocant planarati.*

18. Cap. xlix. *Nec strigare in actu spiritus*] Scripserat Hermolaus contra omnium codicum fidem, editionumque Parm. aliarumque vetustarum, *Nec striare in actu sæpius.* Antiquam sinceramque lectionem repræsentamus ex Reg. 1. 2. Colb. aliisque exemplaribus: eandem V. Cl. Guill. Pellicerii judicio defendimus, cujus hæc verba Turnebus recitat, Advers. XXIV. 1. p. 808. 'Est,' inquit, 'strigare in actu spiritus, in agendo sulco interquiescere: nam striga, Hygino auctore, in libello de castrorum metatione, ordo est et series equorum in castris tendentium. Ut autem in striga quiescunt equi, et ut in strigam dum collocantur strigare dicuntur, ita quoque cum in versu, qui uno spiritu agendus est, ad interspirandum requiescunt, strigare dicuntur.' Utitur in eundem pæne sensum de labore strenuo, sed gravi, metaphorice strigandi verbo Seneca Epist. 31. 'Quid ergo est bonum? Laboris contemtio. Itaque in vanum operosos culpaverim: rursus ad honesta nitentes, quanto magis incubuerint, minusque sibi vinci ac strigare permiserint, admirabor: et clamabo: Tanto mèlior surge, et respira: et clivum istum uno, si potes, spiritu exsupera.' Adjicimus et nos ad ea, ne videamur ἀσύμβολοι, lepidam Phædri fabellam, e tertio libro depromtam: 'Vespa in temone sedit, et mulam increpans: Quam tarda es, inquit, non vis citius progredi? Vide ne dolone collum compungam tibi. Respondit illa: Verbis non moveor tuis: Sed illum timeo sella qui prima sedens Jugum flagello temperat lento meum, Et lora frænis continet spumantibus. Quapropter aufer frivolam insolentiam: Namque ubi strigandum est, et ubi currendum, scio.' Hoc illud est quod pariter præcipit Columella II. 2. sub finem: 'Ne in media parte versuræ bubulcus consistat: detque requiem in summa, ut spe cessandi totum spatium bos agilius enitatur. Sulcum autem ducerè longiorem, quam pedum CXX. contrarium pecori est, quoniam plus æquo fatigatur, ubi hunc modum excessit.

Cum ventum erit ad versuram, in priorem partem jugum propellas, et boves inhibeat, ut colla eorum refrigescant, quæ celeriter conflagrant, nisi assidue refrigerentur,' &c.

19. Cap. l. *Faba runcari non gestit: quoniam evincit herbas lupinum, runcatur tantum*] Locum hunc sic interpunximus, adducti tum re ipsa, tum scriptorum veterum auctoritate. Columella enim, ii. 12. p. 66. 'Excepto lupino,' inquit, 'cujus semini contraria est sarritio: quoniam unam radicem habet, quæ sive ferro succisa est, seu vulnerata, totus frutex emoritur. Quod etiamsi non fieret, supervacuus tamen esset cultus, cum sola hæc res adeo non infestetur herbis, ut ipsa herbas perimat.' Pallad. lib. ii. in Januar. tit. 9. p. 39. 'Lupinus vero, qui unam radicem habet, si sarculetur, extinguitur: quod nec desiderat: quia herbas præter auxilium cultoris affligit.' Sic locus ille prius legebatur, ut ea verba, *quoniam evincit herbas*, priori affigerentur sententiæ, quæ de faba est.

20. Ibid. *Et a semente nonnisi messibus in aream redeunt*] In libris hactenus editis, *nonnisi nonis mensibus*. At vox ea *nonis* abest a Mss. exemplaribus, Reg. Colb. Chiffl. &c. palamque est crevisse eam ex superioris vocabuli, *nonnisi*, perquam importuna repetitione. *Messibus* vero haud cunctanter rescribendum esse, ut fecimus, suadet tum Plinius ipse, tum is a quo Plinius ista mutuatus, Columella. Is enim, ii. 12. ubi de sarritione agit, 'Sed nec istud ubique,' inquit, 'fieri censemus: verum incolarum consuetudine uti. Sunt enim regionum propria munera, sicut Ægypti, et Africæ, quibus agricola post sementem ante messem segetem non attingit: quoniam cœli conditio, et terræ bonitas ea est, ut vix ulla herba exeat, nisi ex semine jacto: sive quia rari sint imbres, seu quia qualitas humi sic se cultoribus præbet.' Præterea facit, ut dixi, id quod ipse Plinius superius insinuavit, de Ægypti incolis, cap. 47. 'Reliqua pars,' inquit, 'nonnisi cum falce arva visit, paulo ante Kalendas Apriles: peragitur autem messis Maio.' Quid quod et in Mss. iisdem non *in aream* sed *in area* legimus? ut *in arva* legi probabilius merito cuipiam videatur.

21. Cap. lii. *Ita ut ante hyemalem ne cesset. Nimis pinguis alternari potest, &c.*] Sic rescripsimus ex codicum Mss. fide, ita etiam loci ejus postulante sententia. Legebatur ante in editis: *Aut ante hyemalem ne cesset. Nec non minus pinguis, &c.* Sed vocula *necnon* nusquam in Mss. extat: et de pingui nimium terra nunc agi vel ex eo liquet, quod vel tergeminæ anno uno sationi par esse dicitur: et mox gracilior eidem opponitur, quæ in tertium usque annum e contrario cessare præcipitur.

22. Cap. liii. *Si hæc omissa sit stercoratio, sequens est, priusquam sarriat, aviarii pulvere*] In Mss. Reg. 1. *priusquam seriat*. Reg. 2. *sariat*. In editis, *priusquam serat, ante pulverem*, nulla penitus sententia. At Columella ii. 16. quem Plinius tum habuit ante oculos, cum hæc scriberet: 'Si tamen aliqua causa,' inquit, 'tempestivam stercorationem facere prohibuerit, secunda ratio est, antequam sarrias, more seminantis ex aviariis pulverem stercoris per segetem spargere. Si et is non erit, caprinum manu jacere, atque terra sarculis permiscere: ea res lætas segetes reddit.' Quamobrem non jam ullus de nostra emendatione dubitandi locus, cum hæc stercoratio, quæ nunc præcipitur, in subsidium sit prioris, quæ prætermissa fuerit. Nam cum illa prior peracta jam satione fieri opportune potuerit, hæc quæ sequens appellatur, qui fieri tandem possit, priusquam seras?

23. Cap. lv. *In denso, aut cretoso*

.... *tritici aut siliginis modios sex*] Defendit hanc scripturam librorum omnium mira consensio, contra Pintianum, cui *modios quinque* legi verius videtur: quoniam Columella II. 9. 'Siliginis autem,' inquit, 'vel tritici, si mediocriter cretosus uliginosusve ager est, etiam paulo plus quam, ut prius jam dixi, quinque modiis ad sationem opus est. At si siccus et resolutus locus, idemque vel pinguis, vel exilis est, quatuor,' &c. Sed suo ipsius telo perimitur Pintianus: nam cum paulo plus quinque modiis Columella exposcat, mox vero Plinius inter quatuor et sex pro ratione soli sationis modum definiendum pronuntiet, quis non intelligit *modios sex* hoc loco scribi oportuisse?

24. CAP. LVI. *Circa brumam serendum non esse*] Emendat hunc locum Fulvius Ursinus in Notis ad Varron. pag. 46. ac *citra brumam* ex Varrone de Re Rust. I. 34. legi præcipit. At quicquid demum aut senserit Varro, aut sentire porro debuerit, defendit egregie librorum omnium constantem scripturam Columellæ locus, quem secutus inprimis nunc Plinius videtur, II. 8. 'Quod sit seminandi tempus:' pag. 50. 'Sic enim servant,' inquit, 'prudentes agricolæ, ut quindecim diebus priusquam conficiatur bruma, totidemque post eam confectam, neque arent, neque vitem, aut arborem putent,' &c. Idem Varro I. 35. diebus ante et post brumam quindecim, quicquam seri vetat, præter ulmos.

25. CAP. LIX. *Deinde superat noctes ad solstitium diebus XCIII. horis duodecim, usque ad æquinoctium autumni*] Ita libri omnes, etiam manu exarati: sed manifestissimo mendo locus hic tenetur. Desideratur enim intervalli circumscriptio, quod a solstitio æstivo ad autumnale pertinet. Legendum itaque: *diebus XCIII. horis duodecim: et inde minuitur diebus XCII. horis duodecim, usque ad æquinoctium autumni.* Nam tria intervalla quæ in vulgatis libris exprimuntur, dies conficiunt 262. horas 18. Ea detracta de diebus 365. ¼. residuos faciunt dies 92. horas 12. Quare ex mente Plinii Julius Cæsar annua hæc intervalla descripsit:

Ab æquinoctio verno ad solstitium, dies 93. horas 12.

A solstitio ad æquinoctium autumnale, dies 92. horas 12.

Ab æquinoctio autumnali ad brumam, dies 89. horas 3.

A bruma ad vernum æquinoctium, dies 90. horas 3.

Quod si æquinoctium vernum statuatur in XXV. Martii, ut Columella Pliniusque asseverant, additis diebus 93. calculus desinet in 25. Junii, ½. Ab eo die exclusive, ad æquinoctium autumnale, quod conjicietur in 26. Septembris, 92. dies, horæ 12. A die 26. Septemb. ad brumam, in 24. Decemb. ⅛. dies 89. horæ tres: ut inde exclusive ad vernum æquinoctium, 25. Martii ⅛. dies reliqui sint 90. ⅛. minima aliqua diversitate neglecta. Ita fere Petav. Var. Dissert. II. 5. p. 81. et Riccioli, tom. I. Almag. III. 135.

26. CAP. LX. *Servantque id sidus etiam vestis institores*] Hunc locum ex fide codicum Reg. et Colb. repræsentamus. Præpostera interpunctione perturbata omnia prius erant mirum in modum, cum sic legeretur: *Vergiliarum occasu fieri putant. Aliqui ad III. Idus Novembris, ut diximus, servant: quoniam id sidus etiam vestis institor est, &c.* Ubi sidus vestis institorem appellari Sipontinus existimavit, aliique post eum. Nugæ meræ.

27. Ibid. *Ipso brumali die pulegium in carnariis florere*] Placuit nonnullis, *in coronariis* potius legi, quam in *carnariis*. Frustra. In carnariis suspendi carnes mos antiquus fuit: quo more et suspendi pulegium nunc Plinius innuit. Columella XII. 53. 'A

duodecima die ad lacum salsuram deferri oportebit, et salem prius excuti, deinde aqua dulci diligenter perlui, necubi sal inhæreat, et paululum assiccatam in carnario suspendi.' Varro de Re Rust. I. 54. de uvis pensilibus: 'Alia,' inquit, 'quæ in piscinam in amphora picata descendat: alia quæ in aram, ut in carnarium ascendat.' Corrigo, *quæ in horreum, ut in carnariis ascendat.*

28. Cap. LXI. *Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi*] Ita libri omnes, etiam Mss. ipseque Tullius, a quo carmen illud excerptum, de Divin. I. 15. An vero nihilominus, *ter flores*, sincerius videri possit, considerandum. Nam post eos versiculos subjicit Cicero statim: 'Ne hoc quidem quæro, cur hæc arbor una ter floreat, aut cur arandi maturitatem ad signum floris accommodet.' Tamen Geopon. auctor XI. 18. *ἡ δὲ σχῖνος τρεῖς καρποὺς φέρει, κ. τ. λ.* post Aratum, quem Cicero transtulit: *Τριπλόα δὲ σχῖνος κυέει· τρισσαὶ δέ γε αὖξαι Γίνονται καρποῖο· φέρει δέ τε σήμαθ' ἑκάστῃ Ἑξείης ἀρότῳ, κ. τ. λ.*

29. Ibid. *Virgas et sarmenta, quæ tibi usioni supererunt*] Hoc est, quæ supererunt post tuum usum. In libris vulgatis hactenus legebatur, *quæ tibi in satione superant.* Mss. Reg. 1. *Quæ tibi cisioni.* Reg. 2. *quæ tibi osioni.* Verum ex Catone ipso, a quo hæc excerpta, *usioni* legi oportere perspicuum est. Sic enim ille de Re Rust. c. 38. p. 34. 'Si ligna et virgas non poteris vendere, neque lapidem habebis unde calcem coquas, de lignis carbones coquito: virgas et sarmenta, quæ tibi usioni supererunt, in segete comburito: ubi eas combusseris, ibi papaver serito.' Usionis autem voce usus iterum idem Cato c. 145. ubi de lege oleæ faciundæ: 'Si viride oleum fiet, facito accedat oleum et sal suæ usioni, quod satis siet, et vasa viminea.' Et rursum c. 149. Scævola quoque apud Gellium IV. 1. p. 271. 'Quæ longæ usionis gratia contrahuntur, et reconduntur.' Sic et abusionem pro abusu dicimus.

30. Cap. LXII. *Torcular lavare*] Sic libri omnes, tum publici, tum etiam conditivi, ante Dalecampium, quo auctore in libris deinceps editis *levare* legitur. Sed sane perperam: nam Columella II. 11. cum hujus ipsius intervalli rusticum opus definit, 'Opercula, cola, et cetera sine quibus probe confici mustum non potest, diligenter lota marina et aqua salsa' tum jubet esse: 'Torcularia vero et fora diligenter emundata, lotaque.'

31. Cap. LXV. *XIV. Kalendas Martii triduum varie*] Prius legebatur, *XVII. Kalendas.* At sedecim omnino Kalendæ sunt Martiæ, etiam cum intercalatur annus: nam tum 'bis sexto Kalendas' dicitur.

32. Ibid. *Hordeum nisi siccum ne sarrito*] Locum hunc ope codicum Reg. et Colb. sanavimus, in quibus *sarito* legitur: astipulante Columella, a quo id sumtum videtur, II. 12. 'At aliæ segetes, quæ vel humidæ moveri possunt, melius tamen siccæ sarriuntur, quoniam sic tractatæ non infestantur rubigine: hordeum vero nisi siccissimum tangi non debet.' Palladio quoque, lib. II. in Januar. tit. 9. p. 39. 'Hoc mense serenis et siccis diebus, dum gelicidium non est, sunt sarculanda frumenta ... si siccas segetes sarculaveris, aliquid contra rubiginem præstitisti: maxime si hordeum siccum sarrietur.' Prius legebatur, *ne serito.* At de sarritione et purgatione hybernarum segetum hic sermo est, non de satione.

33. Cap. LXVIII. *Faba metitur, dein concutitur*] Ita librio mnes, etiam Mss. quos videre licuit: frustra emendante Pintiano, *dein cuditur*, nec merito in eam sententiam illud Comici trahente, 'In me hæc cudetur faba.' Nam Palladius hæc ipsa hujus intervalli opera describens, lib. VII. in Junio, tit. 3. p. 128. 'Colligemus viciam,'

inquit, 'fœnum Græcum resecabimus ad pabulum ... Nunc et faba Luna minuente velletur. Ante lucem sane, et antequam Luna procedat, excussa et refrigerata ponatur. Ita gurguliones non patietur infestos.'

34. Ibid. *Herba optima in prato, trifolii ... pessima mimmuli, siliquas etiam diras ferentis*] Significat non caule modo, sed et siliqua nocere in prato mimmulum. Sunt qui *ranunculi* legi suspicentur commodius posse: vetant Mss. codices: quorum ex fide, cum illi exhibeant diserte, *siliqua etiam dira ferentis*, hunc locum ita expressimus. In libris hactenus editis: *Pessima mimmuli: siliqua etiam dira: fœnisecis invisa et equiselis est.*

35. Cap. lxviii. *Est autem magnopere pertinens*] De Sirio sive Canicula agitur. Ita porro Mss. omnes, quos quidem vidimus. At scripsit in ora codicis sui Pellicerius, *Ad æstum magnopere pertinens*, ut jamdudum observavit Petavius Var. Dissert. in Uranol. ii. 10. p. 103. Pertinere ad æstum dicitur, si vera ea lectio est, quod ingentem æstum denuntiat, immo et ex parte facit. Hinc Horat. iii. Od. 29. 'Jam Procyon furit, Et stella vesani Leonis, Sole dies referente siccos.' Procynem Horatius, quemadmodum et Plinius, pro Sirio accipit: quoniam prima hæc asterismi Canis stella ante ceteras, adeoque ante totum ipsum canem apparet.

36. Ibid. *Dein postridie*] Sic libri omnes, etiam Mss. Sic et ratio calculi exigit, uti ex Plinio ipso docuimus. Unde Cæsaris Tabulam emendabis, ex qua Hadrian. Junius, et post ipsum Salmasius, in Solin. p. 430. *post triduum* legi malunt.

37. Ibid. *XIII. Kalend. Augusti ... etesiarumque prodromi flatus*] In libris omnibus editis, plurimisque Mss. legitur, *XVIII. Kalend.* At quis hunc diem xviii. Kalendas Augustas vidit unquam? Nos audacter, demta quinarii nota, *XIII.* rescribimus: tum quia series dierum ita postulat: nam dixit antea de xvi. Kalendas: quare nunc aliquis subsequentium dierum appellari debet: tum quia xiii. Kalendas Augusti etesias flare ipse admonuit, ii. 47. his verbis: 'Post biduum vero exortus,' &c.

38. Cap. lxix. *Quod post dies undeviginti ab æquinoctio verno*] Ita Mss. omnes: at rectius forte, ut Petavius emendavit, Var. Dissert. in Uranol. ii. 10. p. 104. *post dies unum et triginta.* A vii. Kalendas Maias ad quartum, totum hoc quatriduum frugibus decretorium esse Plinius dicit: et ab æquinoctio verno dies numerat undeviginti. At æquinoctium vernum ipse contulit in viii. Kalend. April. a quo die secundus et trigesimus dies est vi. Kalend. Maias.

39. Ibid. *Sidus et per se vehemens, et cui præoccidere caniculam necesse sit*] Hac voce, *caniculam*, Sirium hoc loco rursum intelligi, seu Procynem, pronuntiat Salmasius, in Solin. p. 435. quam stellam ante Canem oriri ait et occidere. At ejus viri errorem quisquis ad pictam sphæram et globum oculos applicet, quamvis plumbeus sit, intelliget. Etenim quæ ad Boream declinant stellæ, earum quæ ad Austrum vergunt uti ortus antecedunt, sic occasus sequuntur, præsertim si boreales situ posteriores sunt: ut in Procyne et Cane contingit. Canis quippe hoc tempore positus est in gradu circiter nono Cancri, et ad Austrum declinat: Procyon ad Boream situs est in gradu fere 21. Cancri: ergo ille prius oritur, quam Canis: occidit autem post ipsum. Quod autem Plinius ait, canis sideri præoccidere caniculam necesse esse, id rectissime interpretamur de canario sacrificio, in quo ad placandum caniculæ sidus, frugibus inimicum, rufæ canes immolabantur, ut fruges flavescentes ad maturitatem perduceren-

tur: unde et Catularia porta nomen accepit, ut auctor est Paulus ex Festo, verbo *Catularia*. Atque idem Festus in Fragm. p. 93. 'Rutilæ canes, id est, non procul a rubro colore, immolantur, ut ait Atteius Capito, canario sacrificio pro frugibus, deprecandæ sævitiæ causa sideris caniculæ.' Ob unam nominis affinitatem, ea sacro illi delecta hostia est. Ovid. Fast. IV. 939. 'Est canis, Icarium dicunt, quo sidere mota Tota sitit tellus, præripiturque seges. Pro cane sidereo canis hic imponitur aræ: Et quare fiat, nil nisi nomen habet.' In Rubigalibus feriis hæc cærimonia peragebatur, ut Plinius significat, quod in id tempus Caniculæ occasus incideret. Itaque Robigo Deo canis mactabatur, ut rubiginem averteret: Columella de Cultu Hortor. lib. X. p. 357. 'Hinc mala rubigo virides ne torreat herbas, Sanguine lactentis catuli placatur, et extis.' Atque ipse Naso, libro citato: 'Flamen in antiquæ lucum Rubiginis ibat, Exta canis flammis, exta daturus ovis.' Et mox: 'Thura focis, vinumque dedit, fibrasque bidentis, Turpiaque obscœnæ vidimus exta canis.'

40. Ibid. *Itaque iidem Floralia . . . instituerunt, Urbis anno DXIV.*] Prius *DXVI.* permutatis annorum numeris, legebatur: nos tum ex vestigiis veterum codicum, tum ex indubitata temporum ratione, locum eum sanavimus. Auctor est enim Velleius lib. I. 'Torquato Semprronioque Coss. Brundisium' colonos missos esse, 'et post triennium Spoletium, quo anno Floralium ludorum factum est initium.' Incidit autem prior ille Consulatus in annum Urbis DX. ex Liviana, Plinianaque Chronologia: quo fit, ut triennio interjecto Floralium celebritas ludorum incurrat in annum DXIV. Edidisse hos porro primum aliquem e Servilia gente nummi ejus familiæ suadent, quos vidimus inscriptos his vocibus, FLORA. PRIMVS. hoc est, 'Floralia primus' edidit.—'*Itaque . . . Urbis anno DXVI.*] Ita libri omnes: quanquam auctor est Velleius, lib. I. 'Torquato,'' &c. *Ed. sec.*

C. PLINII SECUNDI

NATURALIS HISTORIÆ

LIBER XIX.

Natura lini, et cultus hortensiorum.

SIDERUM quoque[1] tempestatumque ratio, vel imperitis, facili atque indubitato modo monstrata est: vereque intelligentibus[2] non minus conferunt rura[a] deprehendendo cœlo, quam sideralis scientia agro colendo. Proximam multi hortorum curam fecere: nobis non protinus transire ad ista tempestivum videtur. Miramurque quosdam scientiæ gratia,[3] eruditionis suæ gloriam ex his petentes, tam multa præteriisse, nulla mentione habita tot rerum sponte curave provenientium, præsertim cum plerisque earum, pretio usuque vitæ, major etiam, quam frugibus, perhibeatur auctoritas. Atque ut a confessis ordiamur utilitatibus, quæque non solum terras omnes, verum etiam maria replevere: seritur, ac dici neque inter fruges neque

CAP. I. 1 *Siderum quidem* Pintian. Ceterum hæc usque ad cap. finem, Procemium constituunt edd. vett. et Gronov.—2 Vet. Dalec. *monstrata: verum quia intelligentibus.*—3 Vet. Dalec. *scientia graves;* al. ap. Dalec. *scien-*

NOTÆ

[a] *Non minus conferunt rura*] Vide quæ de hoc argumento præclare et ornate dixit Auctor, libro sup. cap. 67.

inter hortensia potest, linum. Sed in qua non occurret vitæ parte, quodve miraculum majus, herbam esse [b] quæ admoveat Ægyptum Italiæ: in tantum, ut Galerius a freto Siciliæ Alexandriam septima die pervenerit, Babillus [4] [c] sexta, ambo præfecti: æstate vero proxima Valerius Marianus ex prætoriis senatoribus, a Puteolis nono die lenissimo flatu? herbam esse, quæ Gades [5] ad Herculis columnas septimo die Ostiam afferat, et citeriorem Hispaniam [d] quarto, provinciam Narbonensem tertio, Africam altero: quod etiam mollissimo flatu contigit C. Flavio [6] [e] legato Vibii Crispi proconsulis? Audax vita,[f] scelerum plena: [7] aliquid seri, ut ventos procellasque recipiat: et parum esse fluctibus solis vehi. Jam vero nec vela satis esse majora

tia gratos.—4 'Ita codd. Regg. Male in Editione principe, *Babilus;* in recentioribus, *Babilius.* Babillum hunc, virum optimum, in omni literarum genere rarissimum laudat Senec. Nat. Quæst. IV. 2.' *Brotier.* *Babilius* Gronov. al. vett. Harduin. 1. 2. 3. et recentt.—5 *Gadeis* Gronov. Mox, *ac Herculis* Pintian.—6 *C. Flacco* Gronov. et al. ante Harduin.—7 Vet. Dalec. *sce-*

NOTÆ

[b] *Herbam esse*] Textis ex ea herba velis. Linum Græci, Latini, et Galli pariter vocant, herbam vulgo notam, quæ cannabis modo tunditur in lanæ mollitiem, ad linteorum texturas.

[c] *Babillus* [*Babilius*] De eo Seneca Natur. Quæst. I. 2. p. 886. 'Babillus virorum optimus, in omni literarum genere rarissimus, auctor est, cum ipse Præfectus obtineret Ægyptum, Heracleotico ostio Nili, quod est maximum, spectaculo sibi fuisse,' &c. Delphinorum pugnam describit cum crocodilis, de qua nos libro VIII. diximus, c. 38. Favore Agrippinæ Ægypto præfectum a Nerone fuisse auctor est Tacitus Annal. XIII. p. 205. Babilum Astrologum, ut opinor, Suetonius vocat, in Nerone c. 36. Prænomen ei Caio fuit.

[d] *Et citeriorem Hisp.*] Et merces a citeriore Hispania Ostiam afferat die quarto, &c.

[e] *C. Flavio*] Ita Mss. omnes: non *Flacco.* Is est fortassis Alfius Flavius, de quo Plinius IX. 8. et nos uberius in Auctorum Indice.—'Is esse omnino videtur, C. FLAV. HEMIS. qui prius fuisse Legatus Proprætore, LEG. PROPR. legitur in nummo argenteo Q. Cæpionis Bruti Imp. Q. CAEP. BRVT. IMP. apud Patinum in Famil. p. 113.' *Ed. sec.*

[f] *Audax vita*] Audax, ut ille cecinit, Iapeti genus? Nam vitam dicere pro hominibus, seu mortalium genere, familiare Plinio est. Quid hic Salmasius movet, dum pro acri ea oratione, illud jacens et languidum obtrudit, in Solin. p. 260. *Audax id, at sceleris plenum?*

navigiis. Sed quamvis amplitudini[8] antennarum singulæ arbores sufficiant, super eas tamen addi velorum alia vela, præterque alia in proris, et alia in puppibus pandi, ac tot modis provocari mortem. Denique tam parvo semine nasci, quod orbem terrarum ultro citroque portet, tam gracili avena, tam non alte a tellure[9] tolli: neque id viribus suis necti, sed fractum tusumque[10][g] et in mollitiam lanæ coactum, injuria ac summa audacia, eo pervenire.[h] Nulla execratio sufficit contra inventorem dictum suo loco[i] a nobis: cui satis non fuit hominem in terra mori, nisi periret et insepultus. At nos priore libro[j] imbres et flatus cavendos, frugum causa victusque, præmonebamus. Ecce seritur hominis manu, metitur ejusdem hominis ingenio, quod ventos in mari optet. Præterea ut sciamus favisse pœnas,[k] nihil gignitur facilius: ut sentiamus[11] nolente id fieri[l] natura, urit agrum,[m] deterioremque etiam terram facit.[12]

II. (I.) Seritur sabulosis[a] maxime, unoque sulco:[b] nec magis festinat aliud. Vere satum[c] æstate vellitur: et hanc

lerumque plena.—8 *Sed cum vix amplitudini* Pintian.—9 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *alta a terra* Gronov. et vulgg.—10 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *sed passum tusumque* edd. vett. et Gronov. Mox, edd. ante Harduin: *injuria naturæ ac s. a. et quo pervenire nulla, &c.*—11 Vet. Dalec. *et ut sentiamus.* —12 Vet. Dalec. *etiam ipsum facit.*

NOTÆ

[g] *Sed fractum tusumque*] Nam maceratur aqua, tunditurque, semper injuria melius, ut dicetur in fine c. 3. Vide Notas et Emend. num. 1.

[h] *Eo pervenire*] Ut nempe orbem terrarum vel sic ultro citroque portet.

[i] *Dictum suo loco*] Lib. VII. cap. 57. 'Vela Icarus, malum et antennam Dædalus' invenit, &c. Huc etiam refer quod habet Horatius I. Od. 3. 'Illi robur et æs triplex,' &c.

[j] *At nos priore libro*] Lib. XVIII. c. 76. et alias passim.

[k] *Favisse pœnas*] Hoc est, ea ultro crescere, quæ gignuntur in hominum pœnam.

[l] *Nolente id fieri*] Ita Mss. omnes. Alii, *nolente id seri.*

[m] *Urit agrum*] Vide quæ diximus XVII. 7.

[a] *Seritur sabulosis*] Pinguissimum locum, et modice humidum poscit, nec macrum respuit, inquit Columella II. 10.

[b] *Unoque sulco*] Terra vel semel arata.

[c] *Vere satum*] Gratius in Cyneget. vs. 57. 'Idcirco et primas linorum tangere messes Ante vetant, quam maturis accenderit annus Ignibus, et claro Pleias se promserit ortu.' Ver-

quoque[1] terræ injuriam[d] facit. Ignoscat tamen aliquis Ægypto serenti,[e] ut Arabiæ Indiæque merces importet: itane et Galliæ censentur hoc reditu, montesque[f] mari[2] oppositos esse non est satis, et a latere oceani obstare ipsum quod vocant inane? Cadurci, Caleti, Ruteni, Bituriges, ultimique hominum existimati Morini, immo vero Galliæ universæ vela texunt.[3] Jam quidem et Transrhenani hostes:[g] nec pulchriorem aliam vestem eorum fœminæ novere. Qua admonitione succurrit, quod M. Varro tradit, in Seranorum familia gentilitium esse, fœminas linea[4] veste non uti. In Germania[h] autem defossi atque sub terra[5] id opus agunt. Similiter etiam[6] in Italia, regione Aliana,[7][i]

CAP. II. 1 'Alii, *et magnam quoque*; alii, *hanc quoque*, expuncto *et*.' Dalec. —2 Dalec. *terris* pro *mari*.—3 Vet. Dalec. *telas ex eo texunt*.—4 Chiffl. *lintea*. —5 Cod. Dalec. *defossi et sub terra*.—6 'Ita codd. Regg. et Editio princeps. In recentioribus editionibus, *Similiter et*.' Brotier. *Similiter etiam* codex quoque Dalecampii. *Similiter et* Gronov. al. vett. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. —7 'Ita bene Cl. Rezzonicus ex cod. Mediolan. 2. Nec aliter Editio princeps, et infra cod. Reg. 1. Regio Aliana, juxta Bernardum Saccum, scriptorem Ticinensem, nunc est *la Laumellina*, adhuc lino celebris. Male in recentioribus editionibus, *Alliana*.' Brotier. *Alliana* Turneb. et Harduin. et recentt. *in Italiæ ratione aliena* margo edd. Dalec. et Gronov. *in Italia ratione*

NOTÆ

giliarum exortu æstatem incipere superiore libro diximus c. 69.

[d] *Et hanc . . . terræ injuriam*] Quod nempe velli a radice illud oporteat, non, ut frumenta, meti: quod dum ita fit, terræ succus omnis extrahitur, ut Plinius admonuit libro superiore c. 72. 'Alibi,' inquit, 'frumenta ab radice vellunt: quique id faciunt, proscindi ab se obiter agrum interpretantur, cum extrahant succum.'

[e] *Ægypto serenti*] Laudat Ægyptia vela Hermippus apud Athenæum lib. I. p. 27.

[f] *Montesque*] Nec satis fuit, ne maria Galli tentarent, oppositos a natura montes Mediterraneo mari, Alpes ac Pyrenæos: ab Oceani vero parte ipsum inane, spatiumque illud æquoris et aëris immense fusum, in quo nullum occurrere creditur littus adversum, quo possit appelli.

[g] *Transrhenani hostes*] Batavos, opinor, intelligit, qui insulam Rheni amnis colunt, Cattorum quondam populum, dum trans Rhenum degerent, ut Tacitus ait de Morib. German. p. 134. Etiamnunc Hollandicum linum, et candore, et firmitate, et filamentorum exilitate præfertur ceteris omnibus. *Toile de Hollande*, *toile de Frise*. Parisino secunda palma.

[h] *In Germania*] Sed et in Gallia quoque: propter frigus, æstusque, lino inimica.

[i] *Regione Aliana* [*All.*] Ex qua linis nomen Allianis: quibus post Retovina mox palma defertur. Prius legebatur *ratione alia*. In Reg. 1. 2. *ratione aliena*. In Colb. 2. *regione aliena*.

inter Padum Ticinumque amnes, ubi a Sætabi[j] tertia in Europa lino palma: secundam enim in vicino Alianis capessunt Retovina,[k] et in Æmilia via Faventina. Candore Alianis semper crudis[l] Faventina præferuntur: Retovinis tenuitas summa densitasque, candor æque ut Faventinis, sed lanugo nulla, quod apud alios gratiam, apud alios offensionem habet. Nervositas[m] filo æqualior pæne quam araneis, tinnitusque, cum dente[n] libeat experiri: ideo duplex, quam[o] ceteris, pretium.

Et Hispania citerior habet splendorem lini præcipuum, torrentis in quo politur natura, qui alluit Tarraconem.[p] Et tenuitas mira,[8] ibi primum carbasis[q] repertis. Non dudum[9] ex eadem Hispania Zoëlicum[r] venit in Italiam, plagis utilissimum. Civitas ea Gallæciæ[10] et oceano propinqua. Est sua gloria et Cumano[s] in Campania, ad pis-

alia Gronov. et al. vett.—8 *Et tenuitas magna* cod. Dalec.—9 *Nam dudum* Vet. Dalec.—10 *Gallitia* Chiffl. Mox, cod. Dalec. *propinqua est. Sua, &c.*—

NOTÆ

[j] *A Sætabi*] Post lina Sætaba, de quibus egimus in præfatione ad T. Vespas. De Sætabi oppido diximus III. 4. In nummis SAETABIS. Silius Ital. lib. III. 'Sætabis et telas Arabum sprevisse superba, Et Pelusiaco filum componere lino.' Gratius quoque in Cyneget. vs. 41. 'Hispanique alio spectantur Sætabes usu.'

[k] *Retovina*] Ab oppido Retovio, sive Ritobio, quod Livio dici Litubium, l. XXXII. Cluverius arbitratur, in Ital. antiq. p. 78.

[l] *Semper crudis*] Semper flavis, quæ nulla maceratione aut politione candorem trahant. Sic Maro, in nono Æneid. corticem crudum dixit pro viridi.

[m] *Nervositas*] Firmitas ei filo est, æqualitasque, hoc est, lævor, ac perpetua sine ulla offensione politura.

[n] *Cum dente*] Si dente s. morsu filum prehendas, idemque digito tendas, ac subinde quatias, dente tum tinnitum sentias, sonitumque.

[o] *Duplex, quam*] Hac loquendi forma usus etiam Columella I. 8.

[p] *Qui alluit Tarraconem*] Flumine Subi allui Tarraconem diximus III. 4.

[q] *Carbasis*] Velis e lino tenuissimo. De 'carbasi' voce Servius ad illud Æneid. III. 'Et auræ Vela vocant, tumidoque inflatur carbasus austro.' 'Carbasus genus lini est, quod abusive plerumque pro velo ponitur.' Quam telam Baptistæ *Toile batiste* Galli vocant, primæ tenuitatis, hanc Latine carbasum merito appellaris.

[r] *Zoëlicum*] A Zoëliis Hispaniæ populis, de quibus III. 4.

[s] *Est ... et Cumano*] Gratius in Cyneget. vs. 34. 'Optima Cinyphiæ,

cium et alitum capturam.[11] Eadem et plagis[t] materia. Neque enim minores[12] cunctis animalibus insidias, quam nobismetipsis,[u] lino tendimus. Sed Cumanæ plagæ concidunt apros,[13][v] et hi casses vel ferri aciem vincunt.[w] Vidimusque jam tantæ tenuitatis, ut annulum hominis cum epidromis[x] transirent, uno portante multitudinem qua saltus cingerentur: (nec id maxime mirum, sed singula earum stamina centeno quinquageno filo constare:) sicut paulo ante Julio Lupo, qui in præfectura Ægypti obiit. Mirentur hoc ignorantes in Ægyptii quondam regis, quem Amasim vocant, thorace, in Rhodiorum insula ostendi in templo Minervæ, CCCLXV. filis singula fila constare: quod se expertum nuper[14] Romæ prodidit Mucianus ter consul, parvasque jam reliquias ejus superesse hac experientium injuria. Italia et Pelignis[15] etiamnum linis honorem habet, sed ful-

11 Chiffl. *capturas.*—12 *Neque enim majores* cod. Dalec.—13 *Sed ad Cumanas plagas concidunt apri* Vet. Dalec. Mox in eodem Vet. *hi casses ferri aciem convincunt;* Gronov. et al. ante Harduin. *et hæ cassesve ferri, &c.*—14 Cod. Dalec. et Chiffl. *quod per exemplum nuper;* Vet. Dalec. *quod exemplum per se expertum nuper.*—15 *Italia et Peliginis* Gronov. *Italia ex Pelignis* Vet. Dalec.

NOTÆ

ne quid cunctere, paludes Lina dabunt: bonus Æoliæ de valle Sibyllæ Fœtus: et aprico Tuscorum stupea campo Messis,' &c.

[t] *Eadem et plagis*] Plagæ, retia sunt ad capiendas feras: quæ retia funibus tenduntur circa imam et summam partem. *Des toiles.* Unde familiares eæ venatoribus formulæ, *Mettre les bêtes noires dans les toiles: tendre les toiles: tirer les toiles: lever les toiles.*

[u] *Quam nobismetipsis*] Qui post inventa e lino vela mortem provocamus navigatione mari suscepta, ut dictum est, sup. cap.

[v] *Concidunt apros*] Erunt fortassis quibus magis arrideat, *concludunt.* Est enim *concludere* in venatione usitata vox. Gratius in Cyneget. vs. 49. 'Includas retibus ursos.' Et Seneca de Clem. I. 'Sic feras lineis et pinna conclusas contine.' Sed concidi plagis apros cum dixit Auctor, concludi eo loco intellexit, in quo concidi nullo negotio deinde possint: quod sola ferri acies præstare non valeret: itaque, ut statim subjungit idem, ferri aciem eo nomine hi casses vincunt.

[w] *Et hi casses vel ferri aciem vincunt*] Vide Notas et Emend. num. 2.

[x] *Cum epidromis*] Hoc est, cum imis summisque funibus quibus tenduntur retia, ipsa per hominis annulum transibant: itaque nullo negotio vel unus homo cassium multitudini gestandæ par fuit, qua saltus integer cingeretur, ut Julius Lupus fecit.

lonum[y] tantum in usu; nullum est candidius, lanæve similius: sicut in culcitis[16] præcipuam gloriam Cadurci obtinent. Galliarum hoc,[z] et tomenta pariter, inventum.[17] Italiæ quidem mos[a] etiam nunc durat[18] in appellatione stramenti.

Ægyptio lino minimum firmitatis, plurimum lucri. Quatuor ibi genera: Taniticum, ac Pelusiacum, Buticum, Tentyriticum, cum regionum nominibus, in quibus nascuntur. Superior pars Ægypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem aliqui gossipion vocant, plures xylon,[b] et ideo lina inde facta xylina. Parvus est, similemque barbatæ nucis[c] defert fructum, cujus ex interiore bombyce[d] lanugo netur.



—16 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *sicut in culcitris* Gronov. et al. ante Harduin.—17 *Galliarum hoc est tormento pariter inventum* in quibusdam Vett. *tormenta* Chiffl.—18 *Italiæ quidem mos jam nunc durat* in quibusdam Vett. *Italiæ quidem vox etiam nunc*

NOTÆ

[y] *Sed fullonum*] Qui nempe ex eo lino culcitas concinnabant, opplebantque deinde stramine seu tomento. Vel potius quod subuculas ex eo lino sibi fullones, indusiaque conficerent.

[z] *Galliarum hoc*] Nimirum tomentum Lingonum, culcita Cadurcorum inventum fuit. Unde alterum 'tomentum Lingonicum,' et 'Lingonicum stramen' dictum est, uti monuimus, VIII. 73. ex Martiali. Culcitam veteres nomine gentis, quæ invenit, cadurcum vocavere. Juvenalis Sat. VII. 221. 'Institor hybernæ tegetis, niveique cadurci.' Idemque Sat. VI. 535. 'Magnaque debetur violato pœna cadurco.' Sulpicia Poëtria in vetere Epigrammate 'Cadurcas fascias' e lino Cadurcino fascias vocat: 'Ne me Cadurcis destitutam fasciis Molli Caleno concubantem proferat.'

[a] *Italiæ quidem mos*] Ita Mss. Salmasius in Solin. p. 938. *vox* legi, non *mos*, jubet. Frustra. Qui mos fuerit antiquus Italiæ, inquit Auctor, vel ex quotidiano sermone palam est: nam torum saltem castrensem vulgo stramentum vocamus, quoniam, ut dictum est, VIII. 73. 'antiquis torus e stramento erat, qualiter etiamnunc in castris,' ubi hæc potissimum stramenti appellatio perseverat.

[b] *Xylon*] Ξύλον, *lignum* sonat: quare Ulpianus, in leg. Si cui lana legetur, Dig. de legat. 3. ἐριόξυλον, *ligneam lanam* reddit.

[c] *Barbatæ nucis*] Cujusmodi sunt Ponticæ nuces, quas mollis barba protegit, ut dictum est XV. 24. Sic etiam Jul. Pollux VII. 17. Ἤδη δὲ καὶ παρ' Αἰγυπτίοις ἀπὸ ξύλου τι ἔριον γίγνεται, ἐξ οὗ τὴν ἐσθῆτα λίνου ἂν τις μᾶλλον φαίη προσεοικέναι, πλὴν τοῦ πάχους· ἔτι γὰρ παχύτερος· τῷ δένδρῳ καρπὸς ἐπιφύεται, καρύῳ μάλιστα προσεοικώς, κ. τ. λ.

[d] *Ex interiore bombyce*] Hoc est, lanugine, quem Itali *Bombace* appellant, nos *Coton* dicimus: unde *Bom-*

Nec ulla sunt eis[19] candore mollitiave præferenda. Vestes inde[e] sacerdotibus Ægypti gratissimæ. Quartum genus Orchomenium[f] appellant. Fit e palustri velut arundine, duntaxat[20] panicula ejus.[g] Asia e genista[h] facit lina ad retia præcipua, in piscando[21] durantia, frutice madefacto denis diebus. Æthiopes Indique e malis, Arabes cucurbitis, in arboribus, ut diximus,[i] genitis.

III. Apud nos[a] maturitas ejus duobus argumentis intelligitur, intumescente semine, aut colore flavescente. Tum evulsum, et in fasciculos manuales[b] colligatum, siccatur in Sole, pendens conversis superne radicibus uno die, mox quinque aliis, in contrarium inter se versis fascium[1] cacuminibus, ut semen in medium cadat. Inter medicamina huic vis, et in quodam rustico ac prædulci Italiæ Transpadanæ cibo,[c] sed jam pridem sacrorum tantum gra-

duret mavult Salmasius. Vid. Obss. Misc. tom. VII. pt. 3. p. 332.—19 *Nec lina sunt ei* Vet. Dalec.—20 *Fit e palustris foliis arundinis, vel duntaxat* Dalec. Mox, *pannicula* Gronov.—21 Chiffl. *præcipue in piscando.* Mox, pro *durantia*, Dalec. *duritia.* Gronov. *decem diebus.*

CAP. III. 1 Chiffl. *in contrariis in se fascium.*—2 Dalec. *laxior.*—3 Chiffl.

NOTÆ

bazin vocamus telas bombacinas, aut lintea ex bombace confecta. Jacobus de Vitriaco, I. 85. 'Sunt ibi' in oriente 'præterea arbusta quædam quæ seminantur, ex quibus colligunt bombacem, quæ Francigenæ Cotonem seu Coton appellant: et est quasi medium inter lanam et linum: ex quo subtilia vestimenta contexuntur.' Nascitur hic frutex jam in Gallia, ex India delatus: Cotonem pariter vocant, *le Coton.* In horto Regio pomum vidimus, quod cum patens dehisceret, inculcatum flocci glomum exhiberet.

[e] *Vestes inde*] Ex gossipio, qui regionis illius peculiaris frutex, lini vices habet. Unde Gratius in Cyneget. vs. 42. linum appellat: 'Vix operata suo sacra ad Bubastia lino Velatur sonipes æstivi turba Canopi.'

[f] *Orchomenium*] De arundine Orchomenia diximus XVI. 66.

[g] *Panicula ejus*] Lanosam comam in milio, panico, arundine, et qualem in arvis complures herbæ, et in palustribus junci gerunt, Latini paniculam, Græci ἀνθήλην dixere. De ea voce diximus XVI. 64.

[h] *Asia e genista*] Vide quæ dicturi sumus XXIV. 40.

[i] *Ut diximus*] Lib. XII. c. 21.

[a] *Apud nos*] In orbe Romano, qui Arabum Indorumque terris opponitur.

[b] *Fasciculos manuales*] Qui manum impleant. Δεμάτιον χειρόπληθες, fasciculum manualem appellat Hippocrates, in Veterin. p. 879.

[c] *Et in quodam . . . cibo*] Galenus de

tia.[d] Deinde post messem triticeam virgæ ipsæ merguntur in aquam Solibus tepefactam, pondere aliquo depressæ: nulli enim levitas major. Maceratas indicio est membrana laxatior.[2] Iterumque inversæ, ut prius, Sole siccantur: mox arefactæ in saxo tunduntur stupario malleo.[e] Quod proximum cortici fuit, stupa appellatur, deterioris lini, lucernarum fere luminibus aptior. Et ipsa tamen pectitur[f] ferreis hamis,[3] donec omnis membrana decorticetur. Medullæ[g] numerosior distinctio,[4] candore, mollitia. Linumque nere et viris decorum est. Cortices quoque decussi clibanis et furnis præbent usum. Ars depectendi[5] digerendique: justum e quinquagenis fascium libris quinadenas carminari. Iterum deinde[6] in filo politur, illisum crebro in silice[h] ex aqua: textumque rursus tunditur clavis,[i] semper injuria melius.[j]

IV. Inventum jam est etiam, quod ignibus[k] non absu-

aënis hamis.—4 Cod. Dalec. *destinatio*.—5 *Ars est depectendi* margo edd. Dalec. et Gronov.—6 Chiffl. *carminari iterum. Deinde.* Mox, Pintian. *crebro silici.*

NOTÆ

Aliment. Facult. I. 32. p. 331. tom. VI. lini tosto semine, opsonii vice, quosdam vesci tradit ex sale et garo: itidem melle conspersum edi: panibus denique a nonnullis inseri: ἐπιπάττουσι δὲ ἔνιοι καὶ τοῖς ἄρτοις αὐτό.

[d] *Sacrorum ... gratia*] Forte ad suffimenta, ut quidam volunt: vel potius ad epulas sacras, quas feriatis diebus privatus quisque domi instituere.

[e] *Stupario malleo*] Quo lina stupæque tunduntur.

[f] *Et ipsa ... pectitur*] Linum ita pectere Galli dicunt, *sérancer du lin, du chanvre:* ferreum hamum, *un séran.*

[g] *Medullæ*] Delicatioris substantiæ, quæ ad nendum reservatur.

[h] *In silice*] In alveo siliceo, sive lapideo.

[i] *Tunditur clavis*] Fustibus, qui clavas capite referant.

[j] *Injuria melius*] Sic de salice pronuntiavit XVI. 69. 'Mirumque, contuso ligno alicui majores ad vincula esse vires.'

[k] *Inventum ... quod ignibus*] De lino asbestino non vetustatis modo plena monumenta sunt, sed et idonea eruditorum hujus ævi testimonia. 'Habeo et ego in Museo,' inquit Kircherus noster, tom. II. Mundi subterran. l. VIII. p. 67. 'integrum scrinium asbestinis frustis plenum. Chartam ex hisce confectam habeo, quæ literis scribendis servit, quas ubi in ignem injeceris, consumtis mox literis, charta veluti igne lota, integra et candidior exit, novisque literis inscribendis servit... Donavit et mihi

meretur. Vivum id vocant, ardentesque in focis conviviorum ex eo vidimus mappas, sordibus exustis splendescentes igni magis, quam possent aquis. Regum inde funebres tunicæ, corporis favillam ab reliquo separant cinere. Nascitur in desertis adustisque Sole Indiæ, ubi non cadunt[l] imbres, inter diras serpentes: assuescitque vivere ardendo, rarum inventu, difficile textu propter brevitatem. Rufus de cetero colos, splendescit igni. Cum inventum est, æquat pretia excellentium margaritarum. Vocatur autem a Græcis asbestinum[m] ex argumento naturæ. Anaxilaus auctor est linteo eo circumdatam arborem, surdis ictibus, et qui non exaudiantur, cædi. Ergo huic lino principatus in toto orbe.

Proximus byssino,[n] mulierum maxime deliciis circa Elim[o] in Achaia genito: quaternis denariis[p] scripula ejus[q] permutata quondam,[r] ut auri, reperio. Linteorum lanugo, e velis[1] navium maritimarum maxime, in magno usu medicinæ est: et cinis spodii vim habet. Est et inter papavera[s]

CAP. IV. 1 Chiffl. *e villis.*

NOTÆ

Eminentiss. Cardinalis de Lugo redimiculum asbestino lino contortum, quod igni injectum, si sordibus pollutum fuerit, inde nitidissimum exit. Memini quoque me ellychnium hujusmodi asbestinum lucernæ inditum ad biennium conservasse, sine ulla sui consumtione, haud dubie perpetuo duraturum, nisi nescio quo casu id subductum esset,' &c. Vide et Aldrovand. de Metall. IV. 26. p. 664.

[l] *Ubi non cadunt*] Vide quæ diximus XVII. 30. Columella I. 6. 'Æstas in transmarinis regionibus pluvia caret.'

[m] *Asbestinum*] Ἄσβεστον, quæ vox Græca *inexstinctum* sonat.

[n] *Byssino*] Byssus genus fuit lini tenuissimi, ex quo textæ vestes purpureum colorem non raro imbiberent: unde in Sacris Paginis toties byssus, et purpura, vel purpura et byssus pro purpurea bysso, per figuram ἓν διὰ δυοῖν. Inde factum ut byssus ab Hesychio et Suida pro purpura accipiatur. Rectius vero Pollux loc. cit. *Καὶ μὴν καὶ τὰ βύσσινα· καὶ ἡ βύσσος λίνου τι εἶδος παρ' Ἰνδοῖς.* Philostrato de Vita Apoll. II. 9. p. 79. ex arbore *βύσσος* legitur, quæ arbos altitudine populi, folio salicis est.

[o] *Circa Elim*] Pausanias in Eliac. prior. negat uspiam tota Græcia byssum nasci, nisi in Eleo agro, de quo egimus IV. 6.

[p] *Quaternis denariis*] Monetæ nostræ asses sunt triceni bini.

[q] *Scripula ejus*] Libra scripula continet 288.

[r] *Permutata quondam*] Priorum sci-

genus quoddam, quo candorem lintea præcipuum trahunt.

v. Tentatum est tingui linum quoque, et vestium insaniam accipere, in Alexandri Magni primum classibus, Indo amne navigantis, cum duces ejus ac præfecti in certamine[1] quodam variassent insignia navium: stupueruntque littora, flatu versicoloria implente.[2] Velo purpureo[t] ad Actium cum M. Antonio Cleopatra venit, eodemque effugit. Hoc fuit imperatoriæ navis insigne.

vi. Postea in theatris[a] tantum umbram fecere: quod primus omnium[b] invenit Q. Catulus, cum Capitolium dedicaret. Carbasina deinde vela primus in th atro[1] duxisse traditur Lentulus Spinter[c] Apollinaribus ludis. Mox Cæsar dictator totum forum Romanum intexit, viamque sacram[d]

CAP. V. 1 Cod. Dalec. *ac præfecti certamine*, omissa præpositione.—2 Chiffl. *versicolorias pellente.*
CAP. VI. 1 Vet. Dalec. *theatrum;* Dalecampius vero legit, *amphitheatrum.*

NOTÆ

licet Cæsarum ævo, quo denarius aureus argenteis denariis quinque et viginti æstimabatur, ut dicemus XXXIII. 13. Sic Aureliani ævo libra auri libra serici fuit, et auro fila pensabantur, inquit Vopiscus in Aureliano, p. 224.

[s] *Est et inter papavera*] De hac re dicemus XX. 79.

[t] *Velo purpureo*] Hac refer et Agrippæ vexillum cœruleum, de quo Dio l. LI. p. 458.

[a] *Postea in theatris*] Hunc morem inducendi vela theatris describit eleganter Lucretius IV. 73. 'Et vulgo faciunt id lutea, rufaque vela, Et ferrugina, cum magnis intenta theatris Per malos vulgata trabesque trementia pendent. Namque ibi consessum caveai subter, et omnem Scenalem speciem patrum, matrumque, Deorumque, Inficiunt, coguntque suo fluitare colore,' &c.

[b] *Quod primus omnium*] Valerius Max. II. 4. 6. 'Q. Catulus Campanam imitatus luxuriam, primus spectantium consessum velorum umbraculis texit.' Ab eo Capitolium Sylla mortuo dedicatum diximus VII. 44.

[c] *Lentulus Spinter*] Plus hoc etiam præstitit: nam, teste eodem Valerio Max. loc. cit. 'argentatis choragiis,' hoc est, scenarum instrumentis, 'P. Lentulus Spinter adornavit' scenam, cum 'translatitium antea' foret 'Pœniceis indui tunicis.'

[d] *Viamque sacram*] Fuit ea in quarta Urbis regione, teste P. Victore, in descript. Urbis Romæ. Sericis cortinis inumbratam fuisse auctor est Dio lib. XLIII. p. 226. παραπετάσματα σηρικὰ ὑπερπέτασε.

ab domo sua et clivum usque in Capitolium,[2] quod munere ipso gladiatorio[e] mirabilius[3] visum tradunt. Deinde et sine ludis Marcellus Octavia sorore Augusti genitus, in ædilitate sua, avunculo XI. consule, a. d. Kalendas Augusti,[4] velis forum inumbravit, ut salubrius litigantes consisterent: quantum mutatis moribus Catonis censorii, qui sternendum quoque forum muricibus[f] censuerat. Vela nuper[g] colore cœli, stellata, per rudentes iere etiam in amphitheatro[h] principis Neronis. Rubent in cavis ædium,[5]



—2 'Ita bene codd. Reg. et Cl. Rezzonicus ex Mss. Mediolan. Perperam in recentioribus editionibus, *ad clivum usque Capitolinum*. Cæsar non modo totum forum Romanum, sed viam Sacram, et clivum Capitolinum usque in ædem Jovis Capitolini intexit.' *Brotier*. *et clivum usque in Capitolium* etiam Chiffl. ita quoque legit ex codd. Nic. Heinsius in Advers. I. 9. p. 87. *ad clivum usque Capitolinum* edd. vett. Gronov. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—3 Alii ap. Dalec. *miserabilius*.—4 'Ita ex codd. Harduinus et recentt. *consule ad Idus Augusti* cod. Dalec. *consule Calend. Augusti* Gronov. et vulgg.—5 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *nuper et colore* (sic et Chiffl.) *cæli distenta per rud. terræ, &c. rubent, &c.* cod. Dalec. *nuper colore cæli, stellata per rudentes, terra etiam in amphitheatris principis Neronis rubente: in cavis ædium* edd. vett. et Gronov. '*Vela nuper colore cæli distenta per rudentes*] Sic optimæ membranæ Chiffl. non *stellata*; quomodo apud Nasonem Art. Am. II. 209. restituimus ex scriptis, '*distenta* suis umbracula virgis.'' *Nic. Hein-*

NOTÆ

[e] *Munere ipso glad.*] Quod munus a Suetonio describitur in Julio, c. 39. —'Quod vero Plinius addit, Kalendis Augusti forum fuisse a Marcello velis inumbratum, Augusto XI. consule; significare videtur, id ob recentem appellationem mensis Augusti, qui prius Sextilis dicebatur, factum fuisse, A. U. scilicet DCCXXXV. vel sequente.' *Ed. sec.*

[f] *Muricibus*] Acutis lapidibus, ne fora litigiosa tam crebro litigantes adirent. Muricem veteres dicebant saxi acumen. Virgil. Æneid. V. 'Concussæ cautes, et acuto murice remi Obnixi crepuere, illisaque prora pependit.' Ubi id Servius annotat: et ejusdem loci auctoritate Nonius Marcellus: 'Murices,' inquit, 'vetustas etiam saxorum asperitates dici voluit.'

[g] *Vela nuper*] Vela nuper, inquit, coloris cœrulei visa, ac distincta stellis, per rudentes extenta cucurrere, in amphitheatro Neronis. Sunt et rubra in cavis ædium, quæ muscum virentem a Solis ardore defendant.

[h] *In amphitheatro*] Hoc amphitheatrum esse censuerim, quod Tranquillus in Nerone, c. 12. ligneum fuisse dicit, in regione Martii Campi intra anni spatium fabricatum. De quo et Tacit. Annal. XIII. p. 206. 'Nerone secundum, L. Pisone Coss. pauca memoria digna evenere: nisi cui libeat, laudandis fundamentis et trabibus, quis molem amphitheatri apud Campum Martis Cæsar exstruxerat, volumina implere.' De velis ibi extentis Dio l. LXIII. p. 718. dum res gestas iis diebus enumerat, quibus a

et muscum a Sole defendunt. Cetero[i] mansit candori[6] pertinax gratia. Honor etiam et Trojano bello. Cur enim non et præliis interfuit, ut naufragiis? Thoracibus lineis paucos tamen pugnasse, testis est Homerus.[j] Hinc fuisse et navium armamenta apud eundem interpretantur eruditiores: quoniam cum sparta[k] dixit, significaverit sata.

VII. (II.) Sparti quidem[l] usus multa post sæcula cœptus est; nec ante Pœnorum arma,[m] quæ primum Hispaniæ intulerunt. Herba et hæc[1] sponte nascens, et quæ non queat seri,[n] juncusque[o] proprie aridi soli,[p] uni terræ dato

sius. Vid. Advers. I. 6. p. 66.—6 *Ceterum mansit candori* cod. Dalec. *Cetero mansit candore* Chiffl.

CAP. VII. 1 *Herba est hæc* Dalec.—2 Idem, *dato hoc vitio*.—3 Chiffl. *velli-*

NOTÆ

Nerone Armeniæ regnum Tiridati concessum est: Τάγε μὴν παραπετάσματα τὰ διὰ τοῦ ἀέρος διαταθέντα, ὅπως τὸν ἥλιον ἀπερύκοι, ἁλουργὰ ἦν· καὶ ἐν μέσῳ αὐτῶν ἅρμα ἐλαύνων ὁ Νέρων ἐνέστικτο· πέριξ δὲ ἀστέρες χρυσοῖ ἐπέλαμπον. *Vela per aërem extensa, Solis arcendi causa, purpurea erant: quorum in medio Nero acu pictus currum agitabat: circa hunc undique sidera lucebant aurea, &c.*

[i] *Cetero*] Diuturnior fuit gratia candoris in lino: sive candor in lino ceteris coloribus potior visus est.

[j] *Homerus*] Iliad. B. ubi λινοθώρηκας ejusmodi bellatores vocat. Et linteam loricam induisse Galbam Tranquillus scribit, c. 19. quanquam non dissimulantem parum adversus mucrones profuturam.

[k] *Quoniam cum sparta*] Hic versus ille Homericus est, quem respicit, ex Iliad. B. 135. Καὶ δὴ δοῦρα σέσηπε νεῶν, καὶ σπάρτα λέλυνται. Error hic fuit eruditorum illorum, quos Plinius nunc appellat, qui τὰ σπάρτα in eo versu *sata* interpretati sunt, aut funes rudentesque nauticos ex rebus sativis factos, uti ex lino, stupa, cannabe: quia σπείρειν *serere* significat. Σπάρτα νεῶν Homerus vocat, funiculos e lino vel cannabe, quibus suebantur naves, non quia e sativis rebus nectebantur: sed quia ad nectendum idonei. Nam σπείρειν Græcis, ut *serere* Latinis, non solum terræ semen committere, sed et nectere significat, et conjungere invicem. Τὸ σπαρτὸν est *sativum*, quod seri potest: at σπάρτον est *funis* qui seritur, id est, nectitur.

[l] *Sparti quidem*] Hoc spartum Latinorum est, diversum a sparto Græcorum, de quo dicemus alias. Describitur, pingiturque a Clusio Rarior. Plant. VI. 40. p. 220. Hispanis, apud quos id provenit, etiamnum *Sparto* vocatur.

[m] *Pœnorum arma*] Bello Punico secundo, quo totam intra flumen Iberum Hispaniam sibi subjecit Hannibal.

[n] *Et quæ non queat seri*] Contra seri Varro jubet de Re Rust. I. 23. 'Sic ubi cannabim,' inquit, 'seras, linum, junceam, spartum, unde lineas,

vitio.[2] Namque id malum telluris est: nec aliud ibi seri aut nasci potest. In Africa exiguum et inutile gignitur. Carthaginiensis [q] Hispaniæ citerioris portio, nec hæc tota, sed quatenus parit, montes quoque sparto operit. Hinc strata [r] rusticis eorum, hinc ignes facesque, hinc calceamina, et pastorum vestis, animalibus noxium, præterquam cacuminum teneritate. Ad reliquos usus laboriose evellitur,[3] ocreatis cruribus, manu, textisque manicis,[4] convolutum osseis iligneisve conamentis.[5] [s] Nunc jam in hyemem juxta.[6] [t] Facillime tamen ab Idibus Maiis in Junias: hoc maturitatis tempus.



tur.—4 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *manibusque textis manicis* Gronov. et al. vett. Mox, Chiffl. *ilignisque.*—5 ' *Conamentis*] Ita libri omnes. Conamenta sunt, quibus conatus juvantur. Nempe iligneis manubriis utebantur, ut spartum facilius evelleretur.' *Brotier.*—6 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *jam hieme vix* Vet. Dalec. *jam in hiemem vix* edd. vett. et Gronov.

NOTÆ

funes facias,' &c. Sed ægre admodum scimus ex semine pullulare.

[o] *Juncusque*] Ob folia juncea, et aspera.

[p] *Aridi soli*] Siticulosi, aquarum penuria laborantis. Strabo lib. III. pag. 60. de campo spartario: Τοῦτο δ' ἐστὶ μέγα καὶ ἄνυδρον, τὴν σχοινοπλοκικὴν φύον σπάρτον, ἐξαγωγὴν ἔχουσαν εἰς πάντα τόπον, καὶ μάλιστα εἰς τὴν Ἰταλίαν.

[q] *Carthaginiensis*] Gignit nunc quoque hæc regio ab limitibus Granatensis regni, seu Bæticæ fine, usque ad eam urbem quæ nunc Murcia dicitur. Fuit eo tractu campus Spartarius, Carthagoque nova, *Cartagena*, et ipsa inde a Plinio XXXI. 43. et ab Isidoro XV. 1. Spartaria appellata: Καρχηδὼν Σπαρταγενὴς Appiano, in Iber. pag. 261. Crescit et in Valentino Hispaniæ regno spartum.

[r] *Hinc strata*] Eodem est hodie apud Hispanos usu: nam ex crudo exsiccatoque sparto tapetes, sive aulæa, storeas, corbes, rudentesque conficiunt. Corbes ii certe, in quibus ficus et uvæ passæ advehuntur, e sparto contexti sunt. Ex eo denique in lini morem aqua macerato, deinde siccato, tusoque, calceamenti genus paratur, quod ipsi *Alpergates* vocant. Hæc omnia ex Clusio, qui vidit, loc. cit.

[s] *Iligneisve conamentis*] Conamenta ossea ligneave interpretor, ossa, ligneosque fustes teretes, quibus spartum convolvitur, ut velleutium conatus juvetur, et minuatur labor. Ita sane libri omnes, etiam Mss. Nugantur, qui *nucamentis*, vel *cum amentis* malunt.

[t] *Nunc jam in hyemem juxta*] Subintellige, vellitur pariter hyeme, ut æstate: sed multo facilius ab Idibus Maiis, &c. Ita porro Mss. omnes: non, ut editi, *in hyemem vix*.

VIII. Vulsum fascibus in acervo animatum[1] [a] biduo, tertio resolutum, spargitur in Sole siccaturque, et rursus in fascibus redit sub tecta. Postea maceratur aqua marina optime, sed et dulci, si marina desit: siccatumque Sole iterum rigatur. Si repente urgeat desiderium,[*] perfusum calida in solio [b] ac siccatum stans, compendium operæ fatetur. Hoc autem tunditur, ut fiat utile,[c] præcipue in aquis[2] marique invictum. In sicco præferunt e cannabi funes. At spartum alitur etiam demersum, veluti natalium sitim [d] pensans. Est quidem ejus natura interpolis:[e] rursusque quam libeat[3] vetustum novo miscetur. Verumtamen complectatur animo,[4] qui volet miraculum æstimare, quanto sit in usu, omnibus terris, navium armamentis, machinis ædificationum, aliisque desideriis vitæ. Ad hos omnes usus quæ sufficiant, minus triginta millia passuum in latitudinem a littore Carthaginis novæ, minusque C.[5] in

[*] *Si statim uti sparto desideras.*

CAP. VIII. 1 Vet. Dalec. *acervo adunatum.*—2 Cod. Dalec. *præcipue aquis.*—3 Dalec. *quamlibet.*—4 Ita codd. Dalec. et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. et Bipont. *complectetur animo* edd. vett. Gronov. et Franz.—5 'Cen-

NOTÆ

[a] *Vulsum fascibus in acervo animatum*] Ita libri omnes: hoc est, nondum exanime, sed viride adhuc et integrum: cum eo spiritu quem exhalat, cum recens est: atque, uti de palmæ fructu Plinius ait, XIII. 9. 'cum sui ardoris anima.' Resolvi deinde porro necesse est, vertique ad Solem, uti de fœno dictum est, XVIII. 67. alioqui, ut fœnum, sic et spartum incensa illa anima nebulam exhalaret, accenderetarque, et conflagraret. Dalecampius, et post eum Salmasius, legunt *manuatum*, interpretanturque, ut Plinius ipse loquitur initio c. 3. 'in fasciculos manuales colligatum:' quod vereor ut cuiquam probent.

[b] *In solio*] Solium pro vase iligneo aut abiegno ponitur. Sic vasa ea, in quibus cum lixivio calido et cinere pannos emaculamus, solia dicimus.

[c] *Ut fiat utile*] Funibus texendis, ceterisque usibus.

[d] *Natalium sitim*] Quoniam in arido solo, ut dictum est, nascitur.

[e] *Est . . . natura interpolis*] Ea sparti natura, ut interpolandis, resarciendis, renovandis operibus, quæ ex eo fiunt, aptissime adhibeatur, et vetustum secure misceatur novo. Interpolis mulier a Plauto appellatur ea, quæ se pigmentis interpolat, atque reconcinnat, ut ex vetusta anu nova quasi puella fiat, in Mostell. I. 3. 117.

longitudinem [f] esse reperientur. Longius vehi [g] impendia prohibent.

IX. Junco Græcos ad funes usos nomini credamus,[h] quo herbam eam appellant: postea palmarum foliis, philuraque,[i] manifestum est: et inde [1] translatum a Pœnis sparti usum, perquam simile veri est.[2]

X. Theophrastus [j] auctor est, esse bulbi genus circa ripas amnium nascens, cujus inter summum corticem, eamque partem qua vescuntur, esse laneam naturam, ex qua impilia [k] vestesque [1] quædam conficiant.[2] Sed neque regionem, in qua fiat,[3] neque quicquam diligentius, præter-

tenarii numeri nota deest in Plinii libris. Repetita est ab Apuleio, in Herbario. Forte major esse debet. Nos enim nuper docuit Cl. Bowles, *Introduction à l'Histoire Naturelle d'Espagne*, pag. 239. spartum crescere in maxima Hispaniæ parte.' *Brotier.*

CAP. IX. 1 Cod. Dalec. *manifestum est: inde*, omissa conjunctione.—2 Idem codex, *perquam simile est veri.*

CAP. X. 1 Ita codd. Harduini, Chiffl. Dalec. et Turneb. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. Ita quoque restituit Pelisserius. Edd. vett. et Gronov. *ex qua mapalia vestesque.*—2 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *conficiuntur* Gronov. et vulgg.—3 Gronov. et al. ante

NOTÆ

[f] *Minusque C. in longitudinem*] Sic Apuleius in Herbario suo: quod etiam Salmasius vidit, in Solin. p. 261. 'Ad quos omnes usus minus XXX. M. passuum in latitudinem e littore Carthaginis Novæ . . . Centum in longitudinem nascitur.'

[g] *Longius vehi*] Ex interiore Hispaniæ tractu advehi, impendia terrestris itineris vetant. Falluntur, qui *longius seri* hic legunt: herbam enim esse Plinius ante monuit, quæ non queat seri.

[h] *Nomini credamus*] Habent enim Græci commune nomen, quo juncum funemque nominent, perinde ac si ex junco funes olim contextos significarent: σχοῖνος. Vide Rob. Constant. in Lexico.

[i] *Philuraque*] Hoc est, ex tenuissimis arboris tiliæ membranis, seu tunicis: hæc enim φιλύρα Græcis dicitur.

[j] *Theophrastus*] Hist. VII. 13. et ex eo Athenæus lib. II. p. 64.

[k] *Ex qua impilia*] Ita Mss. Reg. Colb. Chiffl. Th. non, ut editi perperam, *mapalia*. Sunt autem *impilia* socculi. Theophrasto πιλεῖα. Ὑφαίνεται δὲ ἐξ αὐτοῦ, inquit, καὶ πιλεῖα, καὶ ἄλλα ἱμάτια. Πιλεῖα sunt pedum tegumenta ex coacta lana. Impilia igitur coactilia erunt, pedibus involvendis calceandisque utilia. *Des chaussons de feutre.* Pollux II. 4. pag. 116. Πιλεῖα δὲ τοὺς περὶ τοῖς ποσὶ πίλους. Hesychius: Νάκτα, τοὺς πίλους, καὶ τὰ ἐμπίλια. Usus hac voce *impilia* Ulpianus. Vide Turnebum Advers. XI. 14. p. 334.

quam eriophoron[l] id appellari, in exemplaribus, quæ quidem[4] invenerim, tradit: neque omnino ullam mentionem[m] habet, cuncta cura magna persecutus CCCXC.[5][n] annis ante nos, ut jam et alio loco diximus;[6] quo apparet, post id temporis spatium in usum venisse spartum.

XI. Et quoniam a miraculis rerum cœpimus, sequemur eorum ordinem, in quibus vel maximum est, aliquid nasci aut vivere sine ulla radice. Tubera[o] hæc vocantur, undique terra circumdata, nullisque fibris nixa, aut saltem capillamentis, nec utique extuberante loco in quo gignuntur, aut rimas agente: neque ipsa terræ cohærent. Cortice etiam includuntur, ut plane nec terram esse possimus dicere, nec aliud quam terræ callum.[1] Siccis hæc fere et sabulosis locis, frutectosisque, nascuntur. Excedunt sæpe magnitudinem mali cotonei, etiam librali pondere. Duo eorum genera, arenosa dentibus inimica, et altera[2] sincera. Distinguuntur et colore, rufo, nigroque, et intus candido:[3] laudatissima Africæ. Crescant, anne vitium id terræ (neque enim aliud intelligi potest) ea protinus globetur magnitudine, qua futurum est; et vivantne, an non, haud facile arbitror intelligi posse. Putrescendi enim ratio communis est iis cum ligno. Lartio Licinio[p] prætorio viro jura reddenti

Harduin. *in qua id fiat.*—4 Chiffl. *quæ equidem.*—5 Gronov. et al. ante Harduin. *habet sparti cuncta . . . CCCCXC.*—6 Cod. Dalec. *ut in alio jam loco diximus.*

CAP. XI. 1 Cod. Dalec. *nec aliud terræ quam callum.*—2 Vet. Dalec. *sunt et altera.*—3 Margo edd. Dalec. et Gronov. *nigroque intus et candido.*—4 *Hispa-*

NOTÆ

[l] *Eriophoron*] Ἐριοφόρον, ob tomenti copiam, quam gerit, quæ lanæ modo in stamina deduci potest. Bulbi eriophori geminam iconem exhibet Dodonæus, p. 681. Ex his alterum in Regio horto vidimus, qualem et Clusius pinxit. Peruanum præterea alterum, et tertium Orientalem appellatum.

[m] *Neque . . . mentionem*] Ejus nimirum quod nunc describitur.

[n] *CCCXC. annis*] Vide Notas et Emend. num. 3.

[o] *Tubera*] Vulgo, *des Trufles.*

[p] *Lartio Licinio*] Vetus inscriptio, sed suspecta illa quidem nobis, apud Gruterum, p. 180. LARTIUS. LICINIUS CUM. GUBERNASSET. HISPAN. HUNC AQUAEDUCTUM. JUSSIT. AEDIFICARE. Apud Plinium Juniorem Epist. II. 14. Largius Licinius, pro Lartio, mendose appellatur.

in Hispania[4] Carthagine, paucis his annis scimus accidisse, mordenti tuber, ut deprehensus intus denarius[5] primos dentes inflecteret: quo manifestum erit, terræ naturam[q] in se globari. Quod certum est, ex iis erunt[r] quæ nascantur, et seri non possint.[6]

XII. (III.) Simile est et quod in Cyrenaica provincia vocant misy,[1][s] præcipuum suavitate odoris ac saporis, sed carnosius: et quod in Thracia[t] iton, et quod in Græcia geránion.[2]

XIII. De tuberibus[u] hæc traduntur peculiariter: Cum fuerint imbres autumnales, ac tonitrua[v] crebra, tunc nasci, et maxime e tonitribus:[1] nec ultra annum durare: tenerrima autem verno esse. Quibusdam locis[w] accepta riguis

niæ Vet. Dalec.—5 Cod. Dalec. *deprehensis intus denariis.*—6 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *Quod certum est ex iis quæ nascuntur, et s. n. possunt* cod. Dalec. *quod certum est ex iis quæ nascantur et s. n. possint* edd. vett. et Gronov.

CAP. XII. 1 Turneb. *vocant mison.* Mox, margo edd. Dalec. et Gronov. *suavitate saporis, carnisque odore, et quod, &c.* ex Athenæo. Cod. Dalec. *suavitate, odore, sapore, sed, &c.*—2 Ita Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. Vid. Not. et Emend. n. 4. Turneb. legit, *et quod in Thracia iston;* Gronov. et aliæ edd. ante Harduin. *et quod in Thracia ceraunium;* Chiffl. *et quod in Thracia cereranion.*

CAP. XIII. 1 Dalec. *a tonitribus.*—2 Alii ap. Dalec. *acceptantur riguis et*

NOTÆ

[q] *Terræ naturam*] Substantiam tenuiorem, ex qua tuber gignitur, sic in se convolvi, ut incidentia quoque includat.—'De hoc argumento vide dissertationem D. Geoffroy junioris, in Historia Academiæ Regiæ Scientiarum an. 1711. p. 23.' *Ed. sec.*

[r] *Ex iis erunt*] Ex eorum genere tubera erunt, quæ seri non possint.

[s] *Simile est ... misy*] Tuberis genus, et iton, et geranion.

[t] *Et quod in Thracia*] Vide Notas et Emend. num. 4.

[u] *De tuberibus*] Hæc totidem verbis Athenæus lib. II. p. 62. ex Theophrasto.

[v] *Ac tonitrua*] Sic etiam sensit Juvenalis Sat. V. 116. 'Post hunc tradentur tubera, si ver Tunc erit, et facient optata tonitrua cœnas Majores.' Vide et Plutarch. Sympos. Quæst. IV. 2. p. 664.

[w] *Quibusdam locis*] Quibusdam in locis tuberum origo debetur aquis, et exundationibus fluminum, semina secum devehentium. Theophrastus apud Athen. loc. cit. Οὐ μὴν ἀλλ' ἔνιοί γε ὡς σπερματικῆς οὔσης τῆς ἀρχῆς ὑπολαμβάνουσιν, ἐν γοῦν τῷ αἰγιαλῷ τῶν Μιτυληναίων οὔ φασι πρότερον εἶναι πρὶν ἢ γενομένης ἐπομβρίας τὸ σπέρμα κατενεχθῇ ἀπὸ Τιαρῶν, τοῦτο δ' ἐστὶ χωρίον ἐν ᾧ πολλὰ γίνεται ... Φύεται δὲ καὶ περὶ Λάμψακον, καὶ ἐν Ἀλωπεκοννήσῳ, κἀν τῇ Ἠλείων. Quæ totidem verbis summa fide Plinius reddidit. Tiaræ por-

feruntur:[2] sicut Mitylenis negant nasci,[3] nisi exundatione fluminum invecto semine ab Tiaris. Est autem is locus, in quo plurima nascuntur. Asiæ nobilissima circa Lampsacum, et Alopeconnesum:[4] Græciæ vero, circa Elin.

XIV. Sunt et in fungorum genere a Græcis dicti pezicæ,[1] [x] qui sine radice aut pediculo nascuntur.

XV. Ab his proximum dicetur auctoritate clarissimum laserpitium, quod Græci silphion [a] vocant, in Cyrenaica [b] provincia repertum: cujus succum vocant laser:[c] magnificum in usu medicamentisque, et ad pondus argenti denarii[1] pensum. Multis jam annis [d] in ea terra non invenitur, quoniam publicani,[e] qui pascua conducunt, majus ita

seruntur.—3 Margo edd. Dalec. et Gronov. *nasci in littore*, ex Athen.—4 Ibid. ex eodem Athen. *in Acarnide.*

CAP. XIV. 1 Turneb. Advers. XI. 20. *dicti pezitæ.* Mox, cod. Dalec. *et pediculo.*

CAP. XV. 1 Harduin. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *argentei denarii.*—

NOTÆ

ro collis nomen fuit, imminentis littori Mitylenæorum. In nummis antiquis ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ scribitur.

[x] *Pezicæ*] Πέζιας appellat Theophr. apud Athen. lib. II. p. 61. quasi fungos sessiles dixeris: sunt ii globosæ formæ et instar rotundi orbis terræ adhærent, nullo pede aut cauliculo fulti: qui dum resiccati rumpuntur, tenuissimum pulverem instar fumi evomunt: vulgo Lupi crepitus vocant: nec sunt ii fungi edules.

[a] *Græci silphion*] Columella VI. 17. 'Et radix quam Græci σίλφιον vocant, vulgus autem nostra consuetudine laserpitium appellat.' Aliquando et ea caulis ejus plantæ appellatio fuit. Diosc. III. 94. ἔνιοι δὲ τὸν μὲν καυλὸν σίλφιον ἐκάλεσαν. Pro tota planta Galenus lib. IV. de Morbis Acutis, Comment. 95. Τὴν ῥίζαν τοῦ σιλφίου καλεῖν ἔθος τοῖς ἀνθρώποις ὁμωνύμως ὅλῃ τῇ βοτάνῃ.

[b] *In Cyrenaica*] Inde Cyrenas 'laserpiciferas' vocat Catullus, prave, pro 'laserpitiseris.'

[c] *Succum vocant laser*] Philoxenus in Glossis, λασάριον.

[d] *Multis jam annis*] Sic XXII. 48. 'Extincto omni Cyrenaico silphio, ut diximus.' Scribonius Largus, qui Tiberii ætate vixit, c. 16. Ad anginam, Compos. 67. 'Medicamenta autem simplicia quidam hæc faciunt: Laser Cyrenaicum, si poterit inveniri: sin minus, Syriacum aqua dilutum,' &c.

[e] *Quoniam publicani*] Mancupum avaritia non patitur laserpitium in caulem assurgere, quia illud depopulantur pecorum pabulo: adeo ut unus caulis qui pecoris aviditatem fefellerat, pro miraculo Neroni sit missus. Statim in herba tenerove caule depascuntur pecudes, neque sinunt in ferulam assurgere. Arcebant prius ipsi incolæ greges ab ea planta, ne florem depascerentur, radicemque suffoderent, teste Arriano de Exped. Alex. lib. III.

lucrum sentientes, depopulantur pecorum pabulo. Unus omnino caulis nostra repertus memoria, Neroni principi missus est. Si quando incidit pecus in spem nascentis, hoc deprehenditur signo: ove, cum comederit, dormiente protinus, capra sternutante.[2] Diuque jam non aliud ad nos invehitur laser, quam quod in Perside,[f] aut Media, et Armenia nascitur large, sed multo infra Cyrenaicum: id quoque[3] adulteratum gummi, sacopenio,[4] [g] aut faba fracta. Quo minus omittendum videtur, C. Valerio,[h] M. Herennio coss. Cyrenis advecta Romam publice laserpitii[5] pondo XXX. Cæsarem vero dictatorem initio belli civilis, inter aurum argentumque protulisse ex ærario laserpitii pondo CXI.[6] [i] Id apud auctores[j] Græciæ evidentissimos invenimus natum imbre piceo repente madefacta tellure, circa[7] Hesperidum hortos[k] Syrtimque majorem, septem annis ante oppidum Cyrenarum, quod conditum est Urbis nostræ



2 'Ita cod. Reg. 1. et Editio princeps.' *Brotier*. Ita quoque cod. Dalec. *sternuente* Gronov. al. vett. Harduin. et recentt.—3 Cod. Dalec. *idque*.—4 'Ita codd. Regg.' *Brotier*. *gummi, sagapeno* Harduin. 1. 2. 3. Miller. et Bipont. *gummi, aut sagapeno* edd. vett. et Gronov. Sic etiam Franzius, cum hac nota: 'Hic *aut* exciderat e textu, quod tamen agnoscit Harduinus in notis, ergo restituimus.'—5 Dalec. *laseris*; et sic mox.—6 'Ita cod. Reg. 1. et Editio princeps. Eruditus Harduinus ex codd. Reg. 2. et Colb. *pondo M. D.* At potior est antiquissimi codicis Reg. 1. auctoritas.' *Brotier*. *pondo CXI.* edd. vett. et Gronov. Harduinum secuti sunt Miller. Bipont. et Franz. Mox, pro *evidentissimos*, Vet. Dalec. *vetustissimos*.—7 Chiffl. *erga*.—8 Cod.

NOTÆ

[f] *Quod in Perside*] De lasere Mediæ, Eustathius in Dionys. vs. 1017. p. 127. De Syria, Media, Armeniaque, Diosc. III. 94. Apicius I. 30. 'Laser Parthicum' vocat.

[g] *Sacopenio* [*aut sagapeno*] Sic Diosc. III. 94. *Δολοῦται δὲ πᾶς ὀπὸς πρὸ τοῦ ξηρανθῆναι σαγαπηνοῦ μιγνυμένου, ἢ ἀλεύρου ἐρεγμινοῦ, κ. τ. λ.*

[h] *C. Valerio*] In annum Urbis DCLXI. incidit Consulatus C. Valerii Flacci, et M. Herennii. Vide Cassiod. Jul. Obseq. et Fragm. Capitol.

[i] *Pondo CXI.* [*M. D.*] Hoc est, pondo mille quingenta. Ita Mss. Reg. 2. et Colb. non, ut editi, *pondo CXI.*

[j] *Id apud auctores*] Nempe apud Theophr. Hist. VI. 3. unde hæc deinceps ad verbum expressa.

[k] *Hesperidum hortos*] Vide v. 5. Theophr. loc. cit. ut quidem in libris editis vulgo habetur, *περὶ τὴν Σύρτιν ἀπὸ τῶν Εὐεσπερίδων*, circa Hesperiam seu Berenicen oppidum Syrti vicinum.

anno CXLIII.[1] Vim autem illam per quatuor millia stadium [m] Africæ [8] valuisse. In ea laserpitium gigni solitum, rem feram [n] ac contumacem, et si coleretur, in deserta fugientem: radice multa crassaque, caule ferulaceo,[9] aut simili crassitudine.[o] Hujus folia [p] maspetum vocabant, apio maxime similia. Semen erat foliaceum,[q] folium ipsum vero [10] deciduum.[r] Vesci pecora [s] solita, primoque purgari, mox pinguescere, carne mirabilem in modum jucunda. Post folia amissa,[t] caule ipso et homines [11] vescebantur decocto, asso, elixoque: [u] eorum quoque corpora XL. pri-



Dalec. *stadiorum in Africa.*—9 Th. ap. Dalec. *magnitudine ferulæ par.* Mox, pro *aut*, quod servant codd. Harduin. Dalec. et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *haud* legitur in edd. vett. et Gronov.—10 Ita codd. Dalec. et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *et vere* Gronov. et al. *vere nascitur* margo edd. Dalec. et Gronov. e Theophr.—11 '*Th. emissa, caulis ipse* (sub. 'prodit') *quo et homines.*' Dalec. Mox,

NOTÆ

Anno CXLIII.] Olympiadis XLII. annus hic tertius fuit. Theophr. loc. cit. conditam Cyrenen ait, annis fere trecentis antequam Archon Athenis Simonides foret: fuit autem is Archon Olymp. CXVII. anno secundo, Urbis Romæ CCCCXLII. Quare cum Theophrasto Plinius facit: cum a trecentorum annorum numero unicus desideretur. Solinus Urbis Cyrenes ortum ascribit Olympiadi v. et XL. post Trojam captam anno DLXXXVI. Eusebius in Chron. vicennio fere ante, Olymp. XXXVII. anno IV. 'Battus,' inquit, 'Cyrenen condidit.'

[m] *Quatuor millia stad.*] Theophr. πλείω ἢ τετρακισχίλια στάδια. Sunt ea passuum L. millia.

[n] *Rem feram*] Quæ cultum aspernetur omnem, et loca culta fugiat: vel, uti de cupresso dictum est, quæ sit natu morosa.

[o] *Aut simili crassitudine*] Vide Notas et Emend. num. 5.

[p] *Hujus folia*] Theophr. loc. cit. Τὸ δὲ φύλλον ὃ καλοῦσι μάσπετον, ὅμοιον τῷ σελίνῳ, κ. τ. λ. Pollucis VI. 10. p. 287. eadem sententia est: Ἡ δὲ ῥίζα σίλφιον .... τὸ δὲ φύλλον μάσπετον. Diosc. vero III. 94. caulem maspetum vocat: Οὗ ὁ καυλὸς μάσπετον καλεῖται, ἐμφερὴς νάρθηκι. Idem nihilominus aliorum sententiam recitat: ἔνιοι δὲ τὸν καυλὸν σίλφιον ἐκάλεσαν, τὴν δὲ ῥίζαν μαγύδαριν, τὰ δὲ φύλλα μάσπετα.

[q] *Semen .... foliaceum*] Theophr. Σπέρμα δ' ἔχει πλατὺ, φυλλῶδες, οἷον τὸ λεγόμενον φύλλον. Et ipsum quoque semen a planitie foliacea, folium est appellatum, ut ex Galeno dicemus statim.

[r] *Folium .... vero deciduum*] Vide Notas et Emend. num. 6.

[s] *Vesci pecora*] Theophr. loc. cit.

[t] *Post folia amissa*] Decidere enim ea a Canis ortu, Austro flante, quidam tradidere.

[u] *Asso, elixoque*] Theophr. ἑφθὸν, ὀπτόν.

mis diebus purgante a vitiis omnibus. Succus duobus [v] modis capiebatur: e radice, atque caule. Et hæc duo erant nomina: rhizias, atque caulias vilior illo [12] [w] ac putrescens. Radici [x] cortex niger. Ad mercis adulteria,[y] succum [13] ipsum in vasa conjectum, admixto furfure,[14] [z] subinde concutiendo ad maturitatem [a] perducebant, ni ita fecissent, putrescentem. Argumentum erat maturitatis, color,[15] siccitasque sudore finito.[b] Alii tradunt laserpitii radicem fuisse majorem cubitali, tuberque in ea [c] supra terram.[16] Hoc inciso,[d] profluere solitum succum, ceu lactis,[17] superenato caule, quem magydarin vocarunt. Folia



Chiffl. *assoque elixo.*—12 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *atque caulias, vilior ille* Gronov. et vulgg.—13 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *niger et ad mercis adulteria. Succum* Gronov. et vulgg. —14 Margo edd. Dalec. et Gronov. *admixta farina*, e Theophr.—15 Chiffl. *colos.*—16 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *super terram* edd. vett. et Gronov.—17 Gronov. *seu lactis.* Mox, Vet. Dalec.

NOTÆ

[v] *Succus duobus*] Theophr. loc. cit. et Diosc. totidem verbis. Καυλίαν vocabant succum qui e caule, ῥιζίαν qui ex radice exprimeretur.

[w] *Vilior illo*] Vide Notas et Emend. num. 7.

[x] *Radici*] Theophr. loc. cit.

[y] *Ad mercis adulteria*] Ad mercem eam sive succum adulterandum. Legit Salmasius in Solin. p. 1024. *ad merces ad ultera*, et ad ultera esse ait, quod Græci εἰς τὰ πέραν dicant. At id quis unus, amabo, dixit idoneus satis Latinitatis auctor?

[z] *Admixto furfure*] Theophr. admixta farina, ἄλευρα μίξωσι.

[a] *Ad maturitatem*] Ad perfectionem integritatemque eam, quam hominum industria et opera obtineret, ut a putredine defenderetur.

[b] *Sudore finito*] Omni humore succi excocto, siccato.

[c] *Tuberque in ea*] In eaque radice extuberare capitulum quoddam, quod sublime penitus extet, ut fere in summa tellure esse appareat: Οἱ δὲ τοῦ σιλφίου τὴν ῥίζαν φασὶ γενέσθαι πηχυαίαν ἢ μικρῷ μείζονα. Ταύτην δὲ ἔχειν ἐπὶ τοῦ μέσου κεφάλιον· ὃ καὶ μετεωρότατόν ἐστι, καὶ σχεδὸν ὑπὲρ γῆς. Theophr. loc. cit.

[d] *Hoc inciso*] Theophr. loc. cit. Sed quem ex Plinio, aliisque, sic legas: Μετὰ ταῦτα δὲ τὸν καυλόν· καλεῖσθαι δὲ μαγύδαριν· ἐκ δὲ τούτου τὸ καλούμενον φύλλον. Quanquam alii, ut diximus, radicem magydarin vocant, non caulem: semen ipsum, fructumque Galenus, tomo II. in explic. vocum Hippocr. p. 93. Ὀποῦ καρπὸς, σιλφίου σπέρμα, ὅπερ φύλλον ἐνικῶς καὶ μαγύδαρις ὑπό τινων καλεῖται. *Succi fructus, silphii semen dicitur, quod et folium simpliciter, et magydaris a quibusdam vocatur.* Et Julius Pollux VI. 10. pag. 287. Σιλφίου τὸ σπέρμα καλεῖται μαγύδαρις, κ. τ. λ.

aurei[e] coloris pro semine fuisse, cadentia a Canis ortu, Austro flante. Ex his laserpitium nasci solitum, annuo spatio[f] et radice et caule consummantibus sese.[18] Hoc et circumfodi[g] solitum prodidere. Nec purgari pecora, sed ægra sanari,[h] aut protinus mori, quod in paucis accidere.[19] Persico silphio prior opinio congruit.

XVI. Alterum genus[1] ejus est,[i] quod magydaris vocatur, tenerius et minus vehemens, sine succo: quod circa Syriam[j] nascitur, non proveniens in Cyrenaica regione. Gignitur[k] et in Parnasso monte copiosius,[2] quibusdam laserpitium vocantibus: per quæ omnia[l] adulteratur rei saluberrimæ utilissimæque auctoritas. Probatio sinceri[m] prima, in colore modice rufo, et cum frangitur,[3] candido intus, mox translucente: gutta, aqua,[4] salivaque liquescit. Usus in multis[n] medicaminibus.

---

supernasci caulem.—18 Chiffl. *consumentibus sese.*—19 Vet. Dalec. *accidit.*

CAP. XVI. 1 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Alterum genus est* Gronov. et vulgg.—2 Cod. Dalec. *copiosum.* Mox, Vet. Dalec. *per quod omnino adulteratur.*—3 Chiffl. *frangatur.*—4 Vet. Dalec. *aquæ.*

NOTÆ

[e] *Folia aurei*] Foliacea, ut diximus, semina ei sunt: hæc post Canis ortum Austro flante decussa novellas silphii seu laserpitii plantas gignunt. Semen silphii folium simpliciter appellatum esse, ex vetustis scriptoribus antea demonstratum est. Theophrasti hæc verba sunt loc. cit. Τὸ καλούμενον φύλλον εἶναι σπέρμα, ὃ καὶ ὅταν νότος λαμπρὸς πνεύσῃ μετὰ Κύνα, διαῤῥίπτεται· ἐξ ὧν φύεσθαι τὸ σίλφιον.

[f] *Annuo spatio*] Eodem anno radix consummatur, perficiturque, et caulis: τῷ αὐτῷ δὲ ἔτει τήν τε ῥίζαν γίνεσθαι, καὶ τὸν καυλόν.

[g] *Hoc et circumfodi*] Theophr. Δεῖν ὀρύττειν ἐπέτειον, *pastinari annis singulis oportere.*

[h] *Sed ægra sanari*] Aut sanari protinus, aut protinus mori: mori autem protinus, rarum.

[i] *Alterum genus*] Ex Theophr. loc. cit. Adde Hesychium, p. 614. Μαγύδαρις, ὀπὸς σιλφίου· οἱ δὲ ἕτερον τοῦ σιλφίου εἶναι εἶδος μανώτερον.

[j] *Circa Syriam*] Περὶ Συρίαν Theophrast. At Diosc. III. 94. ἐν Λιβύῃ.

[k] *Gignitur*] Theophr. loc. cit.

[l] *Per quæ omnia*] Per Syriacum, Parnassiumque silphium, verum ac sincerum adulteratur.

[m] *Probatio sinceri*] Diosc. quoque, loc. cit. Διαφέρει δὲ αὐτοῦ ὁ ὑπέρυθρος, καὶ διαυγὴς, σμυρνίζων . . . μὴ δὲ ἀπηνὴς πρὸς τὴν γεῦσιν· εὐχερῶς τε διειμένος ἐπὶ τὸ λευκὸν χρῶμα, κ. τ. λ. *Præfertur modice ruber, atque translucens, myrrhæ æmulus . . . neque saporis immitis: qui denique et facile liquescit ac diluitur, et albescit.*

[n] *Usus in multis*] Quæ referentur

XVII. Sunt etiamnum duo genera,[1] [o] non nisi sordido nota vulgo, cum quæstu multum[2] [p] polleant. Inprimis rubia[q] tinguendis lanis et coriis necessaria. Laudatissima Italica,[r] et maxime suburbana: et omnes pæne provinciæ scatent[3] ea. Sponte provenit, seriturque[s] similitudine erviliæ.[t] Verum spinosus[u] ei caulis: geniculatus hic est,[4] quinis circa articulos in orbe foliis. Semen ejus rubrum[v] est.[5] Quos in medicina usus habeat, suo dicemus[w] loco.

XVIII. At quæ vocatur radicula,[x] lavandis demum lanis

Cap. XVII. 1 Cod. Dalec. *etiam nunc duo radicum genera.*—2 Cod. Dalec. *nullo.*—3 Vet. Dalec. *etsi om. p. prov. scateant.*—4 Chiffl. *et caule geniculatus*; cod. Dalec. *ac geniculatus huic caulis est.*—5 'In Mss. Reg. *Semen ejus rubia est.* Forte melius editio princeps, *Semen ejus quos in medicina usus habeat, suo dicemus loco.* Fructus rubiæ primo viridis, deinde ruber, denique niger est.' *Brotier.* *rubia est* etiam Chiffl.

NOTÆ

inferius, XXII. 48. et 49.

[o] *Sunt . . . duo genera*] Earum scilicet plantarum, quarum confessæ sunt utilitates, ut dictum est c. 1.

[p] *Quæstu multum*] Diosc. de rubia: *ὠφελίμως σπείρεται, διὰ τὸ γίνεσθαι ἐκ τούτου πλείστην πρόσοδον.*

[q] *Inprimis rubia*] Græci *ἐρυθρόδανον* vocant: Galli, *Garance*: officinæ, *Rubiam tinctorum.* Radicis liquore apud nos singulis annis in Paschali festo mulieres ova tingunt. A Dodonæo pingitur, p. 349. qualem in horto Regio vidimus. A vocabulo Gallico deductus garaneus color, cujus Ugutio meminit: qui nempe accedit ad rubiam: cujusmodi est color cervorum: *Couleur de cerf, garancé.*

[r] *Italica*] Ravennatem rubiam laudat inprimis Dioscor. III. 160.

[s] *Sponte . . . . seriturque*] Hoc est, una sylvestris est, sativa altera, quod et Diosc. loc. citato ait: addens et inter oleas et in arvis seri.

[t] *Similitudine erviliæ*] Semen, inquit, seritur, similitudine erviliæ, seu pisi minoris. De ervilia diximus lib. XVIII. 10.

[u] *Verum spinosus*] Τραχὺς, *asper*, Diosc. *Εἰσὶ δὲ αὐτοῦ οἱ καυλοὶ τετράγωνοι, μακροὶ, τραχεῖς . . . . ἔχοντες ἐκ διαστημάτων τὰ φύλλα καθ' ἕκαστον γόνυ, ὥσπερ ἀστέρας εἰς κύκλον περικείμενα. Foliis in orbem per intervalla, nempe circa singula genicula, stellæ modo decussatim radiatis.*

[v] *Semen . . . . rubrum*] Semen rotundum, inter initia viride, mox rubrum, postremo, cum ematuruit, nigrum, inquit Diosc. *Καρπὸν στρογγύλον, τὰ πρῶτα χλωρὸν, εἶτα ἐρυθρὸν, εἶτα πεπαινόμενον μέλανα.*

[w] *Suo dicemus*] Lib. XXIV. 56.

[x] *At quæ . . . . radicula*] Dioscoridi II. 193. *Στρούθιον . . . . ᾧ οἱ ἐριοπλῦται χρῶνται πρὸς κάθαρσιν τῶν ἐρίων. Struthium sive radicula, qua fullones purgandis lanis utuntur.* Ea est quæ communi officinarum consensu *saponaria* dicitur, quoniam eluendis vestimentorum maculis, sordibusque lanarum expurgandis, saponis vicem exhibet. Quidam herbam fullonum etiam nominant, *l'herbe au foulon*, quod ea interpolandis vestibus et mangonio poliendis fullones utuntur. Eadem apud

succum habet: mirum quantum conferens[1] candori mollitiæque. Nascitur sativa ubique, sed sponte[b] præcipua in Asia Syriaque, saxosis et asperis locis. Trans Euphratem tamen laudatissima, caule ferulaceo, tenui, et ipso cibis indigenarum expetito, et unguentis,[2] [c] quicquid sit cum quo decoquatur: folio oleæ. Struthion[3] Græci vocant: floret æstate, grata aspectu: verum sine odore, spinosa, et caule lanuginoso. Semen ei nullum, radix magna, quæ conditur[4] ad quem dictum est[d] usum.

XIX. (IV.) Ab his superest reverti ad hortorum curam, et suapte natura memorandam, et quoniam antiquitas nihil prius mirata est, quam Hesperidum hortos, ac regum Adonis[e] et Alcinoi:[f] itemque pensiles,[g] sive illos Semiramis,[h]

CAP. XVIII. 1 Vet. Dalec. *habet mirum, multum conferens.*—2 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *et tingenti* Gronov. et vulgg.—3 *Strution* Gronov.—4 Ita Harduin. 1. 2. 3. Bipont. Miller. et Franz. *conciditur* edd. vett. et Gronov. 'quæ lectio aptior.' *Franz.*

NOTÆ

Diosc. in Nothis: Στρούθιον, 'Ρωμαίοις, ἔρβα λαναρία, ἡ ῥάδιξ λαναρία. Et Columella XI. 2. in Aprili: 'Oves Tarentinæ radice lanaria lavari debent, ut tonsuræ præparentur.' Pingitur a Dodonæo, p. 179.

[b] *Sed sponte*] Hoc est, quæ sylvestris est, et alterius fere naturæ, caule nempe ferulaceo et eduli, qualem saponaria non habet: etsi radicem eam Syriacam ῥίζιον quoque et στρούθιον vocant.

[c] *Et unguentis*] Vide Notas et Emend. num. 8.

[d] *Ad quem dictum est*] Ad lavandas scilicet lanas.

[e] *Adonis*] Est hic Adonis in genitivo, ex Græco Ἄδων, Ἄδωνος. Tamen Adonidis hortos antiqui vocant, in quibus alsiosæ plantæ educantur, intra περιφορήτους testas, seu dolia. Uno verbo, hortos pensiles. Ἀδώνειοι κῆποι, inquit Suidas, p. 83. λέγονται οἱ μετέωροι κῆποι. Meminit et Plato, in Phædro, p. 276. Fuit Adonis Cinyræ filius Cypriorum regis, ut fabulæ ferunt.—'At apud Ezech. VIII. 14. 'mulieres plangentes Adonidem,' fœminæ sunt lamentantes, velut ob Lunæ morbum, nempe ob virium Lunæ imbecillitatem, usque ad ipsam quintam Lunam totam: unde die 'quinta mensis' factum hoc vidit Propheta, Ez. VIII. 1. Triplex abominatio a Judæis patrata describitur eo capite, et gradatim refertur. Prima est, thurificatio idolorum, vs. 9. 10. 11. Altera, planctus Adonidis, 11. 13. 14. Tertia, adoratio Solis orientis, 15. 16. Judææ ergo mulieres sic Lunam colebant, ut viri Solem, abominatione hi certe majore: nam viros idololatria se contaminare tetrius est, quam fœminas. Hæ præterea faciebant 'placentas reginæ cœli,' Lunæ scilicet, Jerem. VII. 18. Eidem sacrifica-

sive Assyriæ[i] rex Cyrus fecit, de quorum opere alio volumine dicemus.[j] Romani quidem reges ipsi coluere. Quippe etiam Superbus Tarquinius[k] nuntium illum sævum atque

NOTÆ

bant et viri 'in urbibus Juda et in plateis Jerusalem,' acceptum ei referentes, quod 'abundarent panibus,' ibidem XLIV. 11. quo nomine et Ceres vocatur a Virgilio, in ipso initio Georg. I. *Adonis* propterea Luna appellatur, hoc est, Dominatrix: facto nomine eo fœminino ex Hebræo masculino *Adon* אדון. Adonis ergo Luna, eo quod in segetes dominatur, ut dictum est. 'Quinta mensis' autem hoc se vidisse Ezechiel testatur, quod 'sexta die abunde virium habeat Luna,' ut Plinius loquitur, qui propterea ab ea die 'mensium annorumque initia' fecisse Druidas in Galliis refert, XVI. 95. Quamobrem dies illa 'quinta mensis' ab Ezechiele idcirco notata credi potest admodum verisimiliter, quod usque ad eam ipsam totam protraherent mulieres lamentum Adonidis, hoc est, Lunæ. Apud Virgilium autem, Ecl. X. 11. Adonis nomen pastoris est, quem 'Adoneum' Plautus vocat in Menæch. I. 2. 34. sed defletum eum a mulieribus aut viris, neuter dicit. Fabulosus alius Adonis est, quem Theocritus, Bion, aliique commemorant. Sed quid cum illo Judæis mulieribus, præsertim Ezechielis ævo?' *Ed. sec.*

[f] *Alcinoi*] Phæacum regis in insula Corcyra ditissimi: cujus sylvas laudat Virgilius Georg. II. 'Pomaria' Statius Sylvar. I. 3. 'Pometum' Tertullianus, de Pallio. Secuti omnes Homerum, in Odyssea.

[g] *Itemque pensiles*] De pensilibus Babylonis hortis, multa poëtæ, multa historici narrant. Describit eos luculenter Diodorus Bibl. lib. II. pag. 99. Item Philo Byzantius de septem orbis spectaculis, p. 3. Berosus lib. III. Rerum Chald. apud Josephum Antiq. X. 11. ait saxeas moles fuisse, quæ montium speciem referrent, superne consitas variis arborum generibus, &c. Pendentes recte dixeris in aëre sylvas.

[h] *Sive illos Semiramis*] Supersunt ex Berosi annalibus monumenta, proxime apud Josephum laudata, in quibus scriptum est, non Semiramidem, Cyrumve, sed Nabuchodonosorem, ex spoliis quæ ex Judæa devastata reportarat, templum Belo exstruxisse, urbemque Babylonem pro majestate imperii auctam coctilibus cinxisse maris. Ad hæc hortos aërios, et nemora pensilia fecisse, in gratiam uxoris, quæ in montanis Mediæ educata, sylvas spectare, in edito quæ essent, amabat. Berosum sequitur Cedrenus in synopsi historica. Curtius V. 5. p. 185. 'Syriæ (hoc est, Assyriæ) regem Babylone regnantem,' quisquis demum is fuerit, 'hoc opus esse molitum' scribit.

[i] *Sive Assyriæ*] Cujus olim metropolis Babylon fuit. Strabo l. XVI. p. 743.

[j] *Alio volumine dicemus*] Morte præventus non præstitit fidem: neque est illud in Indice voluminum ab eo exaratorum, quem Plinius Junior concinnavit.

[k] *Tarquinius*] Rem narrat admodum eleganter Val. Max. VII. 4. 2. p. 350. Vide quæ dicturi sumus c. 53.—'Cum Superbi nomen Plinius Tarquinio præponit, cognomen id ei fuisse admonet in ipso principatu datum, ob magnificentiam.' *Ed. sec.*

sanguinarium filio remisit ex horto. In XII. tabulis legum nostrarum nusquam nominatur villa, semper in significatione ea[1] hortus: in horto vero hæredium.[1 m] Quam rem comitata est[2] et religio quædam: hortoque et foco[n] tantum contra invidentium[o] effascinationes, dicari videmus in remedio[3] satyrica signa,[p] quanquam hortos tutelæ Veneris assignante Plauto.[q] Jam quidem[4] hortorum nomine in ipsa urbe delicias, agros, villasque possident. Primus hoc instituit Athenis Epicurus, otii magister.[r] Usque ad eum,

CAP. XIX. 1 Vet. Dalec. *prædium.* Vid. Varr. I. 10.—2 *Quamobrem comitata est* Chiffl.—3 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *hortoque et foco* etiam Chiffl. *hortosque et fores . . . dicari videmus. In remedio* edd. vett. et Gronov.—4 *Jam quidam* Dalec.—5 Vet. Dalec. *haberi rura.*—

NOTÆ

[l] *In significatione ea*] Festus: 'Hortus apud antiquos omnis villa dicebatur, quod ibi qui arma capere possent, orirentur.'

[m] *Hæredium*] In Tabula VIII. Legis quartæ, hæc tantum hodie verba supersunt: HORTVS.....HEREDIVM .....TVGVRIVM. Varro de Re Rust. I. 10. 'Antiquus noster ante bellum Punicum pendebat bina jugera, quod a Romulo primum divisa dicebantur viritim: quæ quod hæredem sequebantur, hæredium appellarunt.' Festus: 'Hæredium, prædium parvulum.' Vide plura apud Voss. in Etymol. verbo 'Hæres.'

[n] *Hortoque et foco*] Vide Notas et Emend. num. 9.

[o] *Contra invidentium*] Invidiæ magnam vim ad nocendum antiqui putabant, cum eam sola voluntate, et ipso afflatu, et contagione, maleficam et venenatam esse, et hominibus quibus male vellet, obesse graviter censerent. Superstitiose.

[p] *Satyrica signa*] Perinde est, sive Satyrorum intelligat ipsa signa, hoc est, simulacra, Priapive, qualis in eo lapide pingitur, qui a Grutero memoratur, p. 95. cum hac epigraphe, quæ et effigiem Dei illius et munera luculenter expedit: IΘΥΦΑΛΛΩι. ΚΟΡΥΝΗΦΟΡΩι. ΚΗΠΟΦΥΛΑΚΙ. ΚΛΕΠΤΟΜΑϹΤΙΓΙ. &c. Sive τὰ αἰδοῖα tantum virilia, figuramque illam, ut Martialis ait III. 68. 'Custodem merito statuit quam villicus horto, Opposita spectat quam proba virgo manu.'

[q] *Assignante Plauto*] Quo loco Plautus id prodat, nobis hactenus incompertum. At Varro, tum de Ling. Latin. l. v. p. 48. 'Horti,' inquit, 'Veneris tutelæ assignantur:' tum de Re Rust. I. 1. Sic etiam Festus, verbo 'Rustica vinalia:' 'Veneri templa sunt consecrata, quia in ipsius Deæ tutela sunt horti.' Et in hortis Sallustianis Romæ fuisse templum Veneris accepimus, cui hæc apposita epigraphe fuerit, quam Gruterus affert, p. 39. AEDITVI. VENERIS. HORTORVM. SALLVSTIANORVM.

[r] *Otii magister*] In Mss. *hortorum magister.* Emit quidem certe hortum minis octoginta, in eoque philosophiæ ludum aperuit, Laërtio teste in ejus vita, l. x. p. 271. Meminit Pausanias in Atticis regiunculæ Athenarum,

moris non fuerat in oppidis habitari rura.[5] Romæ quidem per se hortus ager pauperis erat.

Ex horto plebei macellum,[s] quanto innocentiore victu! Mergi enim, credo, in profunda satius est, et ostrearum genera naufragio exquiri, aves ultra Phasidem[t] amnem peti, et fabuloso[u] quidem terrore tutas, immo sic[6] pretiosiores, alias in Numidiam atque Æthiopiæ[v] sepulcra: aut pugnare cum feris, mandique capientem[w] quod mandat[7] alius. At hercule quam vilia hæc, quam parata voluptati satietatique, nisi eadem, quæ ubique, indignatio occurreret! Ferendum sane fuerit exquisita nasci poma, alia sapore, alia magnitudine, alia monstro,[x] pauperibus interdicta: inveterari vina, saccisque castrari:[8] [y] nec cuiquam adeo longam esse vitam, ut non ante se genita potet:[*] e frugibus quoque quoddam alimentum[9] [z] sibi excogitasse luxuriam, ac me-

[*] *Ut non et vetustiora multo vina potet.*

6 Idem Vet. *Phasin am. et eas fab. qui. ter. tut. imo et sic.*—7 Cod. Dalec. *mandere cupientem quod mandit.*—8 Alii ap. Dalec. *castigari.*—9 Chiffl. *quon-*

NOTÆ

quam *Hortos*, κήπους, fuisse appellatam scribit: eam verisimili conjectura, propter hæc Plinii verba, de hortis Epicuri Gassendus accepit, de Vita Epicuri I. 6. Si codicum Mss. lectio arriserit, *hortorum Magister* Epicurus sane dicatur, quod in hortis doctrinæ magisterium exercuit.

[s] *Ex horto plebei macellum*] Non aliud plebi macellum quam hortus fuit: non aliunde fercula. Eodem sensu Tullius in Catone, num. 56. 'Jam hortum ipsi agricolæ succidiam alteram appellant.'

[t] *Ultra Phasidem*] Phasianas intelligit, e Colchis olim peti solitas, ut dictum est x. 67.

[u] *Et fabuloso*] Quanquam deterriti ab earum avium aucupio homines poterant jure videri, vel solo terrore quem de iisdem avibus, totoque cœli tractu quem incolerent, fabulæ injecissent.

[v] *Atque Æthiopiæ*] Memnonidas aves signat, de quibus x. 37. Cum *in Numidiam* dicit, Meleagridas, de quibus eodem libro, c. 38.

[w] *Mandique capientem*] Dum apros venatur.

[x] *Alia monstro*] Quorum natura a ceterorum pomorum conditione dispar: ut sunt spadonia: item melofolia, ceteraque, de quibus xv. 15. vel intempestive orta. Plinius xvii. 1. 'Ob hoc insita, et arborum quoque adulteria excogitata sunt, ut nec poma pauperibus nascerentur.'

[y] *Saccisque castrari*] Sacco frangi vini vires, ut dictum est xiv. 28.

[z] *E frugibus quoque quoddam alimen-*

dullam tantum earum: superque pistrinarum [a] operibus et cælaturis vivere, alio pane procerum, alio vulgi,[10] tot generibus usque ad infimam plebem descendente annona. Etiamne in herbis discrimen inventum est, opesque differentiam fecere [11] in cibo,[b] etiam uno asse venali? In his quoque aliqua sibi nasci tribus [12] negant,[c] caule in tantum saginato,[13] ut pauperis mensa non capiat. Sylvestres fecerat natura corrudas, ut quisque demeteret passim: ecce altiles [d] spectantur asparagi: et Ravenna ternos libris [e] rependit. Heu prodigia ventris! Mirum esset non licere pecori carduis vesci: non licet plebi.[14] Aquæ quoque separantur, et ipsa naturæ elementa vi pecuniæ discreta sunt.[15] Hi nives,[f] illi glaciem potant, pœnasque montium [g] in voluptatem gulæ vertunt. Servatur algor [16] [h] æstibus, exco-

dam alitum.—10 Vet. Dalec. *insuperque pistrin. opera, et cælaturas: vivere alios pane proc. alios vulgi.* Mox, *ad intimam plebem* Chiffl.—11 Cod. Dalec. *opusque diff. facere.*—12 Turneb. *pauperioribus.*—13 Codd. Dalec. et Chiffl. *signato.* —14 Gronov. *plebei.*—15 Cod. Dalec. *in pecunia, &c.* Chiffl. *in pecuniæ decretum*

NOTÆ

tum] Alicam intelligit, de qua prolixe Plinius XVIII. 29. 'Sed inter prima dicatur et alicæ ratio, præstantissimæ saluberrimæque: quæ palma frugum indubitata Italiam contingit.' Et 'Alica fit e zea... Nudata conciditur medulla,' &c.

[a] *Superque pistrinarum*] Pistrinarum opera ac cælaturas interpretor, varias rerum imagines quas panificiis suis, crustulisque, quod etiamnum hodie fit, pistores effingunt. Cave enim intelligas, quod visum est nonnullis, pistrinulas ædificari etiam ac cælari solitas, quibus procerum panis moleretur, seorsim a pane vulgi.

[b] *Opesque .... in cibo*] In herbis, quæ vix asse veneunt.

[c] *Tribus negant*] Tribuum nomine plebem infimam monet intelligi oportere, cujus mensa saginatos caules, altilesque asparagos minime capiat.

[d] *Ecce altiles*] Ponderosi, quasi ex sagina pingues.

[e] *Et Ravenna ternos libris*] Ravennates asparagi, inquit, ita sunt saginati, ut terni libram pendant.

[f] *Hi nives*] Hujus moris indicia signat Martialis passim, ut IX. 23. 'Nec labris nisi magna meis crystalla terantur, Et faciant nigras nostra Falerna nives.' Et XII. 17. 'Nec nisi post niveam Cæcuba potat aquam.' Sed et nivem meram bibebant. A. Gellius XIX. 5. 'Is nos aquam multam ex diluta nive bibentes coërcebat, severiusque increpabat.' Vel ibi forsan 'ex nive,' cum nive admixta sonat: quæ loquendi forma Plinio quoque ipsi familiaris est.

[g] *Pœnasque montium*] Glaciei moles, ac nivium globos, quibus montium juga premuntur.

[h] *Servatur algor*] Nix in fossis eam ob rem cavatis asservatur in æstatem

gitaturque ut alienis mensibus nix algeat. Decoquunt[i] alii aquas: mox et illas hyemant. Nihil utique[17] homini sic, quomodo rerum naturæ placet. Etiamne herba aliqua divitiis[b] tantum nascitur?[18] Nemo Sacros[j] Aventinosque montes, et iratæ plebis secessus circumspexerit: mox enim certe[19 k] æquabit, quos pecunia separaverit. Itaque her-

[b] *Divitibus.*

sunt.—16 *Ligur* cod. Dalec.—17 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. et recentt. *itaque* Gronov. et vulgg.—18 Cod. Dalec. *divitiis tantum pascitur;* Chiffl. *divitia tantum: pascitur.*—19 Gronov. et al. ante Harduin.

NOTÆ

usque. Athenæum vide l. III. p. 124.

[i] *Decoquunt*] Vide quæ dicenda sunt XXXI. 23.

[j] *Nemo Sacros*] De secessione plebis in Sacrum montem, ob injurias potentium ac divitum contemtus, vide Livium l. II. p. 32. in Aventinum, l. III. p. 59.

[k] *Mox enim certe*] Nemo, inquit, in tanto divitum fastidio, qui ipsis quoque herbis pauperibus interdicunt, plebis iram secessumque, ut quondam, desideret: mox enim certe intelliget abunde iratam, et cum utrosque componet, divites, pauperesque, æquabit eos inter se, quos pecunia separavit. Nam cum macelli vectigal aliud majus Romæ nullum esset, tanta insecuta est plebis indignatio, tantus clamor, tanta apud omnes Principes conquestio, ut portorium mercis hujus remitti oportuerit: compertumque æquas esse fere pauperum ac locupletum opes: pauperumque divitias non in nummo quidem, sed in solo: nec in arca reditum, sed sub dio esse. In libris hactenus editis, *mors enim certe*, satis pie quidem, at non sincere: cum in Mss. Reg. Th. Colb. aliisque, quos Pintianus vidit, *mox* planissime legatur. Aliis *mos* legi placet, nimium subtiliter, nec satis congruenter orationi reliquæ.—'Vectigalia sibi remitti sæpe flagitavere civitates: remissa sibi sunt sæpe gratulatæ. Testes nummi veteres plurimi, cujus generis sunt isti insignes duo, Carausii Augusti: IMP. CARAVSIVS. P. F. AVG. Caput radiatum, in alio laureatum. .)(. EXPECTATE VENI. Augustus et civitatis Genius dextras jungunt. Argenteus olim apud D. Foucault. Hic si legi oportet, 'Expectate veni,' fingi oportet rebellem provinciam aliquam auxilio Carausium evocasse, non per literas, ut fit, vel per legatos, sed per numisma. At in pictura jam in provinciam et in ipsam Urbem advenisse perhibetur: cur ergo etiam tum diceretur, 'Expectate veni;' cum verius tum diceretur, 'Expectatus venisti,' ut titulus picturæ responderet? Latet igitur sub his literis aliqua sententia, nempe ista, qua civitas Augustum alloquitur, cujus dextram tenet: 'EXPECTAT ADVENTU TUO EDUA vectigalium EXEMPLO NARBOnis IMMUNITATEM.' Gallice: *La ville d'Autun s'attend, qu'à votre avènement elle sera exempte d'impôts sur le pié de Narbonne.* In alio, qui in Anglia asservatur, scriptum est, EXPECTATE VENIES: hac sententia: 'EX-

cule nullum macelli vectigal majus fuit Romæ, clamore plebis incusantis apud omnes principes,[e] donec remissum est portorium mercis hujus: compertumque non aliter[l] quæstuosius censum haberi aut tutius, ac minore fortunæ jure, cum credatur pensio ea pauperum.[m] Is in solo sponsor[n] est, et sub dio reditus, superficiesque cœlo quocumque gaudens.

Hortorum Cato[o] prædicat caules. Hinc primum agricolæ æstimabantur[20] prisci, et sic statim faciebant judicium, nequam esse[p] in domo matremfamilias (etenim hæc cura fœminæ dicebatur)[21][q] ubi indiligens esset hortus: quippe e carnario, aut macello[r] vivendum esse. Sed nec caules, ut

[e] *Imperatores.*

mors enim certe.—20 Codd. Dalec. et Chiffl. *æstimabant.*—21 Alii ap. Dalec. *dicabatur.* Mox, *ubi indulgens* Chiffl. Paulo post, cod. Dalec. *esse: et nec caules;* edd. vett. et Gronov. *esse. Nec caules.* Harduinus et recentt. ex codd.

NOTÆ

PECTAT Adventu TUO ÆDUIS vectigalium EXEMPLO NARBONIS IMMUNITATEM ET securitatem :' oratione etiam aliquanto pleniore: cum si legendum sit, ' Expectate venies,' congrua omnino non sit oratio. Claudii Gothici nummus est singularis in Cimelio domus Professæ Societatis Jesu Parisiis, hac epigraphe, conspicua maxime in ipsa nummi priore pagina, quæ vultum Imperatoris exhibet: IMPOCET AVCI. Sententia est ' IMPerator optimus claudius, ÆDUORUM TUTAtor, Augustodunensibus vectigalium concessit IMMUNITATEM.' In parte nummi aversa literæ sunt usu detritæ. De titulo Imperatoris Optimi vide VII. 28. et quæ alibi diximus.' *Ed. sec.*

[l] *Compertumque non aliter*] Subintellige, non aliter quam si res herbaria immunis ab omni vectigali foret.

[m] *Pensio ea pauperum*] Quoniam ex eo reditu pauperes extunderent, unde capitis tributum penderent. Vide quæ diximus XVI. 12.

[n] *Is in solo sponsor*] Hortus, inquit, pro sponsore est, soli bonitate. Satis lauta res familiaris est hominis illius, cui hortus est solo feraci: nec alio is sponsore eget.

[o] *Cato*] De Re Rust. cap. 156. et 157., ubi de brassica.

[p] *Nequam esse*] Hoc est, parum frugi, nec ad rem augendam satis acrem, ut recte Budæus lib. III. fol. 68.

[q] *Dicebatur*] Sic etiam Mss. non *dicabatur.*

[r] *Quippe e carnario, aut macello*] Carnarium dicebatur is locus, ubi carnes; macellum vero nunc, ubi olera distrahebantur. Varro de Ling. Lat. lib. IV. p. 35. ' Forum olitorium: hoc erat antiquum macellum, ubi olerum copia. Ea loca etiamnunc Lace-

nunc, maxime probabant, damnantes pulmentaria, quæ egerent alio pulmentario: id erat oleo parcere; nam gari[s] desideria etiam in exprobratione erant. Horti maxime placebant, quia non egerent igni, parcerentque ligno, expedita res et parata semper: unde et acetaria[t] appellantur, facilia concoqui, nec oneratura sensum cibo, et quæ minime accenderent desiderium panis. Pars eorum[u] ad condimenta pertinens fatetur domi versuram fieri solitam: atque non Indicum piper quæsitum, quæque trans maria petimus. Jam quoque in fenestris[22] suis plebs urbana in imagine hortorum quotidiana oculis rura præbebant, antequam præfigi prospectus[d v] omnes coëgit multitudinis innumeræ[23]

[d] *Præcludi pergulas vel fenestras, quibus prospectus pateret in vicum.*

esse. Sed nec, &c.—22 'Ita cod. Reg. 2. et Editio princeps.' *Brotier.* *Jam in fenestris* Gronov. al. vett. Harduin. 1. 2. 3. et recentt.—23 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *omnis c. m. innumeratæ*

NOTÆ

dæmonii vocant μακελλώτας, sed Iones ostia hortorum et castelli, μακέλλους. Secundum Tiberim ad Junium Forum piscarium... Hæc omnia postquam contracta in unum locum quæ ad victum pertinebant, et ædificatus locus, appellatum Macellum, ut quidam scribunt, quod ibi fuerit hortus,' &c.

[s] *Nam gari*] De garo dicemus XXXI. 43.

[t] *Unde et acetaria*] Olera sunt, quæ cruda sumuntur ex aceto.

[u] *Pars eorum*] Hortorum scilicet. Ut piper Indicum et condimenta trans mare nascentia sibi gulæ proceres compararent, cogebantur plerumque versuram foris facere, hoc est, pecuniam aliunde mutuari. At homines frugi et sobrios, qui condimentis in horto suo nascentibus erant contenti, domi versuram facere dixit eleganter Plinius, quasi qui domo sumerent, non ex aliena arca, quo cibos suos condirent. Hæc Salmasii interpretatio est, in Confut. Cercoëtii, p. 119. Multo simplicior veriorque Petavii in Mastigoph. II. p. 10. Eleganter ille, inquit, versuram domi facere, hoc est, ab horto fœnerari scribit eum, qui ut gulæ, tanquam δανειστῇ, satisfaciat, non ab alio quam ab horto suo mutuum accipit. Ita versura proprie est creditoris mutatio.

[v] *Præfigi prospectus*] Præfigere interdum præcludere est. Caius, in Digest. lib. VIII. tit. 3. de servitutibus urbanorum prædiorum, lege 6. Hæc autem jura: 'Veluti si ædes tuæ,' inquit, 'ædibus meis serviant, ne altius tollantur, ne luminibus mearum ædium officiatur: et ego per statutum tempus fenestras meas præ-

sæva latrocinatio. Quamobrem sit aliquis et his honos, neve auctoritatem rebus vilitas adimat,[24] cum præsertim etiam cognomina procerum inde nata videamus: Lactucinosque in Valeria familia[25][w] non puduisse appellari: et contingat aliqua gratia operæ[26] curæque nostræ, Virgilio quoque[x] confesso, quam sit difficile verborum honorem tam parvis perhibere.

XX. Hortos villæ jungendos non est dubium, riguosque maxime habendos, si contingat, præfluo[1] amne: si minus, e puteo rota,[2][a] organisve pneumaticis,[b] vel tollenonum haustu rigandos. Solum proscindendum a Favonio: in autumnum præparandum est post[3] XIV. dies, iterandum-

Gronov. et vulgg. *omneis, &c.* Dalec.—24 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *vilitas eximat* Chiffl. *utilitas adimat* Gronov. et vulgg.—25 'Alii, *provincia*. Lego, *prosapia*.' Dalec.—26 Cod. Dalec. *operi*.

CAP. XX. 1 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *perfluo* Vet. Dalec. *profluo* Gronov.—2 Ita Turneb. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *pertica* Gronov. et vulgg. Mox, pro *pneumaticis*, quod servant Vet. Dalec. Turneb. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *neumaticis* legitur in Gronov. et al. vett. Deinde, Vet. Dalec. *vel tollonum*.—3 *Favonio in autumnum properantibus, et post* cod. Dalec.

NOTÆ

fixas habuero, vel obstruxero, ita demum jus meum amitto,' &c. Virg. Georg. III. 'Multi jam excretos prohibent a matribus hædos, Primaque ferratis præfigunt ora capistris.' Prospectus vero pergula est, seu fenestra, seu quilibet situs altus, unde prospicere in vicum licet. Infra XXI. 7. 'Populus, qua præferebatur funus, flores e prospectu omni sparsit.

[w] *In Valeria familia*] Vel gente potius: qua in gente plures familiæ fuerunt agnominibus distinctæ: Volusiorum, qui et Publicolæ postea appellati: Maximorum, in quibus Lactucæ seu Lactucini. Apud Diodor. lib. XII. p. 74. Consul legitur M. Valerius Lactuca: Μάρκον Οὐαλέριον Λακτοῦκαν vocat. Eidem et Maximi cognomen fuit: gessit Consulatum anno Urbis CCXCVIII.

[x] *Virgilio quoque*] Georg. IV. 6. 'In tenui labor.'

[a] *E puteo rota*] Sic recte Turnebus, ex Mss. vestigiis, Advers. XI. 20. cum prius *pertica* insulse legeretur. Rota ea machina est ad hauriendam aquam, quæ a Vitruvio describitur cum tympano, X. 9.

[b] *Pneumaticis*] Inter machinarum genera πνευματικὸν fuit, seu *spiritale*, quod vi flatus ac spiritus aquam hauriret et attraheret: cujusmodi fistulæ nostræ sunt, vulgo *Pompes*. Aliud κηλώνειον appellatum, juxta puteos positum, ad hauriendam facilius aquam, alteram partem prægravante pondere: tollenonem pariter vocant Festus et Vegetius: Galli, *une Bascule*. Vide Vegetium IV. 21.

que ante brumam. Octo jugerum operis palari[c] justum est,[*] fimum tres pedes alte cum terra misceri, areis distingui, easque resupinis pulvinorum toris,[d] ambiri singulas tramitum sulcis, qua detur accessus homini, scatebrisque decursus.

XXI. In hortis nascentium alia bulbo[e] commendantur, alia capite,[f] alia caule,[g] alia folio, alia utroque, alia semine, alia cortice,[h] alia cute, aut cartilagine, alia carne,[i] alia tunicis[j] carnosis.

XXII. Aliorum fructus in terra est, aliorum et extra,[1] aliorum non nisi extra. Quædam jacent crescuntque, ut cucurbitæ et cucumis. Eadem pendent, quanquam graviora multo etiam iis quæ in arboribus gignuntur: sed cucumis[2] cartilagine. Cortex huic uni maturitate transit in lignum. Terra conduntur raphani, napique, et rapa: atque alio mo-

[*] *Operas octo jugerum unum pastinare æquum est.*

CAP. XXII. 1 Hæc verba, *aliorum et extra*, desunt in cod. Dalec.—2 *Pla-*

NOTÆ

[c] *Palari*] Hoc est, ut Plinius ait XVIII. 8. verti pala, seu pastinari. Est enim pala rusticum instrumentum ad fodiendam terram.

[d] *Pulvinorum toris*] Sic XVII. 35. 'Pulvinatis a devexitate labris.' Pulvinus dicitur areolæ terra elata inter duos sulcos in hortis, a similitudine pulvinorum in quibus sedemus: idcirco et torus dicitur. *Couche de jardin: de melons, de concombres, &c.*

[e] *Alia bulbo*] Rotundæ radices suis membranis tunicatæ, bulbi nominantur: sive pluribus capitulis coagmententur, uno folliculo omnes ambiente: sive quadantenus distinctæ separentur: quales sunt croci, liliorum, narcissi, scillæ, arundinum. Hæ bulbosæ radices sic sub terra crescunt, ut ad novam quotannis sobolem decerpi aliqua portio possit.

[f] *Alia capite*] Id quod sursum deorsumve in globum extuberat, aut in orbem glomeratur, caput dici consuevit: ut in papavere: si magnitudine cesserit, capitulum: a quo multa herbarum capitulata visuntur fastigia. Radices nonnullæ, ut porri et ceparum, extuberant in capita: unde et capitatum porrum sibi nomen arrogavit.

[g] *Alia caule*] Quem et scapum Latini vocant.

[h] *Alia cortice*] Cortice, ut cucurbitæ: cortice et cartilagine, raphani: ut dicetur inferius, c. 26.

[i] *Alia carne*] Ut poma, pira, pepones.

[j] *Alia tunicis*] Ut cepæ.

do inulæ,[3] siser, pastinacæ. Quædam vocabimus ferulacea, ut anethum, malvas. Namque tradunt [k] auctores, in Arabia malvas [4] septimo mense arborescere, baculorumque usum [5] præbere extemplo. Sed et arbor est malva in Mauretania Lixi oppidi æstuario, ubi Hesperidum horti fuisse produntur CC. passibus ab Oceano, juxta delubrum Herculis, antiquius Gaditano, ut ferunt. Ipsa altitudinis pedum XX. crassitudinis quam circumplecti nemo possit. In simili genere habebitur et cannabis.[l] Necnon et carnosa aliqua [6] appellabimus, ut spongias [m] in humore pratorum enascentes. Fungorum enim callum, in ligni arborumque natura diximus,[n] et alio genere tuberum paulo ante.[o]

XXIII. (V.) Cartilaginei [1] generis, extraque terram est cucumis,[a] mira voluptate Tiberio [b] principi expetitus.



cet cucumis Vet. Dalec.—3 '*Atque alio modo inulæ*] Ita quidem libri omnes. Vix tamen sensum habent, *atque alio modo*. Placet plurimum conjectura eruditi Petavii emendantis, *cæpe, allia, inulæ*.' Brotier.—4 Dalec. *in Arabia eas*. —5 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *baculorum usum* Gronov. et al. ante Harduin. Mox, Vet. Dalec. *præbentes*.—6 Dalec. *alia*.

CAP. XXIII. 1 *Cartilaginum* Chiffl.—2 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt.

NOTÆ

[k] *Namque tradunt*] Theophr. Hist. I. 5.

[l] *Et cannabis*] Et beta quoque, si Theophrasto fides, loc. cit.

[m] *Ut spongias*] Confervam intelligit, de qua XXVII. 45.

[n] *Diximus*] Lib. XVI. c. 11.

[o] *Paulo ante*] Cap. 11. 12. 13. et 14. hujus libri.

[a] *Cucumis*] Ut apud Græcos σίκυος, sic apud Latinos cucumis late patentis significatus est: nam et quos proprie cucumeres appellamus, *Concombres*: et pepones, *Pompons*: et melones denique complectitur, *Melons*. Cum magnitudine excesserunt, aut in longitudinem processere, quales multis locis nascuntur, pepones quondam vocari cœperunt, ut inter omnes constat, a maturitate ducto nomine: ita ut veri cucumeres, qui quanto maturescunt magis, tanto solidiore cartilagine constant, lignosaque crusta durantur, in pristinæ nomenclationis ambage remanserint. Sed qui jam mites ac teneri maturitate flaccescunt, pristino nomine defuncti, pepones dici voluerunt: quasi mites et maturitate teneri cucumeres. Sed cum formam et effigiem mali referunt, et humi rotundantur, melopepones Græci vocant, facto ex pepone et malo nomine: quasi inter eos nihil nisi figuræ varietas intersit. Ita fere Ruellius lib. I. p. 87.

[b] *Tiberio*] Columella XI. 3. p. 402. 'Possunt etiam cucumeres, si sit operæ pretium, vasis majoribus rotulæ subjici, quo minore labore producantur, et rursus intra tecta recipiantur. Sed nihilominus specularibus integi debebunt, ut etiam frigoribus,

Nullo quippe non die contigit ei, pensiles eorum hortos[c] promoventibus in Solem rotis olitoribus: rursusque hybernis diebus intra specularium[d] munimenta revocantibus. Quin lacte[2] mulso[e] semine eorum biduo macerato, apud antiquos Græciæ[f] auctores scriptum est seri oportere, ut dulciores fiant. Crescunt[g] qua coguntur forma. In Italia virides, et quam minimi: in provinciis quam maximi: et cerini,[3][h] aut nigri. Placent copiosissimi Africæ, grandissimi Mœsiæ: cum magnitudine[4] excessere, pepones vocantur. Vivunt hausti[i] in stomacho in posterum diem, nec perfici queunt in cibis, non insalubres tamen plurimum.

Quin et lacte edd. vett. et Gronov.—3 Codd. bini Dalec. *et cirini;* Chiffl. *et cerici;* Gronov. et vulgg. *et citrini;* Harduin. et recentt. *et cerini.* Vid. Nott.

NOTÆ

serenis diebus, tuto producantur ad Solem. Hac ratione fere toto anno Tiberio Cæsari cucumis parabatur. Nos autem leviore opera,' &c. Gustus illa insignis voluptas Tiberio expetita, meloni nostro, quam cucumeri, aptius competit.

[c] *Pensiles ... hortos*] Sic vasa majora vocat, Gallis *des Caisses*, cujusmodi fere sunt, quibus aureæ mali continentur.

[d] *Intra specularium*] De specularibus dicemus XXXVI. 45. Horum vicem ac similitudinem referunt vasa vitrea, quibus melones integimus: *des Cloches*. Lepide conqueritur Martialis VIII. 14. se pejus ab amico exceptum, quam soleat esse hortus pensilis, in quo tenera arborum semina sunt: ut qui non haberet in cella specularia, quibus vim ventorum, et injurias temporum propulsaret.

[e] *Quin lacte mulso*] Hoc est, lacte in quo mel additum. Colum. loc. cit. p. 401. 'Cucumis tener et jucundissimus fit, si antequam seras, semen ejus lacte maceres: nonnulli etiam, quo dulcior existat, aqua mulsa idem faciunt.' Palladius lib. IV. in Martio, tit. 9. p. 88. 'Nunc melones serendi rarius ... semina mulso et lacte per triduum maceranda sunt, et tunc jam siccata ponenda: hinc suaves efficiuntur. Odorati autem fiunt,' &c.

[f] *Apud antiquos Græciæ*] Theophr. Hist. VII. 1. et de Causis III. 12. p. 277. Hodieque id fit in satu nostrorum melonum: quorum genus illud, quod dulcedinem gustui repræsentat, vulgus inde 'Sucrinos,' quasi saccharinos, appellat: *Melons sucrés*. Hæc præmaceratio seminis in cucumerum nostratium satu non adhibetur.

[g] *Crescunt*] Pallad. loc. cit. de cucumere: 'Si ejus florem sicut in sua vite est, in forma fictili clauseris, ac ligaveris, qualem vultum forma vel hominis vel animalis habuerit, talem cucumis figuram præstabit.'

[h] *Et cerini*] Sic recte Thuanæus codex: minus recte prius *citrini* legebatur. De ea voce egimus XV. 12.

[i] *Vivunt hausti*] Vide Athenæum l. III. p. 74. ubi eadem de cucumere Diphilus Siphnius Medicus fere commemorat, quæ Plinius.

Natura oleum[5] odere mire: nec minus aquas diligunt. Desecti[6] quoque ad eas modice distantes arrepunt: aut si quid obstet, versi pandantur, curvanturque: id[7] vel una nocte deprehenditur, si vas cum aqua[j] subjiciatur a quatuor digitorum intervallo, descendentibus ante posterum diem: at si oleum[k] eodem modo sit,[8] in hamos curvatis. Iidem in fistula[l] flore[9] demisso, mira longitudine crescunt. Ecce cum maxime nova forma eorum in Campania provenit[10] mali cotonei effigie. Forte primo natum ita audio unum: mox semine ex illo genus factum: melopeponas[m] vocant. Non pendent hi, sed humi rotundantur. Mirum in his,[n] præter figuram coloremque, et odorem, quod maturitatem adepti, quanquam non pendentes, statim a pediculo recedunt. Columella[o] suum tradit commentum, ut toto anno contingant:[a] Fruticem rubi quam vastissimum in apricum locum transferre, et recidere, duum

[a] *Excogitatam a se rationem, ut melopeponas toto anno haberc liceat.*

Var.—4 Dalec. *longitudine.*—5 Vet. Dalec. *queunt: ita cibis non insalubres, tamen plurimum natant: oleum.*—6 *Defecti* cod. Dalec. *Dejecti* alii ap. eundem.—7 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *adrepunt: contra oleum refugiunt: aut si quid obstet vel si pendeant, curvantur: idque* Gronov. et al. vett. 'Hæc clausula, *contra oleum refugiunt*, deest in codd. *versi pendeant* (lego, *versi pandantur*) *curvanturque: id vel u. n. deprehendetur* Ms.' *Dalec.*—8 Dalec. *subjectura sit.*—9 Cassianus cap. 19. *fructu;* Palladius cap. 9. Martii, *flore.*—10 Dalec.

NOTÆ

[j] *Si vas cum aqua*] Palladius loc. cit. p. 89. de cucumeribus: 'Longi,' inquit, 'et teneri cucumeres fiunt, si aquam in patenti vasculo sub eis ponas, duobus palmis inferiorem, ad quam festinando tales efficiuntur.'

[k] *At si oleum*] Palladius loc. cit. de cucumere: 'Oleum sic metuit, ut si juxta posueris, velut hamus plicetur.'

[l] *Iidem in fistula*] Palladius loc. cit. 'Aliqui florem cucumeris cum viticulæ suæ capite cannæ inserunt, cui prius omnes nodos perforaverint: ibi cucumis nascetur in nimiam longitudinem tensus.'

[m] *Melopeponas*] Alii melones, ut diximus, quasi *μήλωνας*, id est, *pomosos:* quod fere nomen in omnem Italiam et Galliam abiit. Melones Hostienses laudat Julius Capitol. in Albino, pag. 83. A Theophr. *σίκυοι*, a Julio Polluce quandoque *σπερματίαι*, quasi *seminarii*, nominantur. Et Hesychius: *Σικυὸς σπερματίας, ὃν ἡμεῖς μηλοπέπονα.*

[n] *Mirum in his*] In melonibus.

[o] *Columella*] De Re Rust. XI. 3. pag. 402. et ex Columella Palladius lib. IV. in Martio, tit. 9. p. 89.

digitorum relicta stirpe, circa vernum æquinoctium: ita in medulla rubi semine cucumeris insito, terra minuta fimoque circumaggeratas resistere frigori radices. Cucumerum Græci [p] tria genera fecere: Laconicum,[11] Scytalicum, Bœoticum. Ex his tantum Laconicum [q] aqua gaudere. Sunt qui herba,[r] quæ vocatur culix nomine, trita, semen eorum maceratum seri jubeant, ut sine semine nascantur.

XXIV. Similis et cucurbitis [a] natura, duntaxat in nascendo. Æque hyemem odere. Amant [1] [b] rigua ac fimum. Seruntur ambo [c] semine in terra sesquipedali fossura, inter æquinoctium vernum, et solstitium: Parilibus [d] tamen aptissime. Aliqui malunt ex Kalendis Martii cucurbitas, et Nonis cucumeres, et per Quinquatrus [e] serere, simili modo reptantibus flagellis scandentes parietum [2] aspera in tectum usque, natura sublimitatis avida. Vires sine admini-

provenerit.—11 *Laconicam* Constantinus. *Scytalicam, Bœoticam* Turneb. fœmin. genere.

CAP. XXIV. 1 *Amat* Gronov.—2 Chiffl. *per artecum.*—3 Vet. Dalec. *leni*

NOTÆ

[p] *Cucumerum Græci*] Hæc a Theophr. Hist. VII. 4. ubi hæc cucumerum genera tria, *Λακωνικὸς, Σκυταλίας, Βοιώτιος.*

[q] *Ex his tantum Lacon.*] Ex his Laconicum melius rigatum provenire: reliqua non rigata præstantiora esse: *τούτων δὲ ὁ μὲν Λακωνικὸς ὑδρευόμενος βελτίων· οἱ δὲ ἕτεροι ἀνύδρευτοι.* Theophr. loc. cit.

[r] *Sunt qui herba*] Pallad. loc. cit. de cucumeribus: 'Sine semine nascentur, si prius eorum semina oleo sabino perungantur, et herba ea quæ culex dicitur, trita confricentur.' Ubi pro 'oleo sabino,' legimus, 'oleo sesamino,' ex auctore Geopon. eadem referente, XII. 19. p. 341. Culex porro forsan eadem est quæ *ψύλλιον* et pulicaris dicitur, *l'herbe aux puces.* Hosce cucumeres ex eventu rei *εὐνουχίας* appellat Plato Comicus apud Athen. lib. II. p. 68.

[a] *Similis et cucurbitis*] Vulgo, *Courges, ou Calbasses.*

[b] *Amant*] Pallad. loc. cit. p. 91.

[c] *Seruntur ambo*] Cucumeres, cucurbitæque. Pallad. loc. cit.

[d] *Parilibus*] Ita libri omnes, etiam Mss. Sic XVIII. 66. *Parilicium* scribi monuimus oportere, non *Palilicium.* Auctor Marius Victorinus Artis Gramm. lib. I. p. 2470. 'Parilia dicuntur, non Palilia: non a Pale Dea, sed quod eo tempore omnia sata, arboresque, et herbæ parturiant, pariantque.'

[e] *Per Quinquatrus*] Columella XI. 3. p. 402. de cucumere: 'Satio secunda ejus seminis Quinquatribus observatur.' De Quinquatribus dixi XVIII. 56.

culo standi non sunt, velocitas pernix, levi umbra[3] cameras ac pergulas operiens. Inde hæc duo prima genera: camerarium;[f] et plebeium, quod humi repit. In priore[g] mire tenui pediculo libratur pondus immobile auræ. Cucurbita quoque omni modo fastigatur,[4] vaginis maxime vitilibus,[h] conjecta in eas postquam defloruit: crescitque qua cogitur[5] forma, plerumque et draconis intorti figura. Libertate vero pensili concessa, jam visa est novem pedum[6] longitudinis. Particulatim[i] cucumis floret, sibi ipse superflorescens, et sicciores locos patitur, candida lanugine obductus, magisque cum crescit.

Cucurbitarum numerosior usus. Et primus caulis[j] in cibo. Atque ex eo in totum[7][k] natura diversa.[b] Nuper in balinearum usum venere urceorum vice, jam pridem vero etiam cadorum ad vina condenda. Cortex viridi tener: deraditur nihilominus in cibis. Cibos salubres[l] ac lenes pluribus modis existimant,[8] qui perfici humano ven-

[b] *Et primus quidem caulis in cibos admittitur. At ex eo tempore, postquam increvit et induruit, omnino diversæ naturæ ille est, nec in cibis ultra recipitur.*

umbra.—4 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *figuratur* Vet. Dalec. *fastigiatur* Gronov. et al. vett.—5 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *crescit qua cogitur* Gronov. et vulgg.—6 Chiffl. *VIII. pedes;* alii ap. Dalec. *ternorum pedum.*—7 Ita codd. Harduini, Dalec. et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Atque ex eo totum* Gronov. et al. vett. 'Lego, *At corticis in totum.*' Dalec.—8 Ita ex codd. Harduinus et

NOTÆ

[f] *Camerarium*] Quod in cameras, testudinesve, et pergulas scandit. Pergulæ, *des treilles, et des cabinets de jardin.*

[g] *In priore*] In camerario genere.

[h] *Vaginis m. vitilibus*] Forte rectius, *fictilibus.* Nam forma fictili includi cucumeres Palladius jubet, paulo ante laudatus a nobis, ut crescant qua coguntur forma. Vase testaceo, auctor Geopon. XII. 19. p. 342.

[i] *Particulatim*] Non tota simul planta flores emittit, sed partes aliæ deinceps ex aliis flore induuntur.

[j] *Et primus caulis*] Ut in brassicis cymæ, qui delicatiores sunt ipsorum caulium, teneriores que cauliculi, ut dicetur cap. 41. Forte haud perperam legas, *Et primus, caulis in cibo.* Primus usus scilicet.

[k] *Atque ex eo in totum*] Sic Mss. omnes: non, ut vulgati libri, *ex eo totum diversa natura,* quæ ne Œdipus quidem explanarit. Familiaris hæc Plinio loquendi formula, *in totum.*

[l] *Cibos salubres*] Vide Ruellium lib. II. p. 378.

tre non queant, sed non intumescant. Semina quæ [m] proxima collo fuerint,[9] proceras pariunt: item ab imis, sed non comparandas supra dictis: quæ in medio, rotundas: quæ in lateribus, crassas brevioresque. Siccantur in umbra, et cum libeat serere, in aqua macerantur. Cibis, quo longiores tenuioresque, eo gratiores.[10] Et ob id salubriores, quæ pendendo crevere: minimumque seminis tales habent, duritia ejus in cibis gratiam terminante.[e] Eas quæ semini [n] serventur, ante hyemem præcidi non est mos. Postea fumo siccantur, condendis hortensiorum [o] seminibus rusticæ supellectili.[11] Inventa est ratio,[p] qua cibis quoque servarentur: eodemque modo cucumis,[12] usque ad alios pæne proventus: et id quidem in muria fit.[q] Sed et scrobe,[r] opaco in loco arena substrato, fœnoque sicco opertos, ac deinde terra, virides servari tradunt. Sunt et sylvestres in utroque genere, et [13] omnibus fere hortensiis. Sed et his medica [s] tantum natura est. Quam ob rem differentur in sua volumina.

[e] *Duritia seminis gratiam in cibis cucurbitis auferente.*

recentt. ‘*Cibo salubres ac leves pluribus modis existimantur* Vet. *Cibos*, (*&c.* ut in Vet.) *existimant* Ms.’ *Dalec.* *Cibus saluber ac lenis pluribus modis existimatur* Gronov. et al. ante Harduin.—9 Chiffl. *fuerunt*.—10 Chiffl. *et gratiores*. —11 Vet. Dalec. *et rusticæ suppellectili;* Dalec. *rustica suppellectile;* Gronov. *rusticæ suppellectili*.—12 Ita codd. Harduini, et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *cucuminis* Gronov. et vulgg.—13 Chiffl. *ex*.

NOTÆ

[m] *Semina quæ*] Pallad. lib. IV. in Martio, tit. 9. pag. 91. ‘Hoc in cucurbitis insigne est, quod longas faciunt et exiles semina quæ in earum cervice nascuntur: quæ in ventre fuerant, cucurbitas faciunt crassiores: quæ in fundo, latas, si inversis cacuminibus obruantur.’ Qua ratione ex eodem seminio hæc varietas fieri possit, suo carmine Columella demonstrat in Hort. lib. X.

[n] *Eas quæ semini*] Pallad. loc. cit. ‘Quæ servantur ad semina, usque ad hyemem in sua vite dependeant: deinde sublatæ in Sole ponantur, aut fumo: aliter semina putrefacta depereunt.’

[o] *Hortensiorum*] Ita Mss. omnes. Hortensia sunt quæ in hortis seruntur.

[p] *Inventa est ratio*] Describit hanc fuse Nicander in secundo Georgicorum, apud Athen. lib. IX. pag. 372.

[q] *In muria fit*] Modum edocet auctor Geopon. loc. cit. pag. 344.

[r] *Sed et scrobe*] Sic etiam auctor Geopon. loc. cit. pag. 343.

[s] *Sed et his medica*] Nullus horum

XXV. Reliqua cartilaginum naturæ terra occultantur omnia. In quibus de rapis abunde [t] dixisse poteramus videri, nisi medici [u] masculini sexus facerent in his rotunda, latiora vero et concava [1] fœminini, præstantiora suavitate, et ad condiendum [v] faciliora: quæ sæpius sata [w] transeunt in marem. Iidem naporum [2] [x] quinque genera fecere: Corinthium, Cleonæum, Liothasium, [y] Bœoticum, et quod per [3] se viride [z] dixerunt. Ex iis [a] in amplitudinem adolescit Corinthium, nuda fere radice. Solum enim hoc genus superne tendit, non, ut cetera, in terram. Liothasium [b] quidam Thracium [4] appellant, frigorum patientissimum. Ab eo Bœoticum [c] dulce est, rotunditate etiam

CAP. XXV. 1 Gronov. *latiora vero concava*, omissa conjunctione.—2 Margo edd. Dalec. et Gronov. *raphanorum*, e Theophr.—3 Alii apud Dalec. *super*.

NOTÆ

in cibis usus: omnis in medicina.

[t] *De rapis abunde*] Lib. XVIII. cap. 34.

[u] *Nisi medici*] Medicis præivit Theophr. Hist. VII. 4. Medicos fuisse Græcos ipse Plinius admonuit loco proxime appellato.

[v] *Et ad condiendum*] De condiendis rapis, vide Palladium in Decembri, tit. 5.

[w] *Quæ sæpius sata*] Ita Mss. quoque. Theophr. loc. cit. monet, si densius spissiusve serantur, in marem transire: Γογγυλίδος δὲ οἱ μέν φασιν εἶναι γένη, οἱ δ' οὔ φασιν· ἀλλὰ καὶ τῷ ἄῤῥενι καὶ τῇ θηλείᾳ διαφέρειν· γίνεσθαι δὲ ἐκ τοῦ αὐτοῦ σπέρματος ἄμφω· πρὸς δὲ τὸ ἀποθηλύνεσθαι, πηγνῦναι δεῖ μανάς· ἐὰν γὰρ πυκνὰς, πάσας ἀπαῤῥενοῦσθαι.

[x] *Iidem naporum*] Igitur ii medici, quorum nunc placita referuntur, napos appellavere, quos raphanos sive radiculas verius appellassent: nam Theophr. Hist. VII. 4. quinque hæc ipsa τῶν ῥαφανίδων genera agnoscit, ita prodente Athenæo lib. II. pag. 56. ex quo Theophrasti locus, qui nunc in mendo cubat, refingi debet: Θεόφραστος δὲ ἐν τοῖς περὶ φυτῶν, inquit, γένη ῥαφανίδων φησὶν εἶναι πέντε· Κορινθίαν, Λειοθασίαν, Κλεωναίαν, Ἀμωρέαν, Βοιωτίαν· καλεῖσθαι δ' ὑπό τινων τὴν Λειοθασίαν Θρᾳκίαν, κ. τ. λ. *Des raiforts.*

[y] *Liothasium*] Sic Athenæus mox citatus. Theophr. loc. cit. Λειοθαλάσσιον, cui favere Hesychius videtur, in Ἄπλυτοι ῥαφανίδες. Has ipsas tamen, quæ illotæ ἄπλυτοι vocitantur, Θασίας Athenæus vocat.

[z] *Et quod per se viride*] Id videtur esse, quod Ἀμώρεον Athenæus appellat.

[a] *Ex iis*] Theophr. loc. cit. de raphanis. Εὐαυξεστάτην δέ φασι τὴν Κορινθίαν· ἣ καὶ τὴν ῥίζαν ἔχει γυμνήν· ὠθεῖσθαι γὰρ εἰς τὸ ἄνω, καὶ οὐχ ὡς αἱ ἄλλαι κάτω.

[b] *Liothasium*] Theophr. ex Athenæo loco proxime allato.

[c] *Ab eo Bœoticum*] Theophr. loc. cit. iisdem verbis.

brevi notabile, neque, ut Cleonæum, prælongum. In totum quidem,[d] quorum tenuia[5] folia, ipsi quoque dulciores: quorum scabra, et angulosa, et horrida, amariores. Est præterea[e] genus sylvestre, cujus folia sunt erucæ similia. Palma Romæ Amiterninis[f] datur, inde Nursinis:[6] tertia nostratibus.[g] Cetera de satu eorum in rapis dicta sunt.[h]

XXVI. Cortice et cartilagine constant raphani:[i] multisque eorum cortex crassior etiam, quam quibusdam arborum. Amaritudo[j] plurima illis[1] est, et pro crassitudine corticis. Cetera quoque aliquando lignosa. Et vis mira[k] colligendi spiritum, laxandique ructum: ob id cibus illiberalis, utique si proxime olus mandatur: si vero cum olivis drupis,[2] rarior ructus fit, minusque fœtidus. Ægypto[l] mire celebratur propter olei fertilitatem, quod e semine ejus faciunt. Hoc maxime cupiunt serere, si liceat: quoniam et quæstus plus quam a frumento,[3] et minus tributi est, nullumque copiosius oleum.

—4 *Threicium* Dalec.—5 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *tenuiora* edd. vett. et Gronov. et in margine, *læviora*.—6 *Marsis* codd. Dalec.

CAP. XXVI. 1 Ita codd. Harduini et Vet. Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *illic* Chiffl. *illi* Gronov. et al. vett.—2 Chiffl. *si vero ipse cum o. drupis.*—3 Chiffl. *e frumento.*—4 Idem codex, *ac fruticosa.*

NOTÆ

[d] *In totum quidem*] Theophr. loc. cit. Ὅσων δ᾽ ἂν ᾖ λεῖα τὰ φύλλα, κ. τ. λ.

[e] *Est præterea*] Theophr. Γένος δέ τι παρὰ ταῦτά ἐστιν, ὃ ἔχει τὸ φύλλον εὐζώμῳ ὅμοιον. De eruca XX. 49.

[f] *Amiterninis*] Vide quæ diximus XVIII. 35. Rapi vero hi proprie sunt, non raphani, ut priores.

[g] *Tertia nostratibus*] Romani agri.

[h] *In rapis dicta sunt*] Lib. XVIII. cap. 34.

[i] *Cortice . . . . raphani*] Quas Græci ῥαφανίδας vocant: Galli, *des raiforts*. Radices quæ sunt edendo, multa carne sunt munitæ, velut raphani, napi, rapa: immo nonnullæ quandam cartilaginis speciem præ se ferre conspiciuntur: quapropter et cartilagineæ nominantur: ut raphani.

[j] *Amaritudo*] Δριμύτης, *acrimonia*, dicitur a Theophr. *loc.* cit. Sed amaritudinem appellare saporem eum acutum, qualis in raphano sentitur, familiare Plinio est.

[k] *Et vis mira*] Inflationem habere hunc cibum ait, ac vim ciendi ructus. Quod et Diosc. edocet, II. 137. Ῥαφανὶς καὶ αὕτη πνευμάτων γεννητική, ... ἐρευκτικὴ δὲ, κ. τ. λ.

[l] *Ægypto*] Plinius ipse XV. 7. 'Plurimum autem in Ægypto fit oleum e raphani semine.'

Genera raphani[m] Græci fecere tria, foliorum differentia, crispi, atque lævis, et tertium sylvestre. Atque huic lævia[n] quidem, sed breviora ac rotunda, copiosaque; atque fruticosa:[4][o] sapor autem asper, et medicamenti instar ad eliciendas alvos.[p] Et in prioribus[q] tamen differentia a semine est:[5] quoniam aliqua pejus, aliqua admodum exiguum[6] ferunt. Hæc vitia[r] non cadunt, nisi in crispa folia.

Nostri alia fecere genera: Algidense[s] a loco, longum atque translucidum. Alterum rapi figura, quod vocant[7] Syriacum, suavissimum fere ac tenerrimum, hyemisque patiens. Præcipuum tamen est, quod e Syria non pridem

—5 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *differentia seminis est* Gronov. et al. vett.—6 Margo edd. Dalec. et Gronov.

NOTÆ

[m] *Genera raphani*] Genera ejus quod Græci ῥάφανον appellarunt, fecere illi tria. Verum, ne quempiam nomenclatio remoretur, attendendum est apud Atticos appellatione raphani brassicam venire: sic Aristophanem, sic etiam Theophrastum, et alios plerosque pro *brassica* constat usurpasse. Atque ut in Theophrasto potissimum morer, cujus orationem verti nunc a Plinio perspicuum est, sic ille habet, Hist. VII. 4. Τῆς δὲ ῥαφάνου τριχῇ διαιρουμένης, οὐ λειοφύλλου τε, καὶ λειοφύλλου, καὶ τρίτης τῆς ἀγρίας, κ. τ. λ. Ea brassicæ, non raphano proprie dicto referuntur: siquidem Marcus Cato ultima voluminis parte, quam brassicæ dicavit, tria fecit eadem illius vestigia: tres pariter notas attulit. Prima est lævis, altera crispa, tertia quæ proprie crambe nominatur: singula deinde genera suis notis describit, quas omnes Theophrasti verbis suffragari constat. Hesychius: Ῥαφανὶς, καὶ ῥάφανος διαφέρει παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς· ῥάφανος μὲν γὰρ ἡ κράμβη· ῥαφανὶς δὲ παρ' ἡμῖν ῥάφανος. Habet eadem Apollodorus Carystius apud Athen. lib. I. pag. 34. Vide plura in eam rem apud Galenum II. de Alim. Facult. II. 44. pag. 361.

[n] *Atque huic lævia*] Theophr. iisdem verbis, de brassica.

[o] *Atque fruticosa*] Ramosa, πολύκλαδος, Theophr.

[p] *Ad eliciendas alvos*] Ad dejiciendam, ad ciendam alvum, atque purgandam. De brassica, Theophr. loc. cit. Ἔτι δὲ χυλὸν ἔχουσα δριμὺν καὶ φαρμακώδη· διὸ καὶ πρὸς τὰς κοιλίας αὐτῷ χρῶνται οἱ ἰατροί.

[q] *Et in prioribus*] In crispa, lævique brassica. Theophr. loc. cit. de brassica: Ὁμοίως δὲ . . . εἶναι δοκοῦσι διαφοραὶ καὶ ἕτεραι· ἐπεὶ ἄσπερμόν τι γένος αὐτῶν ἐστιν, ἢ κακόσπερμον, κ. τ. λ.

[r] *Hæc vitia*] Seminis parvitas, aut imbecillitas.

[s] *Algidense*] Ab Algido monte Romæ vicino, de quo nos alibi. Sed nunc de Italis vernaculisque raphanis, atque adeo veris ac proprie dictis, agit, non de brassica.

advectum apparet, quoniam apud auctores non reperitur: id autem tota hyeme durat. Etiamnum unum [t] sylvestre Græci agrion vocant, Pontici armon, alii leucen, nostri armoraciam, fronde copiosius quam corpore. In omnibus autem probandis maxime spectantur caules: immitium enim rotundiores crassioresque, ac longis canalibus. Folia ipsa tristiora, et angulis horrida.

Seri vult raphanus terra soluta, humida. Fimum odit, palea contentus. Frigore adeo gaudet, ut in Germania infantium puerorum magnitudinem æquet. Seritur post Idus Febr. ut vernus sit: iterumque circa Vulcanalia,[u] quæ satio melior. Multi et Martio, et Aprili serunt, et Septembri. Incipiente incremento, confert alterna folia circumobruere, ipsos vero accumulare.[v] Nam qui extra [w] terram emersit, durus fit atque fungosus. Aristomachus [x] detrahi folia per hyemem jubet, et, ne lacunæ stagnent, accumulari: [8] ita in æstatem grandescere. Quidam prodi-

nullum, e Theophr.—7 Dalec. *et quod vocant.*—8 Ita codd. Regg. Brot. Dalec. Chiffl. et Editio princeps; *accumulare* Gronov. Harduin. et recentt.

NOTÆ

[t] *Etiamnum unum*] Raphani nimirum, non brassicæ, sylvestre genus. Philoxenus in glossis: 'Ῥαφανίδες, *armoracia.* Isidorus XVII. 10. armoraciam esse lapsanam falso putat. Utramque distinguit Columella IX. 4. 'Jam vero,' inquit, 'notæ vilioris innumerabiles nascuntur herbæ ... ut vulgares lapsanæ, nec his pretiosior armoracia.' Italia, rerum antiquarum parens, adhuc *Aramoraci*, et *Remolaci* nominat, teste Anguillara, par. 7. p. 112. Nostri, *Rave sauvage.* Diosc. II. 138. 'Ῥαφανὶς ἀγρία, ἣν Ῥωμαῖοι ἀρμορακίαν καλοῦσι, κ. τ. λ.

[u] *Circa Vulcanalia*] Columella XI. 3. 'Ceterum Augusto circa Vulcanalia, tertia satio est: eaque optima radicis, (hoc est, raphani,) et rapæ, itemque napi, et siseris,' &c. Ac multo post: 'Raphani radix bis anno seritur: Februario mense, cum vernum fructum expectamus: et Augusto mense circa Vulcanalia, cum maturius. Sed hæc satio sine dubio melior habetur.'

[v] *Ipsos vero accumulare*] Aggerare terram, circumfundere. Colum. loc. cit.

[w] *Nam qui extra*] Columella iisdem verbis, loc. cit.

[x] *Aristomachus*] Theophr. quoque, de Causis V. 5. p. 330. 'Ομοίως δὲ τοῦτο συμβαίνει καὶ ἐν τοῖς λαχάνοις· ἐφ' ὧν παχύνουσι τὰς ῥίζας, τῶν μὲν ἀφαιροῦντες τὰ φύλλα, καθάπερ τῆς ῥαφανίδος, ὅταν μάλιστα εὐαύξωσι τοῦ χειμῶνος, καὶ κατασάττοντες τὴν γῆν, ὥστε καὶ τὸ ὕδωρ ἀποστέγειν· ἐν γὰρ τῷ θέρει γίνονται θαυμασταὶ τῷ πάχει.

dere, si palo adacto caverna palea insternatur sex digitorum altitudine, deinde in semen fimumque et terra congeratur,[9] ad magnitudinem scrobis crescere. Præcipue tamen salsis aluntur. Itaque etiam talibus aquis irrigantur, et in Ægypto[y] nitro sparguntur, ubi sunt suavitate præcipui. In totum quoque salsugine amaritudo eorum eximitur, fiuntque coctis similes. Namque et cocti dulcescunt, et in naporum vicem transeunt. Crudos medici suadent, ad colligenda acria viscerum, dandos[10] cum sale[z] jejunis esse,[11] atque ita vomitionibus præparant[12] meatum. Tradunt et præcordiis necessarium hunc succum: quando phthisin[13][a] cordi intus inhærentem non alio potuisse depelli compertum sit in Ægypto, regibus corpora mortuorum ad scrutandos morbos insecantibus.[14] Atque, ut est Græca vanitas, fertur in templo Apollinis Delphis adeo ceteris cibis prælatus raphanus, ut ex auro dicaretur,[15] beta ex argento, rapum e plumbo. Scires non ibi genitum Manium Curium[b] imperatorem, quem Samnitium[16] legatis aurum

Margo edd. Dalec. et Gronov. *terram accumulare*, e Theophr.—9 Cod. Dalec. *deinde semen*, &c. Dalec. *deindeque semen fimo*, &c. Alii ap. Dalec. *deinde semen fimoque et terra contegatur*.—10 Vox *dandos* deest in codd. Dalec. et Chiffl. *edendos* alii ap. Dalec.—11 Cod. Dalec. *edere*.—12 Vet. Dalec. *præparandum*. —13 'Ita quidem recentiores editiones. Corruptum morbi nomen in Ms. Reg. 1. qui habet *ithiriasin*. Sed, ut mihi videtur, ex Plinio Valeriano, qui multa e Plinio excerpsit, emendandum, *phthiriasin*. Sic enim ille, de Re Medica IV. 1. 'Contra phthiriasin succus ejus (raphani) adhibetur, qui solus potest tenuitate subtili ad imi corporis liniamenta cor penetrare. Ægyptii enim reges quibus erat studium scrutari corpora mortuorum, et causas valetudinum occulta fide recognoscere, in corde ipso nasci ejusmodi vitium prodiderunt.' Phthiriasis, *la Maladie pédiculaire*.' Brotier.—14 Vet. Dalec. *dissecantibus*.—15 Margo edd. Dalec. et Gronov. *duceretur*.—16 Chiffl. *hospitium*.

NOTÆ

[y] *Et in Ægypto*] Plinius XXXI. 46. 4. 'Salis vice utuntur ad raphanos nitro Ægyptio: teneriores eos facit: olera viridiora:' ubi raphanos ab oleribus, hoc est, a brassica, secernit.

[z] *Dandos cum sale*] Eadem de raphano Diosc. II. 137. 'Αρμόζει δὲ καὶ τοῖς ἐμεῖν μέλλουσι προεσθιομένη. De radicula Celsus, ut dicemus XVIII. 13.

[a] *Phthisin*] Lentam ea vox tabem sonat. De hoc cordis vitio egimus XI. 69. Vide Notas et Emend. num. 10.

[b] *Manium Curium*] Rem narrat eleganter, ut solet, Val. Max. IV. 3. p 208. Cicero in Catone: Megacles quoque, de Viris Illustribus, apud Athen. lib. X. p. 419. Plutarchus in Apophth.

repudiaturo afferentibus rapum torrentem in foco inventum Annales nostri prodidere. Scripsit et Moschion Græcus unum de raphano volumen. Utilissimi in cibis hyberno tempòre existimantur: iidemque dentibus semper inimici, quoniam atterant. Ebora certe poliunt. Odium his[c] cum vite maximum, refugitque juxta satos.

XXVII. Lignosiora sunt reliqua, in cartilaginum genere a nobis posita. Mirumque, omnibus vehementiam saporis[a] inesse. Ex iis pastinacæ unum genus agreste sponte provenit: staphylinos[d] Græce dicitur. Alterum seritur[e] radice vel semine, primo vere vel autumno: ut Hygino placet, Februario, Augusto, Septembri, Octobri, solo quam altissime refosso. Annicula utilis esse incipit, bima utilior, gratior autumno, patinisque[1] maxime, et sic quoque virus[4] illi intractabile[2] est. Hibiscum[f] a pastinaca gracilitate distat, damnatum in cibis, sed medicinæ utile. Est et quartum[3][g] genus in eadem similitudine pastinacæ, quam

[a] *Sapor.*

CAP. XXVII. 1 Cod. Dalec. *patinis quam.*—2 Cod. Dalec. *vis illi intractabilis.*—3 *Est autem quartum* margo edd. Dalec. et Gronov.—4 Cod. Dalec.

NOTÆ

[c] *Odium his*] Raphanis scilicet: nec minus brassicæ, uti ex Theophrasto vidimus, XVII. 37. et ex Plinio ipso visuri sumus, XXIV. 1. 'Pernicialia et brassicæ cum vite odia.' Palladius lib. IX. in Augusto, tit. 5. 'Raphanum tamen, sive brassicam, constat esse vitibus inimicum: nam si circa se serantur, natura discordante refugiunt.' 'Ῥάφανον de *brassica* recte accepit. Sed et raphano proprie dicto, hoc est, ῥαφανίδι, vis eadem est.

[d] *Staphylinos*] Σταφυλῖνος Athenæo lib. IX. p. 371. Hæc pastinaca tenuifolia sylvestris, quæ pingitur a Dodonæo, pag. 668. visa a nobis in horto Regio.

[e] *Alterum seritur*] Pastinaca sativa, quæ in Gallia vulgo *Panais* nominatur. Dodonæo, p. 669. Pastinaca sativa latifolia est.

[f] *Hibiscum*] Pastinaca latifolia sylvestris Dodonæi hæc est, p. 669. *Panais sauvage.*

[g] *Est et quartum*] In eo genere est illud haud postremum quod vulgo notum *Carotæ* nomine, et Dauci officinarum, ut recte Anguillara, par. 7. pag. 129. prædulci radice, odorata, lutea, rufa, vel interdum purpurea, quam cum farina et oleo frigunt ad mensarum usus: aut coctam in aceto et oleo mandunt. Tenuifolia sativa pastinaca dicitur Dodonæo, pag. 667.

nostri Gallicam vocant, Græci vero daucon: cujus genera etiam[4] quatuor[h] fecere: inter medica[b] dicendum.

XXVIII. Siser[i] et ipsum Tiberius princeps nobilitavit, flagitans omnibus annis e Germania.[1] Gelduba[j] appellatur castellum Rheno impositum, ubi generositas præcipua. Ex quo apparet frigidis locis convenire. Inest longitudine nervus, qui decoctis extrahitur, amaritudinis tamen magna parte relicta: quæ mulso in cibis temperata, etiam in gratiam vertitur. Nervus idem et pastinacæ majori, duntaxat anniculæ. Siseris satus[a] mensibus Februario, Martio, Aprili, Augusto, Septembri, Octobri.

XXIX. Brevior his est, sed torosior,[a] [1] amariorque, inula,[2] [k] per se stomacho inimicissima: eadem dulcibus mixtis saluberrima. Pluribus modis[l] austeritate victa gratiam invenit. Namque et in pollinem tunditur arida,

[b] *In libris de medicina.*   [a] *Carnosior.*

dauci genera etiam. Gronov. et al. ante Harduin. *cujus genera etiam quatuor fecere. Inter medica dicendum siser: et ipse Tiberius, &c.*

CAP. XXVIII. 1 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *a Germania* Gronov. et vulgg.—2 *Siser his seritur* cod. Dalec.

CAP. XXIX. 1 Cod. Dalec. *et torosior.*—2 Chiffl. *in nulla;* alii ap. Dalec.

NOTÆ

[h] *Cujus genera etiam quatuor*] De his dicemus opportunius XXV. 64. inter medica, ut Plinius ait.

[i] *Siser*] Dioscoridi, lib. II. c. 139. Σίσαρον. Nostris, *Chervi.* Iconem Dodonæus exhibet, p. 670. Quanquam an siser Græciæ, cum sisere Geldubæ sive Germanorum sit idem, subdubitat Anguillara, par. 7. pag. 112.

[j] *Gelduba*] Ex Tacito Geldubæ situm agnoscimus haud procul fuisse Novesio, *Nuys:* in citeriore Rheni ripa, ubi nunc pagus est cum prisci nominis vestigio *Gelb.* Vide Tacit. Hist. IV. p. 95. et 96. Castra Rheno imposita scito plurima fuisse, in quibus Romanæ cohortes præsidii causa excubarent. In Conc. Agrippinensi, anno CCCXLVI. 'Epistola plebis Agrippinensium, sed et omnium castrorum Germaniæ secundæ.'

[k] *Amariorque, inula*] Hoc est, acrioris succi. Sic Horatius, II. Sat. 2. 44. 'acidas inulas' appellat, de quibus idem postea II. Sat. 8. 51. 'Inulas ego primus amaras Monstravi incoquere.' Græcis ἑλένιον dicitur. Nostris, *de l'Aunée.* Officinis, 'Enula Campana.' Iconem vide apud Dodon. pag. 342.

[l] *Pluribus modis*] Tres quatuorve inulæ conditura, quibus amaritudinem dimittat omnem, affert Columella XII. 46.

liquidoque dulci[m] temperatur: et decocta posca,[n] aut asservata, vel macerata pluribus[o] modis, et tunc mixta defruto,[3] aut subacta melle, uvisve passis, aut pinguibus caryotis.[4] Alio rursus modo cotoneis malis, vel sorbis, aut prunis, aliquando pipere aut thymo variata, defectus præcipue stomachi excitat, illustrata maxime Juliæ Augustæ[p] quotidiano cibo. Supervacuum[b] ejus semen: quoniam oculis[q] ex radice excisis, ut arundo seritur. Et hæc autem, et siser,[5] et pastinaca, utroque tempore, vere et autumno, magnis seminum intervallis: inula ne minus[r 6]

[b] *Sationi inutile.*

nullave.—3 Cod. Dalec. *aut asservata defruto*, omissis quæ interjacent.—4 Vet. Dalec. *caricis*; Chiffl. *cereotis*.—5 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *Et hæc autem seritur, et siser*

NOTÆ

[m] *Liquidoque dulci*] Liquore aliquo dulci.

[n] *Decocta posca*] Decoqui inulam jubet ex posca. Poscam Latini vocant id quod Græci ὀξύκρατον, quod potionis genus ex aquæ et aceti mixtura fit. Decoqui ex aceto Columella præcipit, loc. cit. quod idem est: nam aceti solius nomine sæpe posca exprimitur. Plautus in Rudente: 'Sed hic rex cum aceto pransurus est, et sale.' Spartianus in Pescennino: 'Jussit vinum in expeditione neminem habere, sed aceto universos esse contentos.' Vulcatius in Avidio: 'Præter laridum, et buccellatum, et acetum.'

[o] *Macerata pluribus*] Præsertim muria, ex Columella. Cum succo rutæ, schola Salernitana: 'Enula Campana reddit præcordia sana, Cum succo rutæ succus si sumitur ejus, Affirmant ruptis quod prosit potio talis.'

[p] *Juliæ Augustæ*] Sive Liviæ, quæ in familiam et nomen Juliæ gentis ascita adoptione est.—'*Julia Augusta*] Quæ Cæsaris Augusti filia, Tiberii Augusti conjux fuit. Vixit illa perhonorifice usque ad quartum saltem Tiberii Augusti annum: teste nummo singulari, ex ære minimo, apud D. Abb. de Fontenu: hac epigraphe Græca in corona laurea, TIB. KAICAP. In aversa parte spica erecta, fertilitatis Judææ symbolum: hinc IOY. inde ΛΙΑ, infra E. Δ. 'anno quarto' Juliæ Tiberii conjugis, cujus causa imperium ille in Judæa obtinebat. Nam Cæsar ipse fuit et hæres Augusti ob illud conjugium. Adde Achaten Tiberianum, ut appellant, quem alibi explicuimus; et nummum perrarum argenteum ex Museo nostro, consecrationis ejus indicem, DIVA IVLIA AVGVSTA: ut jam superius diximus ad lib. VII.' *Ed. sec.*

[q] *Quoniam oculis*] Sive bulbis, ut diximus XVI. 67. Palladius in Febr. tit. 24. 'Hoc mense inula seritur, quo canneta ponuntur. Seritur oculis, sicut calami,' &c.

[r] *Inula ne minus*] Colum. XI. 3. 'Pastinaca, siser, atque inula con-

quam ternorum pedum, quoniam spatiose fruticat. Siser autem transferre melius.

XXX. Proxima his est bulborum[a] natura, quos Cato inprimis serendos præcepit,[1] celebrans Megaricos.[b] Verum nobilissima est scilla,[c] quanquam medicamini nata, acetoque[d] exacuendo.[2] Nec ulli amplitudo major, sicut nec vis asperior. Duo genera medica:[3] masculum albis foliis,[4] fœmina nigris. Et tertium[e] genus est cibis gratum: epimenidium[5] vocatur, angustius folio, ac minus aspero. Seminis plurimum omnibus. Celerius tamen proveniunt satæ bulbis circa latera natis. Et ut crescant,[f]

Gronov. et al. vett.—6 Ita edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *intervallis, nullave minus* Gronov. et al. vett. Mox, pro *quam ternorum*, Chiffl. habet, *quaternorum*.

CAP. XXX. 1 Chiffl. *præcipit*.—2 Idem codex, *exacuendoque aceto*.—3 Codd. Dalec. et Chiffl. *medicæ*.—4 'Ita codd. Regg. 1. 2. et Editio princeps.' *Brotier*. *masculus albis foliis* Gronov. Harduin. 1. 2. 3. et recentt.—5 *Epi-*

NOTÆ

valescunt alte pastinato et stercorato loco: sed quam rarissime ponenda sunt, ut majora capiant incrementa. Inulam vero intervallo trium pedum seri convenit, quoniam vastos facit frutices.' Sic etiam Pallad. loc. cit. 'Seritur inula oculis sicut calami, quos abscindere, et terra leviter debemus obruere, terra fossa et subacta, excitatis ad lineam pulvinis, quibus ejus oculos oportet infodere: trium pedum inter se spatio separantur.'

[a] *Proxima .... bulborum*] Dioscor. II. 200. Βολβὸς γνώριμος πᾶσιν, ὃν ἐσθίομεν. Bulborum facies notior est visa Dioscoridi, Plinioque, quam quæ deberet repræsentari: nunc incognita omnibus fere cum Medicis tum officinis habetur: quoniam bulbi omnes ii edi jam desiere. Inveniuntur tamen hodieque cepæ modo tunicati bulbi, quibus rura sibi vorandi facultatem moliuntur: miram enim excitant aviditatem: quare 'Appetitus' appellationem in agris sibi vindicarunt.

[b] *Megaricos*] Μεγαρῆας βολβοὺς laudat etiam Nicander, apud Athen. lib. II. p. 64. Damnat Ovid. de Remed. Amor. circa finem, ob Venerem scilicet, quam mirum in modum stimulat: his numeris: 'Daunius, an Libycis bulbus tibi missus ab oris, An veniat Megaris, noxius omnis erit.'

[c] *Scilla*] Squillam exemplo Varronis omnes nunc vocant officinæ. Græci σκίλλαν, et σκύλλαν. Nostri, *Oignon marin, ou squille*. Scilla Hispanica Clusii est Rarior. Plant. l. II. p. 171. radice alba. Vidimus in horto Regio.

[d] *Acetoque*] Fit enim ex ea scillinum acetum, uti dicemus XX. 39.

[e] *Et tertium*] Neque omnem scillæ radicem in cibis approbat Theophr. Hist. VII. 11. sed illius tantum, quæ Epimenidia appellatur, ἀλλὰ τῆς Ἐπιμενιδείου καλουμένης, quæ angustiore folio ac læviore est, στενοφυλλοτέρας καὶ λειοτέρας.

[f] *Et ut crescant*] Theophr. loco citato.

folia quæ sunt his ampla, deflexa circa obruuntur. Ita succum omnem in se trahunt capita. Sponte nascuntur copiosissime[6] in Balearibus Ebusoque insulis, ac per Hispanias. Unum de iis volumen condidit Pythagoras philosophus, colligens medicas vires, quas proximo reddemus libro. Reliqua bulborum[g] genera differunt colore, magnitudine, suavitate. Quippe cum[h] quidam crudi mandantur, ut in Cherroneso Taurica. Post hos in Africa[i] nati maxime laudantur, mox Apuli. Genera Græci[j] hæc fecere: bulbinen, setanion, pythion, acrocorion,[k] ægilopa, sisyrinchion. In hoc mirum[l] imas ejus radices crescere hyeme: verno autem, cum apparuerit viola, minui et contrahi, tum deinde bulbum pinguescere.

Est inter genera[7][m] et quod in Ægypto aron vocant, scillæ proximum amplitudine, foliis lapathi, caule recto duum cubitorum, baculi crassitudine, radice mollioris naturæ, quæ edatur[8][n] et cruda. Effodiuntur bulbi ante ver, aut deteriores illico fiunt.[9] Signum maturitatis, folia inarescentia ab imo: vetustioresque improbant: item parvos

menidum Chiffl.—6 Cod. Dalec. *copiosissimæ*.—7 *Est inter hæc genera* Vet. Dalec.—8 Chiffl. *quæ estur*.—9 'Ms. *fiunt, si finduntur*. Lego, *et finduntur. Signum*.' Dalec. Mox, Chiffl. *maturitatis est*. Vet. *maturitatis f. marcescentia*.

NOTÆ

[g] *Reliqua bulborum*] Theophr. Hist. VII. 13.

[h] *Quippe cum*] Theophr. loc. cit. et ex eo Athenæus l. II. p. 64.

[i] *Post hos in Africa*] Λιβυκοὺς laudat pariter Athenæus loc. cit. Libycos, Dauniosque, sive Apulos, Ovidius paulo ante appellatus.

[j] *Genera Græci*] Theophr. inprimis, loc. cit. ubi hæc genera recensentur: Τὸ λευκόϊον, καὶ βολβίνη, καὶ ὁ πυθίων, καὶ κύϊξ, καὶ τρόπον τινὰ τὸ σισυρίγχιον. Rectius forsan, συσιρίγχιον, a rostri suilli similitudine. Hujus iconem apud Dodon. vide, p. 210. Est et in Eystettensi horto.

[k] *Acrocorion*] An *acroscorodon?* Ut ut est, bulborum ejuscemodi ignota facies, uti et pythionis.

[l] *In hoc mirum*] Nempe in sisyrinchio. Hæc Plinius ex Theophr. accepit, loc. cit.

[m] *Est inter genera*] Nempe bulborum. De aro autem Ægyptiaca loquitur, quæ diversa a Dioscoridis aro vulgari. Ægyptiaca colocasiæ genus est alterum, quod cum faba Ægyptia plerique confuderunt: Plinius apte distinguit. Pingitur a Dodonæo, p. 318. Vidimus in horto Regio.

[n] *Quæ edatur*] Theophr. Hist. VII. 11.

et longos. Contra rubicundis rotundioribusque laus, et grandissimis. Amaritudo plerisque in vertice est. Media eorum dulcia. Bulbos non nasci, nisi e semine,[10] priores tradiderunt. Sed et in Prænestinis[11] campis sponte nascuntur, ac sine modo etiam in Remorum arvis.

XXXI. (VI.) Hortensiis[1] omnibus fere singulæ radices, ut raphano,[a] betæ, apio, malvæ.[2] Amplissima[b] autem lapatho, ut quæ descendat ad tria cubita. Sylvestri minor[c] et humida:[3] effossa quoque diu vivit. Quibusdam tamen capillatæ,[d] ut apio, malvæ: quibusdam surculosæ,[e] ut ocimo. Aliis carnosæ, ut betæ,[f] aut magis etiamnum croco:[4] [g] aliquibus[h] ex cortice et carne constant, ut raphano, rapis: quorundam geniculatæ[i] sunt, ut graminis.

—10 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. et recentt. *nisi ex semine* Gronov. et al. vett.—11 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et edd. recentt. *Sed et Prænestinis* Gronov. et al. vett.

CAP. XXXI. 1 *Hortensibus* cod. Dalec.—2 Margo edd. Dalec. et Gronov. *lapatho*, e Theophr.—3 Ita codd. Harduini et Vet. Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Silvestri minores, tumidæ* Gronov. et al. vett.—4

NOTÆ

[a] *Hortensiis . . . ut raphano*] Theophr. Hist. Plant. I. 9. Σχεδὸν δὲ καὶ τῶν λαχανωδῶν τὰ πλεῖστα μονόῤῥιζα· οἷον ῥάφανος, τεῦτλον, κ. τ. λ. Ῥάφανος, ut monuimus, *brassica* Theophrasto est, non *raphanus*, quem ille ῥαφανίδα vocat. Verum aut ῥαφανὶς hoc loco scripsit, aut raphanum nunc ipse intellexit: nam brassicam μονόῤῥιζον esse, falsum est. Et sane idem Hist. VII. 2. ubi ea recenset, quæ singulari radice constant, appellat σέλινον, *apium*, τεύτλιον, *betam*, ῥαφανίδα, *raphanum*, γογγυλίδα, *rapam*: ῥάφανον non appellat.

[b] *Amplissima*] Theophr. Hist. VII. 2. Μονοῤῥιζότατον δὲ τούτων πάντων τὸ λάπαθον . . . ἔχει γὰρ μείζω τριῶν ἡμιποδίων, *majores habet radices terno semipede*, hoc est, sesquipede.

[c] *Sylvestri minor*] Nempe sylvestri lapatho. Vide Notas et Emend. num. 11.

[d] *Capillatæ*] Quæ fibras habent, hoc est, minores radiculas, oblongas, in capilli modum extenuatas, in quas velut extremas, crassiores effusæ sparguntur.

[e] *Surculosæ*] Hoc est, lignosæ. Theophr. Hist. VII. 3. Τῶν δὲ ῥιζῶν ξυλωδέσταται πασῶν αἱ τοῦ ὠκίμου, καθάπερ ὁ καυλός. Addit idem, c. 2. blitum, atriplicem, erucam, anethum, brassicam, coriandrum: et Hist. I. 10. magnam sylvestrium partem.

[f] *Ut betæ*] Theophr. Hist. VII. 2.

[g] *Croco*] Theophr. Hist. I. 9. Εἰσὶ μὲν σαρκώδεις καθάπερ ῥαφανίδος, γογγυλίδος, ἄρου, κρόκου. Idem repetit Hist. VII. 3.

[h] *Aliquibus*] Theophr. Hist. I. 10.

[i] *Geniculatæ*] Geniculatæ radices

Quæ rectam[j] non habent radicem, statim plurimis nascuntur[5] capillamentis, ut atriplex, et blitum. Scilla autem, et bulbi, et cepe, et allium, non nisi in rectum radicantur.[6][k] Sponte nascentium[l] quædam numerosiora sunt radice, quam folio, ut aspalax,[7] perdicium, crocum.

Florent confertim[8][m] serpyllum, abrotonum, napi, raphani, menta, ruta: et cetera quidem cum cœpere, deflorescunt:[9] ocimum autem[n] particulatim et ab imo incipit: qua de causa diutissime floret. Hoc et[10] in heliotropio[o] herba evenit. Flos aliis[p] candidus, aliis luteus, aliis purpureus. Folia cadunt[q] a cacuminibus, origano, inulæ, et aliquando rutæ injuria læsæ. Maxime concava[r] sunt cepæ, gethyo.[11]

XXXII. Allium cepasque[a] inter Deos in jurejurando

Margo edd. Dalec. et Gronov. *aro, asphodelo,* e Theophr.—5 Codd. Dalec. et Chiffl. *pluribus nituntur.*—6 Dalec. *et cæpa, et arum, in acutum non radicantur,* e Theophr.—7 ' Hæc quidem de sponte nascentibus habet Theophrastus, Hist. Plant. I. 11. At quid sit aspalax, incompertum. In Mss. Reg. 1. Lang. et editione principe, *calax.* In Mss. Reg. 2. *galax.*' Brotier.—8 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. ἀθρόως Theophr. *Florent cum fraxino serpyllum* Gronov. et al. vett.—9 Dalec. *statim efflorescunt.*—10 Margo edd. Dalec. et Gronov. *et faba,* e Theophr.—11 Gronov. et vulgg. *gethio.*

NOTÆ

vocantur, quæ nodis quibusdam interstinctæ protuberant, rotundæ, et leviter capitulatæ. Γονατώδεις, Theophr. Hist. I. 10.

[j] *Quæ rectam*] Theophr. Hist. I. 9.

[k] *In rectum radicantur*] Radicum natura est a lateribus radiculas alias fundere, quas ἐπιφυάδας appellamus, inquit Theophr. Hist. I. 10. at ejusmodi nullam bulbi habent. Omnes enim radices bulborum in rectum tendunt: nec a latere funduntur, sed a capite.

[l] *Sponte nascentium*] Theophr. Hist. I. 11. iisdem fere verbis. Sed quæ sit aspalax, incompertum.

[m] *Florent confertim*] Hoc est, simul universum florem emittunt, non particulatim. Vide Notas et Emend. num. 12.

[n] *Ocimum autem*] Theophr. Hist. VII. 9.

[o] *Hoc et in heliotropio*] Theophr. Hist. VII. 8.

[p] *Flos aliis*] Theophr. Hist. VII. 9.

[q] *Folia cadunt*] Theophr. Hist. I. 15. quem locum fidelius multo Plinius, quam Gaza, reddidit.

[r] *Maxime concava*] Theophr. Hist. I. 16. Ἴδιον δὲ ἐπὶ τῶν λαχανωδῶν, οἷον κρομμύου, γηθύου, τὸ κοιλόφυλλον.

[a] '*Allium cepasque*] Ægyptii, inquit, cum jurant per Deos suos, simul per opes suas jurant, quæ sunt allium

habet Ægyptus. Cepæ genera[b] apud Græcos, Sardia,[1] Samothracia, Alsidena,[2] Setania, Schista, Ascalonia, ab oppido Judææ nominata. Omnibus etiam odor lacrymosus,[c] et præcipue Cypriis,[d] minime Gnidiis. Omnibus corpus totum pinguitudinis earum cartilagine.[3][e] E cunctis[f] setania minima, excepta Tusculana, sed dulcis. Schista autem et Ascalonia condiuntur. Schistam hyeme cum coma sua relinquunt, vere folia detrahunt, et alia subnascuntur iisdem divisuris: unde et nomen.[g] Hoc exemplo[h] reliquis quoque generibus detrahi jubent, ut in capita crescant potius, quam in semina. Ascaloniarum[i] propria

CAP. XXXII. 1 *Sarda* Chiffl.—2 *Cnidia* margo edd. Dalec. et Gronov.—3 'Ita Mss. Reg. et Editio princeps. Emendabat Cl. Dalecampius, *omnibus radicum corpus tectum pingui cartilagine.* Forte tantum intelligendum, *constat.*'

NOTÆ

et cepæ. Non dicit inter Deos reponi vel coli ab Ægyptiis allium et cepas: quantumvis scribat Juvenalis Sat. XV. 1. 'Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens Ægyptus portenta colat? . . . Porrum et cepas nefas violare, et frangere morsu. O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis Numina!' De his Prudentius quoque eleganter, περὶ στεφάνων, Hymno X. in S. Romanum vs. 255. et in Symmach. II. 866. quem consule. At Horat. I. Ep. 12. 'Verum seu pisces, seu porrum, et cepe trucidas,' jocose dixit atque ironice, pro eo quod est, si nihil aliud occidis in cœnam. Hoc tantum.' *Ed. sec.*

[b] *Cepæ genera*] Theophr. Hist. VII. 4. a quo hæc enumerantur: Σάρδια, Κνίδια, Σαμοθράκια, καὶ πάλιν Σητάνια, καὶ Σχιστὰ, καὶ Ἀσκαλώνια. *Des oignons.* Alsidenorum mentio alibi nulla.

[c] *Odor lacrymosus*] Lacrymas ciens. Lucilius Sat. lib. V. 'Flebile cepe simul, lacrymosæque ordine tallæ.' Tallas Festus appellat interiores cepa-rum tunicas. Vaporem lentum ac tenuem expirat cepa, qui ad oculos irreptans lentitia cohæret, et sui tenuitate lancinans dolorem excitat, et sic lacrymas exigit. Vide Ruell. lib. II. p. 399.

[d] *Cypriis*] Cyprias cepas laudat Marcellus Empiricus, c. 15. ad anginam, p. 105.

[e] *Omnibus . . . . cartilagine*] Subintellige, 'constat:' vel *e cartilagine* legito.

[f] *E cunctis*] Theophr. loc. cit.

[g] *Unde et nomen*] Ut nempe σχισταὶ, hoc est, cepæ fissiles, appellentur. Sic Theophr. loc. cit.

[h] *Hoc exemplo*] Palladius l. III. in Febr. tit. 24. p. 68. 'Si capita voluerimus his esse majora, folia omnia debemus auferre, et sic succus ad inferiora cogetur.'

[i] *Ascaloniarum*] Has adhuc hodie Galli nominant *Eschalotes*, quasi Ascalotas, relictis pristini vocabuli rudimentis. Vide Glossarium Du-Cangii, verbo *Aloigna.*

natura. Etenim velut[j] steriles sunt[4] ab radice, et ob id semine seri illas, non deponi, jussere Græci. Præterea serius circa ver, cum germinant,[5] transferri: ita crassescere, et tunc properare præteriti temporis pensitatione. Festinandum[k] autem in his est, quoniam maturæ celeriter putrescunt. Si deponantur,[l] caulem mittunt[6] et semen, ipsæque evanescunt. Est et colorum differentia. In Isso enim[7][m] et Sardibus candidissimæ proveniunt. Sunt in honore et Creticæ, de quibus dubitant, an eædem sint, quæ Ascaloniæ, quoniam satis[n] capita crassescunt:[8] depositis, caules et semina.[9] Distant sapore tantum dulci.

Apud nos duo prima genera. Unum condimentariæ, quam illi gethyon,[o] nostri pallacanam vocant. Seritur mensibus, Martio, Aprili, Maio. Alterum capitatæ,[p] quæ ab æquinoctio autumni, vel a Favonio. Genera ejus austeritatis ordine, Africana, Gallica, Tusculana, Ascalonia,

Brotier. Pintian. *Omnibus corp. totum pæne tunicarum cartilagine.*—4 Vet. Dalec. *sterilescunt.*—5 Chiffl. *germinent;* Th. *germinaverint.*—6 Chiffl. *caulem mittunt;* Gronov. et al. vett. *et caulem mittunt.* Cod. Dalec. omittit etiam *et.* Mox, Vet. Dalec. *et sementant.* Deinde, pro *evanescunt,* Nic. Heinsius ex membranis emendandum putavit *eviescunt.* Vid. Advers. III. 9. p. 460.—7 Chiffl. *differentia. amisso enim;* Gronov. et al. ante Harduin. *differentia. Samo enim.*—8 Chiffl. *satæ radices agunt.*—9 Idem codex, *caulis et semen.*—

NOTÆ

[j] *Etenim velut*] Apud nos tamen et radice melius, seu bulbo, seruntur.

[k] *Festinandum*] Cito evellendæ: alioqui putrescunt: πολὺν δὲ χρόνον ἐαθέντα ἐν τῇ γῇ σήπεται. Theophr. loc. cit.

[l] *Si deponantur*] Si plantentur, φυτευθέντα, Theophr.

[m] *In Isso enim*] Vide Notas et Emend. num. 13.

[n] *Quoniam satis*] Hoc est, quoniam cum seruntur semine, capita eis crassescunt: σπειρόμενον μὲν, inquit Theophrastus: cui φυτευόμενον opponitur, depositum sive plantatum.

[o] *Gethyon*] Γήθυον, quod fere sine capite est, cervicis tantum longæ: ideoque totum in frondem luxuriat. Vulgus nostrum sua consuetudine *cebulam*, quasi cepulam, vocat: alii *siboulam*, *Ciboule:* nonnulli *civas*, vel *civones*, quasi cepinas, vernaculo sermone proferunt.

[p] *Alterum capitatæ*] Quod fere citra cervicem in caput extuberat. Hanc vocant unionem veteres rustici, ut testatur Columella XII. 10. quod nomen apud Gallos velut triviale, hactenus usurpatum est: siquidem quod singulari constat capite, nec pluribus coagmentatur bulbis, unionem Gallica lingua nominat *Oignon.*

Amiternina.[10] Optima autem, quæ rotundissima. Item rufa acrior, quam candida: sicca, quam viridis: et cruda, quam cocta: sicca, quam condita. Seritur Amiternina frigidis et humidis locis, et sola allii modo capite, reliquæ semine. Proxima quæ æstate nullum semen emittunt,[11] sed caput tantum, quod inarescit.[12] Sequenti autem anno permutata ratione semen gignitur, caput ipsum corrumpitur. Ergo omnibus annis separatim semen cepæ causa seritur, separatim cepæ seminis. Servantur autem optime in paleis. Gethyum pæne[q] sine capite est cervicis tantum longæ, et ideo totum in fronde: sæpiusque resecatur, ut porrum. Ideo et illud serunt, non deponunt. Cetero cepas[r] ter fosso solo seri jubent, extirpatis radicibus herbarum, in jugera[s] denas libras. Intermisceri[t] satureiam, quoniam melius proveniat. Runcari[u] præterea, et sarriri, si non sæpius, quater. Ascaloniam[v] mense Februario serunt nostri. Semen ceparum nigrescere incipiens, antequam marcescat,[13] [w] metunt.

XXXIII. Et de porro[a] in hac cognatione dici conveniat, præsertim cum sectivo nuper auctoritatem dederit princeps Nero, vocis gratia,[b] ex oleo statis mensium omnium diebus, nihilque aliud, ac ne pane quidem vescendo. Seritur semine ab æquinoctio autumno: si sectivum facere[c] libuit,

10 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. et Bipont. *Africa, Gallica, Tusculana, Ascalonia, Amiternina* Harduin. 2. 3. Miller. et Franz. *Africana, G. Tusculana, Amiternina* Gronov. et al. vett.—11 *Proxima quæ, &c. emittit* Dalec.—12 Idem, *quod increscit*.—13 Chiffl. *marcescant*.

NOTÆ

q *Gethyum pæne*] Ex Theophr. Hist. VII. 4.

r *Cetero cepas*] Columella XI. 3.

s *In jugera*] Denas seminis ceparum libras in singula jugera seri jubet.

t *Intermisceri*] Colum. loc. cit. et Pallad. lib. III. in Febr. tit. 24. p. 68.

u *Runcari*] Colum. loc. cit.

v *Ascaloniam*] Sic Columella loc. cit.

w *Semen .... antequam marcescat*] Columella: 'Sed nec patiendum est, ut perarescat,' &c.

a *Et de porro*] Gallis, *Poireau*.

b *Vocis gratia*] Cui splendorem affert, ut dicetur XX. 21.

c *Si sectivum facere*] Colum. XI. 3. ' Porrum si sectivum facere velis,

densius. In eadem area secatur, donec deficiat, stercoraturque semper. Si nutritur in capita,[d] antequam secetur, cum increvit,[1] in aliam aream transfertur, summis foliis leviter recisis ante medullam: et capitibus retractis, tunicisve extremis.[2] Antiqui silice[e] vel tegula subjecta capita dilatabant: hoc item in bulbis. Nunc sarculo leviter convelluntur radices, ut delumbatæ alant, neque distrahant.[3] Insigne, quod cum fimo lætoque solo gaudeat, rigua odit, et tamen[4] proprietate quadam soli constant. Laudatissimus[5] in Ægypto, mox Ostiæ,[6] atque Ariciæ.[f] Sectivi duo genera: Herbaceum folio incisuris ejus evidentibus, quo utuntur medicamentarii. Alterum genus pallidioris[7] folii,[g] rotundiorisque, incisuris levioribus. Fama est, Me-

CAP. XXXIII. 1 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *stercoraturque semper: nutritur in capita, antequam secetur. Cum increvit* Gronov. et al. vett.—2 Dalec. *detractis tunicis extremis*, ut de allio et cepa Theophr. scripsit de Caus. I. 4.—3 Vet. Dalec. *distrahantur.*—4 Vet. Dalec. *hæc tamen.*—5 'Vet. *Laudatissimum*; quanquam apud Palladium *porrus* legitur.' *Dalec.*—6 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Orchiæ* Gronov. et al. vett.—7 Ita ex codd. Harduinus et recentt. 'Ms. *suavidioris*. Fortassis, *flavidioris*.' Dalec. *savidioris* Chiffl. 'Forte, *validioris*.' Pintian. Mox, *levioribus incisuris* Chiffl.

NOTÆ

densius satum præceperunt priores relinqui, et ita, cum increverit, secari. Sed nos docuit usus,' &c. Porrum sectivum est, quod sæpius secatur, demetiturque in usum culinæ. 'Sectile porrum' Juvenalis appellat: Martialis, 'tonsile:' 'sectum,' auctor Moreti. Rursum de hoc Martialis Epigr. XIII. 18. cujus lemma, 'Porri sectivi:' 'Fila Tarentini graviter redolentia porri Edisti quoties, oscula clausa dato.'

[d] *Si nutritur in capita*] Si vis porrum esse capitatum. Vide Notas et Emend. num. 14. Capitatum porrum, a radice quæ in caput extuberat, sibi nomen usurpavit.

[e] *Antiqui silice*] Ita Sotion, in Geopon. XII. 29. p. 351. *Ὁμοίως τὰ πράσα ἔσται μεγάλα, εἰ μεταφυτεύων αὐτὰ, ὄστρακον ἢ λίθον πλατὺν ὑποθήσεις, καὶ μὴ ποτίσεις. Similiter porri magni fient, si dum ipsos transfers, testam latumve lapidem supposueris, nec rigabis.* Columella quoque XI. 3. 'In eo autem quod magni capitis efficere voles, servandum sit, ut antequam translatum deponas, omnes radiculas amputes, et fibrarum summas partes intondeas. Tum testulæ vel conchæ, quasi sedes in singulis subjectæ seminibus adobruuntur, ut fiant capita latioris incrementi.'

[f] *Atque Ariciæ*] Martialis XIII. 19. cui titulus, 'Porri capitati:' 'Mittit præcipuos nemoralis Aricia porros, In niveo virides stipite cerne comas.'

[g] *Alterum . . . pallidioris folii*] Hoc est, dilutioris viriditatis. In Mss.

lam[h] equestris ordinis reum ex procuratione a Tiberio principe accersitum, in summa desperatione succo porri ad trium denariorum argenteorum pondus hausto, confestim expirasse sine cruciatu. Ampliorem modum negant noxium esse.

XXXIV. Allium[i] ad multa ruris[1] præcipue medicamenta prodesse creditur. Tenuissimis, et quæ separantur, in universum[2] velatur membranis: mox pluribus coagmentatur nucleis,[j] et his separatim vestitis. Asperi saporis: quo plures nuclei fuere, hoc est asperius. Tædium huic quoque halitu,[3] ut cepis: nullum tamen coctis. Generum differentia[k] in tempore:[4] præcox maturescit sexaginta diebus: tum[5] in magnitudine.[l] Ulpicum[m] quoque in hoc genere Græci appellavere allium Cyprium, alii antiscorodon, præcipue Africæ celebratum inter pulmentaria[n] ruris,

CAP. XXXIV. 1 Dalec. *rusticis.*—2 Cod. Dalec. *separantur, universum,* omissa præpositione.—3 Vet. Dalec. *halitus.*—4 Th. ap. Dalec. *tempore et*

NOTÆ

suavidioris. Forsan, *flavidioris*, qua de voce diximus XVIII. 34. ut viridiori herbaceo opponatur.

[h] *Fama est, Melam*] Si Mela is est, cujus Geographici nunc manibus omnium teruntur libri, ut simile quidem veri videtur, vana eorum conjectura intelligitur, vel ex hoc Plinii loco, qui Claudii principatu Melam vixisse asseverant.

[i] *Allium*] *De l'Ail.* Simeon Sethi de Alim. tit. *Σκόροδα*, ex Galeno, allium vocat *θηριακὴν τῶν ἀγροτῶν*, *theriacam rusticorum.*

[j] *Nucleis*] Cohærentes bulbi, in quos allii caput extumuit, qui seorsum consiti novam creant sobolem, et nuclei, et spicæ, Latinis auctoribus appellantur: sicut Græcis *γέλγεις* et *ἄγλιθες* grana dicuntur, quibus allii caput compactum est. Theophr. Hist. VII. 4. et Diosc. II. 182.

[k] *Generum differentia*] Quoniam aliud præcox, aliud serotinum, *πρώϊον, καὶ ὄψιμον.* Theophr. loc. cit.

[l] *Tum in magnitudine*] Differunt etiam magnitudine, et parvitate. Magnitudine siquidem præstat ceteris genus illud quod Cyprium vocant: *Καὶ μεγέθει, καὶ μικρότητι. Καὶ γὰρ τῷ μεγέθει γένος τι διαφέρον ἐστὶ, μάλιστα δὲ τὸ Κύπριον καλούμενον τοιοῦτον.* Theophr. loc. cit.

[m] *Ulpicum*] In eo est illud genere, quod ceteris mole capitis antecellit. Columella in Hortulo, p. 349. 'Alliaque infractis spicis et olentia late Ulpica.' Et XI. 3. pag. 394. 'Ulpicum, quod quidam allium Punicum vocant, Græci autem *ἀφροσκόροδον* appellant, longe majoris est incrementi quam allium . . . habet velut allium plures cohærentes spicas,' &c.

[n] *Inter pulmentaria*] In moretis utuntur, inquit Gaza illud Theophrasti vertens, *πρὸς τοὺς μυττωτοὺς*

grandius allio. Tritum[6] in oleo et aceto, mirum quantum increscat spuma.[o] Quidam ulpicum et allium in plano seri vetant, castellatimque grumulis[p] imponi,[7] distantibus inter se pedes ternos. Inter grana digiti interesse[8] debent: simul atque tria folia[q] eruperunt, sarriri. Grandescunt, quo sæpius sarriuntur. Maturescentium[r] caules depressi in terram obruuntur: ita cavetur ne in frondem luxurient. In frigidis[s] utilius vere seri, quam autumno. Cetero,[9] ut odore[t] careant, omnia hæc jubentur seri, cum Luna sub terra sit: colligi, cum in coitu. Sine his[u] Menander e

cultu.—5 Chiffl. *tamen.*—6 *Trito* Vet. Dalec.—7 Vet. Dalec. *imponi jubent.*—8 Cod. Dalec. *digiti quatuor interesse.*—9 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum

NOTÆ

χρῶνται. Recte: est enim id pulmentarium ruris moretum, cui allium immixtum intritumque est: inde ei *alliato* nomen. Meminit Plautus in Mostell. I. 1. 44. 'Tu tibi istos habeas, turtures, pisces, aves: Sine me alliato fungi fortunas meas.'

[o] *Increscat spuma*] Hinc ἀφροσκόροδον, ut arbitror, alii apud Columellam vocant.

[p] *Castellatimque grumulis*] Castellatim idem fere quod acervatim, σωρηδόν. Grumulos, sive cumulos spicarum allii seri jubet ita, ut cumuli multis in orbem constent granis: inter grana singula digiti unius intervallum sit: ternum pedum, inter cumulos singulos: qui cumuli sic dispositi castellorum speciem quandam referunt. Namque in limitibus Imperii ad finium custodiam adversus incursiones hostium castella statuebantur, aliquot inter se discreta passibus. Anonymus auctor, de rebus bellicis: 'Est præterea inter commoda Reip. utilis limitum cura, ambientium ubique latus imperii. Quorum tutelæ assidua melius castella prospicient: ita ut millenis interjecta passibus stabili muro et firmissimis turribus erigantur,' &c. Usus ea voce Livius, lib. XVII. ubi 'castellatim dispositos circa collem' milites ait. Aliter seri præcipit Columella loc. cit.

[q] *Simul atque tria folia*] Columella XI. 3. 'Cum ternas fibras emiserunt spicæ, sarriantur: nam quo sæpius id factum, majus semina capiunt incrementum.' Sic Palladius in Novembri, tit. 6.

[r] *Maturescentium*] Colum. loc. cit. 'Antequam caulem faciant, omnem viridem superficiem intorquere, et terram prosternere conveniet, quo vastiora capita fiant.'

[s] *In frigidis*] Vide Colum. loc. cit.

[t] *Cetero, ut odore*] Columella loc. cit. 'Sed quandocumque conseremus .... servabimus .... ut Luna infra terram sit: nam sic sata, et rursus sic recondita, existimantur neque acerrimi saporis existere, neque mandentium halitus inodorare.' Idem habet auctor Geopon. XII. 30. Ἄνοσμα δὲ ἔσται, &c. Palladius in Novembri, tit. 6.

[u] *Sine his*] Hoc est, citra hanc operam, sive hac præceptione neg-

Græcis auctor est, allium edentibus, si radicem betæ in pruna tostam superederint, odorem extingui. Sunt qui et allium ulpicum inter Compitalia [v] ac Saturnalia seri aptissime putent. Allium et semine [w] provenit, sed tarde. Primo enim [x] anno porri crassitudinem capite efficit: [10] sequenti dividitur, [y] tertio consummatur: pulchriusque [z] tale existimant quidam.[11] In semen exire non debet, sed intorqueri caulis satus gratia,[a] uti [12] caput validius fiat. Quod si diutius allium cepamque inveterare [13] libeat, aqua salsa tepida ungenda sunt.[14] Ita diuturniora fient, melioraque usui, sed in satu sterilia. Alii contenti sunt primo [15] super prunas suspendisse, abundeque ita profici arbitrantur ne germinent: quod facere allium cepamque extra terram quoque certum est, et cauliculo acto evanescere. Aliqui et allium palea optime servari [16] putant. Allium est et in arvis [b] sponte nascens, alum hoc vocant: quod adversus improbitatem alitum depascentium semina coctum, ne re-

edd. Hardnin. 1. 2. 3. et recentt. *Ceterum* Gronov. et vnlgg.—10 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *crassitudine caput efficitur* Gronov. et vulgg.—11 Cod. Dalec. *existimatur a quibusdam.*—12 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *satus gratia, ut* Chiffl. *sationis gratia, uti* Gronov. et vnlgg.—13 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *inveterari* Gronov. et al. vett.—14 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *tepida capita intingenda sunt* Gronov. et vulgg. *unguenda* etiam Chiffl. —15 Vet. Dalec. *fumo.*—16 Chiffl. *servare optime.*—17 Ita codd. Harduini et

NOTÆ

lecta, quam proxime attulimus, ut sint allia odoris expertia.

[v] *Compitalia*] In Kalendario rustico apud Gruter. p. 138. Compitalia, sexto Nonas Maii; Saturnalia, decimo sexto Kalendas Januarii assignantur.

[w] *Allium et semine*] Theophr. Hist. VII. 4.

[x] *Primo enim*] Theophr. loc. cit.

[y] *Sequenti dividitur*] Hoc est, discernitur in nucleos, γελγιοῦται.

[z] *Pulchriusque*] Cum nihil sit eo deterius, quidam tamen præstantius putant, quam si deponatur, sive plantetur: καὶ οὐδὲν χεῖρον· ἀλλ' ἔνιοί γε καὶ κάλλιόν φασι τοῦ πηκτοῦ.

[a] *Satus gratia*] Nucleis enim serere satius est, quam semine.

[b] *Allium est et in arvis*] Illud esse arbitrantur, quod agreste allium, et ὀφιοσκόροδον Galenus de Fac. Simp. Med. lib. VIII. p. 280. Diosc. II. 182. aliique vocant. Nos suspicamur esse sylvestre tenui folium Dodonæi, p. 672. quale visum a nobis in Horto Regio.

nasci possit, abjicitur: statimque quæ devoravere aves, stupentes manu capiuntur: et si paulum commovere,[c] sopitæ.[17] Est et sylvestre,[d] quod[18] ursinum vocant, odore molli, capite prætenui, foliis grandibus.

XXXV. (VII.) In horto satorum[e] celerrime nascuntur ocimum, blitum, napus,[1] eruca: tertio enim die erumpunt: anethum quarto, lactuca[2] quinto, raphanus sexto, cucumis et cucurbitæ septimo, prior cucumis: nasturtium ac sinapi quinto, beta æstate sexto, hyeme decimo: atriplex octavo, cepe XIX. aut vicesimo, gethyum decimo, aut duodecimo. Contumacius[f] coriandrum. Cunila quidem,[g] et origanum post XXX. diem. Omnium autem difficillime apium: quadragesimo enim die cum celerrime, quinquagesimo majore ex parte emergit.

Aliquid et seminum[h] ætas confert, quoniam recentiora maturius gignuntur, in porro, gethyo, cucumi,[3] cucurbita: ex vetere autem celerius proveniunt apium, beta, cardamum, cunila, origanum, coriandrum. Mirum in betæ semine: non enim totum[4] eodem anno gignit, sed aliquid sequente, aliquid tertio. Itaque ex copia seminis modice

Chiffl. cum edd. Harduin. et recentt. *commovere resopitæ* duo codd. Dalecampii; *commoravere, sopitæ* Gronov. et al. vett.—18 Chiffl. *et quod.* Mox, cod. Dalec. *odore miti;* unde Dalecampius conj. *odore simili.*

CAP. XXXV. 1 Th. in marg. Edd. Dalec. et Gronov. *ῥαφανίς.*—2 Chiffl. *lactucaque.* Mox, Th. *vel quarto.... quinto, sexto, vel septimo.*—3 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *cucumere* Gronov. et vulgg.—4

NOTÆ

[c] *Et si paulum commovere*] Si ita satum aves eæ vel paululum commoverint. Ita Mss. etsi fortasse rectius, *commorentur.*

[d] *Est et sylvestre*] Allium sylvestre latioris folii, sive Allium Ursinum Dodonæi, loc. cit. in prædicto etiam horto observatum a nobis.

[e] *In horto satorum*] Quæ hac sectione continentur, totidem fere verbis expressa e Theophrasti libro Hist. VII. 1. *Τάχιστα μὲν οὖν ὤκιμον*, κ. τ. λ. Causas singulorum idem investigat, de Causis IV. 3. p. 299.

[f] *Contumacius*] Difficilius, morosius. Causam cur ægre proveniat, aperit Theophr. de Causis IV. 3.

[g] *Cunila quidem*] Theophr. Hist. VII. 1. *Θύμβρα δὲ καὶ ὀρίγανος.*

[h] *Aliquid et seminum*] Theophr. loc. cit. Apii vetus semen celerius nasci, novellum serius, scribit etiam Pallad. lib. V. in Aprili, tit. 3. pag. 110.

nascitur. Quædam anno tantum suo[5] pariunt, quædam sæpius, sicut apium, porrum, gethyum. Hæc enim semel sata pluribus annis restibili fertilitate[i] proveniunt.

XXXVI. Semina plurimis[j] rotunda, aliquibus oblonga, paucis foliacea et lata, ut atriplici. Quibusdam angusta, et canaliculata, ut cumino. Differunt et colore, nigro candidoque: item duritia surculacea.[k] In folliculo[1 l] sunt, raphano, sinapi, rapo. Nudum[m] semen apii, coriandri, anethi, fœniculi, cumini. Cortice[n] obducta bliti, betæ, atriplicis, ocimi. At lactucis[o] in lanugine. Nihil ocimo[2 p] fœcundius: cum maledictis[q] ac probris serendum præcipiunt: ut lætius[r] proveniat, sato[3] pavitur terra. Et cuminum[s] qui serunt, precantur ne exeat. Quæ in cortice[t] sunt, difficillime inarescunt, maximeque ocimum et gith:

Codd. Dalec. et Chiffl. *tota.*—5 'In cod. *suo* deest. Lego, *tantum semel.*' Dalec.

CAP. XXXVI. 1 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. et recentt. *duritie, mollitie. In, &c.* Dalec. *item duritie. Surculacea in folliculo* Gronov. et vulgg.—2 Chiffl. *cumino.*—3 Cod. Dalec. *præcipiunt. Lætius prove-*

NOTÆ

[i] *Restibili fertilitate*] Assidua plurium annorum fertilitate. Διαμένει χρόνον πλείονα, καὶ οὐκ ἔστιν ἐπέτεια. Theophr.

[j] *Semina plurimis*] Hæc deinceps ex Theophr. Hist. VII. 2.

[k] *Item duritia surculacea*] Hoc est, lignosa, ut alibi monuimus. Theophr. Hist. VII. Τὰ μὲν μέλανα, τὰ δὲ λευκότερα· καὶ τὰ μὲν ξυλώδη. Sic enim legisse Plinium constat: etsi in libris vulgatis trajectione laborat hic locus.

[l] *In folliculo*] Quadruplex seminum genus distinguit: 1. quod in folliculis. 2. quod nudum. 3. quod obductum cortice. 4. quod lanugine continetur. Theophrasto, loc. cit. Ἐλλοβοσπέρματα, ἢ γυμνοσπέρματα, ἢ ἐμφλοιοσπέρματα, ἢ παπποσπέρματα. Ῥαφανὶς μὲν γὰρ, καὶ νάπυ, καὶ γογγυλὶς, ἐλλοβοσπέρματα, κ. τ. λ.

[m] *Nudum*] Theophr. loc. cit. γυμνοσπέρματα, quæ nec folliculo, nec vasculo continentur.

[n] *Cortice*] Theophr. loc. cit.

[o] *At lactucis*] Θριδακίνη δὲ, παπποσπέρματον. Theophr.

[p] *Nihil ocimo*] Vide Notas et Emend. num. 15.

[q] *Cum maledictis*] Et hoc de cumino Theophr. Hist. VII. 3. de ruta Palladius lib. IV. in Martio, tit. 9.

[r] *Ut lætius*] Columella XI. 3. 'Fere etiam his diebus ocima seruntur, quorum cum semen obrutum est diligenter, inculcatur pavicula vel cylindro: nam si terram suspensam relinquas, plerumque corrumpitur.' Idem et in Horto repetit.

[s] *Et cuminum*] Theophr. IX. 9.

[t] *Quæ in cortice*] Δυσξηραντότερα δὲ τὰ ἐμφλοιοσπέρματα, καὶ τούτων μάλιστα ὤκιμον. Theophr. Hist. VII. 3.

siccantur omnia,[4] ac sunt fœcunda.[u] Utique meliora[v] nascuntur acervatim sato semine, quam sparso. Ita certe porrum et allium serunt in laciniis[w] colligatum. Apium etiam[x] paxillo caverna facta, ac fimo ingesto.

Nascuntur autem[y] omnia aut semine, aut avulsione.[z] Quædam semine,[a] et surculo: ut ruta, origanum, ocimum: præcidunt enim[5] et hoc, cum pervenit ad palmum altitudinis. Quædam et radice[b] et semine, ut cepa, allium, bulbi, et si quorum[c] radicem anniferorum relinquunt. Eo-

niet. *Sato.*—4 Dalec. *et gith. Siccata omnia sunt,* e Theophr.—5 Dalec.

NOTÆ

[u] *Siccantur . . . . ac sunt fœcunda*] Hoc est, atque ita fiunt fœcunda. Theophr. Πάντα δὲ ξηρανθέντα πολυκαρπότερα γίγνονται· διὸ καὶ προαφαιροῦντες αὐτὰ ξηραίνουσιν.

[v] *Utique meliora*] Theophr. Εἰς τὸ ἀθρόον τιθέμενα . . . . οὕτω γὰρ τὸ τοῦ πράσου, καὶ τὸ τοῦ σελίνου τιθέασιν, ἀποδήσαντες εἰς ὀθόνιον.

[w] *In laciniis*] In linteolo. De apio, Columella XI. 3. 'Quod si quis velit apium lati folii facere, quantum seminis possunt tres digiti comprehendere, raro linteolo illiget, et ita in areolas dispositum releget.'

[x] *Apium etiam*] Cum apium transfertur, adigi paxillum tam alte præcipiunt, quam apium fieri magnum placet. Quin etiam et apii semen panniculo exceptum, stercore terraque pleno, in cavernam paxillo jam antea reclusam dimitti. Sic Theophr. Hist. VII. 3. Plinius supra XVII. 27. 'Palis laxato prius meatu:' et Columella IV. 16. 'Prius paxillo perforato solo.'

[y] *Nascuntur autem*] Ex Theophr. ista deinceps, Hist. VII. 2.

[z] *Avulsione*] Avulsionem fieri nunc intellige, cum vel ramus e matre avulsus cum parte radicis aliqua, in terram depangitur, quod in brassica fieri Theophrastus admonet, loc. cit. Φύεται δὲ πάντα τοῦ σπέρματος· ἔνια δὲ καὶ ἀπὸ παρασπάδος, καὶ κλωνὸς, καὶ ῥίζης· ἀπὸ μὲν παρασπάδος, ἡ ῥάφανος· δεῖ γάρ τι καὶ ῥιζῶδες προσλαβεῖν.

[a] *Quædam semine*] Theophr. loc. cit. Ἀπὸ δὲ τῶν βλαστῶν, πήγανον, ὀρίγανος, ὤκιμον. Ἀποφυτεύουσι γὰρ καὶ τοῦτο, ὅταν σπιθαμιαῖον ἢ μεῖζον γένηται, τεμόντες εἰς τὸ ἥμισυ. *Ramo seruntur, ruta, origanum, ocimum: transferunt enim et hoc, cum pervenit ad palmum, aut plus altitudinis, mediumque præcidunt.* Apud nos recusat ita provenire ocimum: novo quotannis semine nascitur: plantaque annua est: in Græcia, ubi Theophrastus hæc scripsit, diuturnior. Columella XI. 3. 'Mense autem Februario, vel planta, vel semine ruta,' &c.

[b] *Quædam et radice*] Theophr. loc. cit.

[c] *Et si quorum*] Hoc est, et quorum radices longiori temporis spatio durant, quanquam anno tantum caule constant. Sic enim Theophr. loc. cit. Φύεται δὲ καὶ εἴ τινων αἱ ῥίζαι διαμένουσιν ἐπὶ πλείονα χρόνον, ἐπετειοκαύλων ὄντων.

rum vero [d] quæ a radice nascuntur, radix diuturna et fruticosa est, ut bulbi, gethyi, scillæ. Fruticant [6] alia [e] et non capite,[f] ut apium et beta. Caule reciso fere quidem omnia regerminant, exceptis quæ [g] non scabrum caulem habent: et in usum [h] vero ocimum,[7] raphanus, lactuca. Hanc etiam [i] suaviorem putant a regerminatione. Raphanus utique [j] jucundior detractis foliis antequam decaulescat.[8] [k] Hoc et in rapis. Nam et eadem dereptis [9] foliis cooperta terra crescunt, durantque in æstate.

XXXVII. Singula genera [a] sunt ocimo, lapatho, blito, nasturtio, erucæ, atriplici, coriandro, anetho. Hæc enim ubique eadem sunt, neque aliud alio melius usquam. Ru-

etiam. Mox, Vet. Dalec. *ad palmi altitudinem.*—6 *Fructificant* Chiffl. Mox, Dalec. *et alia non capitata.*—7 Margo edd. Dalec. et Gronov. *sed ob usum evidentissima ocimum,* e Theophr.—8 Ibid. *caulis grandescat: πρὸ τοῦ διακαυλίσαι.*—9 Ita codd. Dalec. et Chiffl. *direptis* Gronov. Harduin. et recentt. Mox, *durantque in æstatem* Vet. Dalec.

NOTÆ

[d] *Eorum vero*] Theophr. loc. cit. Fruticosa porro radix vocatur, quæ sub terra crescit ita, ut ad novam sobolem decerpi quotannis ex ea portio aliqua possit, ut allii nuclei sive spieæ.

[e] *Fruticant alia*] Theophr. Παραβλαστάνει δ' ἔνια· καὶ τῶν μὴ κεφαλοῤῥιζων, χρονιωτέρων δὲ, οἷον σέλινον καὶ τεύτλιον.

[f] *Et non capite*] Non radice fruticant, quam capitatam non habent: sed coma, quæ secta regerminat.

[g] *Exceptis quæ*] Πλὴν τῶν λειοκαύλων. Scilla tamen, apium, lapathumque, quæ sunt lævi caule, deciso caule sæpe regerminant.

[h] *Et in usum*] Manifestum vero hæc maxime regerminare caule reciso, quæ in usum quotidianum veniunt: cujusmodi sunt ocimum, raphanus, lactuca. In brassica Theophrastus, non in raphano, exemplum posuit: Ἐμφανέστατα δὲ ὥσπερ καὶ εἰς χρείαν, ὤκιμον, θρίδαξ, ῥάφανος.

[i] *Hanc etiam*] Theophr. loc. cit. Καὶ τῆς μὲν θρίδακος ἡδίους φασὶ τοὺς παλιβλάστους εἶναι καυλούς. *Et lactucæ quidem regerminatos caules suaviores esse affirmant.*

[j] *Raphanus utique*] Ut Plinium critici reprehendant, de raphano accepisse ea fingunt, quæ de brassica Theophrastus prodidit, loc. cit. atque omnia fœde miscuisse. Verum tam sunt affinia quæ Theophrastus, et quæ Plinius refert, quam ovis est ovo similis. Quæ de raphano rapisque nunc astruuntur, sunt verissima, et ex alio fonte, quam ex Theophrasto, hausta.

[k] *Antequam decaulescat*] Sive caulescat. Nam idem est. Sic ἐκκαυλέω apud Græcos et *erumpere in caulem* sonat, et simul est contrariæ significationis: quoniam ἐκκαυλεῖν etiam dicuntur ea, quorum caules marcescunt.

[a] *Singula genera*] Hæc a Theophr. Hist. VII. 4.

tam [b] furtivam tantum provenire fertilius putant, sicut apes [c] furtivas pessime. Nascuntur etiam [1] non sata, mentastrum, nepeta, intubum, pulegium. Contra plura genera sunt eorum quæ diximus, dicemusque : et inprimis apio.[2]

(VIII.) Id enim quod sponte in humidis nascitur, helioselinum [d] vocatur, uno folio, nec hirsutum. Rursus in siccis hipposelinum,[e] pluribus foliis, simile helioselino. Tertium est oreoselinum,[f] cicutæ foliis, radice tenui, semine anethi,[3] minutiore tantum. Et sativi autem [g] differentiæ [4] in folio denso, crispo, aut rariore et læviore:[5] [h] item caule tenuiore aut crassiore. Et caulis aliorum [i] candidus est, aliorum purpureus, aliorum varius.

CAP. XXXVII. 1 *Nascuntur autem etiam* margo edd. Dalec. et Gronov.—2 Cod. Dalec. *de apio.*—3 Margo edd. Dalec. et Gronov. *cymini*, e Diosc.—4 Dod. Dalec. *Est autem sativi differentia.*—5 'Forte melius, *et latiore.* Theophrasto enim, Hist. Plant. VII. 4. est μανότερον καὶ πλατύτερον.' *Brotier.* *et latiore* conj. etiam Dalec. ex eodem Theophr.

NOTÆ

[b] *Rutam*] Pallad. in Martio, tit. 9. pag. 90. 'Hoc mense ruta seritur .... sed, ut asserunt, melius furtiva proveniet. Sub fici arboris umbra libentius acquiescit.'

[c] *Sicut apes*] Plinius XI. 15. de apibus, 'Et furem odere.'

[d] *Helioselinum*] Ἑλειοσέλινον, hoc est, Apium palustre, et Apium idem officinarum : Gallis, *Ache.* A Dodonæo pingitur, pag. 683. A paludibus nomen habet : Theophr. Hist. VII. 6. Τὸ μὲν γὰρ ἐλειοσέλινον, τὸ παρὰ τοὺς ὀχετοὺς, καὶ ἐν τοῖς ἕλεσι φυόμενον, μανόφυλλόν τε καὶ οὐ δασὺ γίνεται. *Paludapium enim, quod apud aquæductus, et in paludibus provenit, folio raro, nec hirsuto constat.* Ubi μονόφυλλον legisse perperam Plinius videtur. Rectius multo Palladius, in Aprili, tit. 3. Theophrastum accurate interpretatus, *heleoselinon molli folio, et caule tenero, quod nascitur in lacunis, et hipposelinon durius austeriusque* dixit.

[e] *Hipposelinum*] Theophr. loc. cit. Τὸ δ' ἱπποσέλινον, φύλλον μὲν ἐμφερὲς τῷ ἐλειοσελίνῳ· δασὺ δὲ καὶ μεγαλόκαυλον. Officinæ Petroselinum Macedonicum vocant. Galli, *l'Alexandre.* Depingitur a Dodonæo, p. 686. et a Lobelio in Observ. p. 406.

[f] *Oreoselinum*] Ὀρεοσέλινον, a locis montuosis, in quibus nascitur, nomen adeptum, Apium montanum : quod delineatur a Dodonæo, pag. 684. a Clusio Rarior. Plant. lib. VI. p. 195. Pliniana hæc oreoselini descriptio tota e Theophrasto est loc. cit. Anguillara, par. 7. pag. 123. existimat esse vulgare *Cerfoglio.*

[g] *Et sativi autem*] Apii videlicet hortensis, quod vulgo *Persil* dicimus, seu petroselinum. Iconem apud Dodonæum vide, pag. 682. Aliud crispum, latifolium aliud in horto Regio vidimus.

[h] *Et læviore*] Vide Notas et Emend. num. 16.

[i] *Et caulis aliorum*] Theophr. Hist. VII. 4. de generibus apii : Τούτων δὲ

XXXVIII. Lactucæ Græci[j] tria fecere genera: unum lati caulis, adeo ut ostiola[1 k] olitoria ex his factitari prodiderint. Folium his[l] paulo majus herbaceo, et angustissimum, ut alibi consumto incremento.[2] Alterum rotundi caulis: tertium sessile,[m] quod Laconicon vocant. Alii colore,[n] et tempore satus, genera discrevere. Esse enim nigras, quarum semen mense Januario seratur: albas, quarum Martio: rubentes, quarum Aprili. Et omnium[3] earum plantas post binos menses deferri. Diligentiores plura genera faciunt: purpureas, crispas, Cappadocas,[o] Græcas. Longioris has folii, caulisque lati: præterea longi et angusti, intubi similis.[4] Pessimum autem genus cum exprobratione amaritudinis appellavere picrida.[p] Est etiamnum alia

CAP. XXXVIII. 1 Cod. Dalec. *urceola*; Gronov. *hostiola*.—2 Vet. Dalec. *nutrimento*.—3 *At omnium* cod. Dalec. Mox, *menses differri* Gronov.—4 '*Long. has latique caulis, præterea folii longi, &c.* Vet. recte. *Longiora his folia*

NOTÆ

πάλιν τὰ μὲν λευκόκαυλα, τὰ δὲ πορφυρόκαυλα, ἢ ποικιλόκαυλα.

[j] *Lactucæ Græci*] Theophr. loc. cit. candidæ lactucæ, quæ dulcior tenериorque est, tria hæc esse genera admonet: *Γένη δὲ λευκῆς ἐστιν ἄλλα τρία· τό τε πλατύκαυλον, καὶ στρογγυλόκαυλον, καὶ τρίτον Λακωνικόν.* *Des Laitues.*

[k] *Adeo ut ostiola*] Theophr. loc. cit. *Τῶν δὲ πλατειῶν οὕτω τινὲς πλατύκαυλοι γίνονται, ὥστ' ἐνίους φασὶ καὶ θύραις χρῆσθαι κηπωρικαῖς.* *Inter latas lactucas quædam adeo laticaules fiunt, ut pro valvis hortorum his nonnulli utantur.*

[l] *Folium his*] His, inquit, candidis lati caulis lactucis folium oblongius est, quam herbaceis, seu viridioribus: idemque angustum, consumto alibi, nempe in caulem, nutrimento. Et hic multi falso Plinium coarguunt, quos refellere nec otium fert, nec ingenium.

[m] *Tertium sessile*] Sessilis lactuca dicitur, quæ in altum non assurgit, nec in caulem crescit: sed in latitudinem potius, et in plano se spargit. Græci *χαμαίζηλον* vocant. Sunt qui sessilem vocent, quam alii capitatam appellant, *Laitue pommée*: sed errore illi ducti haud sane levi. *Sessiles lactucas* Martialis quoque commendat, inter beati copias ruris, III. 47.

[n] *Alii colore*] Columellam notat, apud quem hæc multo uberius tractata, XI. 3. atque etiam in Hortulo lib. X. numeris elegantibus, pag. 351. 'Altera crebra viret, fusco nitet altera crine,' &c.

[o] *Cappadocas*] Viles Cappadocæ, Martiali V. 79. Columella, in Hortulo, pag. 351. 'Tertia, quæ spisso, sed puro, vertice pallet, Hæc sua Cappadocæ servat cognomina gentis.' Et XI. 3. pag. 396. 'Cappadocia, quæ pallido, et pexo, densoque folio viret,' &c.

[p] *Picrida*] Est enim *πικρίζειν* Græcis *amarescere*. Exodi cap. 12. *Φά-*

distinctio atræ, quæ meconis [q] vocatur, a copia lactis soporiferi, quanquam omnes somnum parere [r] creduntur.[5] Apud antiquos Italiæ hoc solum genus carum fuit, et ideo lactucæ [s] nomen adeptæ. Purpuream maximæ radicis,[6] Cæcilianam [t] vocant. Rotundam vero ac minima radice, latis foliis, astytida:[7] [u] quidamque eunuchion, quoniam hæc maxime refragetur Veneri.[v] Est quidem natura [w] omnibus refrigeratrix, et ideo æstate gratæ stomacho fastidium auferunt, cibique appetentiam faciunt. Divus certe Augustus lactuca conservatus in ægritudine [x] fertur prudentia [8] Musæ medici,[y] cum prioris Camelii [z] religio nimia eam negaret:[9] in tantum recepta commendatione, ut servari etiam[a]

caulesque lati, &c. similes Ms.' *Dalec.*—5 Cod. Dalec. *credantur.*—6 Chiffl. *maxime radicibus.* Mox, *Cæciliam* margo edd. Dalec. et Gronov.—7 Ita Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *astylida* edd. vett. et Gronov.—8 Cod. Dalec. *providentia.* Vid. Sueton. Aug. cap. 81.—9 Ita Harduin. 1.

NOTÆ

γονται τὰ κρέα τῇ νυκτὶ ταύτῃ ὀπτὰ πυρὶ, καὶ ἄζυμα ἐπὶ πικρίδων ἔδονται. Interpres: *Edent carnes hac nocte assas igni, et azymos panes, cum lactucis agrestibus.* Vide quæ diximus VIII. 41.

[q] *Quæ meconis*] Dicemus de ea XX. 26.

[r] *Somnum parere*] Diosc. II. 165. et 166. sativam, sylvestremque lactucam ὑπνωτικὴν esse pariter admonet. Galenus de Alim. Facult. II. 40. pag. 359. tomo VI. lactucam vespere commanducatam fuisse sibi adversus vigilias remedio singulari prodit.

[s] *Et ideo lactucæ*] Quod abundantia lactis exuberent, inquit Pallad. lib. II. in Januar. tit. 14. p. 44.

[t] *Cæcilianam*] 'Cæcilii de nomine dicta Metelli,' ut canit in Hortulo Columella, p. 351. ejus nimirum qui primo Punico bello Romæ Consulatum gessit, anno Urbis DIII.

[u] *Astytida*] Vide Notas et Emend. num. 17.

[v] *Veneri*] Genituræ profluvium cohibere, auctor est Galenus, loco mox citando. Vide et Marcellum c. 33. p. 228.

[w] *Est quidem natura*] Diosc. II. 165. Galenus de Facult. Simp. Medic. lib. VI. p. 178. et alii.

[x] *In ægritudine*] Idcirco lactuca Columellæ dicitur ea esse, 'Tristia quæ relevet longi fastidia morbi.' In Hortulo, pag. 351. Incidit in morbum eum Augustus, anno U. C. DCCXXXI. ipso undecimum, Calpurnio Pisone Coss. Vide Dion. lib. LIII. p. 517. et Sueton. in Aug. cap. 81.

[y] *Musæ Medici*] Fuit is Antonius Musa, cui idcirco statuam, ære collato, juxta signum Æsculapii plebs statuit, ut auctor est Tranquillus in Aug. c. 59. Extat hujus libellus, de herba Vetonica, cum notis Humelbergii. De eo rursum dicemus XXIX. 5.

[z] *Cum prioris Camelii*] Prioris Medici, quo usus ante Musam Augustus, fuisse id nomen videtur. Vide Notas et Emend. num. 18.

[a] *Ut servari etiam*] Muria condiri

in alienos menses eas oxymelite[1] repertum sit. Sanguinem quoque augere creduntur. Est etiamnum, quæ vocatur caprina[11] lactuca, de qua dicemus[b] inter medicas. Et ecce cum maxime cœpit irrepere sativis admodum probata, quæ Cilicia vocatur, folio Cappadociæ,[12] nisi crispum latiusque esset.

XXXIX. Neque ex eodem[1] genere possunt dici, neque ex alio, intubi,[c] hyemis patientiores, virusque præferentes, sed caule non minus grati. Seruntur verno plantæ eorum: ultimo vere transferuntur. Est et erraticum[d] intubum, quod in Ægypto cichorium vocant, de quo plura alias.[e] Inventum omnes thyrsos,[f] vel folia lactucarum, prorogare urceis conditos, ac recentes[2] in patinis coquere.

Seruntur lactucæ[g] anno toto lætis et riguis, stercoratis-

2. 3. et recentt. *Camilli religionum omni die manducarent* codd. Dalec. et Turneb. *Cameli religio nimia omni caret* Chiffl. 'In *Camelii* nomine latet certe nomen medici, quem ante Musam Augustus habuerat. At quodnam sit ejus nomen divinare non licet, cum in hoc loco valde corrupti sint Mss. codices. Ad ductum literarum, quæ supersunt in Mss. emendabat Illustr. Hermolaus Barbarus, *cum priores caverent, religione nunc omni caret.*' Brotier. Barbarum secuti Erasm. Dalec. Elz. Gronov. et al. ante Harduin. Vid. Nott. et Emend. n. 18.—10 Chiffl. *oxymelitum.*—11 Celsus, II. 12. *marina.*—12 Ita codd. Regg. Brot. Dalec. Chiffl. et Editio princeps. *Cappadocæ* Gronov. Dalec. Elz. al. vett. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.

CAP. XXXIX. 1 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Nec ex eodem* edd. vett. et Gronov. Mox, Chiffl. *possint dici.*—2

NOTÆ

solitas auctor est Diosc. loc. cit. De usu lactucæ in mensis veterum Martial. lib. I. 'Claudere quæ cœnas lactuca solebat avorum, Dic mihi cur nostras inchoët illa dapes?'

[b] *De qua dicemus*] Lib. XX. cap. 24.

[c] *Intubi*] Intybus sativa, sive Endivia vulgaris, a Dodonæo pingitur, p. 623. Cichorium hortense vulgus appellat. De hoc Columella XI. 3. 'Eadem est ratio etiam intybi, nisi quod hyemem magis sustinet: ideoque vel frigidis regionibus autumno seri potest.'

[d] *Est et erraticum*] Erratica dicuntur, quæ sua sponte nata, omni humano cultu carent, nullaque olitoris lege coërcita, libere vagantur et errant.

[e] *De quo plura alias*] Lib. XX. cap. 29. et XXI. 52.

[f] *Omnes thyrsos*] Caules, qui in virgulæ modum, seu teli rectitudinem consurgunt, thyrsi nomen sibi vindicant. Hos itaque urceis conditos in alienos quoque menses prorogabant, viridesque servabant: extractosque urceis quasi recentes percoquebant. Vide quæ de brassica dicenda sunt c. 41. ac de ferulæ semine c. 56.

[g] *Seruntur lactucæ*] Palladius lib.

que, binis mensibus inter semen, plantamque, et maturitatem. Legitimum tamen, a bruma semen jacere, plantam Favonio transferre: aut semen Favonio, plantam æquinoctio verno. Albæ maxime hyemem tolerant. Humore omnia hortensia gaudent, et stercore præcipue lactucæ, et magis intubi. Seri etiam[h] radices illitas[3] fimo interest, et repleri[i] ablaqueata[4] humo. Quidam et aliter amplitudinem augent: recisis, cum ad semipedem excreverint, fimoque suillo recenti illitis. Candorem vero[j] putant contingere iis duntaxat quæ sint seminis albi, si arena de littore a primo incremento congeratur in medias, atque increscentia folia contra ipsas religentur.

XL. Beta hortensiorum levissima est. Ejus quoque[k] a colore duo genera Græci faciunt, nigrum, et candidius, quod[1] præferunt, parcissimi seminis: appellantque Siculum, candoris sane discrimine præferentes et lactucam.[2] Nostri betæ genera faciunt, vernum et autumnale, a tem-

Chiffl. *et recentes.*—3 Cod. Dalec. *radice illita.*—4 'Vet. *ablaqueatas.* Lege, *et regeri ablaqueatis humum.*' Dalec.

CAP. XL. 1 Cod. Dalec. *nigram, et candidam, quam.*—2 Gronov. *lactucæ;* codd. Dalec. et Harduin. item edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *lactucam.*—

NOTÆ

II. in Januar. tit. 14. p. 43. 'Mense Januario lactuca serenda est, vel Decembri, ut planta ejus Februario transferatur: itemque Februario seritur, ut possit Aprili mense transferri. Sed certum est eum toto anno bene seri, si locus sit lætus, stercoratus, irriguus.'

[h] *Seri etiam*] Pallad. loc. cit. 'Antequam pangantur, radices ejus resecemus æqualiter, et liquido fimo linamus: vel quæ jam pactæ sunt, nudatæ lætamen accipiant.'

[i] *Et repleri*] Fimo videlicet, sive lætamine, ut Palladius vocat.

[j] *Candorem vero*] Pallad. loc. cit. 'Candidæ fieri putantur, si fluminis arena, vel littoris, frequenter spargatur in medias, et collectis ipsæ foliis alligentur.'

[k] *Ejus quoque*] Theophr. Hist. VII. 4. *Inter betas*, inquit, *candida sapore præstat nigra, et paucioris est seminis: hanc Siculam quidam appellarunt. Pari modo in genere lactucarum candida dulcior atque tenerior est.* Εὐχυλότερον δὲ καὶ τῶν τευτλίων τὸ λευκὸν τοῦ μέλανος, καὶ ὀλιγοσπερμότερον, ὃ καλοῦσί τινες Σικελικόν· ὡσαύτως δὲ καὶ τῆς θριδακίνης· ἡ γὰρ λευκὴ γλυκυτέρα καὶ ἁπαλωτέρα. Gallis, *de la Poirée, ou Bete:* carnosæ foliorum partes in cibis familiares, *des Cardes de poirée.* In officinis, vetere retento nomine, Beta alba Sicla nominatur.

poribus satus,[3] quanquam et Junio seritur. Transferuntur autem in planta hæ quoque,[4] et oblini fimo radices suas, locumque similiter madidum amant. Usus iis et cum lente ac faba, idemque qui oleris: et præcipuus,[5] ut lenitas excitetur acrimonia sinapis. Medici nocentiorem[6 l] quam olus[m] esse judicavere. Quamobrem appositas non memini: degustare etiam[7] religio est, ut validis potius in cibo sint. Gemina iis natura, et oleris, et capite ipso[n] exsilientis bulbi: species summa[o] in latitudine. Ea contingit,[p] ut in lactucis, cum cœperint colorem trahere,[8] imposito levi pondere. Neque alii hortensiorum latitudo major. In binos pedes aliquando se pandunt, multum et soli natura conferente. Hæ quidem[9] in Circeiensi agro amplissimæ proveniunt. Sunt qui betas[q] Punica malo florente optime seri existiment: transferri autem, cum quinque foliorum esse cœperint. Mira differentia,[r] si vera est, candidis solvi alvos modice,[10] nigris inhiberi. Et cum brassica corrum-

3 Ita codd. Harduini, Vet. Dalec. et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *sativis* Gronov. et vulgg.—4 Dalec. *harum plantæ quoque*.—5 Dalec. *sed præcipuus*.—6 'Ita quidem recentiores editiones. Et beta largius sumta nocet stomacho, teste Galeno. In Mss. Regg. Lang. Pintian. et Editione principe, *innocentiorem*.' Brotier. *innocentiorem* etiam codd. Dalec. et Chiffl. —7 Edd. vett. *appositas non nemini degustare etiam:* sic et Cod. Dalec. nisi quod *nemini non* habeat.—8 Vet. Dalec. *caulem trahere*.—9 Cod. Dalec. *confert eis. Et quidem*.—10 'Chiffl. *candidis alvo melici*. Lego, *candidis alvom (alvum) elici*.' Dalec.

NOTÆ

[l] *Medici nocentiorem*] Galenus quidem, de Alim. Facult. II. 43. tomo VI. p. 360. stomacho noxiam ait esse, si largius sumatur.

[m] *Quam olus*] Hoc est, brassicam. Tamen melioris succi esse betam, quam brassicam, ac magis alere, auctor est Diphilus Siphnius Medicus apud Athen. lib. IX. pag. 371. Δίφιλος δ' ὁ Σίφνιος τὸ τεύτλιόν φησιν εὐχυλότερον εἶναι τῆς κράμβης, καὶ θρεπτικώτερον. Et sane Pliniani codices Mss. hoc loco *innocentiorem* exhibent: sed *nocentiorem* legi sententia poscere videtur.

[n] *Et capite ipso*] Radicis capite in quo est aliqua similitudo bulbi.

[o] *Species summa*] In Priapeiis: 'Nec hortus educat latas meus betas.'

[p] *Ea contingit*] Imposito lapillo latiore, aut testa fictili: quo ponderculo cohibitam betam in latum se distendere, candoremque contrahere, Sotion asseverat, in Geopon. XII. 15.

[q] *Sunt qui betas*] Columella XI. 3. 'Beta florenti Punico malo semine obruitur, et simul atque quinque foliorum est, ut brassica, differtur æstate, si riguus est hortus: at si siccaneus, autumno, cum jam pluviæ incesserint, disponi debebit.'

patur in dolio vini sapor, odore betæ foliis demersis restitui.

XLI. Olus caulesque, quibus nunc principatus hortorum, apud Græcos in honore fuisse non reperio. Sed Cato [a] brassicæ miras canit laudes, quas in medendi loco reddemus. Genera ejus facit [b] tria: unam extentis foliis,[1] caule magno: alteram crispo folio, quam apianam [c] vocat:[2] tertiam minutis caulibus, lenem, teneram, minimeque probat. Brassica toto anno seritur, quoniam et toto secatur. Utilissime tamen ab æquinoctio autumni: transferturque, cum[3] quinque [d] foliorum est. Cyma [e] a prima sectione[4] præ-

CAP. XLI. 1 Chiffl. *latis foliis.*—2 Idem codex, *quam Appiacam vocant.* Mox *minimeque p.* codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *teneram, quam minime probat* Vet. Dalec. *teneram, minime probat* Gronov. et al. vett. —3 Ita Chiffl. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *autumni. Transfertur cum* Gronov. et al. vett.—4 'Ita bene codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier. Cymas a prima satione* Vet. Dalec. *Cymas a prima sectione* Gronov. et vulgg.

NOTÆ

[r] *Mira differentia*] Habet quiddam simile Diphilus Siphnius, loc. cit. cum ait, alvos candida beta magis solvi: nigra vehementius urinas cieri: *εὐκοιλιώτερον δὲ τὸ λευκὸν, τὸ δὲ μέλαν οὐρητικώτερον.* Sed aperte Diocles Carystius apud eundem Athen. lib. III. p. 120. hoc discrimen agnoscit: betam candidam egestionem irritare: nigram, cohibere: *τεῦτλον τὸ λευκὸν ἐκκρίσεις ποιεῖν· τὸ δὲ μέλαν καθεκτικὸν εἶναι ἐκκρίσεως.* Ita et Dioscorides II. 249.

[a] *Sed Cato*] Libro de Re Rust. cap. 156. et 157.

[b] *Genera ejus facit*] Cap. 156. pag. 83. 'Nunc uti cognoscas naturam earum: prima est lævis, quæ nominatur *λεία*, grandibus et latis foliis, caule magno: validam hæc habet naturam, et vim magnam habet. Altera est crispa, apiacon vocatur: hæc est natura et aspectu bona: ad curationem validior est quam quæ supra scripta est. Item est tertia, quæ lenis vocatur, (vet. cod. Meursii, et editio Aldi, *quæ κράμβη*,) minutis caulibus, tenera, (vet. cod. et Ald. *tenuioribus foliis*) et acerrima omnium est istarum, tenui succo vehementissima.'

[c] *Apianam*] Ita Reg. cod. At Colb. Th. et Chiffl. *Apiacam.* *Σελινοειδὴς* a Catone vocatur c. 157. ob similitudinem apii. Foliorum densitate et crispitudine hæc brassicæ cum apio similitudo constat. Est Dodonæi brassica selinoides, pag. 611. *Choux frisés.*

[d] *Transferturque, cum quinque*] Colum. XI. 3. pag. 395. 'Brassica cum VI. foliorum erit, transferri debet,' &c.

[e] *Cyma [cymas]* Cymæ quidam sunt scaporum delicatiores, ut Plinius ait, tenerioresque cauliculi. Namque ubi vernum tempus appetit, primo quoque foliorum pullulatu, præclusis ad-

stat proximo vere. Hic est quidam ipsorum caulium delicatior teneriorque cauliculus, Apicii[f] luxuriæ, et per eum Druso Cæsari fastiditus,[5] non sine castigatione Tiberii patris. Post cymam ex eadem brassica contingunt æstivi autumnalesque cauliculi, mox hyberni, iterumque cymæ, nullo æque genere multifero, donec sua fertilitate consumatur. Tertia circa[g] solstitium, ex qua si humidior locus est, æstate; si siccior, autumno plantatur. Humor fimusque si defuere, major saporis gratia est: si abundavere, lætior fertilitas. Fimum asininum maxime convenit.

Est hæc quoque res inter opera ganeæ: quapropter non pigebit verbosius persequi. Præcipuus fit caulis sapore ac magnitudine, primum omnium si in repastinato seras: dein si terram fugientes cauliculos seces,[6] a terraque attollentes se proceritate luxuriosa[7] exaggerando aliam[h] accumules, ita ne plus quam cacumen emineat. Tritianum hoc genus vocatur, bis computabili impendio, tædioque.

Cetera genera complura sunt. Cumanum[i] sessili folio,

item Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—5 Vet. Dalec. *et perinde D. C. blanditus.*—6 Vet. Dalec. *sequaris.*—7 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *proceritate luxuriosa attollentes se* Gro-

NOTÆ

hæc florum calycibus, quosdam quasi turiones olus subministrat, in quibus floris primum, mox seminis fœtus concluditur. Græci *κύημα*, quasi *partum*, dicunt, teste Galeno de Alim. Fac. II. 58. p. 365. et contracte *κῦμα*, ducta felici translatione a ventrem ferentibus fœminis ad brassicam, quæ ineunte vere turgens succo, et plurimum cymosa sobole gravida, cauliculos emititur. Cyma porro licet muliebri sexu frequentius soleat usurpari, nonnunquam genere neutro Græcorum imitatione legitur, ut apud Columellam, carmine quod hortorum cultui nuncupavit, lib. X. pag. 350. 'Frigoribus caules, et veri cymata mittit.' Tamen idem et *cymam* vocat XI. 3. pag. 395. et XII. 7. pag. 416.

[f] *Apicii*] De eo diximus VIII. 77. Est et alter Apicius, cujus libri extant, de opsoniis et condimentis, sive de arte coquinaria: cymas et coliculos condiendi modum is edocet III. 9. De his Martialis quoque V. 79. inter cœnæ fercula: 'Ponetur digitis tenendus unctis Nigra cauliculus virens patella, Algentem modo qui reliquit hortum.'

[g] *Tertia circa*] Nempe tertia cyma.

[h] *Exaggerando aliam*] Terram aggerando, ac circumfundendo.

[i] *Cumanum*] Brassicarum hæc genera, aliaque commemorat Columella lib. X. qui de cultu hortorum agit,

capite patulum. Aricinum[j] altitudine non excelsius, folio numerosius, quam tenuius. Hoc utilissimum existimatur,[8] quia sub omnibus pæne foliis fruticat cauliculis peculiaribus. Pompeianum[k] procerius, caule ab radice tenui, intra folia[9] crassescit. Rariora hæc angustioraque: sed teneritas in dote, si frigora[10] non tolerat: quibus etiam aluntur Brutiani,[l] prægrandes foliis, caule tenues, sapore acuti. Sabellico[m] usque in admirationem crispa sunt folia, quorum crassitudo caulem ipsum extenuat: sed dulcissimi perhibentur ex omnibus. Nuper subiere Lacuturres[n] ex convalle Aricina, ubi quondam fuit lacus, turrisque quæ remanet: capite prægrandes, folio innumeri: alii in orbem porrecti, alii in latitudinem torosi. Nec plus ullis capitis post Tritianum, cui pedale aliquando conspicitur, et cyma nullis serior. Cuicumque autem generi pruinæ[o] plurimum suavitatis conferunt: et nisi obliquo vulnere[p] defendatur medulla, plurimum nocent. Semini destinati non secantur.

nov. Dalec. Elz. et al. ante Harduin.—8 *Hoc inutilissimum existimatur* Vet. Dalec. Mox, in eodem, *quia super omnibus*.—9 Vet. Dalec. *inter folia*.—10

NOTÆ

p. 360. 'Quæ pariunt veteres cesposo littore Cumæ, Quæ dulcis Pompeia palus vicina salinis Herculeis, vitreoque Siler qui defluit amni: Quæ duri præbent cymosa stirpe Sabelli, Et Turni lacus, et pomosi Tiberis arva, Brutia quæ tellus, et mater Aricia porri.' Et nostra ætas non pauciora quoque observat, forma vel colore dispari. In horto Regio amplius vicena notata a nobis. Cumanam brassicam, sive rubram, a Dodonæo delineatam, p. 610. Galli vocant *Chou rouge*.

j *Aricinum*] Ab Aricino agro, de quo III. 9.

Pompeianum] A Pompeiis, Campaniæ oppido, de quo III. 9. uti ex Columella mox vidimus. Videtur hæc Dodonæo, p. 613. brassica cauliflora, *Choux fleurs*. Sed peregrina hæc Italiæ est: semenque optimum cauliflora Alepo Syriæ oppido asportatur, diligenterque coli vult, aut a propria laude degenerat.

l *Brutiani*] Frigoribus, inquit, Brutii agri caules aluntur.

m *Sabellico*] Huic generi a Sabellis nomen, qua de gente egimus III. 17. Crispa Dodonæi brassica, p. 611. Lobelio in Observ. p. 124. fimbriata: *Chou crespu*.

n *Lacuturres*] Et hoc genus Columellæ superius memoratum vidimus. Ruellius lib. II. p. 360. hos esse putat, quos vulgaris sermo noster *Choux cabus*, quasi capitulatos, appellat, quoniam in capitis formam extuberant.

o *Pruinæ*] *La gelée, gelée blanche*.

p *Obliquo vulnere*] Cum secantur.

Est etiam sua gratia nunquam [11] plantæ habitum excellentibus: halmyridia [q] vocant, quoniam nisi in maritimis non proveniunt, navigatione quoque longinqua viridibus asservatis. Statim desecti ita ne humum attingant, in cados olei quam proxime siccatos obturatosque conduntur, omni spiritu excluso. Sunt qui plantam [r] in transferendo alga subdita pediculo, nitrove trito, quod tribus digitis capiatur, celeriorem ad maturitatem fieri putent. Sunt qui semen [s] trifolii nitrumque simul tritum aspergant foliis. Nitrum in coquendo [t] etiam viriditatem custodit: aut Apiciana [12] coctura, oleo ac sale, priusquam coquantur, maceratis. Est inter herbas genus inserendi, præcisis germinibus caulis, et in medullam semine ex aliis addito.[13] Hoc et in cucumere sylvestri. Necnon olus quoque sylvestre est trium foliorum,[14] Divi Julii carminibus præcipue jocisque militaribus celebratum: alternis quippe versibus exprobravere lapsana [15] [u] se vixisse apud Dyrrachium, præmiorum parsimoniam cavillantes: est autem id cyma [16] sylvestris.

Dalec. *sed frigora*.—11 Vet. Dalec. *nonnunquam*.—12 Dalec. *ut in Apiciana*.—13 Cod. Dalec. *abdito*.—14 'Al. *triumphis*; vel, *triumphalibus*, quod magis probo.' *Dalec*.—15 Margo edd. Dalec. et Gronov. *lampsana*, e Diosc. Vid. Sueton. Julio, cap. 68.—16 Dalec. *id brassica*.

NOTÆ

[q] *Halmyridia*] Meminit Eudemus Atheniensis, in libro de oleribus, laudatus ab Athen. lib. IX. p. 369. brassicæ illius quam ἁλμυρίδα vocant. Brassica marina ea est, quam Lobelius delineat, describitque, in Adversariis, p. 92. Locis Angliæ maritimis nascitur: vidimus et in horto Regio. Italis *Soldanella*, teste Anguillara, par. 7. p. 113.

[r] *Sunt qui plantam*] Colum. XI. 3. p. 396. 'Brassica, cum sex foliorum erit, transferri debet, ita ut radix ejus liquido fimo prius illita, et involuta tribus algæ tæniolis pangatur: hæc enim res efficit, ut in coctura celerius madescat, et viridem colorem sine nitro conservet.' Refert id quoque Palladius ex Colum. lib. III. in Febr. tit. 24.

[s] *Sunt qui semen*] Ad celeriorem scilicet maturitatem promovendam.

[t] *Nitrum in coquendo*] Apicius III. 1. 'Omne olus smaragdinum fiet, si cum nitro coquatur.' Pallad. loc. cit. 'Celerius coquitur virore servato, si dum est trium vel quatuor foliorum, nitrum tritum cribello desuper spargas, ut speciem pruinæ candentis imitetur.' Sic totidem fere verbis auctor Geopon. XII. 17. Et Martialis XIII. 17. cui lemma, 'Coliculi:' 'Ne tibi pallentes moveant fastidia caules, Nitrata viridis brassica fiat aqua.'

XLII. **Omnium hortensiorum lautissima cura asparagis.[a] De origine eorum in sylvestribus curis abunde dictum,[1][b] et quomodo eos juberet Cato in arundinetis seri. Est et aliud genus incultius asparago, mitius corruda, passim etiam montibus nascens, refertis superioris Germaniæ campis, non inficeto[2] Tiberii Cæsaris dicto, herbam ibi quandam nasci simillimam asparago. Nam quod in Neside[c] Campaniæ insula sponte nascitur, longe optimum existimatur. Hortensium[d] seritur spongiis:[e] est enim plurimæ radicis, al-**

CAP. XLII. 1 Dalec. *arboribus dictum.*—2 Ita codd. Harduini, Dalec. et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *inscito* Vet. Dalec.

NOTÆ

[a] *Lapsana*] Diosc. II. 142. *Λαμψάνη* dicitur olus sylvestre, cujus folia caulesque in cibo coquuntur: *λάχανόν ἐστιν ἄγριον . . . οὗ τὰ φύλλα καὶ ὁ καυλὸς ἐσθίεται ἑφθά.*—' Dionys. Exig. in Vita S. Pacomii, c. 8. 'Lapsanas enim, id est, agrestia olera, et herbas alias præter oleum consueverant dare.'' *Ed. sec.* Porro præter id olus, quod trium foliorum fuisse Plinius ait, et cymam sylvestrem, aliud in cibis Cæsariani milites adhibuerunt: radicem nimirum edulem, pani conficiendo idoneam, cujusmodi lapsanæ radix non est tenuis et lignosa. Hanc radicem Cæsar ipse de bello Civili lib. III. 'charam' vocat: 'Est etiam genus radicis,' inquit, 'inventum ab iis qui fuerant cum Valerio, quod appellatur chara, quod admixtum lacte multum inopiam levabat. Id ad similitudinem panis efficiebant: ejus erat magna copia. Ex hoc effectos panes, cum in colloquiis Pompeiani famem nostram objectarent,' &c. Suetonius in Julio c. 68. 'Dyrrhachina munitione Pompeius, viso genere panis ex herba, quo sustinebantur, cum feris sibi rem esse dixit.' Diceret fortean 'ex radice' commodius: quanquam et eo verbo utitur Appian. Bell. Civil. lib. II. p. 465. idipsum narrans, *τὴν πόαν ἀρτοποιοῦν.* Ea nobis videtur esse pastinaca Gallica, quam Diosc. in Nothis, p. 454. ab aliis *κέρας*, a Romanis *καρόταμ* vocitari tradit: quo nomine etiamnum vulgo nota. Insigniter errant, qui hoc trium foliorum olus, de quo nunc agitur, aut cum armoracia confundunt, de qua c. 26. quæque fronde copiosa est, aut cum eo genere pastinacæ, quod pariter *πολύφυλλον.*

[a] *Asparagis*] Græci *ἀσπάραγον* et *ἀσφάραγον* dicunt. Nostri, *Asperge.* Apud Dodonæum iconem vide, pag. 691. asparagi hortensis.

[b] *Abunde dictum*] Lib. XVI. c. 67.

[c] *In Neside*] Meminit hujus insulæ Seneca Epist. 53. pag. 268. Cicero quoque Epist. ad Attic. XVI. 1. statim initio. Hodie *Nisita*, haud procul Puteolis. Vide Cluver. Ital. Antiq. p. 1167.

[d] *Hortensium*] Genus subintellige, quod alii hortense vocant.

[e] *Spongiis*] Radicibus. Palladius lib. IV. in Martio, tit. 9. p. 89. 'Hoc mense asparagos seremus, circa Apriles Kal. Sed expeditior ratio est, si asparagorum spongias ponas, quæ

tissimeque germinat. Viret thyrso primum emicante: qui caulem educens, tempore ipso[3] fastigatus in toros[f] striatur. Potest et semine seri.

Nihil diligentius comprehendit Cato,[g] novissimumque libri est, ut appareat repentinam ac novitiam viro curam fuisse. Locum subigi jubet humidum et crassum: semipedali[h] undique intervallo seri, ne calcetur. Præterea ad lineam[i] grana bina aut terna paxillo demitti:[4] videlicet semine tum tantum serebantur: id fieri secundum æquinoctium vernum. Stercore satiari, crebro purgari, caveri ne cum herbis evellatur asparagus. Primo anno stramento ab hyeme protegi: vere aperiri, sarriri, runcari: tertio[j] incendi verno. Quo maturius incensus est, hoc melius provenit. Itaque arundinetis maxime convenit, quæ festinant incendi.[k] Sarriri jubet idem, non antequam asparagus natus fuerit, ne in sarriendo radices vexentur. Ex eo velli asparagum ab radice: nam si defringatur,[5] stirpescere, et intermori. Velli, donec in semen eat. Id autem

infaceto Gronov.—3 In vet. cod. Dalecampii *ipso* non legitur. Mox, *fastigiatus* Gronov. et al. ante Harduin.—4 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. item Pintian. e Catone, cap. 140. *dimitti* Gronov. et vulgg.—5 Cod. Dalec.

NOTÆ

cito fructum ministrent. Hæc sic fient: Semina asparagi quanta tribus digitis comprehendere possis, post Idus Febr. pingui et stercorato solo in singulis fossis ponis, et leviter obruis. His coëuntibus, radix connexa nascetur, quæ appellatur Spongia,' &c. Implicatas radices, quæ quasi unitatem faciunt, sic illigatas, atque connexas, olitores spongias vocant, inquit Colum. XI. 3.

[f] *In toros*] Toros appellat, ut quidem videtur, spicam asparagi maxime cibis expetitam: hæc caro, hæc pulpa asparagi est.

[g] *Cato*] De Re Rust. c. 161. p. 90. ubi ea extant, quæ Plinius hoc loco refert, ad ea usque verba, 'Nec quicquam postea tentatum,' &c.

[h] *Semipedali*] Cato: 'Cum areas deformabis,' hoc est, delineabis, 'intervallum facito inter eas semipedem latum in omnes partes: deinde serito.'

[i] *Præterea ad lineam*] Cato loc. cit. 'Ad lineam palo grana bina aut terna demittito.' Sic etiam Pallad. loc. cit. et Didymus in Geopon. XII. 18. p. 340.

[j] *Tertio*] Cato: 'Post annum tertium quam severis, incendito vere primo.'

[k] *Quæ festinant incendi*] Plinius XVII. 47. 'Necnon ignis aliquid prodest, ut arundini: ambusta namque densior mitiorque surgit.'

maturescere ad ver,[1] incendique: ac rursus, cum apparuerit asparagus, sarriri ac stercorari. Ac post annos novem, cum jam vetus sit, digeri subacto solo stercoratoque. Tum spongiis[m] seri, singulorum pedum intervallo. Quin et ovillo fimo nominatim uti, quoniam aliud herbas creet.[6] Nec quicquam postea tentatum utilius apparuit, nisi quod circa Idus[n] Februarii defosso semine acervatim parvulis scrobibus serunt, plurimum[7] maceratum fimo. Dein nexis inter se radicibus spongias factas post æquinoctium autumni disponunt pedalibus intervallis, fertilitate in denos annos durante. Nullum gratius his solum quam Ravennatium[o] hortorum.

Indicavimus[p] et corrudam. Hunc enim intelligo[8] sylvestrem asparagum, quem Græci hormenum,[9][q] aut myacanthon[r] vocant, aliisve nominibus. Invenio[s] nasci et arietis cornibus tusis atque defossis.

defrangitur; Chiffl. *defrangatur.*—6 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *aliud herbasceret* Gronov. et al. ante Harduin.—7 Margo edd. Dalec. et Gronov. *defossum semen acervatim, par. scr. ser. plurimi.*—8 *Hanc intelligimus* Vet. Dalec.—9 Margo edd.

NOTÆ

[1] *Id autem . . . ad ver*] At Cato maturum id fieri ad autumnum dixit, ut quidem videtur, rectius, ita rerum natura exigente.

[m] *Tum spongiis*] Hoc est, radicibus, ut ante monuimus. Cato: 'Deinde fossulas facito, qua radices asparagi demittas: intervallum sit ne minus pedes singulos inter radices asparagi.'

[n] *Nisi quod circa Idus*] Columella, et Pallad. locis citatis.

[o] *Ravennatium*] Vel sylvestribus tamen asparagis cedere hos innuit Martialis in Xeniis XIII. 21. cui titulus, 'Asparagi:' 'Mollis in æquorea quæ crevit spina Ravenna, Non erit incultis gratior asparagis.' Sativus, inquit, asparagus, non erit sylvestri gratior. 'In totum spina est asparagus,' inquit Plinius XXI. 54.

[p] *Indicavimus*] Tum XVI. 67. tum etiam libri hujus cap. 19. Corruda porro sylvestris asparagus est, foliis acutis, qualis a Clusio depingitur Rarior. Plant. V. 60. p. 177. Hanc toto Castellæ Granatensique regno nasci prodit: nos hic in horto Regio vidimus. Sed et sativum asparagum a rusticis corrudam appellari, Columella est auctor, XI. 3.

[q] *Græci hormenum*] Apud Hesych. Ὅρμενος legitur. Ὅρμενος, inquit, ὄνομα κύριον, καὶ πόλις Θετταλίας . . . . οἱ δὲ τὸν ἄγριον ἀσπάραγον. Julius Pollux VI. 9. non sylvestrem, sed sativum asparagum ὅρμενον vocari scribit: nimirum ut corrudæ apud Latinos, sic apud Græcos ὁρμένου communis utrique generi appellatio fuit.

[r] *Myacanthon*] Quasi muris spinam. Diosc. II. 152. Ἀσπάραγος πε-

XLIII. Poterant videri dicta omnia quæ in pretio sunt, nisi restaret res maximi quæstus, non sine pudore dicenda. Certum est quippe carduos apud Carthaginem magnam, Cordubamque præcipue, sestertium sena millia[t] e parvis reddere areis: quoniam[1] portenta quoque terrarum in ganeam vertimus, etiam ea quæ refugiunt quadrupedes consciæ. Carduos ergo[u] duobus modis serunt: autumno planta, et semine ante Nonas Martias: plantæque ex eo disponuntur ante Idus Novembris, aut in locis frigidis circa Favonium. Stercorantur[v] etiam, si Diis placet, lætiusque proveniunt: condiunturque aceto melle diluto addita laseris radice, et cumini, ne quis dies sine carduo sit.

XLIV. Cetera in transcursu dici possunt. Ocimum[a]

Dalec. et Gronov. *horminum*, e cap. 23. libri sequentis. Gronov. et al. ante Harduin. *ormi.*

CAP. XLIII. 1 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *sestertia sena millia ut parcius, reddere; quoniam* Gronov. et vulgg. Pro *e parvis*, Vet. Dalec. habet *ex arvis*; Chiffl. *a parvis reddere eis.*

NOTÆ

τραῖος, ἣν μυάκανθαν καλοῦσι. Galenus de Facult. Simp. Med. lib. VI. p. 160. *Ἀσπάραγος πετραῖος ἢ μυακάνθινος.*

[s] *Invenio*] Nempe apud auctores haud sane satis idoneos, quorum fidem hac in parte Dioscorides elevat, loc. cit. quamvis suffragari iis videatur Didymus in Geopon. XII. 18. p. 340.

[t] *Sestertium sena millia*] Quæ monetæ nostræ Gallicæ efficiunt libras sexcentas.

[u] *Carduos ergo*] Eos intelligit, quorum e genere scolymus est, ut ex oratione Plinii liquet, XX. 99. ubi de carduorum medicinis agit, quorum nunc tempora satus explanat, inprimisque scolymi, *l'Artichaut*, quam Latini cinaram quoque appellarunt. Nam quæ de carduorum satu nunc afferuntur a Plinio, eadem ferme retulit Columella de cinara, XI. 3. 'Cinaræ sobolem,' inquit, 'melius per autumni æquinoctium disponemus: semen commodius circa Kalendas Martii seremus, ejusque plantam circa Kalendas Novembris deprimemus, et multo cinere stercorabimus: id enim genus stercoris huic oleri videtur aptissimum.' Est et cinara spinosa, qui Matthiolo in Diosc. lib. III. pag. 667. carduus aculeatus dicitur, *Cardon d'Espagne.*

[v] *Stercorantur*] Pallad. lib. IV. in Martio, tit. 9. p. 87. 'Terram stercoratam et solutam diligit carduus, quamvis in pingui possit melius provenire.'

[a] *Ocimum*] Basilicum Lobelio dictum, in Advers. p. 215. et Gallis quoque *Basilic.* A Matthiolo in Diosc. lib. II. p. 538. pingitur accurate, et ocimum medium nuncupatur.

Parilibus optime seri ferunt: quidam et autumno:[b] jubentque, cum hyeme seratur, aceto semen perfundi. Eruca quoque[c] et nasturtium vel æstate vel hyeme facillime nascuntur. Eruca præcipue frigorum contemtrix, diversæ est, quam lactuca, naturæ, concitatrix[d] Veneris: idcirco jungitur illi[e] fere in cibis, ut nimio frigori par fervor immixtus temperamentum æquet. Nasturtium[f] nomen accepit a narium tormento. Et inde vigoris significatio proverbio[1] [g] id vocabulum[2] usurpavit, veluti torporem excitantis. In Arabia miræ amplitudinis dicitur gigni.

XLV. Ruta quoque[h] seritur Favonio, et ab æquinoctio autumni:[1] odit hyemem,[i] et humorem, ac fimum. Apri-

CAP. XLIV. 1 Vet. Dalec. *significatione proverbium.*—2 Cornarius, *ejus esum.*
CAP. XLV. 1 Ita codd. Regg. Brot. et Editio princeps. *autumno* codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *autumni* habent etiam

NOTÆ

In horto Regio vidimus. Parilia Romæ celebrata XI. Kalend. Maias, diximus sup. lib. c. 66. Colum. XI. 3. seri ocimum circa Idus jubet.

[b] *Quidam et autumno*] Colum. XI. 3. Etiam Aprili cum seritur, ut cito nascatur, aqua calida perfundi Palladius jubet, in Aprili, tit. 3.

[c] *Eruca quoque*] Ita Pallad. lib. II. in Januar. tit. 14. pag. 44. Nostris, *Roquette.* A Matthiolo pingitur in Diosc. lib. II. pag. 530.

[d] *Concitatrix*] Sic Diosc. II. 170. Galenus de Alim. Facult. II. 53. pag. 364. Columella in Hortulo: 'Et quæ frugifero seritur vicina Priapo, Excitet ut Veneri tardos eruca maritos.' Marcellus Empir. cap. 33. pag. 228. 'Ad abundantiam seminis præparandam, erucam decoctam bibat, quoties quisque inopia seminis se laborare perspexerit: vel potius assidue incoctam manducet.' Idcirco 'salaces erucas' Naso vocat de Remed. Amor. prope finem.

[e] *Jungitur illi*] Lactucæ scilicet. Hoc ipsum fieri Galenus præcipit loc. cit.

[f] *Nasturtium*] 'Nasturtium nonne vides,' inquit apud Nonium Varro, 'ab eo dici quod nasum torqueat?' Et Auctor Moreti: 'Quæque trahunt acri vultus nasturtia morsu.' Porro nasturtii iconem apud Lobel. vide in Observ. pag. 107. Nostris *Cresson Alenois:* Narbonensibus, *Nasitort.*

[g] *Proverbio*] Adagium id est, ἔσθιε κάρδαμον, dictum olim in socordem, ignavum, hebetem. Vossium vide in Etymol. verbo Nasturtium. Auctor Geopon. XII. 27. Φασὶ δὲ τοὺς ἐσθίοντας κάρδαμον, ὀξυτέρους τὴν διάνοιαν γίνεσθαι. *Aiunt vescentes nasturtio mentis acumine subtiliores evadere.*

[h] *Ruta quoque*] Pingitur a Lobelio ruta hortensis, in Observ. pag. 506. Gallis, *de la Rue.* Et hanc autumno seri, differri mense Martio, præcipit Colum. lib. XI. cap. ult.

[i] *Odit hyemem*] Theophr. Histor. VII. 5. *Aquas et fimum,* inquit, *olera omnia diligunt, præter rutam:* Φίλυδρα δὲ πάντα τὰ ἄλλα λάχανα, καὶ φιλόκοπρα, πλὴν πηγάνου.

cis[j] gaudet et siccis, terra quam[2] maxime lateraria. Cinere vult[k] nutriri: hic et semini miscetur, ut careat erucis. Auctoritas etiam peculiaris apud antiquos ei fuit. Invenio mustum rutatum populo datum a Cornelio Cethego, in consulatu[l] collega Quinti Flaminini,[3] comitiis peractis. Amicitia[m] est ei et cum fico, in tantum, ut nusquam lætior proveniat, quam sub hac arbore. Seritur et surculo; melius in perforatam[n] fabam indito, quæ succo nutrit comprehendendo surculum. Seritur et a seipsa.[o] Namque incurvato cacumine alicujus rami, cum attigerit terram, statim radicatur. Eadem et ocimo[p] natura, nisi quod difficilius crescit. Sed durata runcatur non sine difficultate, pruritivis ulceribus,[4 q] ni munitis manibus id fiat, oleove defensis. Conduntur autem et ejus folia, servanturque fasciculis.

XLVI. Ab æquinoctio[r] verno seritur apium, semine paululum[s] in pila pulsato.[t] Crispius sic putant fieri, aut

Dalec. Elz. Gronov. et al. vett. ante Harduin.—2 Cod. Dalec. *terraque quam.* —3 *Quinti Flaminii* Brotier in Notis. *Quinti* etiam codd. Regg. Brot. 1. 2. Edd. ante Brotier, *Quintii.*—4 Cod. Dalec. uterque et Chiffl. *preritum ulceribus;* Gronov. et al. ante Harduin. *provenientibus hulceribus.*

NOTÆ

j *Apricis*] Palladius lib. IV. in Martio, tit. 9. p. 90. 'Prosequuntur etiam maledictis, et maxime in terra soluti lateris ponunt, quod prodesse certissimum est.' Columella XI. 3.

k *Cinere vult*] Pallad. loc. cit. 'Hoc mense ruta seritur, locis apricis, solius cineris inspersione contenta.'

l *In consulatu*] Anno Urbis CCCCXXI. Sed vitio facti Consules abdicarunt: ut in Fastis recte est annotatum.

m *Amicitia*] Pallad. loc. cit. 'Sub fici arboris umbra libentius acquiescit.' Adde et Arist. c. 20. problem. 18. p. 773. quærentem, 'Quam ob causam ruta insita in ficum, pulcherrima, plurimaque proveniat.'

n *Melius in perforatam*] Pallad. loc. cit. 'Nonnulli ramulos rutæ pertusæ fabæ inserunt, vel bulbo, atque ita obruunt, alieno vigore servandos.'

o *Seritur et a seipsa*] Nempe propagine, uti fere de rubis dictum est XVII. 21. Sic etiam Pallad. loc. cit.

p *Eadem et ocimo*] Ut propagine nimirum, æque atque ruta, seratur.

q *Pruritivis ulceribus*] Natis ulceribus ex prurigine. Vide Notas et Emend. num. 19.

r *Ab æquinoctio*] Pallad. lib. V. in Aprili, tit. 3. p. 110. et Colum. XI. 3.

s *In pila pulsato*] Hoc est, in vase concavo, sive mortario, pinsi prius necesse est. De pilæ vocis usu, eo

si satum calcetur cylindro pedibusve.[s] Proprium ei, quod colorem mutat. Honos ipsi[t] in Achaia, coronare victores sacri certaminis Nemeæ.

XLVII. Eodem tempore seritur menta planta:[a] vel si nondum germinat, spongia. Minus hæc[b] humido gaudet. Æstate viret, hyeme flavescit. Genus ejus sylvestre mentastrum[c] est. Et hoc propagatur, ut vitis, vel si inversi rami[d] serantur. Mentæ nomen[e] suavitas odoris apud Græcos mutavit, cum alioqui mintha vocaretur, unde nostri nomen declinaverant.[1] Grato mensas odore[2] percurrit in rusticis dapibus. Semel sata, diutina ætate durat. Congruit pulegio,[f] cujus natura in carnariis reflorescens

CAP. XLVI. 1 Cod. Dalec. *paulum*; Chiffl. *paulum in pilato*. Mox, margo edd. Dalec. et Gronov. pro *pulsato*, habet *pinsito*, e Columel.

CAP. XLVII. 1 'Ita codd. Regg. 1. 2. et Editio princeps.' *Brotier*. *declaraverunt* edd. vett. et Gronov. *declinaverunt* Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—2 'Ita bene cod. Reg. 2.' *Brotier*. Edd. ante Brotier, *Grato menta*

NOTÆ

intellectu, alibi egimus. Expressum hoc a Columella XI. 3. pag. 397. 'Si crispæ frondis apium fieri maluerit, semen ejus inditum pilæ, et saligneo palo pinsitum, exspoliatumque, in linteolis ligatum obruet. Potest etiam citra hanc operam fieri crispum qualitercumque satum, si cum est natum, incrementum ejus supervoluto cylindro coërceat.' Sic etiam Pallad. loc. cit. et Theophr. his prior, Hist. II. 5. et de Causis V. 6. p. 331.

[t] *Honos ipsi*] Juvenalis Sat. VIII. 226. 'Graiæque apium meruisse coronæ.' Idcirco Nemeæum apium Nicandro dicitur in Theriac. p. 47. Suidas, tom. II. p. 213. Νεμέας σέλινα. Vide Plutarch. Sympos. Quæst. V. 3. p. 676. quibus adde quæ diximus XV. 5.

[a] *Eodem ... planta*] Transferri mentam in planta ait æquinoctio verno: ac si nondum germinaverit, radice seu spongia, ut diximus. Pingitur a Dodonæo menta prima, pag. 95. *De la mente, du Baume.*

[b] *Minus hæc*] Vide Notas et Emend. num. 20.

[c] *Mentastrum*] Dioscoridi III. 42. ἡδύοσμον ἄγριον, *menta sylvestris*: officinis, alba menta. Iconem exhibet idem Dodonæus, p. 96. Græci καλαμίνθην vocant, inquit Apuleius, cap. 91. Gallis, *Mente sauvage*. In Nothis Diosc. p. 454. τὸ δὲ ἡδύοσμον ἄγριον, ὃ Ῥωμαῖοι μεντάστρουμ καλοῦσι.

[d] *Vel si inversi rami*] Colum. XI. 3. 'Mentæ si forte semina defecerunt, licet de novalibus sylvestre mentastrum colligere, atque ita inversis cacuminibus disponere: quæ res feritatem detrahit, atque edomitam reddit.'

[e] *Mentæ nomen*] Diosc. III. 41. Ἡδύοσμος, οἱ δὲ μίνθην. Et Galenus de Simp. Medic. Facult. lib. VI. p. 176. Ἡδύοσμον, ἔνιοι δὲ μίνθην εὐώδη προσαγορεύουσιν.

[f] *Congruit pulegio*] Nostri *Pouliot* vocant. Regium vulgatum *pouliot*

sæpius dicta est. Hæc quoque servantur simili genere, mentam dico, pulegiumque, et nepetam.[g]

Condimentorum tamen omnium fastidiis cuminum[h] amicissimum.[3] Nascitur in summa tellure vix hærens, et in sublime tendens. In putridis et calidis maxime locis, medio serendum vere. Alterum ejus genus sylvestre quod rusticum vocant, alii Thebaicum: si tritum ex aqua potetur, in dolore stomachi[i] prodest. In Carpetania[j] nostri orbis maxime laudatur: alioqui Æthiopico[k] Africoque palma est. Quidam huic Ægyptium præferunt.

XLVIII. Sed præcipue olusatrum[l] miræ naturæ est.

mensus.—3 'Codex uterque, *nepitam in condimento sumpta. In omnia* (lego, *ad omnia*) *quæ fastidio sunt, cuminum amicissimum.* Vet. *nepitam. Condimentariorum tamen omnium stomachi fastidiis;* al. Vet. *omniumque fastidiis.*' Dalec. *nepitam. Condimentorum, &c.* Gronov. et al. ante Harduin.

NOTÆ

royal, delineatur a Lobelio in Observat. p. 266. De pulegio porro in carnariis reflorescente diximus XVIII. 60.

[g] *Et nepetam*] Quæ sylvestre pulegium etiam appellatur, *Pouliot sauvage.* Vide Dodonæum, p. 98. Alia est nepeta vulgaris officinarum, quæ menta cataria, *l'herbe au chat.* Alii *nepitam* scribunt.

[h] *Cuminum*] Cuminum Latini juxta et Galli vocant: Hebræi ipsi כמן *cammon:* rura nostra, *comin.* Utrumque genus, sativum et sylvestre, quale nos vidimus, a Dodonæo pingitur p. 298.

[i] *In dolore stomachi*] Adversus tormina et inflationes, bibi tritum ex aqua: ex vino ad imbecillitatem stomachi, jubet Diosc. III. 69.

[j] *In Carpetania*] Diosc. loc. cit. in Carthagine Hispaniæ oppido. Toletum in Hispania est Carpetanorum caput.

[k] *Æthiopico*] Quod Hippocrates Regium vocat, quoniam illud palmare putat, inquit Diosc. III. 68. secundas defert Ægyptio.

[l] *Sed ... olusatrum*] Sive atrum olus, sic dictum a semine et radice atra. Colum. XI. 3. p. 398. 'Atrum olus, quod Græcorum quidam vocant *ἱπποσέλινον*, nonnulli *σμύρνιον*,' &c. Adde Apuleium lib. de Virtutibus Herb. c. 107. In Græcis vero Hesychius: *Σμύρνιον, τοῦ ἱπποσελίνου ὁ καρπὸς, καὶ αὐτὴ ἡ βοτάνη.* Schol. Nicandri, in Theriac. p. 39. *Τὸ Σμύρνειον ὅμοιόν ἐστι τῷ μεγάλῳ σελίνῳ· ὃ καὶ ἱπποσέλινον καλεῖται· σμυρνεῖον δὲ, ἐπειδὴ ἐμφερές ἐστι τῇ σμύρνῃ κατὰ τὴν ὀσμήν.* Et Galenus de Fac. Simp. Med. lib. VIII. p. 230. *Σμύρνιον, οἱ δὲ ἱπποσέλινον ὀνομάζουσιν ἄγριον.* Cave porro agi nunc existimes de hipposelino, de quo instituta oratio est c. 37. quanquam et illud smyrnium nuncupatum sit, teste Diosc. III. 78. De smyrnio vere ac proprie dicto nunc sermo est, cui etiam in Cilicia hipposelini tributa appellatio est, ut prodidit idem Diosc. cap. seq. Hipposelinum illud Theophrasti est, idemque smyrnion Dioscoridis, a

Hipposelinum Græci vocant, alii smyrnium.[1] E lacryma caulis sui nascitur. Seritur et radice. Succum ejus [m] colligunt,[2] myrrhæ saporem habere dicunt. Auctorque [n] est Theophrastus, myrrha sata natum. Hipposelinum veteres [o] præceperant in locis incultis, lapidosis, juxta maceriam seri: nunc et repastinato seritur, et a Favonio post æquinoctium autumnum.[3] Quippe cum capparis [4] [p] quoque seratur siccis maxime, area in defossum cavata,[5] ripisque undique circumstructis lapide: alias evagatur per agros, et cogit solum sterilescere. Floret æstate: viret [q] usque ad Vergiliarum occasum, sabulosis [r] familiarissi-

CAP. XLVIII. 1 Cod. Dalec. *zmyrnium.*—2 *Succum ejus qui colligunt* Gronov. et al. ante Harduin. Mox, *murrhæ*, et paulo post *murrha*, cod. Dalec. —3 'Ita codd. Regg. Lang. et Editio princeps.' *Brotier.* *autumni* Gronov. al. vett. Harduin. 1. 2. 3. et recentt.—4 Ita edd. vett. et Gronov. *cappari* ex codd. Harduinus, quem secuti sunt Miller. Bipont. et Franz.—5 'Ita codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier.* *area in defossu cavata* Gronov. al. vett.

NOTÆ

Matthiolo delineatum, p. 773. quale in Horto Regio visum a nobis. De eo rursum XXVII. 109.

[m] *Succum ejus*] Theophr. Hist. VII. 6. *Γίνεται δὲ καὶ τὸ δάκρυον ἐξ αὐτοῦ ὅμοιον τῇ μύῤῥᾳ· οἱ δέ φασιν ὅλως μύῤῥαν. Lacryma ex eo fluit myrrhæ assimilis: quidam omnino myrrham id esse asseverant.* E radice potius quam e caule succum manare scimus.

[n] *Auctorque*] Verba hæc sunt Græci scriptoris, Hist. IX. 1. *Καί τινες ἀκούσαντες ὡς ἐντεῦθεν ἡ σμύρνη, ἡγοῦνται βλαστάνειν ἐξ αὐτῆς ἱπποσέλινον· φυτεύεται γὰρ καὶ ἀπὸ δακρύου τὸ ἱπποσέλινον. Cum ex hipposelino myrrham nasci quidam audivissent, hipposelinum ex myrrha provenire etiam putarunt, quæ lacryma hipposelini est. Seritur et hipposelinum sua lacryma.*

[o] *Hipposelinum veteres*] Columella loc. cit. de hipposelino, quod et olusatrum, et smyrnium pariter appellat: 'Pastinato,' inquit, 'loco semine debet conseri, maxime juxta maceriem: quoniam et umbra gaudet, et qualicumque convalescit loco.'

[p] *Quippe cum capparis* [*cappari*] 'Cappari' neutro genere dicitur, et 'capparis' fœminino. Colum. XI. 3. 'Capparis .... si serenda fuerit, siccum locum desiderabit: isque debebit ante circumdari fossula, quæ repleatur lapidibus, et calce, vel Punico luto, ut sit quasi quædam lorica, ne possint eam perrumpere prædicti seminis frutices: qui fere per totum agrum vagantur, nisi munimento aliquo prohibiti sint .... Et noxium virus habent, succoque suo sterile solum reddunt.' Capparis in Gallia, *un Caprier*, vel, ut aliis visum est efferre, *un Capier*. Capparis retuso folio apud Lobel. in Observ. p. 359. Monspelii in hortis pulchre et copiose fruticat.

[q] *Floret.... viret*] Hæc a Theophr. Hist. VI. 5.

[r] *Sabulosis*] Theophr. loc. cit. *Χαί-*

mum.[6] Vitia ejus,[s] quod trans[7] maria nascitur, diximus inter peregrinos frutices.

XLIX. Peregrinum et Careum,[t] gentis sui[1] nomine appellatum, culinis principale. In quacumque terra seri vult, ratione eadem, qua olusatrum. Laudatissimum tamen in Caria, proximum Phrygia.

L. Ligusticum[a] sylvestre est in Liguriæ suæ montibus: seritur ubique: suavius sativum, sed sine viribus. Panacem[b] aliqui vocant. Cratevas[c] apud Græcos cunilam bubulam eo nomine appellat: ceteri fere conyzam, id est, cunilaginem:[1] thymbram vero, quæ sit cunila. Hæc apud nos habet vocabulum et aliud, satureia dicta[d] in condi-

Harduin. Miller. Bipont. et Franz.—6 Dalec. *familiarissima*. Vid. XIII. 44.—7 Dalec. *quæ trans*.

CAP. XLIX. 1 Ita edd. vett. Gronov. Harduin. 1. et Bipont. *gentis suæ* Harduin. 2. 3. Miller. et Franz. et sic Vet. Dalec.

CAP. L. 1 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. 'Vet. *cunizam idem cunilaginem*, &c. Lego, *conyzam, cunilaginem. Iidem vero thymbram, quæ sit*.' Dalec. Gronov. et al. vett. *conyzoides, cunila-*

NOTÆ

ρει δὲ ὑφάμμοις καὶ λεπτογείοις χωρίοις.

[s] *Vitia ejus*] Dicta hæc XIII. 44.

[t] *Careum*] Apicio quoque VII. 2. *Careum*. Dioscoridi III. 66. *Κάρος*. Pingitur a Dodonæo, p. 297. In Officinis *Carvi* nominari: apud Germanos Bohemosque, non in Caria modo, unde origo nominis, frequens nasci prodit.

[a] *Ligusticum*] Diosc. III. 58. *Λιγυστικὸν φύεται μὲν πλεῖστον ἐν Λιγυρίᾳ, ὅθεν καὶ τὴν προσωνυμίαν ἔσχηκεν. Πάνακες δὲ αὐτὸ καλοῦσιν οἱ ἐπιχώριοι, κ. τ. λ.* Eadem habet Oribas. lib. XI. fol. 204. Siler montanum Dodonæi est, a quo accurate delineatur, quale in Horto Regio vidimus, p. 308. Gallis, *Sermontaine*. Officinis nonnullis, *Seseli*, sed falso.

[b] *Panacem*] Quoniam panaci Heracleotico et viribus simile est, et radice atque caule, inquit Diosc. loc. cit.

[c] *Cratevas*] Græcorum inconstantiam in assignandis plantarum nominibus obiter indicat, non usquequaque approbat. Et falso quidem cunilæ bubulæ nomen esse Ligustico inditum, diserte admonet, XX. 60.

[d] *Satureia dicta*] Thymbra igitur gemina: et utraque affinis alteri: altera Græcorum, Latinorum altera, quæ et satureia, thymbræ quidem æmula, et cunila appellata: sed discrepans tamen a thymbra. Colum. IX. 4. p. 320. 'Thymbræ, vel nostratis cunilæ, quam satureiam rustici vocant.' Et in Hortulo: 'Et satureia thymi referens, thymbræque saporem.' Scribonius Largus Compos. 124. 'Cunila, quam satureiam quidam vocant.' Satureiam seu cunilam Galli nunc *Sarriette* nominant. Pingitur a Dodonæo, p. 288. Thymbra, p. 287. Utramque Regio in horto vidimus. Thymbra in Græcia frequens, maximeque in Chio, teste Anguillara,

mentario genere. Seritur mense Februario, origano æmula.[2] Nusquam utrumque additur, quippe similis effectus. Sed cunilæ Ægyptium origanum tantum præfertur.

LI. Peregrinum fuit et lepidium.[e] Seritur a Favonio: dein cum fruticavit, juxta terram[f] præciditur: tunc runcatur, stercoraturque: per biennium hoc. Postea iisdem fruticibus utuntur, si non sævitia hyemis ingravat, quando impatientissimum est frigorum. Exit et in cubitalem altitudinem, foliis laurinis, sed mollibus: ususque ejus[1] non sine lacte.

LII. Gith pistrinis,[g] anisum et anethum culinis et medicis nascuntur. Sacopenium[h] et ipsum in hortis quidem, sed medicinæ tantum.

LIII. Sunt quædam comitantia aliorum satus, ut papaver. Namque cum brassica seritur, ac portulaca:[1] et eruca cum lactuca. Papaveris sativi tria genera: candidum,[i] cujus semen tostum in secunda mensa[j] cum melle apud antiquos dabatur.[2] Hoc et panis[k] rustici crustæ inspergitur,[3] affuso ovo inhærens, ubi inferiorem crustam apium[4] githque cereali sapore condiunt. Alterum genus[l]

ginem.—2 Margo edd. Dalec. et Gronov. *thymo æmula*, e Diosc.

CAP. LI. 1 Pintian. *usus ejus.*

CAP. LIII. 1 Vet. Dalec. *et portulaca.* Mox, *et eruca et cum lactuca* alii ap. Dalec.—2 Cod. Dalec. *edebatur.*—3 Dalec. *inspergunt.*—4 '*Ammi*, vel

NOTÆ

par. 12. p. 203.

[e] *Lepidium*] Gallis, *Passerage*. Iconem vide apud Dodonæum, p. 704. nos plantam ipsam in horto Regio vidimus.

[f] *Juxta terram*] Colum. XI. 3. 'Lepidium velut porrum sectivum demetere poteris, rarius tamen,' &c.

[g] *Gith pistrinis*] Gith Dioscoridi III. 93. μελάνθιον dicitur, cujus semen inspergi gratissime panibus condiendis monet: idcirco pistrinis nascitur. De eo rursum XX. 71. Sativum melanthium depictum vide apud Dodon. p. 301. Gallis, *de la Nielle:* etsi dubitat Anguillara, par. 12. p. 216.

[h] *Sacopenium*] De eo dicemus XX. 75.

[i] *Candidum*] *Pavot blanc*. Vide apud Dodon. p. 442.

[j] *In secunda mensa*] 'Cocetum,' inquit Festus, 'edulii genus ex melle et papavere factum.'

[k] *Hoc et panis*] Annon idcirco dictum est a Marone, 'Cereale papaver?'

[l] *Alterum genus*] *Pavot noir*, apud eundem Dodon. loc. cit.

est papaveris nigrum, cujus scapo inciso lacteus succus excipitur. Tertium genus[m] rhœam[5] vocant[n] Græci, id nostri erraticum. Sponte quidem, sed in arvis[o] cum hordeo[6] maxime nascitur, erucæ simile, cubitali altitudine, flore rufo et protinus deciduo: unde et nomen[p] a Græcis accepit. De reliquis[q] generibus papaveris sponte nascentis dicemus in medicinæ loco. Fuisse autem in honore apud Romanos semper, indicio est Tarquinius[r] Superbus, qui legatis a filio missis decutiendo papavera in horto altissima, sanguinarium illud responsum hac facti ambage reddidit.

LIV. Rursus alio comitatu æquinoctio autumni seruntur coriandrum, anethum, atriplex, malva, lapathum, cærefolium, quod pæderota[a] Græci vocant: et acerrimum sa-

anisum. Apium inspergi nusquam alibi legitur.' *Dalec.*—5 Dalec. *rhœada.*—6 Cod. Dalec. *sed maturius cum hordeo.*

NOTÆ

[m] *Tertium genus*] Quod libro sequente c. 77. inter sylvestria, sativaque, medium genus facit. Est illud erraticum Dodonæi, p. 444. Lobelii quoque, in Observ. p. 143. Apud Gallos *Coquelicot, ou pavot sauvage.*

[n] *Rhœam vocant*] Galenus de Fac. Simp. Med. l. VII. p. 207. Ῥοιὰς ὀνομάζεται. Et paulo post, ὀνομάζουσι ῥοιάδα. *Rhœada* sane rectius diceret: sed Latino ritu ac sono efferre maluit, quod et alias ei familiare est. Sic Q. Serenus caput 38. p. 150. 'de ischia' inscripsit, cum 'de ischiade' dici ars Græcorum postulet.

[o] *Sed in arvis*] In segetibus, ἐν ἀρούραις φύεται, inquit Diosc. IV. 64. a quo iisdem fere verbis describitur, uti et a Theophr. prius Hist. IX. 13.

[p] *Unde et nomen*] Ἀπὸ τοῦ ῥέειν, quod *fluere*, ac *decidere* sonat. Diosc. Μήκων ῥοιάς· ὠνόμασται δὲ διὰ τὸ ταχέως τὸ ἄνθος ἀποβάλλειν.

[q] *De reliquis*] Lib. XX. c. 76.

[r] *Tarquinius*] Simile Thrasybuli factum inaudierat, de quo Herod. l. V. p. 324. Vide Livium lib. I. p. 19. Flor. I. 7. p. 18. Frontin. Strateg. c. 1. et Valerium denique Max. VII. 4. 2. Dissidet a ceteris scriptoribus Naso, qui in liliis id factum ait, quod in papaveribus alii, Fast. II. 703. 'Hortus odoratis suberat cultissimus herbis, Sectus humum rivo lene sonantis aquæ. Illic Tarquinius mandata latentia nati Accipit, et virga lilia summa metit. Nuntius ut rediit, decussaque lilia dixit: Filius, Agnosco jussa parentis, ait. Nec mora, principibus cæsis ex urbe Gabina, Traduntur ducibus mœnia nuda suis.'

[a] *Quod pæderota*] Sic Apuleius c. 104. 'Græci pæderota vocant.... Latini cærefolium.' Columella in Hortulo: 'Jam breve chærephylum.' Et XI. 3. 'Chærephyllum, itemque olus atriplicis, circa Kalend. Octobr. obrui oportet non frigidissimo loco.... Papaver et anethum eadem habet conditionem sationis, quam chære-

pore,[b] ignei effectus,[c] ac saluberrimum corpori, sinapi,[d] nulla cultura, melius tamen planta[e] tralata. Quin e diverso vix est sato semel eo liberare locum, quoniam semen cadens protinus viret. Usus ejus etiam pro pulmentario in patellis decocto, citra intellectum acrimoniæ.[a] Coquuntur et folia,[1] [f] sicut reliquorum olerum. Sunt autem trium[g] generum: unum gracile; alterum simile rapi foliis, tertium erucæ. Semen optimum Ægyptium. Athenienses[h] napy appellaverunt, alii thapsi, alii saurion.

LV. Serpyllo[i] et sisymbrio montes plerique[1] scatent, sicut in Thracia: utique deferunt ex his[2] avulsos ramos, seruntque.[j] Item Sicyone[k] ex suis montibus, et Athenis

[a] *Sine ullo sensu acrimoniæ.*

CAP. LIV. 1 Margo edd. Dalec. *decocto. Citra int. acrim. coquuntur ejus folia.*

CAP. LV. 1 Theophr. in marg. Ed. Dalec. *plantaque.*—2 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *ubi aquæ deferunt ex iis* Gronov. et vulgg.

NOTÆ

phyllum, et atriplex.' Gallis, *Cerfeuil.* A Dodonæo delineatum, pag. 688. Aliud porro ab isto olere acanthi genus est, de quo dicturi sumus XXII. 34. quanquam et istud aliqui, ut Plinius admonet, pæderota similiter vocant.

[b] *Et acerrimum sapore*] Ad sinapi hæc pertinent, de quo statim fit mentio: quanquam ad cærefolium Plinius alter retulit, de Re Med. IV. 37. 'Cerifolio,' inquit, 'ignea vis, et acerrima est.' Falso.

[c] *Ignei effectus*] Impositum certe corpori pusulas, instar ignis, excitat: quod in quibusdam morbis expetitur: atque hæc curatio σιναπισμὸς dicitur, de qua Cælius Aurelianus, Celsusque ipse passim.

[d] *Sinapi*] *Moutarde.* Vide iconem apud Lobel. in Observ. p. 100. 'Sinapi sativum erucæ aut rapi folio.'

[e] *Melius tamen planta*] Pallad. lib. XI. in Octob. tit. XI. p. 150. 'De quo semen legere disponis, suo loco esse patieris: quod ad escam parabis, robustius facies transferendo.'

[f] *Coquuntur et folia*] Et cymæ de quibus Colum. XI. 3.

[g] *Sunt autem trium*] Hoc tergeminum sinapis genus, nec Dioscoridi, nec Theophrasto notum.

[h] *Athenienses*] Νάπυ Attici pro σίνηπι dixere, teste Athen. l. IX. De reliquis nominibus, vide Notas et Emend. num. 21.

[i] *Serpyllo*] Nostri *Serpolet* vocant. Pingitur a Matthiolo in l. III. Diosc. p. 724. Vide Notas et Emend. num. 22.

[j] *Seruntque*] Planta serunt. Pallad. in Martio: tit. 9. 'Nunc etiam serpyllum seritur plantis et semine.' Colum. XI. 3. 'Thymum, et transmarina cunila, et serpyllum... hæ tres et semine et plantis circa æquinoctium vernum seruntur.'

[k] *Item Sicyone*] Theophr. Hist. VI. 7.

ex Hymetto. Simili modo[l] et sisymbrium serunt. Lætissimum[m] nascitur in puteorum parietibus, et circa piscinas ac stagna.

LVI. (IX.) Reliqua sunt ferulacei generis ceu fœniculum,[n] anguibus (ut diximus)[o] gratissimum, ad condienda plurima, cum inaruit.[1] Eique perquam similis thapsia, de qua diximus[p] inter externos frutices. Deinde utilissima funibus cannabis[q] seritur a Favonio.[r] Quo densior est, eo tenuior.[2] [s] Semen ejus cum est maturum, ab æquinoctio autumni distringitur,[3] et Sole, aut vento, aut fumo[t] siccatur. Ipsa cannabis vellitur post vindemiam, ac lucubrationibus[u] decorticata purgatur. Optima Alabandica,[v] plagarum præcipue usibus. Tria ejus ibi genera. Improbatur[w] cortici proximum, aut medullæ: laudatissima[4] est et medio,

CAP. LVI. 1 Cod. Dalec. *inaruerit.*—2 Ita codd. Harduini, et Vet. Dalec. item edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *eo tenerior* cod. Reg. Brot. 1. edd. vett. et Gronov.—3 Chiffl. *destringitur.*—4 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *proxima, aut med. laudatissima* Vet. Dalec. Legitur et

NOTÆ

[l] *Simili modo*] Hoc est, etiam planta. Auctor Geopon. XII. 35. *Σισύμβριον* Theophr. I. 1. Dicemus de eo, XX. 91.

[m] *Lætissimum*] Theophr. Hist. VI. 7. *Εὐαυξέστατος δὲ εἰς φρέαρ.*

[n] *Fœniculum*] Græcis *μάραθρον*, *Fenouil*, vulgo notum. Pingitur a Dodon. p. 295.

[o] *Ut diximus*] Lib. VIII. 41.

[p] *De qua diximus*] Lib. XV. 43.

[q] *Cannabis*] *Chanvre.* Iconem vide apud Dalecamp. Hist. Plant. IV. 64. p. 467.

[r] *A Favonio*] Ultimo mense Februario seri Palladius præcipit, l. III. in Febr. tit. 5.

[s] *Quo densior est, eo tenuior*] Vide Notas et Emend. num. 23.

[t] *Aut vento, aut fumo*] Gratius, in Cyneget. 'Illa vel ad flatus Helices appande serenæ, Vel caligineo laxanda reponito fumo.'

[u] *Ac lucubrationibus*] Lucubratione vespertina, vel antelucana, ut dictum est, XVIII. 63. Est enim illud e nocturnis operibus, quæ vigilia constant, cum sint noctes tum tanto ampliores. 'Malus est autem paterfamilias,' ut dictum est XIX. 8. 'quisquis interdiu faceret, quod nocte posset, nisi in tempestate cœli.'

[v] *Alabandica*] Gratius in Cyneget. vs. 46. 'At pauper rigui custos Alabandicus horti Cannabias nutrit sylvas, quam commoda nostro Armamenta operi! gravis est tutela sed ipsis, Tu licet Æmonios includas retibus ursos.' Valide, inquit, prædam sibi concreditam tuebuntur plagæ ex cannabi Alabandica, ne qua perrumpat: ne Æmonii quidem ursi.

[w] *Improbatur*] Stupa vocatur id quod lini cannabisve cortici vel medullæ est proximum.

quæ mesa [x] vocatur: secunda Mylasea.[y] Quod ad proceritatem quidem attinet, Rosea [z] agri Sabini arborum altitudinem æquat. Ferulæ duo genera in peregrinis fruticibus diximus.[a] Semen [5] ejus [b] in Italia cibus est. Conditur quippe, duratque in urceis vel anni spatio. Duo ejus genera: [c] caules, et racemi. Corymbiam hanc vocant, corymbosque [d] quos condiunt.

LVII. (X.) Morbos hortensia quoque sentiunt, sicut reliqua terræ sata.[1] Namque et ocimum [e] senecta degenerat in serpyllum, et sisymbrium in mentam.[2] [f] Et ex semine [g] brassicæ veteris rapa fiunt, atque invicem. Et necatur [3] cuminum ab limodoro,[4] [h] nisi repurgetur. Est autem unicaule,

laudatissima in Chiffl. *laudatissimum* Gronov. et al. ante Harduin.—5 *Germen* margo edd. Dalec. et Gronov.

CAP. LVII. 1 Chiffl. *terra sata.*—2 'Theophrastus Hist. Plant. II. 5. *εἰς μίνθην.* Male Editio princeps, *in zminthам.* Aliæ, *in calaminthаm.*' Brotier. Dalec. Elz. Gronov. al. vett. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *in calaminthаm.*—3 *Enecatur* Vet. Dalec.—4 Ita Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *ab hæmodero* margo edd. Dalec. et Gronov. e Theophr. *ab imo*

NOTÆ

[x] *Quæ mesa*] Μέση Græcis *media* est.

[y] *Mylasea*] A Mylasis oppido Cariæ, de quo v. 29.

[z] *Rosea*] Id ei cannabi nomen a Roseæ campis, de quibus in agro Sabino dictum est III. 17. et XVII. 3.

[a] *Ferulæ . . . diximus*] Lib. XIII. 42.

[b] *Semen ejus*] Sic umbellam vocat, quæ semen complectitur, cum cauliculis.

[c] *Duo ejus genera*] Ejus nempe seminis, seu fructus, qui edulis est, duo sunt genera: alterum e caulibus petitum, alterum e racemis quos condiunt. De ferulæ conditura, Columellam vide XII. 7.

[d] *Corymbosque*] Corymbi proprie dicuntur hederarum uvæ, dependentibus acinis coactæ: transferuntur tamen ad multos herbarum fructus, quarum fastigia acini jucunda vetustate comant.

[e] *Namque et ocimum*] Pallad. lib. v. in Aprili, tit. 3. p. 110. 'Rem miram de ocimo Gargilius Martialis affirmat, quod modo purpureos, modo albos flores, modo roseos pariat: et si ex eo semine frequenter seratur, modo in serpyllum, modo in sisymbrium mutetur.' Hoc vero Plinius a Theophrast. hausit, de Causis v. 8. pag. 333.

[f] *In mentam* [*calaminthаm*] Quam superius mentastrum, et sylvestre mentæ genus vocavit, c. 47. In mentam mutari, *εἰς μίνθην*, dixit Theophr. Hist. II. 5. et Hist. VI. 7. et de Causis II. 8. Uterque recte.

[g] *Et ex semine*] Hæc totidem verbis Varro de Re Rust. I. 40. p. 65. et Palladius lib. III. in Februar. tit. 24. p. 68.

[h] *Ab limodoro*] Vide Notas et Emend. num. 24. Limodorum statim ab radice cumino adnasci, nec caule

radice bulbo simili, non nisi in solo gracili nascens. Alias[5] privatim[i] cumini morbus scabies. Et ocimum[j] sub Canis ortu pallescit. Omnia vero[k] accessu mulieris menstrualis flavescunt.[l] Bestiolarum quoque genera innascuntur. Napis culices,[m] raphano[6] erucæ, et vermiculi: item lactucis et oleri: utrisque hoc amplius, limaces et cochleæ. Porro vero privatim[n] animalia, quæ facillime stercore injecto capiuntur, condentia in id se. Ferroque[7] non expedire tangi rutam, cunilam, mentam, ocimum, auctor est Sabinus[8] Tiro in libro Cepuricon, quem Mæcenati dicavit.

LVIII. Idem contra formicas, non minimum hortorum exitium, si non sint rigui, remedium monstravit, limum marinum, aut cinerem,[o] obturandis earum foraminibus. Sed efficacissime heliotropio herba necantur. Quidam et aquam diluto latere crudo inimicam eis putant. Naporum medicina est, siliquas una seri:[p] sicut olerum cicer;[q] arcet enim[r] erucas. Quo si omisso jam natæ sint,[s] remedium

dorso Gronov. et al. vett.—5 *Alius* Vet. Dalec.—6 *Radiculis pulices, brassicæ* margo edd. Dalec. et Gronov. e Theophr.—7 Margo edd. Dalec. et Gronov. *lactucis, porris et aliis pluribus animalia, &c. in id se: et hoc amplius limaces seu cochleæ. Ferro,* e Theophr.—8 *Sabinius* Chiffl.

NOTÆ

esse absimili, prodit Theophr. Hist. VIII. 8. *οὐκ ἀπεμφερὲς τῷ καυλῷ, κ. τ. λ.*

[i] *Alias privatim*] Theophr. VIII. 10. *Ἔνια δὲ καὶ ψώραις καὶ ἅλμαις, καθάπερ τὸ κύμινον. Nonnulla etiam scabie atque salsugine pereunt ut cuminum.*

[j] *Et ocimum*] Theophr. Hist. VII. 5. *Ὑπὸ δὲ τὸ ἄστρον ὤκιμον λευκαίνεται.*

[k] *Omnia vero*] Vide quæ diximus VII. 13.

[l] *Flavescunt*] Ita Mss. recte, ut diximus XV. 36.

[m] *Napis culices*] Auctor Geopon. XII. 7. et Theophr. Hist. VII. 5.

[n] *Porro vero privatim*] Quæ in porro animalia nascuntur, *ἐν τῷ πράσῳ*, inde *πρασοκουρίδες* appellantur: hæc stercus avide appetunt, in illudque subeunt, et ibi quiescunt. Tunc venari ea facile est: alias capiendi nulla facultas datur. Theophr. Hist. VII. 5.

[o] *Aut cinerem*] Pallad. I. 35. pag. 28.

[p] *Siliquas una seri*] Præcipue ervinas. Theophr. loc. cit. Pallad. loc. cit. 'Ut olera animalia infesta non generent .... præstare fertur ervum aliquantulum satum, præcipue ubi radices et rapa nascuntur.' Eadem habet Anatolius in Geopon. XII. 7. pag. 319.

[q] *Sicut olerum cicer*] Pallad. loc. cit. 'Cicer inter olera, propter multa portenta, serendum est.'

[r] *Arcet enim*] Arcet erucas ab olere

est absinthii succus decocti inspersus: et sedi, quam[s] aizoum vocant: genus hoc herbæ diximus. Semen olerum si succo ejus madefactum seratur, olera nulli animalium obnoxia futura tradunt. In totum vero[t] nec erucas,[2] si palo imponantur in hortis ossa capitis ex equino genere, fœminæ duntaxat. Adversus erucas[u] et cancrum fluviatilem in medio horto suspensum auxiliari narrant. Sunt qui sanguineis[v] virgis tangant ea,[3] quæ nolunt his obnoxia esse. Infestant culices hortos riguos præcipue si sint arbusculæ aliquæ. Hi galbano[w] accenso fugantur.

(XI.) Nam quod ad permutationem[x] seminum attinet, quibusdam ex iis firmitas major est, ut coriandro, betæ, porro, nasturtio, sinapi, erucæ, cunilæ, et fere acribus. Infirmiora autem sunt atriplici,[4] ocimo, cucurbitæ, cucumi: et æstiva omnia hybernis magis durant: minime autem gethyum. Sed ex his quæ sunt fortissima, nullum ultra

CAP. LVIII. 1 Vet. Dalec. *jam enatæ sint.*—2 Dalec. *nec erucis*; Vet. Dalec. *necari.*—3 Ita Chiffl. item Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *tangunt ea* Dalec. Elz. al. vett. et Gronov. Mox, cod. Dalec. *nolint infestari. Infestant.*—4 Margo edd. Dalec. et Gronov. *sunt gethyo atriplici.*—5 *Cunilis*

NOTÆ

cicer. Has tamen ciceri ipsi innasci auctor est Ælianus Hist. Anim. IX. 39.

[s] *Et sedi, quam*] Subintellige, quam herbam. Id vero jam superius attigit, XVIII. 45. Vide quæ ibi diximus. Columella XI. 3. p. 405. 'Ubi apricis regionibus post pluvias noxias incesserunt animalia, quæ a nobis appellantur erucæ, Græce autem κάμπαι nominantur, vel manu colligi debent, vel matutinis temporibus frutices olerum concuti .... Id tamen supervacuum est facere, si ante sationem semina, uti jam prædixi, succo herbæ sedi macerata sunt: nihil enim sic medicatis nocent erucæ.'

[t] *In totum vero*] Pallad. I. 35. pag. 31. 'Omnia semina horti vel agri feruntur ab omnibus malis et monstris tuta servari, si ... equæ calvaria, sed non virginis, intra hortum ponatur, vel etiam asinæ: creduntur enim sua præsentia fœcundare quæ spectant.'

[u] *Adversus erucas*] Pallad. loc. cit. p. 28. 'Aliqui fluviales cancros pluribus locis intra hortum clavis figunt.'

[v] *Sunt qui sanguineis*] E sanguineo frutice, de quo XVI. 30.

[w] *Hi galbano*] Pallad. I. 35. p. 29.

[x] *Nam quod ad permutationem*] Adversus permutationem, ne mutentur, ne vetustate deteriora fiant. E Theophrasto petitum illud, Hist. VII. 6. Τῶν δὲ σπερμάτων τὰ μέν ἐστιν ἰσχυρότερα, τὰ δὲ ἀσθενέστερα πρὸς διαμονὴν, κ. τ. λ. Nam quæ reliqua hac sectione continentur, ea totidem verbis Græce habet.

quadrimatum utile est, duntaxat serendo. Culinis[5] [y] et ultra tempestiva sunt.

LIX. Peculiaris[a] medicina raphano, betæ, rutæ, cunilæ, in salsis aquis, quæ et alioqui[1] plurimum suavitati et fertilitati conferunt. Ceteris dulcium[b] aquarum rigua prosunt. Utilissimæ ex iis, quæ frigidissimæ, et quæ potu suavissimæ. Minus utiles e stagno,[c] et quas elices[2] [d] inducunt, quoniam herbarum semina invehunt. Præcipue tamen imbres alunt. Nam et bestiolæ[e] innascentes necantur.[3]

LX. (XII.) His horæ[f] rigandi, matutina[1] atque vespera, ne infervescat aqua Sole. Ocimo tantum[g] et meridiana: etiam satum celerrime erumpere putant, inter initia ferventi aqua aspersum. Omnia autem[h] translata meliora grandioraque fiunt, maxime porri, napique.[2] In translatione[i]

Gronov. et al. ante Harduin. ita quoque codd. manuscripti. *Culinis* emendavit Pintian. e Theophr. Hist. Plant. VII. 6. receperunt Harduin. Miller. Bipont. et Franz.

CAP. LIX. 1 Hæc, *et alioqui*, desunt in cod. Dalec.—2 Chiffl. *et quæ ilices.* —3 *Nam et bestiolas innascentes necant* Vet. Dalec.

CAP. LX. 1 Chiffl. *matutino.*—2 Margo edd. Dalec. et Gronov. *radiculæ*,

NOTÆ

y *Culinis*] Ad usum culinarum. Vide Notas et Emend. num. 25.

a *Peculiaris*] Theophr. de Causis II. 7. p. 240. 'In olerum genere,' inquit, 'humoribus salsis juvantur ῥάφανος, τεύτλιον, πήγανον, εὔζωμος, brassica, beta, ruta, eruca: hæc enim cum aquis salsis rigantur, longe meliora evadunt.'

b *Ceteris dulcium*] Reliqua deinceps e Theophr. accepta, Hist. VII. 5.

c *Minus utiles e stagno*] Verba hæc sunt Græci scriptoris, loc. cit. Χείριστα δὲ τὰ ἁλυκὰ, καὶ δυσμενῆ. Ubi legisse Plinius videtur, καὶ τῆς λίμνης, vel aliunde accepisse.

d *Et quas elices*] Elices sunt sulci aquarii, teste Columella II. 8. Theophrast. loc. cit. Διὸ καὶ ἐκ τῶν ὀχετῶν ἧττον εὔχρηστα· συμπεριφέρει γὰρ σπέρματα τῆς πόας.

e *Nam et bestiolæ*] Theophr. Ἀγαθὰ δὲ τὰ ἐκ Διός· ταῦτα γὰρ δοκεῖ καὶ φθείρειν τὰ θηρία γινόμενα, τὰ γόνιμα κατεσθίοντα.

f *His horæ*] Et hæc a Theophr. Hist. VII. 5.

g *Ocimo tantum*] Theophr. loc. cit. et Pallad. lib. V. in Aprili, tit. 3. pag. 110.

h *Omnia autem*] Theophr. loc. cit. qui pro napis, ῥαφανίδας habet, *raphanos.*

i *In translatione*] Theophr. loc. cit. ubi pro raphano, ῥάφανον in exemplum affert, hoc est, *brassicam:* quam Plinius vocabulo Græco expressit.

et medicina est, desinuntque sentire injurias, ut gethyum, porrum, raphani,[3] apium, lactucæ, rapæ,[4] cucumis. Omnia autem sylvestria[j] fere sunt et foliis minora, et caulibus, succo acriora:[5] sicut cunila, origanum, ruta. Solum vero[k] ex omnibus lapathum sylvestre melius: hoc in sativis rumex[l] vocatur, nasciturque fortissimum: traditur certe semel satum durare, nec vinci unquam a terra,[6] maxime juxta aquam. Usus ejus cum ptisana tantum in cibis leviorem gratioremque saporem præstat. Sylvestre[m] ad multa medicamina[7] utile est. Adeoque nihil omisit cura, ut carmine quoque comprehensum reperiam, in fabis[8] caprini[n] fimi singulis cavatis, si porri, erucæ, lactucæ, apii, intubi, nasturtii semina inclusa serantur, mire provenire. Quæ sunt sylvestria,[9][o] eadem in sativis sicciora intelliguntur, et acriora.

LXI. Namque et succorum saporumque dicenda differentia est, vel major in his quam pomis.[p] Sunt autem acres[q] cunilæ, origani, nasturtii, sinapis. Amari, absinthii, centaurei. Aquatiles,[r] cucumeris, cucurbitæ, lactucæ.

e Theophr.—3 Ibid. ex eodem, *raphanidas.*—4 Chiffl. *rapa.*—5 Vet. Dalec. *succoque acriora.*—6 Cod. Dalec. *nec unquam vitiari terra.*—7 Idem codex, *medicamenta.*—8 Vet. Dalec. *in globis.*—9 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. et recentt. *sunt et sylvestria* edd. vett. et Gronov. Mox, Vet. Dalec. *iisdem sativis sicciora i. et acutiora.*

NOTÆ

[j] *Omnia autem sylvestria*] Hæc deinceps e Theophr. Hist. VII. 6. ubi pro cunila *θύμβραν* adducit, de qua diximus c. 50.

[k] *Solum vero*] Lapathum sylvestre, inquit Theophr. loc. cit. sativo suavius est ad gustum : succo tamen acidiore est : *τὸν δὲ χυλὸν ὅμως ὀξύτερον ἔχει.*

[l] *Hoc in sativis rumex*] Cum in hortis seritur. Vide XX. 85.

[m] *Sylvestre*] Dicemus de eo libro seq. c. 85.

[n] *In fabis caprini*] In globulis fimi, fabæ magnitudine, si cujusque generis semina condantur.

[o] *Quæ sunt sylvestria*] Theophr. Hist. VII. 6. *Πάντα δὲ καὶ ξηρότερα τῶν ἡμέρων· καὶ ἴσως αὐτῷ τούτῳ πολλὰ καὶ δριμύτερα καὶ ἰσχυρότερα.*

[p] *Quam pomis*] Quot in pomis saporum sint genera, dictum est antea, XV. 32.

[q] *Sunt autem acres*] Theophr. Hist. I. 19. Οἱ δὲ *δριμεῖς, οἷον ὀριγάνου, θύμβρας, καρδάμου, νάπυος, οἱ δὲ πικροὶ, ἀψινθίου, κενταυρίου.*

[r] *Aquatiles*] Theophr. loc. cit. Ἄλλη *δὲ ὑδαρής· ... οἷον σικύου, κολοκύνθης, θριδακίνης.*

Acuti, thymi,[s] cunilæ.[1] Acuti et odorati,[t] apii, anethi, fœniculi. Salsus tantum e saporibus non nascitur, aliquando extra insidit pulveris modo, ut cicerculis tantum.[2 u]

LXII. Atque ut intelligatur vana, ceu plerumque, vitæ persuasio: panax piperis saporem reddit, et magis etiam siliquastrum, ob id piperitidis nomine accepto. Libanotis odorem thuris, smyrnium myrrhæ.[1 v] De panace[w] abunde dictum est. Libanotis[x] locis putribus[2] et macris ac roscidis seritur semine. Radicem habet[y] olusatri, nihil a thure differentem. Usus ejus post annum stomacho saluberrimus. Quidam eam nomine alio rosmarinum appellant. Et smyrnium[z] olus seritur iisdem locis, myrrhamque radice resipit. Eadem et siliquastro satio. Reliqua a ceteris et odore et sapore differunt, ut anethum. Tantaque

CAP. LXI. 1 Duo codd. Dalec. et Chiffl. *Acuti tantum cunile tumi;* unde Dalecampius legit *tani*, de quo XXI. 50. Sic et Turneb.—2 Ita Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *et cuniculis, &c.* Vet. Dalec. *et circulis tantum aquæ: ut intelligatur, &c.* Gronov. et al. vett.

CAP. LXII. 1 Ita Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *myrrha myrrhæ* Gronov. et al. vett. *myrris myrrhæ* margo edd. Dalec. et Gronov.—2

NOTÆ

[s] *Acuti, thymi*] Vide Notas et Emend. num. 26.

[t] *Acuti et odorati*] Theophr. loc. cit. *Αἱ δὲ καὶ εὐωδίαν, ὥσπερ αἱ τοῦ σελίνου, ἀνήθου, μαράθρου, καὶ τῶν τοιούτων.*

[u] *Ut cicerculis tantum*] Vide Notas et Emend. num. 27. Theophrasti *ἐρεβίνθους* Plinius *circerculas* ubique reddit.

[v] *Smyrnium myrrhæ*] Vide Notas et Emend. num. 28.

[w] *De panace*] Lib. XII. c. 58.

[x] *Libanotis*] Oribasii interpres lib. XI. fol. 204. 'Libanotis vero, quam rosmarinum Romani vocant, qua utuntur ii qui coronas nectunt.' Est seseli Æthiopicum herba Dodonæi, p. 310. non Rosmarinum hortense nostrum, quod vulgo *Romarin* appellamus. Libanotidem in horto Regio vidimus.

[y] *Radicem habet*] Foris nigricantem, intus candidam. Diosc. lib. III. c. 87. *Ῥίζα δὲ λευκὴ, εὐμεγέθης, ὄζουσα λιβάνου. Radix alba et prægrandis, thuris odorem habet.* Et paulo ante, genus libanotidis alterum agnoscit, quod radicem habeat, *ῥίζαν ἐκ μὲν τοῦ ἐκτὸς μέλαιναν· θλασθεῖσαν δὲ λευκήν.*

[z] *Et smyrnium*] Illud nimirum, de quo superius dictum est, c. 48. De eo rursum Plinius XXVII. 109. 'Radicis odor myrrhæ habet qualitatem: unde et nomen.' Galenus de Alim. Facult. II. 52. pag. 363. tom. VI. *τὸ σμύρνιον* ait Romæ maxima copia distrahi, et habere quiddám aromaticum, *καί τι καὶ ἀρωματῶδες ἔχει.*

est diversitas atque vis, ut non solum aliud[3] alio[a] mutetur, sed etiam in totum auferatur. Apio eximunt coqui opsoniis acetum:[*] eodem cellarii in saccis odorem vino gravem.

Et hactenus hortensia dicta sint, ciborum gratia duntaxat. Maximum quidem opus in iisdem naturæ restat, quoniam[b] proventust antum adhuc, summasque quasdam tractavimus. Vera autem cujusque natura non nisi medico effectu[4] pernosci potest, opus ingens occultum divinitatis, et quo nullum reperiri possit majus. Ne singulis id rebus contexeremus,[5] justa fecit ratio, cum ad alios medendi desideria pertinerent, longis utriusque dilationibus futuris, si miscuissemus. Nunc suis quæque partibus constabunt, poteruntque a volentibus jungi.

[*] *Apio admixto in opsoniis coqui mitigant aceti vim.*

Vet. Dalec. *putridis.*—3 'Ms. *alius*; subaudi 'sapor.'' *Dalec.*—4 Margo edd. Dalec. et Gronov. *effecto.*—5 Vet. Dalec. *herbis attexeremus.*

NOTÆ

[a] *Aliud alio*] Alius sapor alio vincitur.

[b] *Quoniam*] Quoniam uti quæque proveniant, explicuimus: ac de singulorum natura summatim atque generatim tractavimus.

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD LIBRUM XIX.

NATURALIS HISTORIÆ

C. PLINII SECUNDI.

1. Cap. i. *Sed fractum tusumque*] Ita rescripsimus ex cod. Reg. 2. cum prius legeretur, *sed passum tusumque*. Astipulatur ei lectioni Apuleius in libro de Remediis salutaribus, quem Salmasius quoque vidit, in Solin. pag. 261. Sic enim is Plinianum locum hunc totum compilavit: 'Parvo ergo semine nascitur, quod orbem terrarum ultro citro portat, tam gracili avena, tam non alte a tellure sublata: nec viribus suis nexum, sed fractum tusumque, et in mollitiem lanæ coactum.'

2. Cap. ii. *Et hi casses vel ferri aciem vincunt*] Prius legebatur, *et hæ cassesve ferri, &c.* Mss. *et etasceve*. Nos ex conjectura ita rescripsimus. In Mss. *ve* pro *vel* nobis haud semel occurrit, ut alibi rursum udmonituri sumus.

3. Cap. x. *CCCXC. annis ante nos*] Nempe anno Urbis conditæ ccccxl. ut dictum est xiii. 30. et xv. 1. Hæc vero Plinius commentabatur anno dcccxxx. ut ipsemet fatetur xiv. 5. Quare a Theophrasto ad Plinium intervallum fuit cccxc. annorum, non, ut libri hactenus editi exhibent, CCCCXC. addita perperam centenarii nota, quæ superfluit.

4. Cap. xii. *Et quod in Thracia iton, et quod in Græcia geranion*] Mutilus hic locus in libris hactenus editis fuit hoc modo, *et quod in Thracia ceraunium*. Nos refinximus feliciter, ut remur, ex libri hujus Indice, in quo diserte legitur, ex Mss. omnium fide, *Misy, iton, geranion*: nec paulo sane certius ex ipso Theophrasto, hæc tria tuberum genera iisdem fere verbis laudante, apud Athen. lib. ii. p. 62. *Λέγει δὲ περὶ αὐτῶν Θεόφραστος· Τὸ ὕδνον ὃ καλοῦσί τινες Γεράνειον, καὶ εἴτι ἄλλο ὑπόγειον. Καὶ πάλιν· Ἡ τῶν ἐγγεοτόκων τούτων γέννησις ἅμα καὶ φύσις, οἷον τοῦτε ὕδνου, καὶ τοῦ φυομένου περὶ Κυρήνην, ὃ καλοῦσι μίσυ. Δοκεῖ δ' ἡδὺ σφόδρα τοῦτ' εἶναι, καὶ τὴν ὀσμὴν ἔχειν κρεώδη. Καὶ τὸ ἐν τῇ Θρᾴκῃ δὲ γενόμενον ἶτον, κ. τ. λ.* *De tuberibus hæc Theophrastus. Tuber quod geranion quidam nuncupant, et si quid aliud sub terra generatur. Ac rursum: Eorum quæ sub terra pariuntur, ejusmodi natura est atque generatio, quemadmodum tuberis, et misy: sic enim vocant quod circa Cyrenen gignitur, et suavissimi gustus*

esse credunt, et odore carnis. Est et ejusmodi iton, quod in Thracia effodiunt, &c. Adde et Apuleium, qui cum librum suum de salutaribus herbarum remediis ex Plinio concinnarit, hunc locum integrum fere sic repræsentat: ut Salmasius etiam vidit, in Solin. p. 708. 'Simile est quod in Cyrenaica provincia vocant misy, præcipuum suavitate odoris ac saporis: et quod in Thracia iton, et quod in Græcia geranion.' Eustathius in Il. Λ. tuber geranium pariter vocari auctor est: *ἔστι γὰρ κατὰ τὸν μύκητα καὶ τὸ ὕδνον τὸ καὶ γεράνειον κατά τινας.*

5. Cap. xv. *Caule ferulaceo, aut simili crassitudine*] Ita Mss. omnes, Reg. Colb. Th. Chiffl. non, uti hactenus editi, *haud simili*. Favet Theophr. Hist. vi. 3. *Τὸν δὲ καυλὸν ἡλίκον νάρθηξ, σχεδόν τε καὶ τῷ πάχει παραπλήσιον.*

6. Ibid. *Folium ipsum vero deciduum*] Hactenus *vere* legebatur: unde arrepta statim a Criticis, quos Salmasius secutus est in libello, cui titulum fecit Præfationis ad Plinium, p. 104. occasio calumniandi, perverse omnino reddita esse a Plinio hæc Theophrasti verba, Hist. vi. 3. *ἅμα μὲν οὖν τῷ ἦρι τὸ μάσπετον ἀφίησι*, quibus ille non amitti vere, sed emitti tum potius folia significat: at suspicionem omnem erroris abstulit sincera lectio codicum Mss. Reg. 1. Colb. Chiffl. &c. in quibus *vero*, non *vere*, legitur. Quo porro tempore ea decidant, Plinius ipse post paulo declarat, 'Folia aurei coloris pro semine fuisse, cadentia a Canis ortu Austro flante.' Cui sententiæ Theophrastus ipse præivit, ut in prioribus Notis monuimus.

7. Ibid. *Rhizias, atque caulias, vilior illo ac putrescens*] Constans hæc est exemplarium omnium scriptura, Reg. Colb. Th. Chiffl. &c. qua succum cauliam appellatum viliorem esse, præstantiorem rhizian, haud obscure declaratur. Favet Theophrastus Hist. ix. 2. a quo hæc manarunt: Καλοῦσι δὲ τῶν ὀπῶν τούτων, τὴν μὲν καυλίαν, τὸν δὲ ῥιζίαν· καὶ ἔστι βελτίων ὁ ῥιζίας· καθαρὸς γὰρ καὶ διαφανὴς, καὶ ξηρότερος· ὁ δὲ καυλίας ὑγρότερος. Nequicquam refragante Apuleio, qui dum hunc locum transcriberet ex vitioso codice, in lib. de remediis herbarum *vilior ille* legisse in eo videtur.

8. Cap. xviii. *Caule ferulaceo, tenui, et ipso cibis indigenarum expetito, et unguentis, quicquid sit cum quo decoquatur*] Libri hactenus editi, *et tingenti*. Mss. omnes, Reg. Colb. Th. etiam quos Pintianus vidit, *unguenti*: quod ille approbat, ac veteri more dictum pro *ungenti* putat. Nos ex conjectura, et cibis caulem eum, et unguentis expetitum interpretamur, quicquid sit demum id cum quo decoquatur, seu rosa, seu lilium, aliudve simile quidpiam, unde unguenta constant: quæ planissima hujus loci sententia est.

9. Cap. xix. *Hortoque et foco tantum contra invidentium effascinationes dicari videmus in remedio Satyrica signa*] Sic totidem plane apicibus ac literis, teste Dalecampio, Chiffletianus codex: sic et alii probatissimi, quos habemus. Prius legebatur, *Hortosque et fores tantum contra invidentium effascinationes dicari videmus. In remedio Satyrica signa.* Salmasius, Exercit. in Solin. pag. 310. *Hortoque et foro* mavult: cetero a nobis facit. Hortos certe dicari, vel fores, nulla veterum monumenta indicant: dicari signa, tralatitium est: uti vel ex una hac inscriptione palam est, quam Gruterus affert, pag. 66. Libero. Avg. Signvm. Sileni. et. Satyri. Ut vero *horto et foco*, cum Mss. exemplaribus, quam *horto et foro*, ex Salmasii conjectura, quam nullis ille argumentis constabilit, libentius amplectamur, hæc faciunt. Primum, conditivorum exemplarium auctoritas, a quibus discedere religio est.

Deinde quod fabri quoque ante camina ipsi sua suspendere soliti erant signa ejuscemodi, resque turpiculas, arcendæ invidiæ causa: Græci *προβασκάνια*, *mutonia* Latini dixere, in vetere Glossario. Testis Julius Pollux VII. 24. pag. 351. Πρὸ δὲ τῶν καμίνων τοῖς χαλκεῦσιν ἔθος ἦν γελοῖά τινα καταρτᾷν, ἢ ἐπιπλάττειν, ἐπὶ φθόνου ἀποτροπῇ· ἐκαλεῖτο δὲ βασκάνια, κ. τ. λ. Ut ab interiorum ædium focis ad fabrorum officinas hæc consuetudo transisse videri possit. Denique quod fluxisse hic mos a nobis credatur, ab illo foci exemplo, quod a Plinio recitatur lib. XXXVI. extremo, his verbis: 'Non præteribo et unum foci exemplum, Romanis literis clarum. Tarquinio Prisco regnante tradunt repente in foco ejus comparuisse genitale e cinere masculini sexus: eamque quæ insederat ibi, Tanaquilis reginæ ancillam Ocrisiam captivam, consurrexisse gravidam. Ita Servium Tullum natum, qui regno successit. Inde et in regia cubanti puero caput arsisse visum, creditumque Laris familiaris filium. Ob id compitalia et ludos Laribus primum instituisse.' Hoc et alii scriptores referunt, quos ibi appellaturi sumus. Quid porro similius veri, quam ob id quoque foco deinceps dicata signa Satyrica fuisse, quæ ipsa esse τὰ αἰδοῖα in Notis prioribus animadvertimus?

10. CAP. XXVI. *Quando phthisin cordi intus inhærentem, &c.*] Phthisin certe, ut libri omnes editi habent, hoc est, tabem, congruere huic loco aptius, quam phthiriasin, hoc est, morbum pedicularem, nemo, opinor, inficias ierit. Tamen, ne quid dissimulem, in Mss. Reg. 1. *tiriasin*, in Reg. 2. *phthiriasin* diserte legimus. Quia Plinius alter Valerianus appellatus de Re Medica IV. 1. hunc Plinii nostri locum exscribens, legisse sic omnino videtur. Nam de raphani virtutibus disputans, 'Contra phthiriasin,' inquit, 'succus ejus adhibetur, qui solus potest tenuitate subtili ad imi corporis liniamenta cor penetrare. Ægyptii enim reges, quibus erat studium scrutari corpora mortuorum, et causas valetudinum occulta fide recognoscere, in corde ipso nasci ejusmodi vitium prodiderunt.' Quid si φθειριάσεως, seu pedicularis morbi, causas, quod Medicis omnibus adhuc latet, ex pravo cordis habitu repeti jubeat?

11. CAP. XXXI. *Sylvestri minor et humida*] Perperam in libris editis, *sylvestris minores tumidæ*, cum sequatur proxime, *effossa quoque diu vivit.* In Mss. Reg. &c. *minore tumida.* Firmat emendationem Theophrastus, a quo hæc profecta, Hist. VII. 2. Τὸ δὲ ἄγριον βραχυτέραν. Πολυχρονιώτερόν τε τοῦ ἀγρίου .... ἔχει δὲ σαρκώδη τὴν σάρκα, καὶ ἔνικμον· διὸ καὶ ἐξαιρεθεῖσα ζῇ πολὺν χρόνον.

12. Ibid. *Florent confertim serpyllum, abrotonum*] Prius legebatur, *florent cum fraxino.* Atqui florere fraxinum mature, et quidem priusquam serpentes prodeant, ipsemet admonuit XVI. 24. sero abrotonum, serpyllumque: abrotonum certe æstate, ut ait ipse XXI. 34. Ex Theophrasto, auctore certissimo, a quo hæc desumta constat, medicinam huic loco fecimus. Sic enim ille Hist. VII. 3. Ἀνθεῖ δὲ τῶν μὲν ἄλλων ἕκαστον ἀθρόον· τὸ δὲ κατὰ μέρος κάτω πρῶτον· εἶθ' ὅταν ταῦτα ἀπανθήσῃ, τὰ ἄνω· διὸ καὶ πολυχρόνιον ἐν τῷ ἀνθεῖν, καθάπερ κύαμος, καὶ τῆς πόας τὸ ἡλιοτρόπιον, κ. τ. λ. Ubi perspicuum est, tum a Græco scriptore, tum a Plinio, qui locum eum summa fide expressit, opponi ea inter se quæ confertim, et quæ particulatim, seu primum ab imo florescunt. Id enim Latinus auctor imitatus statim subjicit, 'Ocimum autem particulatim, et ab imo incipit.'

13. CAP. XXXII. *Est et colorum differentia. In Isso enim et Sardibus, &c.*] Prius legebatur, *Samo enim et Sardibus.* In Mss. Reg. Colb. Chiffl.

differentia amisso enim et Sardibus. Nostram egregie constabilit conjecturam Theophr. Hist. VII. 4. unde hæc accepta esse perspicuum est: Ἐν Ἴσσῳ γὰρ μὲν ἄλλα ὅμοια τοῖς λευκοῖς· λευκὰ δὲ σφόδρα τῇ χροιᾷ· φέρειν δέ φασιν ὅμοια τοῖς Σαρδιανοῖς.

14. CAP. XXXIII. *Si nutritur in capite*] Voculam *si*, quam libri hactenus editi omisere, magno totius sententiæ detrimento, ex Reg. cod. et Colb. supplevimus: et quod certius aliquanto est, ex Columella, quem Plinius nunc auctorem sequitur. Sic enim ille XI. 3. 'In eo autem porro, quod magni capitis efficere voles, servandum est, ut antequam translatum deponas, omnes radiculas amputes, et fibrarum summas partes intondeas. Tum testulæ, vel conchæ,' &c. Fibras pro foliis eo capite haud raro usurpat.

15. CAP. XXXVI. *Nihil ocimo fœcundius*] Ita libri omnes, etiam manu exarati: reponere frustra conante Pintiano, *Nihil cumino fœcundius.* Facit enim pro recepta lectione Theophr. Hist. VII. 3. Πολυκαρπότατον δὲ τὸ ὤκιμον.

16. CAP. XXXVII. *Aut rariore, et leviore*] Sic pertinaciter libri omnes habent. Verum, an *læviore* rectius? nam læve, nec hirsutum, heleoselini folium paulo ante commendat. An *latiore* sincerius? Nam Theophrastus, a quo hæc sumta plane constat, Hist. VII. 4. *Apii*, inquit, *tum in foliis, tum in caulibus discrimen constat: aliud enim folio spisso, crispo, densoque: aliud rariore ac latiore, cauleque majore.* Τῶν δὲ σελίνων καὶ ἐν τοῖς φύλλοις, καὶ ἐν τοῖς καυλοῖς αἱ διαφοραί· τὸ μὲν γὰρ πυκνὸν, καὶ οὖλον, καὶ δασὺ τὸ φύλλον ἔχει· τὸ δὲ μανότερον καὶ πλατύτερον· καυλὸν δὲ μείζω.

17. CAP. XXXVIII. *Astytida, quidamque eunuchion, quoniam hæc maxime refragetur Veneri*] *Astytida*, legi oportere, non, uti prius, *Astylida*, evincit planissime hic Eustathii locus, unde et quæ vis subsit ei voci, intelligas. Sic igitur ille in Iliad. X. pag. 1283. Δεδήλωται ἀλλαχοῦ (nempe pag. 849.) ὅτι ἐκ τοῦ στύειν γίνεται καὶ ὁ ἄστυτος· οἷον παρὰ Ξενάρχῳ, Πελοπιδῶν ἄστυτος οἶκος· ἤγουν ἄκαρπος· ἄγονος.... Φασὶ δὲ κατὰ τὴν παρὰ τῷ Ἀθηναίῳ ἱστορίαν, καὶ θρίδακα τὴν ἐκ γενέσεως πλατύφυλλον, καὶ τετανὴν, καὶ ἄκαυλον, ἀστυτίδα καλεῖσθαι ὑπὸ γυναικῶν· εὐνοῦχον δέ γε ὑπὸ τῶν Πυθαγορείων· ἐπειδὴ, φησιν, ἀσθενεῖς εἰσι πρὸς τὰ κατὰ τὴν Ἀφροδίτην οἱ συνεχῶς χρώμενοι θρίδαξι, κ. τ. λ. Athenæi locus quem spectat, e libro secundo est, pag. 69. Eadem habet Florentinus in Geopon. XII. 13. pag. 333. Plura apud Eustathium vide, tum loc. cit. tum pag. 849. et 862. quæ aut Græce transcribere, aut Latine reddere, pudor vetat. Porro ἀστυλὶς apud Hesychium longe est aliud, nempe planta unde viscum legitur. Eubuli vero Poëtæ Comici, apud Athen. lib. II. pag. 69. tragœdiam scimus Ἀστύτους appellatam, in qua de lactucæ viribus disputatur.

18. Ibid. *Cum prioris Camelii religio nimia eam negaret*] Visa nobis potior ea lectio est, quam quæ recepta hactenus, excogitata ab Hermolao est, *cum priores caverent, religione nunc omni caret.* In codice Reg. 1. *cum priores cameli religio minime omne caret.* Apuleius, libro de remediis salutaribus, qui nondum editus in lucem, extat in Bibliotheca Regia, totus ex Plinii verbis concinnatus, hunc locum ita expressit: *Divus certe hac lactuca conservatus in ægritudine fertur, prudentia Musæ Medici, cum prioris Cameli religio nimia ei abnegaret*, vel ipso teste Salmasio, qui pariter vidit, in Solin. pag. 1270. In Chiffl. cod. *Cameli religio nimia omni caret.* Camelii nomen ei medico fuisse videtur: et in Gruteri sane inscriptionibus Camelium haud semel legimus. Cur in diversam plane conjecturam Hermolaus abiret, causa hæc fuit, quod ab esu lactucæ absti-

nuisse veteres existimaret, religione ductos, quoniam sub ea sepultum Adonin ferunt, ab apro interfectum: quam ob rem et mortuorum edulium *νεκύων βρῶμα* ab Eubulo in Astytis lactuca nominatur, apud Athen. lib. II. pag. 69. Unde et Pellicerius in Notis Mss. num restitui locus hic ita posset, ambigebat: *Cum prior ætas eam religione Adonis nimia devitaret.* Sed hæc abesse nobis visa sunt longius a vestigiis veterum codicum, quibus institisse propius videmur. Quanquam et vox illa *prioris* haud facit animo sane delicato satis: visumque aliquando satius legi, *Cum Artorii Camelii religio, &c.* Artorium enim Augusti Medicum in castris Philippensi prælio fuisse tradunt Eusebius in Chron. Lactantius II. 8. Cælius Aurelian. III. 11. et 14. Velleius Paterc. lib. II. Val. Max. VII. 1. Utrum igitur ita legi præstabilius fuerit, permittimus legentium arbitrio. Ut in lactuca porro, sic in beta ægris danda, priscorum religio fuit, de qua Plinius ipse hujus libri cap. 40. 'Medici nocentiorem betam, quam olus, esse judicavere. Quamobrem appositas non memini: degustare etiam religio est, ut validis potius in cibo sint.'

19. CAP. XLV. *Sed durata runcatur, non sine difficultate, pruritivis ulceribus, ni munitis manibus id fiat*] In libris hactenus editis, *provenientibus ulceribus.* In Mss. Reg. et Colb. *proritivis:* unde nos *pruritivis* effecimus. Adjuvat Columella XI. 3. 'Sed velata manu debet runcari, quam nisi contexeris, perniciosa nascuntur ulcera. Si tamen per ignorantiam nuda manu runcaveris et prurigo atque tumor incesserit, oleo subinde perunguito.'

20. CAP. XLVII. *Minus hæc humido gaudet, æstate viret*] Ita sane libri omnes. At ego libentius multo agnoverim, *Non minus hæc humido gaudet,* ut ad apium, de quo proxime sermo, respiciat: illud enim perinde ac mentam humido lætari Columella scribit XI. 3. 'Apium,' inquit, 'præcipue aqua lætatur, et ideo secundum fontem commodissime ponitur.' Et paulo post: 'Menta dulcem desiderat uliginem: quam ob causam juxta fontem mense Martio recte ponitur.' Nisi forte, id quod simile veri arbitramur, de cœlo, non de solo humido, intellexit Auctor, quoniam proxime sequitur, *æstate viret.*

21. CAP. LIV. *Athenienses napy appellaverunt, alii thapsi, alii saurion*] De prima appellatione *νάπεως* suo loco egimus: *Θάψι*, ob similitudinem cum ferulæ thapsiæ semine, qua de egimus XIII. 43. dici suspicabamur: *Σαύριον*, quod acrimonia sua, ceu lacerta, mordeat: est enim Græcis lacerta *σαῦρα*. Quam ob causam et *σαυρίδιον* dixere nasturtium, quod nares torquet. Verum pro *thapsi*, num legi *thlaspi* sit satius, considerandum: nam XXVII. 113. thlaspi quidam napy vocant: et Hesychius, *Θλασπὶς*, inquit, *πόα, ἣν ἔνιοι σαύριον.* Dictum autem thlaspi tum sinapi fuerit, a *θλάω*, quod molitur frangiturque.

22. CAP. LV. *Serpyllo et sisymbrio montes plerique scatent*] Ita libri omnes: quanquam sunt qui malint, *montes planaque scatent.* Sed non admodum favet ei conjecturæ Theophrastus, a quo hæc desumta sunt, e libro nempe Hist. Plant. sexto, cap. 4. *Παρ' ἄλλοις δὲ ὄρη πλήρη καὶ τόποι, καθάπερ ἐν τῇ Θρᾴκῃ.* Quod porro proxime sequitur apud Plinium: *Sicut in Thracia: utique deferunt ex iis avulsos ramos, seruntque:* sic restitutum a nobis intelligito, cum prius legeretur, *ubi aquæ deferunt .... seruntque*, quod insulsum per se apparet. In Mss. *ut eaque deferunt.* At Theophr. loc. cit. qui Plinio præit, et nostram fulcit emendationem, et quæ sit loci sententia, aperit: *Καὶ γὰρ ἑρπυλλός ἐστιν ἄγριος, ὃν κομίζοντες ἐκ τῶν ὀρῶν φυτεύουσι· καὶ ἐν Σικυῶνι καὶ Ἀθήνησιν ἐκ τοῦ Ὑμήττου.* *Et serpyllum*

sylvestre est, quod deferunt e montibus, seruntque: item Sicyone ex suis montibus, et Athenis ex Hymetto.

23. Cap. lvi. *Quo densior est, eo tenuior*] Ita scribi oportere, non *tenerior*, rei fides historiaque comprobat, non modo in cannabi, sed in omni plantarum genere, ut quo densius spissiusque sata sunt, eo graciliora surgant: alioqui quid cannabis teneritate opus, quando in usum cibi planta non veniat?

24. Cap. lvii. *Et cuminum necatur ab limodoro, nisi repurgetur*] Haetenus editum, *ab imo dorso*, quod plane insulsum est. Auctor emendandi Theophrastus extitit, a quo hæc accepta haud dubie, Hist. viii. 8. Τὸ δὲ ὑποφυόμενον εὐθὺς ἐκ τῆς ῥίζης τῷ κυμίνῳ ... τὸ λιμόδορον, μονόκαυλον, ... ῥίζαν δὲ ἔχει ὑποστρόγγυλον. *Quod autem statim ab radice cumino subnascitur, et limodorum vocatur, unicaule est .... et radice subrotunda innititur.* Sic enim in edit. Ald. et Basil. legitur. Alii αἱμόδωρον· ἱμόδερον alii legi malunt, ut Dalecampius in Hist. Plant. pag. 485. Sed λιμόδορον omnino scribendum cum Pellicerio sentimus, in Notis marginalibus Mss. ad Theophrasti locum citatum.

25. Cap. lviii. *Culinis et ultra tempestiva sunt*] Libri antehac editi, *Cunilis*, inepte. Errorem Theophrastus retegit, Hist. vii. 6. ubi in eodem argumento habitat: Πρὸς δὲ τὴν μαγειρικὴν χρείαν ἐπὶ πλεῖω διαμένει. *Ad usum culinarium*, sive cibarium, *diutius perdurant.* Vidit hoc ante nos Pintianus.

26. Cap. lxi. *Acuti, thymi, cunilæ*] Prius legebatur, *acuti tantum cunilæ.* At in Mss. Reg. 1. Colb. &c. *acuti tami, &c.* In Reg. 2. *Acuti tumi.* Nos *thymi* auctore Theophrasto rescripsimus: sic enim ille Hist. i. 19. unde hæc accepta esse constat: Αἱ δὲ ἤδη δριμύτητά τινα ἔχουσι: καθάπερ ἡ τοῦ θύμου, καὶ θύμβρας. *Nonnulli acrimoniam quandam sortiuntur, ut thymus et satureia.*

27. Ibid. *Ut cicerculis tantum. Atque ut*] Insigniter corruptus ad hunc diem locus hic extitit, cum ita legeretur, *et circulis tantum aquæ.* Auctor emendandi fuit Theophrastus, a quo hæc Plinius, ut alia pleraque, mutuo accipit. Sic enim ille de Causis Plant. vi. 14. pag. 366. Οὐδὲν τῶν φυομένων ἁλυκὸν ὥστε καὶ ἐν ἑαυτῷ τοιοῦτον ἔχειν τὸν χυλόν· ἀλλ' ἐν τοῖς περὶ τὰ ἔξω γίνεταί τις ἁλμυρὸς, οἷον καὶ τοῖς ἐρεβίνθοις. *Nihil in genere plantarum salsum percipitur: scilicet ita ut in se talem habeat saporem. Sunt enim quorum summam partem duntaxat salsugo quædam obducit, ut cicer.* Hujus loci vitium subodoratus est ante nos Pintianus, qui ex eodem Theophrasti loco legi censuit oportere, *ut ciceris tantum cuti.*

28. Cap. lxii. *Smyrnium myrrhæ*] Subintellige, saporem reddit. Prius legebatur, *myrrha myrrhæ*, insulse. Ipsa loci sententia prodit, tergeminam modo plantam laudari, libanotidem, siliquastrum, smyrnium: quarum naturæ deinceps explanantur.

C. PLINII SECUNDI

NATURALIS HISTORIÆ

LIBER XX.

Medicinæ ex his quæ seruntur in hortis.

I. MAXIMUM hinc opus naturæ ordiemur, et cibos suos homini narrabimus, faterique cogemus ignota esse, per quæ vivat. Nemo id parvum [1] ac modicum existimaverit, nominum vilitate deceptus. Pax secum [2] in his aut bellum naturæ dicetur, odia, amicitiaque rerum [3] surdarum ac sensu carentium: et, quo magis miremur, omnia ea hominum causa, quod Græci sympathiam appellavere: quibus cuncta constant,[a] ignes aquis restinguentibus, aquas Sole [4]

CAP. I. 1 Chiffl. *vivat, ne id parvum.*—2 'Ita Mss. Regg. Editio princeps, et Cl. Rezzonicus. Frustra emendavit Gelenius, *Pax simul.*' Brotier. *Pax secum* etiam Chiffl. *Pax simul* Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—3 'Ita codd. Regg. Cl. Rezzonicus, et Editio princeps.' *Brotier*. Ita quoque Chiffl. *amicitiaque rerum* edd. vett. Gronov. Harduin. 1. 2. 3. et recentt.—4 Ita ex

NOTÆ

[a] *Quibus cuncta constant*] Mira est, inquit, rerum etiam sensu carentium consensio et conspiratio ad hominum utilitates procurandas: quam conspirationem, ac veluti condolentiam et commiserationem Græci συμπάθειαν vocant: etsi ignes et aquæ, quibus cuncta constant, Sol ac Luna, quibus cuncta gignuntur, perpetuum sibi bellum indixisse videantur. Hunc locum Pintianus cum non intelligeret, mutilum esse ac vitiatum falso existimavit: et *antipathiam* addi hic oportere.

devorante, Luna pariente, altero alterius injuria deficiente sidere. Atque ut a sublimioribus recedamus, ferrum ad se trahente magnete lapide, et alio rursus abigente[b] a sese: adamantem[5] opum gaudium, infragilem omni cetera vi et invictum, sanguine hircino rumpente, quæque alia in suis dicemus locis, paria, vel majora, mira.[6] Tantum venia sit, a minimis, sed a salutaribus ordienti, primumque ab hortensiis.[7]

II. (I.) Cucumim sylvestrem esse diximus,[c] multo infra magnitudinem sativi. Ex eo fit medicamentum, quod vocatur elaterium,[d] succo expresso e semine.[1] [e] Cujus causa nisi maturius[2] [f] incidatur, semen exsilit, oculorum etiam periculo. Servatur autem[g] decerptus una nocte: postero

codd. Harduinus et recentt. *aquam sole* Gronov. et vulgg.—5 Chiffl. *a sese adamantarum.*—6 Dalec. *miracula.*—7 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *venia sit si a min. sed a sal. ordiemur p. ab hortensibus* Vet. Dalec. *venia sit a m. sed a s. ordienti, p. ab hortensibus* Gronov. et al. vett.

CAP. II. 1 Margo edd. Dalec. et Gronov. *e fructu;* et sic toto capite, e Diosc.—2 Chiffl. *maturus.*—3 Chiffl. *quæque.*

NOTÆ

[b] *Et alio rursus abigente*] Nempe Theamede lapide, de quo XXXVI. 25. Vide Notas et Emend. num. 1.

[c] *Cucumim . . . diximus*] Superiore libro, c. 24. Diosc. IV. 154. Σίκυς ἄγριος τῷ καρπῷ μόνῳ διαφέρει τοῦ ἡμέρου σίκυος· ἐλάσσονα πολλῷ ἔχων, κ. τ. λ.

[d] *Elaterium*] Ita vocatur a Celso, v. 12. Galenus, tom. II. in Explic. vocum Hippocr. p. 89. Ἐλατήριον, οὐ μόνον τὸ ἀπὸ τοῦ ἀγρίου σικύου γιγνόμενον, ἀλλὰ καὶ πᾶν τὸ τὴν κάτω κοιλίαν καθαῖρον. *Elaterium, non solum ex sylvestri cucumere factum, sed etiam omne quod alvum purgat per infernas partes.* Hesychius: ἐλατήριον, φάρμακον καθαρτικόν. Scribonius Largus, Compos. 70. 'Elaterium qui est succus cucumeris sylvatici.' Ἀπὸ τοῦ ἐλᾷν, *pellere*, quasi *depulsorium*, quod vim purgandi habet acrem.

[e] *E semine*] Hoc est, e fructu. Theophrastum ex verbo reddit, ita statuentem, Hist. IX. 10. Τὸ δὲ σπέρμα χυλισθὲν ποιεῖ τὸ ἐλατήριον. *Succus expressus e semine facit elaterium.* At Diosc. IV. 155. Τὸ δὲ λεγόμενον ἐλατήριον ἐκ τοῦ καρποῦ τῶν σικύων σκευάζεται, κ. τ. λ. ubi parandi idem artificium fuse edocet, quod a Plinio paulo contractius.

[f] *Nisi maturius*] Ante nimirum quam maturitatem sit assecutus. Nam si maturitas expectetur, tum tactu vel impulsu tenuissimo pediculus cucumim destituit, factoque ostiolo statim internus humor summo cum impetu, una cum semine, ejaculatur. Cucumim asininum vocant: ut recte Anguillara par. 14. p. 291. Vidimus in horto Regio: est et in Eystetensi. A Dodonæo pingitur, p. 652.

[g] *Servatur autem*] Diosc. loc. cit.

die inciditur arundine. Semen quoque[h] cinere conspergitur, ad coërcendam succi abundantiam: qui expressus suscipitur aqua cœlesti, atque subsidit: deinde Sole cogitur in pastillos, ad magnos mortalium usus. Obscuritates[i] et vitia oculorum sanat, genarumque ulcera. Tradunt hoc succo tactis radicibus vitium, non attingi uvas ab avibus. Radix autem[j] ex aceto cocta podagris illinitur, succoque dentium dolori medetur. Arida cum resina[k] impetiginem et scabiem, quæ[3] psoram[l] et lichenas vocant, parotidas[m] et panos[n] sanat, et cicatricibus colorem reddit. Et foliorum[o] succus auribus surdis cum aceto instillatur.

III. Elaterio[a] tempestivus[1] est autumno: nec ullum[b]

CAP. III. 1 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Mil-

NOTÆ

[h] *Semen quoque*] Semen iterum pro fructu usurpat. Nunc a Diosc. parum discedit.

[i] *Obscuritates*] Diosc. loc. cit.

[j] *Radix autem*] Diosc. IV. 154. Marcellus Empir. c. 36. p. 250. Plinius Valer. III. 14. Apuleius, c. 113. tit. 1. 'Ad nervorum dolorem, et podagram: Cucumeris sylvatici radices in olei cibarii pondo tribus decoques ad tertias, et exinde perunges, sanabuntur.' Et tit. 4. 'Cum aceto decocta radix valet contra podagram.' Accepere omnes a Celso IV. 24. 'Fovere oportet spongia, quæ in aquam calidam demittatur, in qua cucumeris sylvestris radix decocta sit.'

[k] *Arida cum resina*] Diosc. loc. cit. Μετὰ ῥητίνης τερεβινθίνης. Aridam autem radicem intellige: *ξηρὰ δὲ καὶ λεῖα ἀλφοὺς, λέπρας, καὶ λειχῆνας σμήχει*. Adde et Theophr. Hist. IX. 10.

[l] *Quæ psoram*] Ψώρα scabiei genus est, corporis summam cutem varia erosione depascens, furfurosaque magis quam squamosa ex se remittens. Vulgo, *le mal Saint Mein*. At λειχὴν impetiginosi morbi genus, quod mentagram Latinos vocasse Plinius auctor est XXVI. 2. fœdo pariter cutis furfure totos primum vultus, deinde vero et colla, pectusque, et manus occupante, oculis tantum immunibus. Martialis XI. 99. 'Nec triste mentum, sordidique lichenes.' Gallis, *Dartre farineuse*.

[m] *Parotidas*] Παρωτίς. 'Tumores repentinos sub auribus innatos, parotidas vocamus,' inquit Theod. Priscianus I. 8. de parotidibus. Galli, *Parotide*.

[n] *Et panos*] Diosc. *φύματα ῥήττει*. Φῦμα tumor est præter naturam obortus in quacumque corporis parte, cum inflammatione: et hos appellant aliqui panos. Celso V. 25. panus tumor dicitur non altus, latus, in quo quiddam pustulæ simile est. Sunt qui *φύγεθλον* dici Græce velint, et a phymate differre. Vide Gorræum in Definit. Med. Apuleius c. 113. tit. 3. pro panis tumores dixit.

[o] *Et foliorum*] Diosc. loc. cit. *Ἀρμόζει δὲ ὁ τῶν φύλλων χυλὸς ἐνσταζόμενος ὠταλγίαις*. Sic et radicis succum ad sonitum aurium emendandum prodesse Celsus monet, VI. 7.

[a] *Elaterio*] Theophr. Hist. IX. 10.

ex medicamentis longiore ævo durat. Incipit a[c] trimatu. Si quis recentiore uti velit, pastillos in novo fictili igne lento in aceto domet. Melius, quo vetustius: fuitque jam[2] ducentis annis servatum, ut auctor est Theophrastus.[d] Et usque[e] ad quinquagesimum lucernarum lumina extinguit. Hoc enim veri experimentum est, si admotum priusquam extinguat, scintillare sursum ac deorsum cogat.[3] Pallidum[f] ac læve herbaceo ac scabro melius, ac leniter amarum. Putant[g] conceptus adalligato semine adjuvari, si terram non attigerit. Partus vero, si in arietis lana alligatum inscientis lumbis fuerit, ita ut protinus ab enixu rapiatur[4] extra domum.

Ipsum cucumim qui magnificant, nasci præcipuum in Arabia, mox in Arcadia, Cyrenis alii tradunt,[5] similem heliotropio,[h] cujus inter folia et ramos provenire magnitudine nucis juglandis. Semen autem esse[i] ad speciem scorpionum cauda replexa, sed candida.[6] Aliqui etiam ab eo scor-

ler. Bipont. et Franz. *Elaterium tempestivum* Gronov. et al. vett.—2 Cod. Dalec. *vetustius erit, jamque.*—3 Idem codex, *cogit.*—4 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *ab ea eximatur et rapiatur* cod. Dalec. *protinus ab exitu rapiatur* edd. vett. et Gronov.—5 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. Mox *Cyrenis, alii in Arcadia tradunt* Gronov. et edd. vett.—6 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *semen. Esse autem ad speciem scorpionis cauda reflexa, sed candida*

NOTÆ

Τίλλεται δὲ τοῦ φθινοπώρου (τὸ σπέρμα,) τότε γὰρ βέλτιστον. Legitur autumno fructus: tunc enim optimus ad elaterium concinnandum.

[b] *Nec ullum*] Theophr. Hist. IX. 14.

[c] *Incipit a*] A bimatu ad decennium utile esse dejectionibus scribit Dioscor. loc. cit.

[d] *Theophrastus*] Hist. IX. 14.

[e] *Et usque*] Humorem servat ad illud usque tempus: quare etiamtum lucernis admotum, lucem extinguit, ob humoris copiam: *Ἀλλ' ἄχρι πεντήκοντα ἐτῶν σβέννυσι προσαγόμενον τοὺς λύχνους· αἰτία δὲ τῆς χρονιότητος ἡ ὑγρότης.* Theophrastus loc. cit.

[f] *Pallidum*] Sic Dioscor. IV. 154. candidum ac læve, gustuque amarum, *λευκὸν, λεῖον, πικρότατον τῇ γεύσει* anteponit alteri quod scabrum est, et porracei herbidive coloris: *τὸ μέντοι πρασίζον, καὶ τραχὺ, φαῦλον.*

[g] *Putant*] Superstitiose.

[h] *Similem heliotropio*] Tricocco nimirum, sive scorpiuro heliotropio, de quo XXII. 29. Hæc vero non de cucumere quovis, sed Arabico, Arcadico, Cyrenaicoque accipienda sunt.

[i] *Semen autem esse*] Semen cucumere illo peregrino inclusum intelligit.

pionium cucumim vocant, efficacissimum contra scorpionum ictus et semine et elaterio, et ad purgandum uterum alvosque. Modus portione virium ab dimidio obolo ad solidum.[j] Copiosius necat. Sic et contra phthiriasin [k] bibitur: et hydropises.[7] [l] Illitum [m] anginas et arterias [n] cum melle et oleo vetere sanat.

IV. (II.) Multi hunc esse apud nos qui anguinus [a] vocetur,[1] ab aliis erraticus, arbitrantur. Quo decocto [2] sparsa mures non attingunt.[3] Iidem [4] podagris cum articuli morbis [5] decoctum in aceto illiniunt,[6] præsentaneo remedio.

Gronov. et al. vett.—7 'In codd. Regg. et Editione principe, *et hydropicis.*' Brotier. Ita quoque cod. Dalec.

CAP. IV. 1 Chiffl. *vocatur.*—2 Vet. Dalec. *arbitrantur, cujus decocto.*—3 Ita codd. Harduini cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *mures de ejus medicina non attingunt* Gronov. et al. vett. 'Hæc, *de ejus medicina*, supervacua videntur.' *Dalec.*—4 *Idem* cod. Dalec.—5 Ita codd. Harduini et Chiffl. item edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *cum articulorum morbis* Gronov. et vulgg. *et articulorum morbis* Vet. Dalec.—6 'Ita codd. Regg. et Editio princeps.'

NOTÆ

[j] *Ad solidum*] Ad integrum obolum. Diosc. loc. cit. Ἡ δὲ τελεία δόσις, ὀβολός· ἡ δὲ ἐλαχίστη, ἡμιωβόλιον . . . πλεῖον γὰρ ποθὲν κίνδυνον ἐπιφέρει.

[k] *Phthiriasin*] Φθειρίασις, pedicularis morbus est in quo pediculi acervatim per cutim erumpunt. Gignuntur vero ii non in superficie cutis, ut furfures, 'sed in ejus profundo,' inquit Gorræus in Defin. Med.

[l] *Et hydropises*] Mss. omnes, *hydropicis.* Sed *hydropises* legi structura orationis jubet. Est autem hydrops morbus, quem Latini aquam intercutem vocant: ejus tres species Celsus definit, III. 21.

[m] *Illitum*] Diosc. loc. cit. Συναγχικοῖς δὲ διάχρισμα πρακτικὸν μετ' ἐλαίου παλαιοῦ, ἢ μέλιτος, ἢ χολῆς ταυρείας. De angina Celsus IV. 4. 'Pestiferum acutumque morbum in faucibus nostri anginam vocant: apud Græcos nomen, prout species est. Interdum enim neque rubor, neque tumor ullus apparet, sed corpus aridum est, vix spiritus trahitur, membra solvuntur: id συνάγχην vocant. Interdum lingua faucesque, cum rubore intumescunt, vox nihil significat, oculi vertuntur, facies pallet, singultusque est: id κυνάγχη vocatur. Illa communia sunt: æger non cibum devorare, non potionem potest: spiritus ejus includitur. Levius est, ubi tumor tantummodo et rubor est, cetera non sequuntur: id παρασυνάγχην appellant.'

[n] *Et arterias*] Hoc est, fauces, angina scilicet et suffocatione spiritus laborantes. In faucibus enim aspera arteria est, quæ spiritus conceptaculum, quo vox editur.

[a] *Qui anguinus*] Cucumis flexuosus Lobelio, a quo pingitur in Observat. p. 363. ita dictus a figura fructus, qualem in horto Regio vidimus.

Lumborum vero dolori semine Sole siccato, dein trito, XX. X. pondere[7] in hemina dato aquæ. Sanat et tumores subitos illitum cum lacte[8] mulierum. Purgat eas[b] elaterium. Sed gravidis[c] abortum facit. Suspiriosis prodest. Morbo vero[d] regio in nares conjectum. Lentigines[e] ac maculas e facie tollit in Sole illitum.

v. Multi eadem omnia sativis attribuunt. Magnum etiam in eis momentum. Namque et eorum semen, quantum tres digiti apprehenderint, cum cumino tritum, potumque in vino, tussientibus auxiliatur. Sed et phreniticis[1] in lacte mulieris. Et dysentericis[f] acetabuli mensura. Purulenta[g] autem exspuentibus cum cumino pari pondere, et jocineris vitiis in aqua mulsa. Urinam movet[h] ex vino dulci, et in renum dolore clysteribus simul cum cumino infunditur.

vi. Pepones[i] qui vocantur, refrigerant maxime in cibo,

Brotier. *illinunt* Gronov. edd. vett. Harduin. 1. 2. 3. et recentt.—7 'In Mss. Reg. 1. et 2. et Editione principe, *XXX. pondere.* Unde, ut videtur, legendum, *XX. X. pondere*, id est, viginti denariorum pondere. Male in recentioribus editionibus emendatum, *triginta denariorum pondere:* maxime cum ille cucumis violentissimum sit remedium.' *Brotier.* *Sole siccato, dein trito XX.* cod. Dalec. *Sole siccato, dein trito XX. trium* Chiffl. *Sole siccato, dein trito, triginta denariorum pondere* Gronov. Harduin. 1. 2. 3. et recentt.—8 Margo edd. Dalec. et Gronov. *conjectum cum lacte,* e Diosc.

Cap. v. 1 *Sed et nephriticis* Vet. Dalec.

NOTÆ

[b] *Purgat eas*] Mulieres.

[c] *Sed gravidis*] Dioscor. iv. 154. *Κινεῖ δὲ τὸ ἐλατήριον καὶ ἔμμηνα, καὶ ἔμβρυα κτείνει ἐν προσθέτῳ. Menses ciet, et partus necat elaterium in pesso subditum.*

[d] *Morbo vero*] Diosc. loc. cit. *Ἐγχυθὲν δὲ μετὰ γάλακτος εἰς τοὺς ῥώθωνας, ἴκτερον ἀποκαθαίρει, κ. τ. λ.* *Cum lacte naribus infusum, regium morbum pellit, &c.* Quis sit morbus, dicemus c. 34.

[e] *Lentigines*] Sic etiam Marcellus Empir. c. 19. p. 129.

[f] *Et dysentericis*] Inter intestinorum mala, inquit Celsus iv. 15. tormina esse consueverunt, *δυσεντερία* Græce vocatur. Intus intestina exulcerantur: ex his cruor manat: isque modo cum stercore aliquo, semper liquido, modo cum quibusdam quasi mucosis excernitur: interdum simul quædam carnosa descendunt. Frequens dejiciendi cupiditas, dolorque in ano est, &c. Plinius Valer. iv. 15. 'Semen cucumeris dysentericis ex lacte muliebri acetabuli mensura datum prodest.'

[g] *Purulenta*] Plinius Valer. loc. cit. ad verbum.

[h] *Urinam movet*] Plinius Valer. loc. cit. Diocles item Carystius libro primo de tuenda valetudine, apud Athen. lib. ii. pag. 68. cucumim elixum ad ciendam urinam laudat inprimis.

[i] *Pepones*] Ad verbum hæc Plinius Valer. iv. 14.

et emolliunt alvum. Caro eorum[j] epiphoris oculorum aut doloribus imponitur. Radix sanat[k] ulcera concreta in modum favi, quæ ceria[l] vocant. Eadem contrahit vomitiones:[1m] siccatur, et in farinam tusa datur quatuor obolis in aqua mulsa, ita ut qui biberit, quingentos postea passus ambulet. Hæc farina et in smegmata[n] adjicitur. Cortex quoque vomitionem movet, faciem purgat. Hoc et folia[o] cujuscumque sativi illita. Eadem[2] cum melle et epinyctidas[p] sanant: cum vino, canis morsus.[q] Item millepedæ:[r]

CAP. VI. 1 'Ita emendavit eruditus Harduinus, secutus Diosc. II. 164. qui docet radicem peponis siccam in aqua mulsa, drachmæ pondere, potam, vomitum ciere. In Mss. Reg. et Editione principe, *Eadem contra vomitiones.*' Brotier. *Eadem contra vomitiones* edd. vett. et Gronov. *Eadem ad ciendas v.* Cornar. e Diosc.—2 Cod. Dalec. *sativi. Illita eadem.* Mox, Chiffl.

NOTÆ

j *Caro eorum*] Plinius Valer. loc. cit. et Diosc. II. 164. Ἡ δὲ τοῦ πέπονος σὰρξ . . . ὀφθαλμοῦ φλεγμονὰς πραΰνει.

k *Radix sanat*] Iisdem verbis Marcellus Empir. c. 4. p. 42. et Plinius Valer. III. 22. Diosc. quoque loc. cit. Ὑγιάζει δὲ καὶ κηρία καταπλαθεῖσα μετὰ τοῦ μέλιτος.

l *Quæ ceria*] Κηρία, et μελικηρὶς, a favi mellisque similitudine, propter foramina, et mellei coloris emanantem humorem, ut testis Aëtius Serm. VIII. 15. p. 8. 'Tubercula, quæ μελικήρια, id est, favi,' inquit Celsus V. 18.

m *Eadem contrahit vomitiones*] Vomitionem movet. Vide Notas et Emend. num. 2.

n *Hæc farina et in smegmata*] Etiam et smegmatis vicem obtinet, et faciei nitorem conciliat, succus cum semine, auctore Diosc. II. 164. Ὁ δὲ χυλὸς σὺν τῷ σπέρματι μιγεὶς ἀλεύρῳ καὶ ξηρανθεὶς ἐν ἡλίῳ, σμῆγμα γίνεται ῥυπτικὸν καὶ λαμπρυντικὸν προσώπου. De radice vero in farinam tusa, consentit Plinio Galenus de Simpl. Medic. Facult. lib. VIII. p. 228. Est autem σμῆγμα medicamentum ad tergendum. Unde et dentifricia tergendis dentibus sic appellantur.

o *Hoc et folia*] Hoc præstant, inquit, nempe faciem purgant et folia sativi cucumeris, trita, et illita.

p *Epinyctidas*] Corn. Celsus V. 28. 'Pessima pustula est,' inquit, 'quæ ἐπινυκτὶς vocatur: colore vel sublivida, vel subnigra, vel alba esse consuevit. Circa hanc autem vehemens inflammatio est: et cum adaperta est, reperitur intus exulceratio mucosa. Color est humori suo similis. Dolor ex ea supra magnitudinem ejus est: neque enim faba ea major est. Atque hæc quoque oritur in eminentibus partibus, et fere noctu: unde nomen quoque a Græcis ei ἐπινυκτὶς impositum est.' Hactenus Celsus. Est et alia ei voci vis, de qua dicemus c. 21.

q *Cum vino, canis morsus*] Plinius Valer. IV. 15.

r *Item millepedæ* . . .] Subintellige, morsus sanat. Multipedam vocat idem c. 20.

sepa[3] Græci[s] vocant, oblongam, pilosis pedibus, pecori præcipue nocivam.[t] Morsum tumor insequitur, et putrescit locus. Ipse cucumis[4] odore defectum animi.[u] Coctos deraso cortice, ex oleo, et melle,[5] jucundiores esse certum est.

VII. (III.) Cucurbita quoque sylvestris invenitur, spongos[1] a Græcis[v] appellata, inanis, (unde et nomen) digitali crassitudine, non nisi in saxosis nascens. Hujus commanducatæ succus stomacho admodum prodest.

VIII. Colocynthis[a] vocatur alia, ipsa plena, sed minor quam sativa. Utilior pallida,[b] quando ejus sunt medicinæ. Herbacea[c] arefacta per se inanit alvum. Infusa quoque[d] clysteribus, intestinorum omnibus vitiis[1] medetur, et re-

et epinyctidas. In Edd. vett. *et* deest.—3 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *spea* Gronov. et al. vett. *sepa* Lucano. *tabificus seps* al. ap. Dalec. *multipedæ sepe* Chiffl. Paulo post, *pecori p. noxiam* Vet. Dalec.—4 Cod. Dalec. *locus ipse. Cucumis.* Vet. Dalec. *locus. Reficit cucumis odore defectos animo.* Al. vett. ap. Dalec. *animi revocat. Deraso.*—5 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *ex oleo, aceto et melle* edd. vett. et Gronov.

CAP. VII. 1 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *somphos* Gronov. et al. vett.

CAP. VIII. 1 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3.

NOTÆ

[s] *Sepa Græci*] Σῆπα, a tabe quam infligit suo morsu, in quo vis tabifica inest, σηπτικὴ δύναμις. De hac millepeda dicetur uberius XXIX. 39. Alius ab isto seps est, de quo Lucanus IX. 723. et Diosc. II. 70. serpentis nimirum genus, aut lacertæ potius.

[t] *Nocivam*] Sic libri omnes, etiam Mss. Usus et ea voce Phædrus lib. I. 'Plerumque stulti, risum dum captant levem, Gravi destringunt alios contumelia, Et sibi nocivum concitant periculum.'

[u] *Ipse cucumis . . . defectum animi*] Subintellige, insequitur, ex antecedentibus: hoc est, pellit. Diosc. II. 163. de cucumere sativo: ἀνακτητικὸς λειποθυμιῶν ὀσφραινόμενος, *olfactu defectos animo recreat.*

[v] *Spongos a Græcis*] Ita Mss. omnes, a fungosa nimirum laxitate, instar spongiæ. Libri editi, *somphos*, σομφὸς, quæ vox pariter *inanem* et *fungosum* sonat. Marcellus Empir. c. 12. p. 92. 'Cucurbitæ radix quam Græci sonchon appellant.' Forte *spongon* rectius.

[a] *Colocynthis*] Sive cucurbita sylvestris. Diosc. IV. 178. Κολοκυνθὶς, *οἱ δὲ κολόκυνθα ἄγριος, οἱ δὲ σικύαν πικρὰν, κ. τ. λ.*

[b] *Utilior pallida*] Sic eligendam cucurbitam Dioscorides admonet, loc. cit. cum cœperit ad colorem pallidiorem vergere, *ἀρχόμενον μεταβάλλειν ἐπὶ τὸ ὠχρότερον.*

[c] *Herbacea*] Viridior, herbidique coloris.

[d] *Infusa quoque*] Diosc. loc. cit.

num, et lumborum, et paralysi: ejecto semine, aqua mulsa in ea decoquitur ad dimidias: tutissimo[e] infunduntur oboli quatuor.[2] Prodest et stomacho, farinæ aridæ pilulis cum decocto melle sumtis.[3] In morbo regio utiliter semina ejus sumuntur, et protinus aqua mulsa. Carnes ejus[f] cum absinthio et sale dentium dolorem tollunt. Succus vero[g] cum aceto calefactus mobiles sistit. Item spinæ,[h] et lumborum, ac coxendicum dolores, cum oleo si infricetur. Præterea,[i] mirum dictu, semina ejus si fuerint pari numero adalligata febribus, sanare[4] dicuntur, quas Græci periodicas[j] vocant. Sativæ quoque[k] rasæ succus tepefactus auribus medetur. Caro ejus interior sine semine, clavis pedum, e suppurationibus, quæ[5] Græci vocant apostemata.[l] Decoctæ autem[m] universæ succus dentium motus stabilit, et dolores inhibet. Vinum cum ea[n] ferve-



et recentt. *omnium vitiis* Gronov. et al. vett.—2 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. et recentt. *sic tutissimo infunduntur oboli quatuor* Chiffl. *sic tussienti infunditur obolis quatuor* Gronov. et vulgg. 'Vide num legendum *bibitur*.' Dalec.—3 Vet. Dalec. *pulvis cum dec. mel. sumptus*.—4 Vet. Da-

NOTÆ

[e] *Tutissimo*] Ita codex Chiffletianus, et alii: quæ lectio ut nobis magis arrideat, quam quæ recepta hactenus, *sic tussienti infunditur obolis quatuor*, facit ipsa orationis series, et medicinæ ratio.

[f] *Carnes ejus*] Decoqui in eum usum cum aceto nitroque, jubet Diosc. IV. 178.

[g] *Succus vero*] Plinius Valer. I. 66.

[h] *Item spinæ*] His vero morbis non succum prodesse, sed semen contritum, Marcellus Empir. prodidit cap. 25. p. 173. At succum Galenus quoque ischiadicis utilem fatetur de Facult. Simp. Med. lib. VII. p. 193. et Diosc. loc. cit.

[i] *Præterea*] Superstitiosum.

[j] *Græci periodicas*] Περιοδικοὶ πυρετοὶ, febres circulares, febrium circuitus, febres reduces, quæ statis certisque diebus recurrunt.

[k] *Sativæ quoque*] Ita Diosc. II. 162. Marcellus Empiricus c. 9. pag. 77. et Plinius Valer. IV. 6. ubi ejus rei auctorem Galenum laudat. Galeni locus est e lib. VII. de Facult. Simp. Med. pag. 193. Scribonius Largus Compos. 39. 'Ad auriculæ et tumorem et dolorem sine ulcere, prodest cucurbitæ ramentorum succus tepens per strigilem in foramen auris dolentis infusus.'

[l] *Græci . . . apostemata*] Diosc. loc. cit. Οἰδήματα καὶ ἀποστήματα πραΰνει. Ἀπόστημα *suppurationem* sonat: Galenus in definitionibus, ait esse transitum corporis ab inflammatione ad pus. Gallis, *une Apostume*.

[m] *Decoctæ autem*] Diosc. loc. cit. et Plinius Valer. I. 36.

[n] *Vinum cum ea*] Diosc. loc. cit.

factum, oculorum etiam impetus. Folia ejus cum recentibus cupressi contusa, et imposita: ipsa quoque tosta in argilla, ac trita cum adipe anseris, vulneribus medetur.[6] Necnon ramentis[o] corticis recentes[7] podagras refrigerat, et ardores capitis,[p] infantium maxime. Et ignes sacros,[q] de strigmentis,[r] vel his impositis,[8] vel seminibus. Succus ex strigmentis,[s] illitus cum rosaceo et aceto, febrium ardores refrigerat. Aridæ cinis[t] impositus mire combusta sanat. Chrysippus medicus damnabat eas in cibis. Sed omnium consensu stomacho utilissimæ judicantur, et interaneorum vesicarumque exulcerationibus.

IX. Est et rapo[a] vis medica. Perniones[b] fervens impo-

lec. *febres sanare.*—6 Idem Vet. *quas.*—6 Cod. Dalec. *medentur.*—7 Chiffl. *recens.*—8 Margo edd. Dalec. et Gronov. *sacros vel strigmentis impositis.*

NOTÆ

[o] *Necnon ramentis*] Diosc. loc. cit. et Plinius Valer. IV. 6. Vide Notas et Emend. num. 8.

[p] *Et ardores capitis*] Diosc. et Plin. Valer. locis cit. Marcell. Empir. c. 1. p. 35. Hunc capitis ardorem in pueris Græci σειρίασιν vocant: hoc est, ex vehementi Solis æstu capitis inflammationem. Adustionem infantium appellat idem XXX. 47.

[q] *Et ignes sacros*] Ignis sacer morbi genus ex pustulis perexiguis, in quibus semper fere pus est, et sæpe rubor cum calore. Vulgo S. Antonii ignem appellant, *le Feu S. Antoine.* Sæpius tamen ubi Dioscorides ἐρυσιπέλατα dicit, Plinius, qui ex iisdem fontibus hausit, *sacros ignes* reddit: vix ut aliud morbi genus intellexisse eum existimandum sit. Et in Glossis sane Græco-Lat. Mss. ἐρυσιπέλας, *sacer ignis* dicitur. Sacer autem, hoc est, *crudelis et pessimus:* quomodo Donatus ad Virgilii Æneid. VII. vocem 'sacer' interpretatur: 'unde,' subdit ille, 'et ignis sacer dicitur morbus, qui hominem perniciose persequitur.' Idem Virgil. Georg. III. 'Nec longa moranti Tempore, contractos artus sacer ignis edebat.' Liber Miraculorum 8. Theodorici Abbatis Remensis: 'Ea tempestate sacer ignis, quem Græci heresipelam dicunt,' &c. Qui eo morbo correpti 'Ardentes' dicebantur olim: in Gallias sæpe pervasit hæc lues: cui D. Genovefæ patrocinium remedium fuit: quare Lutetiæ Parisiorum exstructa ei ædes, 'Ardentium' cognomine. Qui ex hoc argumento scripserint auctores, vide apud Du-Cangium in Gloss. v. 'Ardentes.'

[r] *De strigmentis*] Hoc est, de ramentis.

[s] *Succus ex strigmentis*] Diosc. loc. cit. 'Ο δὲ χυλὸς τῶν ξυσμάτων, κ. τ. λ. Hæc iisdem verbis Plinius Valer. IV. 6.

[t] *Aridæ cinis*] Ad verbum hæc quoque idem Plinius Valer. III. 36.

[a] *Est et rapo*] Plinius Valer. iisdem verbis, IV. 34.

[b] *Perniones*] Plinius Valer. loc. cit. Marcellus cap. 34. pag. 236. et

situm sanat. Item frigus[c] pellit e pedibus. Aqua decocti ejus[d] fervens[1] podagris etiam frigidis medetur: et crudum tusum cum sale, cuicumque vitio pedum. Semen illitum[e] et potum in vino, contra serpentes et toxica salutare esse proditur. A multis vero[f] antidoti vim habere in vino et oleo. Democritus[g] in totum ea abdicavit in cibis, propter inflationes. Diocles magnis laudibus tulit,[2] etiam Venerem[h] stimulari ab eis professus: item Dionysius: magisque, si eruca condirentur.[i] Tosta[3] quoque[j] articulorum dolori cum adipe prodesse.

X. Sylvestre rapum[k] in arvis maxime nascitur, fruticosum, semine candido,[l] duplo majore, quam papaveris. Hoc

CAP. IX. 1 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *Item frigus pellit e pedibus decoctum. Et jus fervens* Gronov. et vulgg.—2 Cod. Dalec. et Vet. ejusdem, *laudibus extulit.*—3 Ita codd. Harduini, Dalec. et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *Cocta* Vet. Dalec. et Cato; ita quoque Salmasius. *Costa* Gronov. et vulgg. Mox, *cum adipe prodest* Chiffl.

NOTÆ

Diosc. II. 134. Est autem *pernio* χίμετλον, morbus pedum ex nimio frigore proveniens, et calcaneum maxime infestans hyeme: unde et nomen Græcum χίμετλα, *perniones*, et ambusta frigore. Vulgus in Gallia *mulas* vocat, *Avoir les mules aux talons.*

[c] *Item frigus*] Plinius Valer. loc. cit.

[d] *Aqua decocti ejus*] Iisdem verbis Plinius Valer. loc. cit. 'Aqua in qua discocta sunt, frigidis podagris salubre fomentum est.' Diosc. quoque, loc. cit. Τὸ δὲ ἀφέψημα αὐτῆς ποδάγρας καὶ χιμέτλων ἐστὶ καταντλημα.

[e] *Semen illitum*] Diosc. et Plinius Valer. loc. cit.

[f] *A multis vero*] A Diocle et Dionysio, ut refert Plinius Valer. loc. cit. Adde Galenum de Antidotis II. 1. p. 899.

[g] *Democritus*] Ad verbum hæc quoque Plinius Valer. IV. 34. Democrito Galenus subscribit de Facult. Simp. Med. lib. VI. pag. 168. Hinc carmen illud in ore vulgi: 'Ventum sæpe rapis, si tu vis vivere rapis.' Et Schola Salernitana: 'Rapa juvat stomachum, novit producere ventum,' &c.

[h] *Etiam Venerem*] Diosc. et Galenus loc. cit.

[i] *Si eruca condirentur*] Si eruca admisceretur, quæ herba concitatrix Veneris est, ut dictum est XIX. 44. Ita Plinius Valer. loc. cit. Audaculus nescio quis emendabat, *si muria condirentur.*

[j] *Tosta quoque*] Plinius Valer. loc. cit. Vide Notas et Emend. num. 4.

[k] *Sylvestre rapum*] Iisdem verbis Diosc. describitur, II. 135. γογγύλη ἀγρία. A Dodonæo pingitur, p. 168.

[l] *Semine candido*] Foris nigro, intus candido, Diosc. loc. cit.

ad lævigandam [1] [m] cutem in facie, totoque corpore, utuntur, mixta farina, pari mensura, ervi,[n] hordei, tritici, et lupini. Radix ad omnia inutilis.[2]

XI. (IV.) Naporum [o] duas differentias et in medicina Græci servant. Angulosis [p] foliorum caulibus florentis, quod [1] bunion vocant, purgationibus [q] fœminarum, et vesicæ et urinæ [r] utile decoctum, potum ex aqua mulsa, vel succi drachma. Semen dysentericis [s] tostum, tritumque in aqua calida, e cyathis quatuor. Sed urinam [t] inhibet, si non lini semen una bibatur. Alterum genus buniada [u] ap-

Cap. x. 1 'Uterque codex, *ad albicandam.* Lege potius, *dealbandam.*' Dalec. *ad lævigandum* Chiffl.—2 Ita Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *mista urina pari mensura. Ervi, hordei, tritici, et lupini radix, &c.* Gronov. et al. vett.

Cap. xi. 1 '*Angulosis caulib. folio apii, flore anethi, quod,* e Diosc.' *Dalec. alterum angulosis caulib. florentem, &c.* Cornarius.

NOTÆ

[m] *Ad lævigandam*] Diosc. ad detergendam. Q. Serenus c. 12. de cutis et faciei vitiis propellendis, p. 131. 'Crudaque dulcacido miscebis rapa liquori.' Dulcacidum liquorem acetum vocat.

[n] *Mixta farina, pari mensura, ervi*] Vide Notas et Emend. num. 5.

[o] *Naporum*] Hæc iisdem fere verbis Plinius Valer. IV. 33. 'Non unam eandemque virtutem in omnibus napis experta est medicina. Id enim quod angulosis foliorum caulibus ad anethi floret similitudinem, vesicæ laboranti, itemque cessantibus menstruis fœminarum decoctum ex aqua mulsa utile existimant,' &c. Has porro differentias, quas in napis Græci agnoscunt, Plinius quidem affert in medium, nec tamen probat. Caute videlicet, nam quod βούνιον vocant, diversa longe planta a napo est. Efficit enim, præter cetera, similitudo cum anetho, apioque, quam in bunio Diosc. IV. 124. et Plinius Valer. proxime laudatus, agnoscunt, ut non aliam esse existimem, quam saxifragam Dodonæi, Pemptad. II. lib. V. c. 21. p. 312. quæ ob radicis affinitatem napi quoque appellatione venire forte potuerit apud Medicos Græcos.

[p] *Angulosis*] Utile, inquit, decoctum foliorum ejus generis quod est angulosis caulibus: bunion Græci vocant: utile, inquam, purgationibus fœminarum, &c. Diosc. quoque loc. cit. caule esse quadrangulo animadvertit, καυλὸν ἀνίησι τετράγωνον.

[q] *Purgationibus*] Galenus de Facult. Simp. Med. lib. VI. p. 164. et Plinius Valer. loc. cit.

[r] *Et vesicæ et urinæ*] Forte, *et vesicæ et reni*, cum Diosc. loc. cit. Σπληνί τε, καὶ νεφροῖς, καὶ κύστει ἐπιτήδειον. Verum et per se urinas ciere, οὐρητικὸν εἶναι, idem prodit.

[s] *Semen dysentericis*] Plinius Valer. IV. 33. ad verbum.

[t] *Sed urinam*] Plinius Valer. loc. cit. totidem verbis.

[u] *Alterum genus buniada*] Diosc. II. 136. Hæc Græcorum βουνιὰς Lati-

pellant, et raphano et rapo simile: seminis præclari contra venena: ob id et in antidotis[v] utuntur illo.

XII. Raphanum et sylvestrem esse diximus.[w] Laudatissimus in Arcadia: quanquam et alibi[1] nascitur, utilior urinæ duntaxat ciendæ. Cetero æstivi usus[x] in Italia,[2] et armoraciam vocant.

XIII. Et sativi vero, præter ea quæ circa eos[a] dicta sunt, stomachum purgant, pituitam extenuant, urinam concitant, bilem detrahunt. Præterea cortices in vino decocti,[1] mane poti ad ternos cyathos, comminuunt et ejiciunt calculos. Iidem in posca decocti contra serpentium morsus illinuntur. Ad tussim[b] etiam mane jejunis raphanus prodest cum melle: semen[2] eorum tostum, ipsumque commanducatum, ad lagonoponon:[c] aquam foliis ejus decoctis bibere, vel

CAP. XII. 1 Cod. Dalec. *diximus, laudatissimum in Arcadia. Qui alibi.*—2 'Male codd. Regg. Lang. et Editio princeps, *æstivosus in Italia.* Cl. Harduinus, *æstivo usus in Italia.*' Brotier. *Cetero bilem detrahunt. Præterea cortices in vino. Præter ea quæ circa eos dicta sunt, stomachum purgant, pituitam extenuant, urinam concitant. Est et sativi usus in Italia, et armoraciam vocant. Et sativi vero decocti* Gronov. et al. vett. ante Harduin. *Detrahit cortex in vino. Præterea* Vet. Dalec. 'Legendum prorsus, *sylvestris usus. In Italia.*' Dalec.

CAP. XIII. 1 Ita Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. Vide ad cap. præced. item Not. et Emend. n. 6.—2 Cod. Dalec. *prodest. Cum melle*

NOTÆ

norum *napus* est, eademque quæ *γογγυλίς*. Galenus de Alim. Facult. II. 62. p. 367. *Εἴτε γογγυλίδα καλεῖν, εἴτε βουνιάδα τὸ φυτὸν τοῦτο λαχανῶδες.* De napis egimus XVIII. 35. et XIX. 25. Transcripsit et hunc locum Plinius Valer. IV. 33.

[v] *Ob id et in antidotis*] Plinius Valer. loc. cit. Andromachus junior, Andromachi senioris F. ejus qui Neronis *ἀρχίατρος* extitit, apud Galen. de Antid. I. 7. p. 877. *βουνιάδος σπέρματος*, e semine buniadis; certum adhibet modum theriacæ e viperis concinnandæ.

[w] *Raphanum . . . diximus*] Lib. XIX. c. 26.

[x] *Cetero æstivi* [*æstivo*] *usus*] Æstivo nempe raphano. Vide Notas et Emend. num. 6. De armoracia diximus XIX. 26.

[a] *Præter ea quæ circa eos*] Præter ea remedia, quæ circa raphanos jam dicta sunt.

[b] *Ad tussim*] Sic Florentinus in Geopon. XII. 22. p. 346. Nec multum discrepat Diosc. II. 137. *Ἑφθὴ δὲ ποιεῖ λαμβανομένη βήσσουσι χρονίως, καὶ τοῖς πάχος γεννῶσιν ἐν θώραξι.* *Elixa vero si sumatur, valet ad eos qui diuturna tussi infestantur, quique crassiores succos in pectore cumulant.*

[c] *Ad lagonoponon*] *Λαγόνων πόνον*, *iliorum dolorem.*

succum ipsius cyathis binis contra phthiriases: phlegmoni[3] ipsos illinere tusos, livori vero[d] recenti corticem cum melle: veternosis[e] autem quam acerrimos mandere: semenque tostum,[f] dein contritum cum melle, suspiriosis. Iidem et contra[g] venena prosunt. Cerastis et scorpionibus[4][h] adversatur: vel ipso, vel semine[i] infectis manibus impune tractabis: impositoque[j] raphano scorpiones moriuntur. Salutares et contra fungorum aut hyoscyami venena æque, ut Nicander[k] tradit: et contra viscum quoque dari Apollodori duo[l] jubent: sed Citieus semen ex aqua tritum, Tarentinus[5] succum. Lienem item[m] extenuant: jocineri prosunt, et lumborum doloribus. Hydropicis[n] quoque ex aceto aut sinapi sumti,[6] et lethargicis. Praxagoras et iliosis dandos censet: Plistonicus et cœliacis.[7][o] Intestino-



semen.—3 Dalec. *phlegmonis.* 'Bene Editio princeps, *phlegmoni.*' Brotier.—4 *Cætero et scorpionibus* Gronov. et al. ante Harduin. Mox, cod. Dalec. *adversantur ipso .... tractabilibus: imposito raphano scorpionibus.*—5 Cod. Dalec. *jubent, Scilleus et Tarentinus;* al. *Scilleus semen;* Chiffl. *Cilleus.* Gronov. *Tarantinus.*—6 Cod. Dalec. *exsumpti;* unde ille, *præsumti.*—7 Vet. Da-

NOTÆ

[d] *Livori vero*] Plinius Valer. III. 47. Marcellus Empir. c. 19. p. 132. 'Radicis,' inquit, 'quæ manducatur, id est, raphani, cortex tritus diligenter, et cum melle permixtus, illitusque, sugillationes, atque livores, qui ex ictibus eveniunt, celeriter absterget.'

[e] *Veternosis*] Veternosus est, qui gravi somno premitur, inquit Festus.

[f] *Semenque tostum*] Plinius Valer. IV. 1.

[g] *Iidem et contra*] Diosc. II. 137. et Florentinus loc. cit.

[h] *Cerastis et scorpionibus*] Vide Notas et Emend. num. 7.

[i] *Vel ipso, vel semine*] Ita etiam Mss. omnes. Sic et Florentinus in Geopon. XII. 22. p. 346. *Εἰ δέ τις χυλῷ ῥαφανίδος ἐπιμελῶς τὰς χεῖρας ἑαυτοῦ χρίσει καὶ τρίψει, ἀφόβως καὶ ἀκινδύνως ἑρπετῶν ἐπιλήψεται.* Habet eadem Diophanes XIII. 9. p. 367.

[j] *Impositoque*] Florentinus et Diophanes locis citatis.

[k] *Nicander*] Contra hyoscyamum prodesse scribit Nicander in Alexiph. p. 159. adversus fungos, p. 167. De fungis quoque Diosc. II. 137. Et Scribonius Largus Compos. 198. 'Ad fungos venenatos. Adjuvantur autem radice ea quam nos edimus, acri, quamplurima, per se, vel cum sale manducata: ejusque semine, si ipsa non fuerit, poto ex vino.'

[l] *Apollodori duo*] De his in Auctorum Indice.

[m] *Lienem item*] Dioscor. loc. cit. semini raphani hanc vim adjudicat, quod ex aceto bibatur. Florentinus quoque loc. cit.

[n] *Hydropicis*] Diosc. et Florentinus locis citatis.

rum ulcera sanant: ac purulenta[8] præcordiorum, si cum melle edantur. Quidam ad hæc coquere eos in luto illitos malunt:[9] sic et fœminas purgari. Ex aceto et melle[p] sumti, intestinorum animalia detrahunt. Item ad tertias[q] decocto eorum poto cum vino. Enterocelis[r] prosunt:[10] sanguinem quoque inutilem[s] sic extrahunt. Medius[t] ad hæc et sanguinem exscreantibus coctos dari jubet: et puerperis[u] ad lactis copiam augendam. Hippocrates[v] capitis mulierum defluvia[11] fricari raphanis: et super umbilicum[w] imponi contra tormenta vulvæ. Reducunt et cicatricem[x] ad colo-

lec. *et colicis;* Chiffl. *et coliacis.*—8 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *at purulentia* Gronov. et al. vett.—9 'Ita bene codd. Regg. et Editio princeps. Perperam omissum in recentioribus editionibus, *illitos.*' Brotier. *illitos* deest in codd. Dalec. item in edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. 'Lego, *eos luto oblitos malunt.*' Dalec.—10 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *cum vino enterocelis prosunt* Gronov. et al. vett.—11 Cod. Dalec. *capillos mul.*

NOTÆ

[o] *Et cœliacis*] Cœliacus dicitur, qui morbo ventriculi cœliaco laborat: de quo Celsus IV. 12. 'In ipsius ventriculi porta consistit is, qui et longus esse consuevit, κοιλιακὸς a Græcis nominatur. Sub hoc, venter indurescit, dolorque ejus est. Alvus nihil reddit, ac ne spiritum quidem transmittit: extremæ partes frigescunt: difficulter spiritus redditur.' Aliter, et brevius, Scribonius Largus Compos. 95. 'Cœliacus, qui subito universa dejicit.' Marcellus Empiricus similiter, c. 27. p. 186. 'Ad cœliacos,' inquit, 'id est, qui subito et multa defundunt.'

[p] *Ex aceto et melle*] Vide Notas et Emend. num. 8.

[q] *Item ad tertias*] Marcellus Empir. c. 28. p. 200. et Plinius Valer. II. 21. ad tineas ejiciendas.

[r] *Enterocelis*] Ἐντεροκήλη, *ramex intestinorum*, descensus intestini in alterum naturæ locum. Celsus VII. 18. de scroto loquens: 'Interdum vel ex morbo primum inflammatur, deinde postea pondere abrumpitur, vel ex ictu aliquo protinus rumpitur tunica, quæ diducere ab inferioribus partibus intestina debuit: tum pondere eo devolvitur aut omentum, aut etiam intestinum ... ἐντεροκήλην, et ἐπιπλοοκήλην Græci vocant: apud nos indecorum, sed commune his herniæ nomen est.'

[s] *Sanguinem q. inutilem*] E pectore.

[t] *Medius*] De eo in auctorum indice. Suffragatur ei quoque Diosc. II. 137. Marcellus, c. 16. p. 120. et Florentinus in Geopon. XII. 22. pag. 346.

[u] *Et puerperis*] Plinius Valer. IV. 1.

[v] *Hippocrates*] De morbis mulierum II. 67. Ἢν δὲ ῥέωσιν αἱ τρίχες ... καὶ ἣν μαδίσῃ, κύμινον ἔμπλασσε, ἢ ῥάφανον τριπτὴν, κ. τ. λ. Ῥάφανος Hippocrati ubique *raphanus* est: *brassica*, κράμβη. Alopecias raphani affrictu sanari scribit et Florent. loc. cit.

[w] *Et super umbilicum*] De morbis mulierum II. 78.

[x] *Reducunt et cicatricem*] Sic Florentinus loc. cit. Et ad sugillata tol-

rem. Semen quoque[y] ex aqua impositum, sistit ulcera, quæ phagedænas[z] vocant. Democritus[a] Venerem hoc cibo stimulari putat: ob id fortassis voci[b] nocere aliqui tradiderunt. Folia quæ in oblongis duntaxat nascuntur, excitare oculorum aciem dicuntur. Ubi vero acrior raphani medicina admota sit, hyssopum dari protinus imperant. Hæc antipathia[c] est. Et aurium[12] gravitati[d] succum raphani instillant. Nam vomituris summo[13] cibo[e] esse eos, utilissimum est.

XIV. Pastinacæ simile hibiscum,[f] quod molochen agriam



defluos.—12 'Ita codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier.* *At aurium* al. ante Brotier.—13 Margo edd. Dalec. et Gronov. *primo*, e Diosc. Supra, XIX. 26. 'dandos jejunis.'

NOTÆ

lenda Galenus raphanum commendat, de Simp. Med. Fac. lib. VIII. p. 224.

[y] *Semen quoque*] Iisdem verbis hæc Marcellus Empir. c. 4. p. 42. et Plinius Valer. III. 22. sed apud hunc *faredines* corrupte legitur in libris editis, pro *phagedænas*.

[z] *Phagedænas*] Φαγέδαινα, ulceris nomen ab exedendo. Est autem ulcus, quod huc atque illuc serpendo, cutem ac subjectam illi carnem, sed extimam tantum, et in superficie constitutam, depascitur ac rodit. Celsus VI. 18. caput inscripsit, de phagedænæ in cole nascentis curatione, aitque esse cancri genus. Vide Palladium in Hist. Lausiaca cap. 30. de Stephano abbate. Alia, præter istam, phagedæna est, stomachi affectus, de quo alibi dicturi sumus.

[a] *Democritus*] Et Plinius Valer. IV. 1.

[b] *Ob id fortassis voci*] Hoc ipsum auctoritate Florentini tradit auctor Geopon. XII. 22. Ex quo intelligis ea quæ libidinem incitant, vocem quoque lædere: uti e diverso, quæ Venerem inhibent, vocem juvare. Nam Plinius XXVI. 61. auctor est, radicem Nymphææ inhibere Venerem, et effluentiam genituræ, ob idque corpus ac vocem alere.

[c] *Hæc antipathia*] Raphanum humectare, hyssopum vero calidum natura esse, docet Hippocr. de diæta, II. 25. et 26.

[d] *Et aurium gravitati*] Marcell. Empir. de Medic. c. 9. p. 75. 'Raphani quoque,' inquit, 'id est, radicis quæ manducatur, succus infusus auriculæ dolenti, infinitum prodest.'

[e] *Nam vomituris summo cibo*] Hoc est, primo cibo, et a jejunis. Dioscor. II. 137. Ἁρμόζει δὲ καὶ τοῖς ἐμεῖν μέλλουσι προεσθιομένη. Atque ipse quidem Plinius XIX. 26. de raphanis, 'Medici suadent,' inquit, 'dandos cum sale jejunis esse, atque ita vomitionibus præparant meatum.' Hausit a Celso I. 3. 'Qui vomere post cibum volet, si ex facili facit, aquam tantum tepidam ante debet assumere: si difficilius, aquæ, vel salis, vel mellis paulum adjicere. At qui mane vomiturus est, ante bibere mulsum, vel hyssopum, aut esse radiculam debet.' Quando præterea juvet ex raphano ciere vomitum, vide apud Galen. κατὰ τόπους, l. II.

[f] *Pastinacæ . . . hibiscum*] Illud ip-

vocant, et aliqui pistolochiam, ulceribus cartilaginis[1] et ossibus fractis medetur. Folia ejus ex aqua pota alvum solvunt, serpentes abigunt. Apum, vesparum, crabronum ictibus illita[2] medentur. Radicem ejus ante Solis ortum erutam involvunt lana coloris, quem nativum vocant,[g] præterea ovis quæ fœminam peperit, strumisque vel suppuratis alligant. Quidam ad hunc usum auro[3] effodiendam censent: cavendumque ne terram attingat. Celsus[4 h] et podagris quæ sine tumore sint, radicem ejus ex vino decoctam imponi jubet.

XV. (V.) Alterum genus est staphylinos,[i] quod pastinacam vocant.[1] Ejus semen[j] contritum et in vino potum, tumentem alvum, et suffocationes mulierum, doloresque lenit in tantum, ut vulvas corrigat: illitum quoque e passo ventri earum prosit:[2] viris vero prodest,[3] cum panis portione æqua tritum, ex vino potum contra ventris dolores. Pellit et urinam:[k] et phagedænas[l] ulcerum sistit recens

CAP. XIV. 1 Cod. Dalec. *uberibus, cartilagini.*—2 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *illata* Gronov.—3 Vet. Dalec. *aurora.*—4 *Celsus* deest in cod. Dalec.—5 Cod. Dalec. *humore.* Mox, Chiffl. *in vino.* Denique, cod. Dalec. *imponi jubent.*

CAP. XV. 1 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *pastinacam erraticam vocant* Gronov. et al. ante Harduin.—2 Cod. Dalec. *prodest.*—3 Chiffl. *prosit.* Mox, *aut ex vino* Da-

NOTÆ

sum, de quo egimus XIX. 27. Id vero a nonnullis perperam appellari μολόχην sive μαλάχην ἀγρίαν, hoc est, *malvam agrestem*, et πιστολοχίαν, obiter admonet.

g *Quem nativum vocant*] Is pullus scilicet colos est. De nativis coloribus egimus VIII. 73.

h *Celsus*] Lib. IV. 24. de articulorum doloribus in manibus, pedibusque: 'Ubi dolor,' inquit, 'vehemens urget, interest sine tumore is sit, an tumor cum calore ... Nam si tumor nullus est, calidis fomentis opus est ... ac deinde noctu cataplasmata calefacientia imponere, maximeque hibisci radicem ex vino coctam.'

i *Staphylinos*] Pastinacæ genus agreste intelligit, de quo XIX. 27. Dioscoridi III. 59. est σταφυλῖνος ἄγριος.

j *Ejus semen*] Plinius Valer. IV. 32.

k *Pellit et urinam*] Ita Diocles Caryst. libro primo de tuenda valetud. apud Athen. lib. IX. pag. 371. Galenus lib. VIII. Fac. Simp. Med. pag. 231.

l *Et phagedænas*] Galenus loc. cit. Plinius Valer. IV. 32. Diosc. loc. cit.

cum melle impositum, vel aridum farina inspersum. Radicem ejus[m] Dieuches[4] contra jocineris, ac lienis, ilium, lumborum, et renum vitia ex aqua mulsa dari jubet. Cleophantus et dysentericis[5] [n] veteribus. Philistion in lacte coquit,[o] et ad stranguriam[p] dat radicis uncias quatuor: ex aqua hydropicis,[q] similiter et opisthotonicis,[r] et pleuriticis, et comitialibus. Habentes eam[s] feriri a serpentibus negantur: aut qui ante[t] gustaverint, non lædi.[6] Percussis imponitur cum axungia. Folia contra cruditates manduntur. Orpheus amatorium inesse staphylino dixit, fortassis quoniam Venerem stimulari[u] hoc cibo certum est: ideo conceptus[v] adjuvari[7] aliqui prodiderunt. Ad reliqua[w] et sativa pollet. Efficacior tamen sylvestris, magisque in petrosis nata. Semen sativæ[x] quoque contra scorpionum ictus,[8] ex vino aut posca, salutare est. Radice ejus[y] circumscalpti dentes dolore liberantur.

XVI. Syria in hortis operosissima est: indeque prover-

lec.—4 Vet. Dalec. *vel aridi ejus farina inspersa. Radicem Dieuches*; Chiffl. *vel aridæ farinæ inspersum.*—5 Vet. Dalec. *dysenteriis.*—6 Vet. Dalec. *ac qui an. gust. lædi.*—7 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. et recentt. *adjuvare* Gronov. et al. vett.—8 Cod. Dalec. *contra serpentium ictus.*

NOTÆ

[m] *Radicem ejus*] Plinius Valer. loc. cit.

[n] *Et dysentericis*] Sic etiam Plinius idem Valer. *Dysentericis vetustis.*

[o] *Philistion in lacte coquit*] Nempe ad dysenteriam, et præterea ad stranguriam: uti ex Plinio Valeriano intelligimus.

[p] *Ad stranguriam*] Στραγγουρίαν Græci dixere, *urinæ stillicidium*, dum scilicet urina nonnisi per intervalla stillis fluit.

[q] *Ex aqua hydropicis*] Plinius Valer. loc. cit. et Dioscor. III. 59.

[r] *Opisthotonicis*] Ὀπισθοτονικὸς dicitur, cui cervix in posteriorem partem ita contractis nervis dirignit, ut flecti non possit. Plinius XXVIII. 52. *dolorem inflexibilem* ὀπισθότονον definit. Vide et quæ dicturi sumus XXIII. 24.

[s] *Habentes eam*] Sic Plinius Valer. loc. cit.

[t] *Aut qui ante*] Diosc. loc. cit. et Plinius Valer.

[u] *Venerem stimulari*] Diphilus Siphnius apud Athen. lib. IX. p. 371. qui et idcirco ait φίλτρον id a nonnullis appellari. Sic Plinius Valer. loc. cit.

[v] *Ideo conceptus*] Dioscor. loc. cit. Συνεργεῖ δὲ καὶ συλλήψει.

[w] *Ad reliqua*] Dioscor. loco citato.

[x] *Semen sativæ*] Plinius Valer. IV. 32.

[y] *Radice ejus*] Plinius Valer. loc. cit.

bium Græcis: 'Multa Syrorum[a] olera.' Simillimam staphylino herbam serit, quam alii gingidion[b] vocant, tenuius tantum et amarius, ejusdemque effectus. Estur coctum[c] crudumque[1] stomachi magna utilitate. Siccat enim ex alto[2][d] omnes ejus humores.

XVII. Siser erraticum[e] sativo simile est, et effectu: stomachum excitat,[f] fastidium absterget, ex aceto laserpitiato[g] sumtum, aut ex pipere et mulso, vel ex garo. Urinam ciet,[1] ut Opion[2] credit,[h] et Venerem. In eadem sententia est et Diocles. Præterea cordi convenire convalescentium, aut post multas vomitiones perquam utile.[3] Heraclides contra argentum vivum dedit, et Veneri subinde

---

Cap. xvi. 1 Margo edd. Dalec. et Gronov. *et conditum*, e Diosc.—2 Margo edd. Dalec. et Gronov. *exactos*.

Cap. xvii. 1 Ita Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *fastidium absterget. Ex aceto .... vel ex garo urinam ciet* Gronov. et al. vett.—2 *Opinion* Chiffl.—3 Vet. Dalec. *et post multas v. esse perquam utile.*—4 Vet. Dalec.

NOTÆ

[a] *Multa Syrorum*] Πολλὰ Σύρων λάχανα: quo de proverbio, vide Cæl. Rhodig. xxv. 25. p. 1188. et Erasmum, Chiliad. i. Cent. 8. Adag. 56. Id ad Syrorum ignaviam Cælius refert.

[b] *Gingidion*] Galenus de Alim. Fac. ii. 55. p. 364. tom. vi. Πλεῖστον ἐν Συρίᾳ τὸ γιγγίδιον φύεται. Simillimum pastinacæ sylvestri pariter Dioscorides facit, ii. 167. sed tenuius, amariusque. Græci scriptoris verba sic legenda esse ex Crateva suo prodit Anguillara, par. 7. p. 107. Φύεται πλεῖστον ἐν Κιλικίᾳ τε καὶ Συρίᾳ, βοτάνη σταφυλίνῳ μὲν ἐοικυῖα ἀγρίῳ, λεπτοτέρα δὲ καὶ πυκνοτέρα, καὶ πικρὰ πρὸς τῇ γεύσει. Vulgo *Visnagha* et *Busnagha* vocant. A Matthiolo pingitur in Diosc. lib. ii. p. 525. quale in horto Regio vidimus. Glossæ Philoxeni: *Cerepulium*, γιγγίδιον: ubi eruditi *Cerefulium* legi monent oportere: idque adeo esse gingidion censent, quod Galli *Cerfeuil* vocitant: falso imperiti Glossarum concinnatoris errore delusi: neque enim cerefulium γιγγίδιον est.

[c] *Estur coctum*] Iisdem verbis Diosc. loc. cit. Λαχανεύεται δὲ ὠμὸν καὶ ἑφθὸν, καὶ ταριχευθὲν ἐσθίεται· ἔστι δὲ εὐστόμαχον. Vide et Galen. de Simp. Medic. Fac. lib. vi. p. 166.

[d] *Siccat enim ex alto*] Ita libri omnes. Fuit cum *ex alvo* mallem. Sed *ex alto* idem valet atque ex imo ac profundo stomachi recessu, sinuve.

[e] *Siser erraticum*] De sativo dictum est xix. 28.

[f] *Stomachum excitat*] Diosc. ii. 139. Stomacho prodest, urinam ciet, appetentiam invitat: εὐστόμαχος, οὐρητική, ὀρέξεως προκλητική. Vide Notas et Emend. num. 9.

[g] *Laserpitiato*] Quod fuerit prius laserpitii succo dilutum.

[h] *Opion credit*] In Mss. *Opinion*. Nos *Ophelion*, ut in Indice dicemus, sincerius arbitramur.

offensanti,[i] ægrisque se recolligentibus. Hicesius ideo stomacho utile[j] videri dixit, quoniam nemo tres siseres edendo continuaret:[k] esse tamen utile[4] convalescentibus ad vinum transeuntibus. Sativi privatim succus cum lacte caprino potus sistit alvum.

XVIII. Et quoniam plerosque similitudo nominum Græcorum[1] confundit, conteximus et de sili:[2] [l] sed hoc est vulgatæ notitiæ.[3] Optimum Massiliense:[m] lato enim grano et fulvo est. Secundum Æthiopicum, nigrius. Creticum odoratissimum omnium. Radix jucundi[n] odoris est. Semen esse[4] et vultures dicuntur. Prodest homini ad tussim veterem,[o] rupta, convulsa,[p] in vino albo potum. Item opisthotonicis,[q] et jocinerum vitiis, et torminibus, et stran-

inutile.

CAP. XVIII. 1 *Græcorum* deest in cod. Dalec.—2 *Seseli* margo edd. Dalec. et Gronov. e Diosc.—3 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *vulgaris notitiæ* edd. vett. et Gronov.—4 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Semen*

NOTÆ

[i] *Et Veneri .... offensanti*] Deficienti.

[j] *Ideo stomacho utile*] Ita libri omnes. Sunt qui velint *inutile* legi: frustra. Idcirco utile Hicesius stomacho credidit, quod periculi nihil sit ne largius sumatur: neminem enim esse qui siseres tres edere continuo possit. Modice porro sumtos, prodesse: nocere, si copiosius edantur.

[k] *Continuaret*] Sic Horat. lib. II. 6. 'Continuatque dapes.'

[l] *Et de sili*] Veteribus Græcis Σέλι sive Σίλι, idem fuit, quod recentioribus deinde σέσελι. Herodoto in Euterpe, σιλλικύπριον, quod Diosc. IV. 164. σέσελι Κύπριον. Nec Græcis modo, sed et Latinis scriptoribus. Festus: 'Silatum antiqui, pro eo quod nunc jentaculum dicimus, appellabant: quia jejuni vinum sili conditum ante meridiem absorbebant.'

[m] *Massiliense*] Tria hæc genera in horto Regio vidimus. Massiliense a Lobelio pingitur, in Observ. p. 457. Creticum sive Tordylion, ab eodem, p. 425. Æthiopicum seseli frutex a Dodonæo, p. 310.

[n] *Radix jucundi*] In triplici nempe genere proxime laudato. Dioscor. quoque III. 60. de Massiliensi, ῥίζα μακρὰ, εὐώδης.

[o] *Prodest .... ad tussim veterem*] Diosc. loc. cit.

[p] *Rupta, convulsa*] Ῥήγματα καὶ σπάσματα Græci dicunt, ut Diosc. Εὐπορ. II. 34. p. 78. Ῥῆγμα nervorum, tendonumque fractura est: (alii arteriarum et venarum esse volunt:) Σπάσμα eorundem nervorum convulsio, retractio, et quædam quasi complicatio.

[q] *Item opisthotonicis*] Orthopnoicis et stranguriæ mederi prodidit similiter Galenus de Fac. Simp. Medic. lib. VIII. p. 227.

guriæ, duarum aut trium ligularum [r] mensura.[5] Sunt et folia [s] utilia, ut quæ partus adjuvent etiam quadrupedum. Hoc maxime [t] pasci dicuntur cervæ pariturae. Illinuntur et igni sacro.[6] Multumque in summo cibo [u] concoctionibus confert, vel folio, vel semine. Quadrupedum quoque alvum sistit, sive tritum potui infusum, sive mandendo commanducatum e sale.[7] Boum morbis tritum infunditur.[v]

XIX. Inula quoque [a] a jejunis commanducata, dentes confirmat, si ut eruta est, terram non attingat: condita tussim [b] emendat. Radicis vero decoctæ [c] succus tineas pellit: [d] siccatæ autem in umbra farina tussi, et convulsis,

ejus esse Gronov. et vulgg.—5 Codd. Dalec. et Chiffl. *linguarum mensura.*—6 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *Illinitur et igni sacro* Gronov. et vulgg. *Illinuntur et igne sacro* Chiffl.—7 Cod. Dalec. *edendo manducatum cum sale.*

NOTÆ

[r] *Trium ligularum*] In Mss. *trium linguarum.* Lingua, seu ligula, mensuræ genus est, quæ et cochlear dicitur: est autem pars quarta cyathi, de quo XXI. 109.

[s] *Sunt et folia*] Et semen quoque capris, ceterisque pecudibus, ad partum juvandum dari, scribit Dioscor. III. 60. Δίδοται δὲ καὶ αἰξὶ καὶ τοῖς λοιποῖς κτήνεσι πρὸς εὐτοκίαν ποτόν.

[t] *Hoc maxime*] Vide quæ diximus VIII. 50.

[u] *Multumque in summo cibo*] Primo cibo, ut supra c. 13. Semen quidem e vino potum, conferre concoctioni plurimum, auctor est Diosc. loc. cit. Et vinum silatum idcirco ante meridiem bibere solitos veteres fuisse paulo ante ex Festo diximus.

[v] *Boum .... infunditur*] Faucibus scilicet.

[a] *Inula quoque*] Ad verbum hæc Plinius Valer. I. 36. et Apuleius cap. 95. tit. 2.

[b] *Condita tussim*] Nempe condita melle. Plinius Valer. I. 58. 'Inulæ pulvere,' inquit, 'ligula plena melle mixto et cocto, unam mane, et alteram sero accipies: hoc tussi medetur, et arterias lenit.'

[c] *Radicis vero decoctæ*] In vino videlicet. Nam Marcellus Empir. cap. 28. p. 200. 'Radix inulæ,' inquit, 'in vino decoquitur: deinde succus ejus exprimitur, potuique datur ad tineas enecandas. Sed ea radix posteaquam eruta est, terram non debet attingere.' Eadem habet pæne totidem verbis Plinius Valer. II. 21. De foliis Apuleius c. 95. tit. 3. 'Ad lumbricos:' 'Herbæ inulæ folia ex vino trita, mirifice, cum bibuntur, necant lumbricos.'

[d] *Tineas pellit*] Sive tænias. Ταινίαι vocantur lati longissimique vermes, qui totius intestini longitudinem interdum adæquant. Veteres tænias et tineas indiscrete dixerunt. Sic Cato de Re Rust. c. 126. 'Si tineæ et lumbrici molesti erunt.' Scribo-

et inflationibus, et arteriis medetur. Venenatorum morsus abigit. Folia ex vino [e] lumborum dolori [1] illinuntur.

XX. Cepæ sylvestres non sunt. Sativæ olfactu ipso et delacrymatione [f] caligini medentur, magis vero succi inunctione.[g] Somnum [1] etiam [h] facere traduntur, et ulcera oris sanare, commanducatæ cum pane. Et canis morsus,[i] virides ex aceto illitæ, aut siccæ cum melle [2] et vino, ita ut post diem tertium solvantur. Sic et attrita [j] sanant.[3] Coctam in cinere [4] et epiphoris multi imposuere cum farina hordeacea, et genitalium ulceribus. Succo [k] et cicatrices [5] oculorum, et albugines, et argema inunxere: et serpentium

CAP. XIX. 1 Margo edd. Dalec. et Gronov. *ischiadi*, e Diosc.

CAP. XX. 1 *Sotunium* Chiffl.—2 'Margo edd. Dalec. et Gronov. *illitæ cum aceto, ruta, melle*, e Diosc.—3 Ita codd. Harduini, et Vet. Dalec. item Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *et tritæ sanant* Gronov. et al. vett. —4 *Tostum in cinerem* Vet. Dalec.—5 Margo edd. Dalec. et Gronov. *νεφέλια*,

NOTÆ

nius Largus Compos. 140. 'Ad tineas et lumbricos necandos.' Apuleius item cap. 35. tit. 4. 'Ad lumbricos et tineas.' Plinius Valer. II. 21. 'Tineæ quoddam vitium ventris est,' &c. Q. Serenus cap. 31. de lumbricis et tineis purgandis, p. 145. 'Quid non adversum miseris mortalibus addit Natura, interno cum viscere tinea serpens, Et lumbricus edax,' &c. Alias etiam Plinio nostro tineæ XI. 41. eæ sunt fere, quas idem blattas appellat, XXIX. 39. quas simul, ceu diversas, appellat Horat. II. Sat. 3. 'Stragula vestis, Blattarum ac tinearum epulæ.'

[e] *Folia ex vino*] Plinius Valer. II. 36. 'Lumbis dolentibus curandis: Inulæ foliorum sive radicis pulveris denarii duo ex vini cyatho uno bibiti, emendant.'

[f] *Et delacrymatione*] Delacrymatio, inquit, acrimonia ceparum excita, oculorum caligini depellendæ prodest.

[g] *Succi inunctione*] Sic Diosc. II. 181. et Galenus de Facult. Simp. Med. lib. VII. p. 198. E Latinis Plinius Valer. I. 18. omnes Hippocratem secuti, cujus illud effatum est, de diæta lib. II. *κρόμυον τῇ ὄψει ἀγαθόν*.

[h] *Somnum etiam*] Plinius Valer. IV. 26.

[i] *Et canis morsus*] Diosc. et Plinius Valer. locis citatis.

[j] *Sic et attrita*] Attritus nempe calceamentorum. Vide Notas et Emend. num. 10.

[k] *Succo*] Diosc. loc. cit. Cicatrix porro *νεφέλιον* est, vitium scilicet oculorum, quod nubeculam vocant. Paulus Ægineta lib. III. albugines et cicatrices ita distinguit, ut has in superficie consistere dicat, et non solum *οὐλὰς*, sed et *νεφέλια* appellari: illas vero *λευκώματα* dictas, altius progressas cicatrices esse. *Ἄργεμα* vero tum dicitur, quoties circa orbem iridis, propinquasque ei partes, sic exulceratio fit, ut extimæ iridis partes rubere, interiores vero albescere videantur. *Ἄργημον* vocat Hippocr. de Morb. Mul. I.

morsus, et omnia vulnera[6] cum melle. Item auricularum cum lacte mulierum: et in iisdem sonitum[l] ac gravitatem emendantes, cum adipe anserino, aut cum melle stillavere.[7] Et ex aqua[m] bibendum dedere repente obmutescentibus.[8] In dolore quoque[n] ad dentes colluendos instillavere, et plagis bestiarum omnium, privatim scorpionum. Alopecias[o] fricuere, et psoras, tusis cepis. Coctas dysentericis[p] vescendas dedere, et contra lumborum dolores: purgamenta quoque earum cremata in cinerem illinentes ex aceto serpentium morsibus, sepisque multipedæ[9] [q] ex aceto. Reliqua inter[r] medicos mira diversitas. Proximi[s] utiles esse[10] præcordiis et concoctioni, inflationemque et sitim facere dixerunt. Asclepiadis schola,[11] ad colorem quoque[t] validum[12] profici hoc cibo. Et si jejuni[u] quoti-

nubeculas.—6 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *et omnia hulcera* Gronov. et vulgg.—7 Dalec. *instillavere.*—8 Gronov. *obtumescentibus.*—9 Ita codd. Harduini, Vet. Dalec. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *ipsasque multipedæ* Gronov. et vulgg. *ipsas quoque multipedæ* cod. Dalec.—10 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *inutiles esse* Vet. Dalec. *inutilia esse* Gronov. et al. vett.—11 *Asclepiadis scholæ* cod. Dalec.—12

NOTÆ

[l] *Et in iisdem sonitum*] Diosc. II. 181. Marcellus Empir. lib. de Medic. c. 9. p. 80. 'Cepæ succus cum melle permixtus, et auriculæ instillatus, graviter audientes emendat, dolorem sedat, purulenta expurgat, vermes enecat: aquam etiam, quæ ingressa fuerit, et omnem humorem educit.' Plinius Valer. I. 11. 'Cepæ succum cum melle, quod in carbonibus calefacies, et auriculæ infundis, mire sanat.' Theodor. Priscianus I. 7. 'de aurium causatione: Sed et ceparum succum, cum anserinis adipibus mixtum similiter injicito, et ovi alborem cum lacte mulieris.'

[m] *Et ex aqua*] Plinius Valer. IV. 26.

[n] *In dolore quoque*] Plinius Valer. loc. cit.

[o] *Alopecias*] Plinius Valer. locis citatis. Marcellus Empir. c. 6. p. 45. Schola Salernitana: 'Contritis cepis loca denudata capillis Sæpe fricans, capitis poteris reparare decorem.' E Græcis Dioscor. et Galenus, locis citatis.

[p] *Coctas dysentericis*] Plinius Valer. loc. cit.

[q] *Sepisque multipedæ*] Subintellige, morsibus. De sepe multipeda, sive millepeda, superius c. 6.

[r] *Reliqua inter*] Hæc totidem verbis Plinius Valer. IV. 26.

[s] *Proximi*] Inter medicos novissimi, quos etiam Dioscorides secutus est, cap. cit. de cepis: 'Dioscorides,' inquit, 'putat ex cibo earum sitim accendi, inflationes fieri, caput prægravari.' Dioscoridis verba repetenda, ex lib. II. c. 181.

[t] *Ad colorem quoque*] Plinius Valer.

die edant, firmitatem valetudinis custodiri: stomacho utiles esse, spiritus agitatione:[13] [v] ventrem mollire, hæmorrhoidas[w] pellere, subditas pro balanis:[x] succum cum succo fœniculi contra incipientes hydropises[14] mire proficere. Item contra anginas,[y] cum ruta et melle. Excitari eisdem[15] [z] lethargicos. Varro, quæ sale et aceto pista est[16] arefactaque, vermiculis non infestari, auctor est.

XXI. (VI.) Porrum sectivum[a] profluvia sanguinis sistit in naribus contrito eo obturatis, vel gallæ mixto, aut mentæ: item ex abortu profluvia, poto succo cum lacte mulierum. Tussi etiam[b] veteri, ac pectoris et pulmonis vitiis medetur. Illitis foliis sanantur et ambusta, et epinyctides: ita vocatur ulcus, quæ et syce,[c] in angulo[1] oculi

Vet. Dalec. *vividum;* al. vet. *pallidum.*—13 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *utiles esse ac cogitationi* cod. Dalec. *utile esse spiritus a cogitatione* Chiffl. *utilia esse s. agitatione* Gronov. et al. vett.—14 Cod. Dalec. *hydropes;* margo edd. Dalec. et Gronov. *hypochyses,* e Diosc.—15 Chiffl. *eadem.*—16 Codd. Regg. Brot. et Editio princeps, *pisa est.* Vet. Dalec. *sale pisto cum aceto madefacta est.*

CAP. XXI. 1 'Alii, *hulcus aciem hebetans et in angulo.* Certe in codd. hæc verba, *quæ et syce,* desunt.' *Dalec.* Mox, pro *perpetuo,* cod. Dalec.

NOTÆ

loc. cit. Schola Salernitana, de cepis: 'Non modicum sanas Asclepius asserit illas, Præsertim stomacho, pulchrumque creare colorem.'

[u] *Et si jejuni*] Plinius Valer. loco citato.

[v] *Spiritus agitatione*] Ea ratione quod spiritus agitet, inquit Plinius Valer. loc. cit.

[w] *Hæmorrhoidas*] Galenus de Fac. Simp. Med. lib. VII. p. 198.

[x] *Pro balanis*] Balani sunt glandes, et id quod glandis forma ad subducendam alvum in podicem manu inditur. Suppositorium vulgus officinarum vocatur, *Donner un suppositoire à un malade.*

[y] *Item contra anginas*] Dioscor. II. 181.

[z] *Excitari eisdem*] Cepis scilicet, si largius edantur. Vide Celsum III. 20. et Diosc. loc. cit.

[a] *Porrum sectivum*] Marcellus Empir. c. 10. p. 83. 'De porro sectivo trito nares fluentes recte obturantur.' Et Plinius Valer. de Re Med. I. 26. 'Ad profluvium narium:' 'In hoc casu,' inquit, 'porro sectivo trito nares obturantur.' De galla in hunc usum admiscenda, meminit idem Marcellus. Addi mannæ vel thuris micam jubet Diosc. II. 179.

[b] *Tussi etiam*] Plinius Valer. I. 63. cui titulus, 'Ad sanguinem exscreantes, et phthisicos affectus:' 'Porri sectivi succum cum lacte mulieris, cyathos duos jejuno dabis tepefactum.' Adde et Diosc. II. 179.

[c] *Ita vocatur .... quæ et syce*] Alia *ἐπινυκτίδος* acceptio hæc est, præter eam quam c. 6. attulimus. Est porro *συκῆ*, ulcus in capite, superciliis, men-

perpetuo humore manans. Quidam[d] eodem nomine appellant pusulas[2] liventes, ac noctibus inquietantes. Et alia ulcera[e] cum melle trito: vel bestiarum morsus ex aceto: item serpentium.[f] Aurium[3] vero vitia[g] cum felle caprino, vel pari mensura mulsi: stridores cum lacte mulieris: capitis dolores, si in nares fundatur: dormiturisve,[h] in aurem duobus succi cochlearibus, uno mellis. Succus et ad serpentium[i] scorpionumque ictus[4] bibitur cum mero, et ad lumborum[j] dolores cum vini hemina potus. Sanguinem vero[k] exscreantibus et phthisicis, distillationibus longis, vel succus, vel ex ipso cibus prodest. Item morbo[l] regio, vel hydropicis. Et ad renum dolores,

habet *perpetim*.—2 Sic ubique codd. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *pustulas* Gronov. et vulgg.—3 *Aliorum* Chiffl.—4 Idem codex, *potus*—5 *Tos-*

NOTÆ

to, ac podice, cui a fici similitudine nomen est: tuberculum videlicet ulcerosum, rotundum, subdurum, rubicundum, cum dolore, in partibus præcipue quæ pilo vestiuntur: capite, palpebris, mento, &c. Σύκωσις Celso dicitur VI. 3. Et Scribon. Largus Compos. 38. 'Excrescentem carnem, σύκωσιν quam vocant.' Lusit in hoc morbi genus Martialis I. 66. 'Cum dixi ficus, rides quasi barbara verba, Et dici ficos, Cæciliane, jubes. Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci: Dicemus ficos, Cæciliane, tuos.' Et 'ficos' Plinius non semel de arborum fœtu dixit: at fœmineo, ut vocant, genere, non virili.

[d] *Quidam*] Quos inter Celsus a nobis laudatus c. 6.

[e] *Et alia ulcera*] Theodorus Priscianus I. 17.

[f] *Item serpentium*] Theod. Priscianus I. 22. 'de apum percussibus, vel scorpionum, ceterorumque serpentium:' 'Et porrum tritum impositum, statim curat.'

[g] *Aurium vero vitia*] Plinius Valer. I. 10. et IV. 20. de porro: 'Aurium quoque dolores,' inquit, 'cum felle caprino, vel pari mensura usi (lege *mulsi*) compescuerunt.' Plinius ipse noster XXVIII. 48. taurinum fel ad aurium dolores et vitia commendat, cum porri succo. Diosc. quoque his adjungendus, II. 179. et Marcellus Empir. cap. 9. p. 80.

[h] *Dormiturisve*] Plinius Valer. IV. 20. et Marcellus Empir. c. 1. 'Porri sectivi succum cochlearia duo, et unum mellis, permixta, ituro dormitum, vel in nares, vel in auriculam tepidum infunde, statim proderit.'

[i] *Succus et ad serp.*] Diosc. II. 179. Sotion in Geopon. XII. 29. p. 352. Theod. Priscianus loc. cit.

[j] *Et ad lumborum*] Marcellus Empir. c. 25. p. 172. et Plinius Valer. II. 36. et IV. 20.

[k] *Sanguinem vero*] Marcellus Empir. c. 16. p. 120. et Plinius Valer. IV. 20.

[l] *Item morbo*] Plinius Valer. II. 59.

cum ptisanæ succo acetabuli mensura. Idem modus cum melle, vulvas purgat. Estur vero[5] et contra fungorum venena: imponitur et vulneribus. Venerem stimulat,[m] sitim sedat: ebrietates discutit: sed oculorum aciem[n] hebetare traditur: inflationem quoque facere, quæ tamen stomacho non noceat, ventremque molliat.[6] Voci[7] splendorem[o] affert.

XXII. Capitato major[a] est ad eadem effectus. Sanguinem[b] rejicientibus succus ejus cum gallæ[1] aut thuris farina, vel acacia, datur. Hippocrates[c] et sine alia mixtura dari jubet: vulvasque contractas aperire putat:[2] fœcunditatem etiam fœminarum hoc cibo augeri.[3] Contritum[d] ex melle ulcera purgat. Tussim[e] et distillationes thoracis, pulmonis et arteriæ vitia sanat, datum in sorbitione ptisanæ:[f] vel crudum, præter capita,[g] sine pane, ita

tus vero estur Vet. Dalec.—6 Margo edd. Dalec. et Gronov. *mollire*. Diosc. *εὐκοίλιον*.—7 *Vocis* Chiffl.

CAP. XXII. 1 Vet. Dalec. *galla*.—2 Chiffl. *contractis aperire se putat*.—3

NOTÆ

[m] *Venerem stimulat*] Diosc. loc. cit.

[n] *Sed oculorum aciem*] Diosc. loc. cit.

[o] *Voci splendorem*] Diosc. loc. cit. *Καθαίρει δὲ καὶ τὴν ἀρτηρίαν*, *purgat arteriam*. Arist. Problem. II. 39. p. 741. *Διὰ τί τὰ πράσα συμφέρει πρὸς εὐφωνίαν, ἐπεὶ καὶ τοῖς πέρδιξιν; Cur porrum voci confert? nam et perdici in ea se conferre scimus.* Sotion quoque in Geopon. loc. cit. Vide quæ de Nerone dicta, XIX. 33.

[a] *Capitato major*] Hæc Plinius Valer. a Nostro plane ad verbum, IV. 20.

[b] *Sanguinem*] Plinius Valer. loc. cit.

[c] *Hippocrates*] De morbis mulier. lib. II. tex. 89. p. 612. ac de sterilibus, tex. 13. p. 630. Item Plinius Valer. loc. cit. In vulvæ præclusione ac duritie, *πρὸς μύσιν καὶ σκληρίαν ὑστέρας*, porri capitati comam in aceto coctam dari Diosc. jubet, II. 179.

[d] *Contritum*] Marcellus Empir. c. 4. p. 42. et Plinius Valer. III. 22. et IV. 20.

[e] *Tussim*] Ad verbum hæc Plinius Valer. IV. 20. Marcellus Empir. c. 16. p. 116. 'Porri contusi succus expressus, cum oleo decoctus, et epotus, plurimum tussientibus prodest.'

[f] *Sorbitione ptisanæ*] Sive ptisana dicatur, de qua XVIII. 15. sive alicæ, de qua libro eodem cap. 29. perinde est. Marcellus Empir. c. 15. p. 106. 'Pulticulam ex alica facies, in quam capita porrorum contusa mittes, et simul decoques, et deinde colabis et sorbitione ea contra faucium molestias, cum volueris, uteris.' Et cap. 17. p. 124. 'Utiles sunt inter initia, quamvis molesta, suspiriosis sorbitiones de porro capitato factæ, et ex urtica, atque nasturtii semine.' Hausere omnes a Celso IV. 4. qui ad

ut alternis diebus sumatur:[4] vel si pura[5] [h] exscreentur. Sic et voci,[i] vel Veneri, somnoque multum confert. Capita bis[j] aqua mutata cocta, alvum sistunt, et fluxiones[6] veteres. Cortex decoctus illitusque inficit canos.[k]

XXIII. Allio magna[l] vis, magnæ utilitates contra aquarum[m] et locorum mutationes. Serpentes abigit,[n] et scorpiones odore: atque, ut aliqui[o] tradidere, et bestiarum omnium ictibus medetur, potu, vel cibo, vel illitu: privatim contra hæmorrhoidas[p] prodest, cum vino redditum vomitu. Ac ne contra[q] araneorum murium venenatum morsum valere miremur, aconitum, quod alio nomine pardalianches vocatur, debellat: item hyoscyamum: canum

Idem codex, *augere*.—4 Vet. Dalec. *ita ut tria capita sine pane alternis diebus sumantur*.—5 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *purulenta* Gronov. et vulgg.—6 Vet. Dalec. *et inflationes*.

NOTÆ

tussim 'sorbitiones' commendat, 'in quibus porrum incoctum tabuerit: cibumque mollem, ut malvam, et urticam.'

[g] *Præter capita*] Demtis capitibus, folia uti cruda edantur. Sic in morbo haud multum absimili, Plinius Valer. I. 28. 'Ad stillationem narium ex humore:' 'Porri capitati folia cruda sine pane edantur.' Item de sectivo Marcellus, c. 14. p. 102. 'Uvæ distillationi .... prosunt porri sectivi folia non cocta, sine pane, assidue manducata.'

[h] *Vel si pura*] Etiam si e thorace pus exscreetur. Diosc. II. 179. 'Ἀνάγει τὰ ἐκ θώρακος.

[i] *Sic et voci*] Hæc totidem verbis Plinius Valer. IV. 20.

[j] *Capita bis*] Plinius Valer. loc. cit.

[k] *Inficit canos*] Canitiem pellit, capillosque denigrat.

[l] *Allio magna*] Ad verbum hæc Plinius Valer. IV. 17.

[m] *Contra aquarum*] Plinius Valer. loc. cit. 'Peregrinantibus esui datum, minime patitur eos aquarum ac locorum mutatione perturbari.'

[n] *Serpentes abigit*] Plinius Valer. loc. cit. et Simeon Sethi de Alim. tit. de Allio: Φεύγουσι δὲ τοῦτο καὶ οἱ ὄφεις, ὥσπερ καὶ τὰ πήγανα, κ. τ. λ.

[o] *Atque, ut aliqui*] Plinius Valer. loc. cit. et auctor Geopon. XII. 30. p. 353.

[p] *Privatim contra hæmorrhoidas*] Αἱμοῤῥοῒς non morbi hoc loco, sed serpentis quoddam genus est, ex eo dictum, quod morsu sanguinem eliciat, et dissolutis venarum commerciis, quicquid animæ est, evocet per cruorem, ut refert Solinus, c. 27. p. 51. De eo Lucanus IX. 708. 'At non stare suum miseris passura cruorem, Squamiferos ingens hæmorrhois explicat orbes.' Vide Sarraceni notas in Diosc. II. 182. De serpente porro hic agi, non de morbo venarum ani, qui hæmorrhois quoque appellatur, vel ex orationis serie ipsa constat.

[q] *Ac ne contra*] Diosc. II. 182.

morsus,[r] in quæ vulnera[1] cum melle imponitur. Ad serpentium[s] quidem ictus potum cum restibus suis[t] efficacissime ex oleo illinitur, attritisque corporum partibus, vel si in vesicas[u] intumuerint.[2] Quin et suffitu eo[v] secundas partus[3] evocari existimavit Hippocrates: cinere eorum[w] cum oleo, capitis ulcera manantia sanitati restituens. Suspiriosis[x] coctum, aliqui crudum id dedere.[4] Diocles[y] hydropicis cum centaurio, aut in fico duplici[z] ad evacuandam alvum: quod efficacius præstat viride cum coriandro in mero potum. Suspiriosis[a] aliqui et tritum in lacte dederunt. Praxagoras[b] et contra morbum regium vino miscuit: et contra ileum in oleo et pulte: sic illinens strumis

CAP. XXIII. 1 Cod. Dalec. *inque vulnera.*—2 Cod. Dalec. *vel si vesica intumuerit.*—3 'Vet. *secundas et partus;* al. *secundas a partu.* Lego *secundos partus,* ut infra cap. 44.' *Dalec.*—4 'Ita codd. Regg. 1. 2. et Editio princeps. In recentioribus editionibus, *crudum id tritum dedere.*' Brotier. Gronov. et al. ante Harduin. etiam, *crudum id dedere.* Cod. Dalec. cum edd. Harduin.

NOTÆ

[r] *Canum morsus*] Diosc. loc. cit. et Plinius Valer. III. 51. et IV. 17.

[s] *Ad serpentium*] Hæc ad verbum Plinius Valer. IV. 17.

[t] *Cum restibus suis*] Cum foliis.

[u] *Vel si in vesicas*] Etiamsi partes eæ attritæ, in vesicæ morem intumescant. Plinius Valer. loc. cit. 'Quæque in vesica (lego, *in vesicas*) tumescunt, lenit impositum.'

[v] *Quin et suffitu eo*] Et esu quoque allii secundas evocari auctor est idem Hippocrates de Morbis Mul. I. 74. Suffitu vero Plinius Valer. loc. cit. ex eodem Hippocrate: et Diosc. II. 182. Secundas porro, ὑστέραν, Latini pariter ac Græci membranam eam vocant, qua partus obvolutus utero prodit, quæ et secundina dicitur. Vulgo ab Anatomicis, *L'arrière-faix.*

[w] *Cinere eorum*] Plinius Valer. IV. 17. et Marcellus Empir. c. 4. p. 40. 'Allium cum sua veste comburitur, cinisque ejus ex oleo capiti ulceroso imponitur.'

[x] *Suspiriosis*] Vide Notas et Emend. num. 11.

[y] *Diocles*] Ad verbum hæc Plinius Valer. loc. cit.

[z] *Aut in fico duplici*] Plinius Valer. lib. III. cap. de hydropisi: 'Allium viride,' inquit, 'cum fico duplici malum evocat.' Et lib. II. de allio: 'Viride cum coriandro et ficu datum, alvum mollire perhibetur.' Ficus duplex ea est, quæ reliquis major, ampliorisque formæ, quæ et marisca appellata est, XV. 19. Vegetius Artis Veterin. lib. I. 'Addisne novem duplices ficus?' Idem alio loco: 'Ficus duplices viginti, rutæ fasciculum.' Horat. II. Sat. 2. 122. 'At nux ornabat mensas, cum duplice ficu.'

[a] *Suspiriosis*] Plinius Valer. IV. 17.

[b] *Praxagoras*] Plinius Valer. hæc iisdem verbis loc. cit. et II. 59. Q. Serenus c. 59. de regio morbo pellendo, p. 161. 'Allia trita dabis vino madefacta calenti.'

quoque. Antiqui et insanientibus dabant crudum. Diocles[c] phreneticis elixum. Contra anginas tritum imponi, et gargarizare[5] prodest. Dentium dolorem tribus capitibus in aceto tritis imminuit,[6] vel si decocti aqua[d] colluantur, addaturque ipsum in cava dentium. Auribus etiam[e] instillatur succus cum adipe anserino: phthiriases[f] et porrigines[7 g] potum, tusum item cum aceto et nitro compescit: distillationes cum lacte, vel tritum, permixtumve[8] caseo molli: quo genere et raucitatem extenuat: vel phthisin, in fabæ sorbitione. In totum autem[h] coctum utilius est[9] crudo, elixumque tosto: sic et voci confert. Tineas[10 i] et reliqua animalia interaneorum pellit, in aceto mulso coctum. Tenesmo[j] in pulte medetur. Temporum[k] doloribus illitum elixum: et pusulis coctum cum melle, deinde tritum. Tussi cum adipe[l] vetusto decoctum, vel cum

1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *crudum id tritum dedere.*—5 Chiffl. *gargarissare.*—6 Chiffl. *minuit.*—7 Ita codd. Harduini, Chiffl. et Vet. Dalec. item edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *et prurigines* edd. vett. et Gronov. *πίτυρα, furfures,* margo edd. Dalec. et Gronov. e Diosc.—8 Vet. Dalec. *permistumque.*—9 Verbum *est* deest in cod. Dalec.—10 *Tænias* alii ap. Dalec.—11 Ita

NOTÆ

[c] *Diocles*] Et Plinius Valer. III. 9.

[d] *Dentium . . . vel si decocti aqua*] Plinius Valer. I. 36. et Diosc. II. 182.

[e] *Auribus etiam*] Plinius Valer. IV. 17. Rursum hoc medicamentum proponitur ad aurium vitia, XXIX. 39.

[f] *Phthiriases*] Q. Serenus c. 6. de phthiriasi arcenda, pag. 128. 'Sæpius ergo decet mordax haurire sinapi: Vel nitro ac sale permixtis, acidove liquore Laxatis, ut sint simul allia, tangere corpus.'

[g] *Et porrigines*] Porrigo, Græce πιτυρίασις, est ubi inter pilos quædam quasi squamulæ surgunt, eæque acutæ resolvuntur, in modum furfuris, et interdum madent, multo sæpius siccæ sunt. Fere in capillo fit, rarius in barba, aliquando in supercilio. Celsus VI. 2. Describitur satis eleganter a Q. Sereno, cujus carmen recitabimus cap. 84. Vide Notas et Emend. num. 12.

[h] *In totum autem*] Plinius Valer. IV. 17.

[i] *Tineas*] Marcellus Empir. c. 28. p. 200. Plin. Valer. II. 21. et IV. 17. Scribonius Largus Compos. 140. 'Ad tineas necandas, ejiciendas, per triduum allium plurimum edat,' &c.

[j] *Tenesmo*] Plinius Valer. IV. 17.

[k] *Temporum*] Plinius Valer. loc. cit.

[l] *Tussi cum adipe*] Crudum coctumve allium in cibo sumtum, tussim lenire ait Diosc. II. 182. Q. Serenus c. 18. pag. 136. 'Interdum fauces tussi quatiuntur acerba: Allia tum sumes decocta, et melle peruncta.' Celsus

lacte: aut si sanguis etiam exscreetur, vel pura,[11] sub pruna coctum, et cum mellis pari modo sumtum: convulsis, ruptis, cum sale et oleo. Nam cum adipe tumores suspectos[12] [m] sanat. Extrahit fistulis[n] vitia cum sulfure et resina, etiam arundines[o] cum pice. Lepras,[p] lichenas, lentigines exulcerat, sanatque cum origano: vel cinis ejus[q] ex oleo et garo illitus. Sic et sacros[r] ignes. Sugillata[s] aut liventia ad colorem reducit, combustum ex melle. Credunt[t] et comitialem morbum sanari,[13] si quis eo in cibo utatur ac potione. Quartanas quoque[u] excutere potum caput unum cum laserpitii obolo in vino austero. Tussim et alio modo,[v] ac pectorum suppurationes quantaslibet sanat, fractæ incoctum fabæ,[w] atque ita in cibo[14] sumtum, donec sanitatem restituat. Facit et somnos, atque in totum rubicundiora corpora. Venerem quoque stimulat cum coriandro viridi tritum, potumque e mero. Vitia ejus[x]

codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *purulenta* Gronov. et vulgg.—12 'Alii, *ne in abscessum, vel gangrænam transeant.* Alii, *cancerosos.* Alii, *pestilentes, aut venenatos.*' Dalec.—13 Ita codd. Harduini, Dalec. et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *sanare* Gronov. et al.

NOTÆ

IV. 4. ubi de tussientibus: 'Utilis est,' inquit, 'cibus interdum mollis, ut malva, ut urtica: interdum acer, ut lac cum allio coctum.'

[m] *Tumores suspectos*] Quos esse pestilentes jure suspiceris.

[n] *Extrahit fistulis*] Ad verbum hæc Plinius Valer. III. 22. Et Marcell. Empir. c. 4. p. 42. 'Allium contritum cum sulfure et resina, ulcerum et fistularum quælibet vitia extrahit.'

[o] *Etiam arundines*] Arundinum infixas corpori assulas. Vide Notas et Emend. num. 13.

[p] *Lepras*] Diosc. II. 182.

[q] *Vel cinis ejus*] Plinius Valer. III. 34.

[r] *Sic et sacros*] Plinius Valer. loc. cit.

[s] *Sugillata*] Diosc. loc. cit. et Plinius Valer. III. 47. iisdem verbis. Sugillata, Græcis τὰ ὑπώπια, partes sunt circa oculos percussionibus contusæ et lividæ: sed et de omni contusione corporis, et livore, in qualibet parte, ea vox tum Latina tum Græca effertur. Glossarium: *Sugillare*, πλήσσειν, ὑπωπιάζειν.

[t] *Credunt*] Plinius Valer. II. 58.

[u] *Quartanas quoque*] Plinius Valer. ad verbum, III. 6.

[v] *Tussim et alio modo*] Præter allatum proxime his verbis: 'Tussi cum adipe vetusto decoctum, vel cum lacte.' Hic Gelenius cespitavit.

[w] *Fractæ incoctum fabæ*] Plinius Valer. IV. 17. ubi hæc transcripsit, 'in faba coctum' dixit.

[x] *Vitia ejus*] Hæc pariter Diosc. II. 182. Oculos hebetare prodidit

sunt, quod oculos hebetat, inflationes facit, stomachum lædit copiosius sumtum, sitim gignit. Cetero contra [y] pituitam, et gallinis et gallinaceis prodest mixtum farre in cibo. Jumenta urinam reddere, atque non torqueri tradunt, si trito [15] natura tangatur.[z]

XXIV. Lactucæ sponte nascentis [a] primum est genus ejus, quam caprinam [b] vocant, qua pisces in mare dejecta protinus necantur, qui sunt in proximo. Hujus lac [c] spissatum, mox in aceto pondere obolorum duum, adjecto aquæ uno cyatho, hydropicis datur. Caule et foliis [1] contusis, asperso sale, nervi incisi [d] sanantur. Eadem trita [e] ex aceto, colluta matutinis bis mense, dentium dolorem prohibent.

XXV. (VII.) Alterum est genus quod Græci cæsapon [1] [f] vocant. Hujus folia trita et cum polenta illita vulneribus

vett.—14 Chiffl. *factæ i. f. a. i. in cibos.*—15 Cod. Dalec. *si eo trito.*

CAP. XXIV. 1 *Caule vero et foliis* Vet. Dalec.

CAP. XXV. 1 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. et recentt. *sesapon* Vet. Dalec. *esopon* Gronov. et vulgg. 'Certe cæsapon non est sisarum, *le Chervi*, ut voluit eruditus Salmasius. Videtur esse aliqua lactucæ sylvestris species, quam determinare non ita pronum est. In Mss. Reg. 1.

NOTÆ

etiam Hippocr. lib. II. de diæta, tex. 24. p. 224.

[y] *Cetero contra*] Vide quæ diximus X. 78.

[z] *Natura tangatur*] Natura pro genitalibus frequenter usurpat, verecundiæ causa. Alii Latine, 'radium,' 'colem,' 'virilitatem.' Vide inferius XXII. 15.

[a] *Lactucæ sponte nascentis*] Hoc est, sylvestris, quæ a sativa distat.

[b] *Quam caprinam*] Hanc eo nomine jam superius indicavit XIX. 39. Marinam vocat Celsus II. 12. 'Lactucæ marinæ lac,' inquit, 'cujus gutta pani adjecta abunde purgat.' Et III. 21. de aqua inter cutem: 'Prodest etiam lactucæ marinæ, quæ grandis juxta nascitur, semen cum aqua potui datum.' Eadem τιθύμαλος est, uti dicetur XXVI. 39. Et testis quoque Celsus V. 7. 'Lactuca marina,' inquit, 'quæ a Græcis τιθύμαλος nominatur.' Igitur istud est tithymali genus, quod paralium vocant, purgationibus aptum, de quo XXVI. 41. Plinius ipse ejusdem lib. XXVI. 39. 'Tithymalum nostri herbam lactariam vocant, alii lactucam caprinam.' &c.

[c] *Hujus lac*] Diosc. II. 166. hanc vim eandem lactucæ sylvestris lacti ascribit, eundemque fere dandi modum imperat: lactucæ marinæ semini, Celsus III. 21.

[d] *Nervi incisi*] Ad hos usus adhibitum a se tithymali succum Galenus ipse prodidit κατὰ γένη, III. 2. p. 716.

[e] *Eadem trita*] Idem fere de tithymalo Diosc. IV. 165.

[f] *Græci cæsapon*] Sic libri omnes etiam Mss. tum hoc loco, tum in hujus loci Indice. Dalecampius *æsopon*

medentur. Hæc in arvis nascitur.[2] Tertium genus [g] est in sylvis nascens, isatin vocant. Hujus folia [h] trita cum polenta vulneribus prosunt. Quarto [i] infectores lanarum utuntur: simile erat lapatho sylvestri foliis, nisi plura haberet,[3] et nigriora. Sanguinem sistit.[j] Phagedænas et putrescentia ulcera, quæ serpunt,[4] sanat: item tumores ante suppurationem. Contra ignem sacrum radice vel foliis prodest: vel ad lienes [k] pota.[5] Hæc propria singulis.

XXVI. Communia autem sponte nascentibus,[l] candor, caulis interdum cubitali longitudine, et ipsi [1] [m] et foliis scabritia. Ex his rotunda folia et brevia habentem sunt

cuntur cod. Dalec.—3 Ita codd. Harduini et Chiffl. item Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Quarto infectores lanarum utuntur, quod glastum vocant: simile erat lapatho silvestri foliis, nisi quod plura habet* Gronov. et al. vett. Pro *plura*, margo edd. Dalec. et Gronov. *pinguiora*, e Diosc.—4 Vet. Dalec. *et quæ serpunt*.—5 Vet. Dalec. *potu*.

Cap. xxvi. 1 ‘ Male recentiores editiones, *et ipso*. Ms. Reg. 2. *et ipsæ*. Emendandum certe fuit, *et ipsi*; nempe et ipsi cauli et foliis est scabritia.’ *Brotier*. *et ipso* Dalec. Elz. Gronov. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *et in ipso* Vet. Dalec. *et thyrso* cod. Dalec.—2 Chiffl. *qui heracliam*.—3 Cod. Dalec.

NOTÆ

legit: sed in ea voce nugari eum recte Salmasius admonuit, in Solin. pag. 258.

[g] *Tertium genus*] Lactucæ videlicet: quo nomine nunc comprehenduntur genera herbarum omnia, quæ lacteum succum fundunt. Hanc porro isatin, quam in sylvis nasci Plinius admonet, sylvestrem intelligi ab eo perspicuum est, atque adeo diversam ab ea qua infectores uti consuevere: hæc enim sativa est, uti mox ex Oribasio docebimus: quod Salmasium fugit, loc. cit.

[h] *Hujus folia*] Sic Diosc. ii. 216. nec paulo etiam expressius Galenus de Simp. Medic. Fac. lib. vi. p. 179.

[i] *Quarto*] Isati nimirum sativa. Oribasius lib. xi. fol. 199. post Diosc. ii. 215. et Galenum de Fac. Simp. Medic. lib. vi. p. 179. ‘ Isatis sativa herba est, qua tingendis lanis infectores utuntur: folia plantaginis habet, pinguiora tamen et nigriora. Sylvestris vero isatis est sativæ similis: folia tantum habet majora ad lactucæ foliorum similitudinem,’ &c. De isati plura dicemus xxii. 2. Sylvestris iconem exhibet Dodonæus p. 79. Sativæ idem, et Lobelius in Observ. p. 189.

[j] *Sanguinem sistit*] Hæc totidem verbis Diosc. ii. 215. de sativa isati: et Galenus loc. cit. Uterque post Hippocr. de Ulceribus, tex. 7. pag. 669.

[k] *Vel ad lienes*] Et isati quoque sylvestri hanc vim attribuit Diosc. loc. cit.

[l] *Communia autem sponte nascentibus*] Hoc est, sylvestribus, superius explicatis. De sativis inferius.

[m] *Et ipsi* [*ipso*] Et in ipso caule, et in foliis quædam scabrities inest.

qui hieraciam[2] [n] vocent, quoniam accipitres scalpendo eam, succoque oculos tinguendo,[3] obscuritatem, cum sensere, discutiant. Succus omnibus candidus, viribus quoque papaveri[4] similis: carpitur per messes inciso caule: conditur in fictili novo, ad multa præclarus. Sanat omnia [o] oculorum vitia cum lacte mulierum: argema, nubeculas,[5] cicatrices, adustionesque omnes:[p] præcipue caligines. Imponitur etiam oculis in lana contra epiphoras.[q] Idem succus[r] alvum purgat, in posca potus ad duos obolos. Serpentium[6] [s] ictibus medetur in vino potus. Et folia, thyrsique triti,[7] ex aceto bibuntur. Vulneri illinuntur maxime contra scorpionum ictus. Verum contra phalangia commixto vino ex aceto.[8] Aliis quoque venenis resistunt, exceptis quæ

cæsapon; et in Indice, *cæsapo, alibi gessato.*' Brotier.—2 *Hæ in arvis innasunguendo.*—4 Idem codex, *quibus papaver.*—5 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *arcema nubiculas* Chiffl. *arcet nubeculas* Gronov. et al. ante Harduin.—6 *Scorpionum et phalangiorum* margo edd. Dalec. et Gronov. e Diosc.—7 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *et folia testa thyrsique triti* Gronov. et al. vett. *triti* deest in Vet. Dalec.—8 Cod.

NOTÆ

[n] *Qui hieraciam*] Apuleius cap. 30. 'Græcis thridax agria dicitur, aliis hieracion . . . Italis lactuca sylvatica.' Et tit. 1. 'Ad oculorum caliginem:' 'Dicunt aquilam, cum in altum volare voluerit, prospicere rerum naturas, lactucæ sylvaticæ folium evellere, et succo ejus sibi oculos tingere, et maximam inde claritudinem accipere. Herbæ igitur lactucæ sylvaticæ succum cum vino optimo vetere, et melle acapno, quod sine fumo collectum est, mixtum, in ampullam vitream condito, et eo utaris: summam medicinam experieris.' Hoc ipsum refert de accipitre Ælianus Hist. Anim. I. 43.

[o] *Sanat omnia*] Apuleius loc. cit. Et Diosc. II. 166. 'Αποκαθαίρει δὲ καὶ ἄργεμα ἀχλύν. Ποιεῖ καὶ πρὸς ἐπικαύσεις ἐγχριομένη σὺν γυναικείῳ γάλακτι. Hoc loco ἐπίκαυσις, oculorum est sordidum, impurum, crustosumque ulcus.

[p] *Adustionesque omnes*] Ulcera oculorum exusta putat hic Dalecampius intelligi: nos ambusta, (nisi de iis paulo post sermo foret) hoc est, adustiones a fervente aqua vel igni factas. De his enim Theodorus Priscianus I. 17. 'De ustione calidæ, vel ignis . . . . Et lactucæ tritæ cum salibus, pro cataplasmate impositæ, continuo curant . . . Alumine scisso cum oleo contrito omnes ustiones ungo.'

[q] *Contra epiphoras*] 'Επιφορὰ, oculi præcipue morbus est, qui fit ab humorum influxu, atque impressione. Is cum cetera membra obsidet, partis in quam fit impetus ingruentis humoris semper nomen adjici consuevit, ventris puta, aut uteri, aut testium epiphoras appellando.

[r] *Idem succus*] Diosc. loc. cit. Καθαίρει δὲ μετ' ὀξυκράτου ποθεὶς ὁ ὀπὸς δυοῖν ὀβολοῖν ὁλκῇ, ὑδατώδη κατὰ κοιλίαν.

[s] *Serpentium*] Diosc. loc. cit. *Scorpionum.*

strangulando necant, aut iis quæ vesicæ nocent: item psimmythio excepto. Imponuntur et ventri ex melle atque aceto, ad detrahenda vitia alvi. Urinæ difficultates, succus emendat. Cratevas eum et hydropicis obolis duobus in aceto et cyatho vini dari jubet.

Quidam et e sativis[t] colligunt succum minus efficacem.[9] Peculiares earum vires partim[10] jam dictæ sunt,[u] somnum faciendi, Veneremque inhibendi, æstum refrigerandi, stomachum purgandi, sanguinem augendi. Non[11] paucæ restant: quoniam et inflationes discutiunt, ructusque lenes faciunt. Nec ulla[12] res[v] in cibis aviditatem incitat, inhibetque eadem: in causa alterutraque[13] modus est.[a] Sic et alvum copiosiores solvunt, modicæ sistunt. Lentitiam pituitæ digerunt, atque, ut aliqui tradiderunt, sensus purgant.[w] Stomachi dissoluti utilissime adjuvantur: in eo usu et oxypori obolis[x] asperitatem addito dulci ad intinctum aceti temperantes: si crassior pituita sit, scillite aut

[a] *Utrumque præstat, pro diverso sumendi modo.*

Dalec. *et aceto.*—9 Cod. Dalec. *succo minus efficaci.*—10 Vet. Dalec. *particulatim.*—11 *Nunc non* cod. Dalec.—12 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *ructusque lenes faciunt, concoctiones* (Chiffl. *concoctionem*) *adjuvant. Cruditatem ipsæ nequaquam faciunt. Nec ulla* Gronov. et vulgg.—13 Cod. Dalec. *alterutrimque;* Vet. Dalec. *utrimque.*—14 *Stomachos dissolutos util. adjuvant* cod. Dalec. *Stomachi dissoluti u. adjuvant, uti ne eo usu abluantur. Oxyporopalæ, &c.* Vet. Dalec. Aquens in vulgata lectione legit, *oxyporopolæ.* Al. vett. ap. Dalec. *et oxyporo lactucæ, &c. et aceto temperant;*

NOTÆ

[t] *Quidam et e sativis*] Diosc. loc. cit. iisdem verbis.

[u] *Peculiares . . . jam dictæ sunt*] Lib. XIX. c. 38. Has quoque lactucæ dotes complexus est Diosc. II. 165. et 166.

[v] *Nec ulla res*] Forte, *nec alia res.*

[w] *Sensus purgant*] Sic paulo inferius, c. 34. brassicæ esu sensus purgari dicit.

[x] *Oxypori obolis*] Lactucis, inquit, stomachi adjuvantur, cum oxyporo, quod oboli mensura capiatur, cujus asperitatem addito passo (γλυκεῖ, dulci) mitigant ad intinctum aceti. Si crassior pituita in stomacho videbitur, non oxyporo dulcibus edomito, sed scillite aceto, aut absinthite vino utendum cum lactucis. Ὀξύπορα dicebantur, quæ aceto condita ad intinctus servabantur. Apud Colum. l. XII. caput postremum inscribitur: 'Moretum oxyporum, vel, ut alii, oxygarum, quemadmodum componas.' Muria condiri lactucas auctor est Diosc. II. 165. Oxymelite, Plinius XIX. 38.

vino [14] absinthite: et si tussis sentiatur, hyssopite admixto. Dantur cœliacis cum intubo erratico, et ad duritiam præcordiorum. Dantur et melancholicis candidæ copiosiores, et ad vesicæ vitia. Praxagoras et dysentericis dedit. Ambustis quoque prosunt recentibus, priusquam pustulæ fiant, cum sale [15] illitæ. Ulcera etiam, quæ serpunt, coërcent, initio cum aphronitro,[16] mox in vino. Tritæ igni sacro illinuntur. Convulsa et luxata caulibus tritis cum polenta ex aqua frigida leniunt. Eruptiones papularum,[y] ex vino et polenta. In cholera quoque coctas patinis [17] dederunt: ad quod utilissimæ quam maximi caulis et amaræ. Quidam lacti [18] infundunt.[b] Defervefacti hi caules et stomacho utilissimi traduntur: sicut somno æstiva [19] maxime lactuca, et amara lactensque, quam meconidem vocavimus.[z] Hoc lac [a] et oculorum claritati cum muliebri lacte utilissimum esse præcipitur,[20] dum tempestive capiti inunguntur. Oculorum quoque vitiis,[b] quæ frigore in iis facta sunt. Miras et alias invenio laudes: thoracis etiam vitiis prodesse, non secus quam abrotonum, cum melle Attico. Purgari et fœminas hoc cibo. Semen sativarum con-

[b] *Quidam cum lacte infundunt clysteribus.*

al. ap. eund. *et oxyporo oleris.*—14 Chiffl. *intinctum temperantes: si cr. pit. sit, et aceto scillite aut vino;* Vet. Dalec. *intinctum .... scillite vino aut.*—15 Margo edd. Dalec. et Gronov. *lacte muliebri*, e Diosc.—16 Cod. Dalec. *asso nitro.*—17 Vox *patinis* deest in cod. Dalec. Mox, idem codex, *maximo caule.*—18 Ita codd. Dalec. et Chiffl. *lacte* Gronov. et al. vett. item Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—19 Ita codd. Harduini, Dalec. et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *summo sativa* Gronov.—20 Cod. Dalec. *percipitur.* Vet. ejusdem: *præcipitur, et cum tempora capitis junguntur, oculorum quoque, &c.*

NOTÆ

[y] *Eruptiones papularum*] Quæ Græci ἐξανθήματα, Plinius nunc papulas, nunc eruptiones pituitæ vocat: tubercula videlicet, quæ jejunæ salivæ defricatione curantur. Papulis cutis exasperatur, et rubet, leviterque roditur. Celsum vide, l. v. cap. postremo, tit. 'de papulis.'

[z] *Meconidem vocavimus*] Lib. XIX. 37. Μηκωνὶς atræ lactucæ et amaræ genus, cui nomen est a lactis soporiferi copia. Laudat eam Galenus κατὰ τόπους, VIII. 4. p. 577.

[a] *Hoc lac*] Diosc. II. 166.

[b] *Oculorum quoque vitiis*] Adustionibus forte ex frigore, quas ἐπικαύσεις eo loco appellat Dioscorides.

tra scorpiones dari. Semine trito ex vino poto et libidinum imaginationes in somno compesci. Tentantes aquas[c] non nocere lactucam edentibus. Quidam tamen frequentiores in cibo officere claritati oculorum tradiderunt.

XXVII. (VIII.) Nec beta sine remediis est[1] utraque. Sive candidæ, sive nigræ radix recens, et madefacta, suspensa funiculo, contra serpentium morsus efficax esse dicitur. Candida beta[d] cocta, et cum allio crudo sumta contra tineas:[2] nigræ radices ita in aqua coctæ, porriginem tollunt:[e] atque in totum efficacior esse traditur nigra. Succus ejus capitis dolores veteres, et vertigines: item sonitum[f] aurium sedat, infusus iis: ciet urinam.[3] Medetur dysentericis injecta, et morbo regio.[g] Dolores quoque dentium sedat illitus succus. Et contra serpentium ictus valet, sed hujus radici[4] duntaxat expressus. Ipsa vero decocta,[h] pernionibus occurrit. Albæ succus[i] epiphoras[5] sedat, fronte illita: aluminis pauco admixto, ignem sacrum.[j]

CAP. XXVII. 1 'Ita cod. Reg. 1. et Editio princeps.' *Brotier. sine remedio est* edd. ante Brotier.—2 Dalec. *tænias.*—3 Vet. Dalec. *vertigines infusus naribus: item son. aur. sedat: ciet urinam.* Cod. Dalec. *cit urinam.*—4 Vet. Dalec. *sed is radice.*—5 *Alba epiphoras* cod. Dalec. Mox, *alumine pauco* Vet.

NOTÆ

c *Tentantes aquas*] Aquas quæ sensus cerebrumve tentent, quales memorantur XXXI. 11. 12. &c.

d *Candida beta*] Hæc totidem verbis Plinius Valer. II. 21.

e *Porriginem tollunt*] Marcellus Empir. c. 4. p. 40. 'Betæ viridis contusæ expressæque succo porriginosum caput frequenter in balneo lotum, omni tabe purgatur.' Diosc. II. 149. Τὸ δὲ *τῶν ῥιζῶν καὶ τῶν φύλλων ἀφέψημα, πιτύρων καὶ κονίδων σμηκτικὸν, κ. τ. λ.*

f *Item sonitum*] Plinius Valer. I. 10. 'Gummi hederæ,' inquit, 'cum betæ nigræ succo tritum et tepefactum auribus infundis: ita tamen ut et rubi teneri succum misceas.... ventositatem et dolorem tollit.'

g *Et morbo regio*] Celsus III. 42. 'potui dat (ictericis) cum aqua betam albam contritam.'

h *Ipsa vero decocta*] Plinius Valer. IV. 10. de beta: 'Pernionibus in fomento adhibita prodest.' Theod. Priscianus I. 28. de pernionibus: 'Prosunt et decoctiones betarum, quibus alumen scissum infuderis.' Diosc. loc. cit. Τὸ δὲ *τῶν ῥιζῶν καὶ τῶν φύλλων ἀφέψημα... χιμέτλης πραϋντικὸν καταντλούμενον. Decoctum radicum ac foliorum perniones fotu mitigat.*

i *Albæ succus*] Plinius Valer. I. 14. 'Ad oculorum dolorem:' 'Beta alba trita fronti imponitur.'

j *Ignem sacrum*] Huic medendi facultatem utriusque betæ radici Dioscorides adjudicat, II. 149.

Sine oleo trita licet,[6] [k] adustis medetur.[l] Et contra eruptiones[m] papularum, coctaque eadem contra ulcera quæ serpunt, illinitur: et alopeciis[n] cruda, t ulceribus quæ in capite manant. Succus ejus[o] cum melle naribus inditus caput purgat. Coquitur et cum lenticula addito aceto, ut ventrem molliat.[p] Validius cocta[q] fluxiones[7] stomachi sistit et ventris.

XXVIII. Est et beta[r] sylvestris, quam limonium[1] vocant, alii neuroides, multum minoribus tenuioribusque ac densioribus foliis, undecim sæpe, caule lilii.[2] Hujus folia ambustis utilia, gustantium os[s] astringunt.[3] Semen acetabuli[t]

Dalec.—6 Vet. Dalec. *trita scilicet;* alii vett. ap. eundem, *trita illitu adustis.*—7 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *cocta fluctuationes* Vet. Dalec. legitur et *cocta* in Chiffl. *cocto fluxiones* Gronov. et al. vett.

CAP. XXVIII. 1 Ita Chiffl. Edd. ante Brotier, *limonion.* Mox, *multo minoribus* Dalec.—2 Gronov. *caulium.*—3 Ita Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont.

NOTÆ

[k] *Sine oleo trita licet*] Forte rectius, *sine oleo trita elixave.* Nam Theodorus Priscianus I. 17. 'De ustione calidæ, vel ignis:' 'Betæ elixæ contritæ imponuntur.'

[l] *Adustis medetur*] Sive ambustis, *πυρικαύστοις,* Diosc. loc. cit. de radice betæ coctæ.

[m] *Et contra eruptiones*] Dioscorides loco citato.

[n] *Et alopeciis*] Diosc. loc. cit. et Plinius Valer. IV. 10.

[o] *Succus ejus*] Diosc. loc. cit. et Marcellus Empir. c. 5. p. 44.

[p] *Ut ventrem molliat*] Alba nimirum beta, quæ mollit alvum: ut dos est nigræ contraria, sistendi: Diosc. loc. cit. *Τεῦτλον δισσόν ἐστιν, ὧν τὸ μὲν μέλαν σταλτικώτερον κοιλίας σὺν φακῇ ἑψηθέν· καὶ μᾶλλον ἡ ῥίζα· τὸ δὲ λευκὸν, εὐκοίλιον.* Martialis III. 47. 'Pigroque ventri non inutiles betas.' Injusta accusatione hoc loco Dalecampius Plinii famæ notam inurit, quem rei medicæ fuisse rudem ait: quod vitium quidem cum ingerit, suam magis inscitiam prodit.

[q] *Validius cocta*] Ut brassicam constat inter auctores, quemadmodum dicetur c. 34. non percoctam alvum solvere, bis coctam sistere: idem et in beta fieri indicat: ut non percocta ventrem molliat, validius cocta sistat. Quare sic et Celsus accipiendus est, qui II. 30. inter ea quæ ventrem astringunt, lenticulam affert, cui beta adjecta sit, brassicamque bis decoctam.

[r] *Est et beta*] Hæc iisdem verbis Oribasius lib. XI. fol. 204. Oribasio Dioscorides præivit, IV. 16. Vide Notas et Emend. num. 14. Pingitur a Matthiolo *λειμώνιον*, seu *νευροειδὲς*, in Dioscor. l. IV. p. 980. quale in horto Regio observavimus. *Λειμώνιον* porro scito vocitari, quod in pratis nascitur, ut Diosc. ait, *ἐν λειμῶσιν.*

[s] *Gustantium os*] Vide Notas et Emend. num. 15.

[t] *Semen acetabuli*] Diosc. loc. cit.

mensura dysentericis prodest. Aqua et e radice[4] coctæ maculas vestium elui dicunt, itemque membranarum.[a]

XXIX. Intubi quoque[a] non extra remedia sunt. Succus eorum[b] cum rosaceo et aceto capitis dolores lenit. Idemque cum vino[1][c] potus, jocineris, et vesicæ: et epiphoris imponitur. Erraticum apud nos quidam ambulam[2] appellavere.[d] In Ægypto cichorium vocant,[e] quod sylvestre sit: sativum autem serin, quod est minus et venosius.

XXX. Cichorium[f] refrigerat. In cibo sumtum et illitum collectiones, succusque decocti[1] ventrem solvit. Jocineri, et renibus,[2] et stomacho prodest. Item si in aceto decoquatur, urinæ tormina discutit. Item morbum regium e mulso, si sine febre sit. Vesicam adjuvat. Mulierum quidem purgationibus decoctum in aqua adeo prodest, ut



et Franz. *guttantia astringunt* Gronov. et al. vett. *gustatu astringunt* Vet. Dalec.—4 Dalec. *cum radice*, nempe *struthio*.

Cap. XXIX. 1 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Idem cum vino* Gronov. et al. vett. Mox, *jocineri* Gronov.—2 Margo edd. Dalec. et Gronov. *ambubeiam*, e Celso. Chiffl. *ambubulam*; Gronov. et al. ante Harduin. *ambugiam*.

Cap. XXX. 1 Vet. Dalec. *succus decocti*.—2 Ita edd. vett. Gronov. Harduin. 1. et Bipont. *Jocineri, renibus*, omissa conjunctione, Harduin. 2. 3.

NOTÆ

et Galenus de Facult. Simp. Med. l. VII. p. 201.

[a] *Itemque membranarum*] Pergamenarum membranarum elui sordes ait aqua ea, in qua cum sua radice cocta beta sit.

[a] *Intubi quoque*] Intubus vel intubum Latinis, genera duo complectitur: sativum, sive serin: et cichorium, quod sylvestre sive erraticum.

[b] *Succus eorum*] Plinius Valer. ad verbum, IV. 11. de intubo.

[c] *Idemque cum vino*] Plinius Valer. loc. cit. 'Jecoris et vesicæ vitia intubus cum vino haustus emendat.' Theod. Priscian. lib. II. parte 2. c. 13. 'Intuba frequenter comesta semper hepaticos juvant.'

[d] *Ambulam appellavere*] Ita Mss. omnes, quos vidimus, quasi indita appellatione ab ambulando, quo satis apte convenit cum altera erratici intubi nomenclatione. Iidem tamen libri in Indice, *Ambubeia*. Celsus II. 30. 'Vel intubus, vel ambubeia,' non semel. Est cichorium sylvestre sive picris Dodonæi, p. 624. *Chicorée sauvage*.

[e] *In Ægypto cichorium vocant*] Erraticum scilicet illud genus, de quo dictum proxime. Ita Galenus de Fac. Simp. Medic. l. VIII. p. 227. πικρίδα et κιχώριον vocat sylvestre genus: σέριν sativum. Quanquam et ipsum sylvestre cichorium Aëtius σέριν vocat.

[f] *Cichorium*] Erraticum videlicet intubum, sive πικρίς.

emortuos partus trahat. Adjiciunt Magi, succo totius[3] cum oleo perunctos favorabiliores fieri, et quæ velint, facilius impetrare. Quod[4] quidem propter singularem salubritatem aliqui chreston[5] [g] appellant, alii pancration.

XXXI. Et sylvestre genus,[h] alii[1] hedypnoida vocant, latioris folii. Stomachum dissolutum astringit cocta: crudaque sistit alvum. Et dysentericis prodest, magis cum lente. Rupta et convulsa utroque genere juvantur. Item quibus genitura[i] valetudinis morbo effluat.

XXXII. Seris et ipsa[j] lactucæ simillima, duorum generum est: sylvestris melior. Nigra ista,[1] et æstiva. Deterior hyberna, et candidior.[k] Utraque amara, stomacho utilissima, præcipue quem humor[2] vexat.[l] Cum aceto[m] in cibo refrigerant vel illitæ: discutiuntque et alios,[n] quam[3] stomachi. Cum polenta[o] sylvestrium radices sto-

Miller. et Franz.—3 Vet. Dalec. *intybi.*—4 *Hoc* Vet. Dalec.—5 Chiffl. *chreteston.*

CAP. XXXI. 1 Vet. Dalec. *aliud.*

CAP. XXXII. 1 *Nigra est* cod. Dalec.—2 Ita Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *Utraque amara stom. utilissima, præc. quem uror* Chiffl. *Utraque tamen stom. utilissima, præc. quem humor* Gronov. et al. vett.—3 Vet.

NOTÆ

g *Aliqui chreston*] Χρηστὸν, a bonitate, παγκράτιον ab eximia vi, efficientiaque omnimoda.

h *Et sylvestre genus*] Cichorium latioris folii, apud Dodon. p. 623. Quod in cibo sumtum jucundiorem animam, suavioremque faciat, id apud Græcos nomen invenit, ἡδυπνοῒς.

i *Item quibus genitura*] Genitale semen.

j *Seris et ipsa*] Colum. VIII. 14. 'Genus intubi, quod Græci σέριν appellant.' Sativum videlicet, sive hortense: *Chicorée.* Hæc duum generum, Dioscoride etiam auctore, est, II. 160. quanquam is diversas discriminis notas affert. De vocis hujus *Seris* intellectu, vide Galenum de Alim. Fac. 41. p. 360.

k *Deterior . . . et candidior*] Quæ a similitudine lactucæ, alba lactuca a Plinio Valeriano dicitur, eo quem mox afferemus loco. Sylvestris eadem appellatur, quod est, ut ait Diosc. angustiore folio, et amariore.

l *Quem humor vexat*] Ita Mss. Reg. Colbert. &c. In Chiffl. *quem uror vexat.* Diosc. loc. cit. prodesse ait dissoluto et æstuanti stomacho, ἀτονοῦντα στόμαχον παρηγοροῦσι, καὶ καυσόμενον.

m *Cum aceto*] Diosc. loc. cit.

n *Discutiuntque et alios*] Humores videlicet, quæ vox ex antecedentibus subintelligi hoc loco debet.

o *Cum polenta*] Cum farina hordeacea: σὺν ἀλφίτῳ, Diosc. loc. cit.

machi[4] causa sorbentur: et cardiaci[p] illinuntur super sinistram mammam ex aceto.[5] Omnes hæ et podagricis utiles, et sanguinem rejicientibus: item quibus genitura fluat, alterno[6] dierum potu.[q] Petronius Diodotus, qui anthologoumena[7] [r] scripsit, in totum damnavit serin multis modis arguens. Sed aliorum omnium opinio resistit.

XXXIII. (IX.) Brassicæ laudes longum est exequi, cum et Chrysippus[a] medicus privatim volumen ei dicaverit, per singula membra hominis digestum, et Dieuches: ante omnes autem Pythagoras et Cato non parcius celebrarint. Cujus sententiam vel eo diligentius persequi par est, ut noscatur qua medicina usus sit annis DC.[b] Romanus populus. In tres species[c] divisere eam Græci antiquissimi. Crispam,

Dalec. *alias quam.*—4 Vet. Dalec. *stomachicis.*—5 Chiffl. *et ex aceto.*—6 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *fluat, altero* Chiffl. *fluit, alterno* edd. vett. et Gronov.—7 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *antilegomena* Gronov. et vulgg. Mox, *damnavit serian* Chiffl.

NOTÆ

[p] *Et cardiacis*] Diosc. loc. cit. et totidem fere verbis Didymus in Geopon. XII. 28. p. 350. Plinius Valer. III. 11. 'Cardiacis sanandis:' 'Lactucæ albæ nomen est seris: quæ trita et imposita mammæ sinistræ, magnifice sudorem minuit.' Cardiacus dicitur, qui morbo laborat cardiaco. Ait autem Celsus III. 19. cardiacum morbum aliud nihil esse, quam nimiam imbecillitatem corporis, quod stomacho languente immodico sudore digeritur. Καρδίαν veteres stomachum appellabant, hoc est, os ventriculi.

[q] *Alterno dierum potu*] Si alternis diebus sumatur. Didymus in Geopon. loc. cit. Αἱμοπτυϊκοῖς ὁ χυλὸς ὠφελιμώτατος, εἰ παρὰ μίαν πίνοιεν.

[r] *Anthologoumena*] Ἀνθολογούμενα, (sic enim Mss. Reg. Colb. et Chiffl. non, ut libri editi, *antilegomena:*) hoc est, florilegia.

[a] *Cum et Chrysippus*] Transcripsit hæc Plinius Valer. de Re Med. IV. 29.

[b] *Annis DC.*] Quot ab Urbe condita anni fluxere ad Catonis ævum. Elegans est Plinii Valeriani paraphrasis in hunc locum, cap. cit. 'Cato tradit populum Romanum,' inquit, 'sexcentis fere annis medicina brassicæ usum: nondum enim in Urbem commeaverant Medici, qui in artem redegerunt, quemadmodum magno sanitas constet, et peregrina secum pigmenta attulerunt, ut illis imponerent pretia quæ vellent. Ceterum militares viri gloriosas cicatrices gratuito olere curabant: eodem horto cura usi ad salutem, dum illos pascit, et sanat.'

[c] *In tres species*] De his actum est XIX. 41. Græci vocant σελινοειδέα, λείαν sive καυλώδη, κράμβην.

quam selinoidea [1] vocaverunt, a similitudine apii foliorum, stomacho utilem, alvum modice mollientem. Alteram leam, latis foliis e caule [2] exeuntibus. Unde caulodem quidam vocavere, nullius in medicina momenti. Tertia est proprie appellata crambe, tenuioribus foliis, et simplicibus, densissimisque: amarior, sed efficacissima. Cato crispam [d] maxime probat, dein levem [3] grandibus foliis, caule magno. Prodesse tradit [e] capitis doloribus, oculorum caligini scintillationique,[4] lieni, stomacho,[5] præcordiis, crudam ex aceto et melle, coriandro, ruta, menta,[6] laseris radicula, sumtam acetabulis duobus matutino: tantamque esse vim, ut qui terat hæc, validiorem fieri se sentiat. Ergo vel cum his tritam, sorbendam, vel ex hoc intinctu sumendam. Podagræ autem [f] morbisque articulariis [7] [g] illini cum rutæ, coriandri, et salis mica, hordei farina. Aquaquoque ejus [h] decocta nervos articulosque mire juvari. Si foveantur [i] vulnera,[8] et recentia et vetera, etiam carcinomata, quæ nullis aliis medicamentis sanari possint. Foveri prius aqua calida jubet, ac bis die tritam imponi. Sic etiam fistulas,[j]

CAP. XXXIII. 1 Ita Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. 'Legendum videtur, *selinoidea*, sive *selinoide*, e Catone de Re Rust. cap. 157. unde hæc omnia sunt desumta.' *Dalec.* *selinada* Gronov. et al. vett.—2 Margo edd. Dalec. et Gronov. *e magno caule*, e Catone.—3 Gronov. *lævem*.—4 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *scintillationibusque* Gronov. et al. vett.—5 Gronov. et al. ante Harduin. *vel stomacho*.—6 Vet. Dalec. *ruta, coriandro, salis mica, et hordei*.—7 Vet. Dalec. *articularibus*. —8 Margo edd. Dalec. et Gronov. *juvari, si foveantur. Item vulnera*.—

NOTÆ

[d] *Cato crispam*] De Re Rust. cap. 157. p. 85.

[e] *Prodesse tradit*] Ibidem, pag. 86. Hæc ad verbum Plinius alter Valer. IV. 29. ubi hoc Catonis antidotum vocat.

[f] *Podagræ autem*] Idem Cato, pag. 86. 'Verum morbum articularium nulla res tantum purgat, quantum brassica cruda, si eam edes cum ruta et coriandro concisam.' Ita etiam Paxamus in Geopon. XII. 17. pag. 337. et Plinius Valer. loc. cit.

[g] *Articulariis*] Ita Mss. omnes. Plinius Valer. *articularibus*. Quædam Catonis exemplaria *articularem morbum* habent.

[h] *Aqua quoque ejus*] Plinius Valer. IV. 29.

[i] *Si foveantur*] Cato c. 157. pag. 85. Plinius Valer. III. 22. Paxamus in Geopon. loc. cit.

[j] *Sic etiam fistulas*] Vide Notas et Emend. num. 16.

et luxata, et humores[9] evocari, quæque discuti opus sit. Insomnia etiam,[k] vigiliasque tollere decoctam,[10] si jejuni edant quamplurimam ex oleo, et sale. Tormina,[l] si decocta iterum decoquatur, addito oleo, sale, cumino, polenta. Si ita sumatur sine pane, magis profuturam. Inter reliqua[m] bilem detrahi[11] per vinum nigrum pota. Quin et urinam[n] ejus qui brassicam esitaverit, asservari,[12] calefactamque nervis remedio esse. Verba ipsius subjiciam, ad exprimendam sententiam: 'Pueros[o] pusillos si laves ea urina, nunquam debiles fieri.' Auribus quoque[p] ex vino succum brassicæ tepidum instillari suadet. Idque etiam tarditati audientium prodesse asseverat. Et impetigines[13][q] eadem sanari sine ulcere.

XXXIV. Græcorum quoque opiniones jam et Catonis causa poni convenit, in iis duntaxat, quæ ille prætermiserit. Biles detrahere non percoctam putant. Item alvum solvere, eandemque[a] bis coctam sistere. Vino adversari,[b] ut inimi-

9 Margo edd. Dalec. et Gronov. *fistulas sanare et luxata*, e Catone; *fistulas eluxatas et tumores* Gronov. et al. vett.—10 Margo edd. Dalec. et Gronov. *unctam et caldam*, e Catone. Mox, *si j. edent* Chiffl.—11 Chiffl. *detrahit.* —12 Chiffl. *adjuvari jubet.*—13 *Porcæ petigines* Cato et Turneb. id est, vulvæ.

NOTÆ

[k] *Insomnia etiam*] Cato loc. cit. p. 86.

[l] *Tormina*] Cato c. 156. p. 84. et c. 157. p. 87.

[m] *Inter reliqua*] Hæc paulo enucleatius Cato c. 156. p. 84.

[n] *Quin et urinam*] Cato c. 157. p. 87.

[o] *Pueros*] Cato loc. cit. et Plinius Valer. IV. 29.

[p] *Auribus quoque*] Verba hæc sunt Catonis c. 157. fere extremo: 'Auribus si parum audies, terito cum vino brassicam, succum exprimito, in aurem intro tepidum instillato: cito intelliges te plus audire.' Habet hoc ipsum Plinius Valer. I. 12. et Paxamus in Geopon. XII. 17. p. 338.

[q] *Et impetigines*] Cato loc. cit. 'Deinde impetigini parce brassicam apponito, sanam faciet, et ulcus non faciet.' Paxamus in Geopon. loc. cit. *Λειχῆνα δὲ ἐξαιρεῖ τὰ φύλλα προστριβόμενα.* Impetigo, fœdatio cutis est, serpens cum pruritu, quam alii scabiem siccam, asperam, et prominentem intelligunt: alii morbum similem scabiei squamosum. Plerique *λειχῆνα* Græcis dici existimant, de quo jam c. 2. egimus. Delicias Turnebus facit, dum *porcæ petigines* hoc loco legit.

[a] *Item alvum solvere, eandemque*] Hæc quoque tradit Galenus de Simp. Med. Fac. III. 15. p. 70. et Diosc. II. 145. et 146. 'Brassicam bis decoctam

cam vitibus. Antecedente[c] in cibis caveri ebrietatem, postea sumta crapulam discuti. Hunc cibum[d] et oculorum claritati conferre multum: succum vero crudæ[e] vel angulis tantum tactis[1] cum Attico melle, plurimum. Facillime concoqui, ciboque eo sensus purgari. Erasistrati schola clamat, nihil esse utilius stomacho nervisque, ideo et paralyticis et tremulis[f] dari jubet, et sanguinem exscreantibus. Hippocrates[g] cœliacis et dysentericis bis coctam cum sale. Item ad tenesmum,[2] et renum causa: lactis quoque[h] ubertatem puerperis hoc cibo fieri judicans, et purgationem[i] seminis. Crudus quidem[j] caulis si mandatur, partus quoque emortuos pellit. Apollodorus[k] adversus fungorum venena semen aut succum bibendum censet. Philistion opisthotonicis succum ex lacte caprino cum sale et melle. Invenio et a podagra liberatos edendo eam,

CAP. XXXIV. 1 Cod. Dalec. *crudæ ungulis, vel tantum tactis.*—2 Sic Chiffl.

NOTÆ

alvum astringere' Celsus pariter admonet II. 30. 'movere, si subcruda est,' c. 20.

[b] *Vino adversari*] Si quis, dum coquitur brassica, vini paululum instillet, minime percoctum iri, ait Geopon. auctor v. 11. pag. 131. De hac antipathia rursum c. 36.

[c] *Antecedente*] Hoc pariter auctor Geopon. loc. cit. Theophrastus, Eubulus, Apollodorus Carystius, Timæus, Nicochares, aliique apud Athæneum, lib. I. p. 34. Aristoteles quoque, Problem. III. 17. p. 697. Διὰ τί ἡ κράμβη παύει τὴν κραιπάλην; E Latinis etiam Cato ipse, c. 156. p. 83. 'Si voles in convivio multum bibere, cœnareque libenter, ante cœnam esto crudam brassicam quantum voles ex aceto: et item, ubi cœnaveris, comesto aliqua quinque folia: reddent te quasi nihil ederis, biberisque: bibesque quantum voles.'

[d] *Hunc cibum*] Ita etiam Paxamus in Geopon. XII. 17. pag. 338. Diosc. quoque, II. 146.

[e] *Succum vero crudæ*] Marcellus Empir. c. 8. p. 55. 'Brassica cruda,' inquit, 'trita, cum pane candido madefacto subacta, ac fronti illita, dolorem oculorum plurimum relevat.'

[f] *Et tremulis*] Dioscor. II. 146. Τρομώδεσιν, quibus sunt artus tremuli.

[g] *Hippocrates*] De Morb. Mul. lib. II.

[h] *Lactis quoque*] Hippocr. de Morb. Mul. lib. I. tex. 78. p. 460.

[i] *Et purgationem*] Hippocr. de Nat. Mul. tex. 29. pag. 376. et tex. 31. p. 391. Item de Morb. Mul. lib. I. tex. 74. p. 461.

[j] *Crudus quidem*] Hippocr. loco citato proxime, commanducatam brassicam menses trahere prodidit: affricatam, partum ejicere, p. 377.

[k] *Apollodorus*] Paxamus quoque in Geopon. loc. cit.

decoctæque jus bibendo. Hoc et cardiacis datum,[3] et comitialibus morbis, addito sale. Item splenicis[4] [l] in vino albo per dies XL. Ictericis,[m] necnon et phreneticis radicis[5] crudæ succum gargarizandum bibendumque demonstrat. Contra vero singultus cum coriandro et anetho, melle ac pipere, ex aceto. Illitam quoque prodesse inflationibus[6] stomachi.[n] Item serpentium ictibus, et sordidis ulceribus, ac vetustis, vel ipsam aquam cum hordeacea farina: succum ex aceto, vel cum fœno Græco.[o] Sic aliqui[7] et articulis, podagrisque imponunt. Epinyctidas,[p] ac quicquid[8] aliud serpit in corpore, imposita levat. Item repentinas[q] caligines: has et si manditur ex aceto. Sugillata vero et alios livores pura[9] illita. Lepras,[r] et psoras cum alumine rotundo ex aceto. Sic et fluentes[10] [s] capillos retinet. Epicharmus testium et genitalium malis hanc utilissime imponi asserit.[11] Efficacius eandem cum faba trita. Item convulsis cum ruta. Contra ardorem febrium et sto-

Edd. ante Brotier, *tenesmon.*—3 Vet. Dalec. *datur.*—4 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *Item spleneticis* Gronov. et al. vett. *Idem spleneticis* Vet. Dalec.—5 Chiffl. *raucis.*—6 Vet. Dalec. *inflammationibus.*—7 Margo edd. Dalec. et Gronov. *farina. Succum ex aceto et fœno Græco aliqui*, e Diosc.—8 Chiffl. *et quicquid.*—9 Vet. Dalec. *cum sulphure.*—10 *Sic effluentes* Chiffl.—11 'Ita quidem Editio princeps. At in Mss. Reg. 1. et 2. deest verbum, *asserit*. Unde melius supplendum, *asseverat*. Sic

NOTÆ

[l] *Item splenicis*] Hæc pariter Paxamus, loc. cit. Et Diosc. σπληνικοὺς ὠφελεῖ, loc. cit.

[m] *Ictericis*] Et his quoque in vino albo dari per dies XL. Paxamus præcipit loc. cit. Sunt autem icterici, qui ictero morbo laborant, quem Varro vocat regium morbum, ut dicemus XXII. 53. Vulgus in Gallia a colore flavo, *la Jaunisse.*

[n] *Inflationibus stomachi*] Ita libri omnes, etiam Mss. non, ut quidam voluere, *inflammationibus.* Sunt enim diversæ eæ affectiones stomachi, ut Celsus docet IV. 5. de morbis stomachi: 'Modo ingens calor,' inquit, 'modo inflammatio, modo exulceratio afficit.'

[o] *Vel cum fœno Græco*] Cum aceto, et fœni Græci farina, podagricis articularioque morbo prodesse, ulceribus quoque sordidis ac vetustis, auctor est Diosc. II. 146.

[p] *Epinyctidas*] Diosc. loc. cit.

[q] *Item repentinas*] Diosc. loc. cit. brassicam ait auxiliari plurimum iis, quibus est obtusior oculorum acies: ἀμβλυωποῦσι δὲ βοηθεῖ ἐσθιομένη.

[r] *Lepras*] Paxamus loc. cit. iisdem fere verbis.

[s] *Sic et fluentes*] Diosc. loc. cit. Ἴσχει δὲ καὶ ῥύσιν τῶν ἐν κεφαλῇ τριχῶν.

machi vitia cum rutæ semine: et ad secundas.[t] Et muris aranei [12] morsus, foliorum aridorum farina alterutra parte [13] [u] exinanit.

XXXV. Ex omnibus brassicæ generibus suavissima est cyma,[a] etsi inutilis habetur, difficilis in coquendo, et renibus contraria. Illud quoque non est omittendum, aquam decoctæ, ad tot usus laudatam, fœtere humi effusam. Stirpium brassicæ aridorum cinis, inter caustica[b] intelligitur. Ad coxendicum dolores cum adipe vetusto.[1] At cum lasere et aceto in vicem psilothri[c] evulsis illitus pilis, nasci alios prohibet. Bibitur et cum oleo suffervefactus, vel per se elixus, ad convulsa et rupta intus, lapsumque ex alto. Nulla ergo sunt crimina brassicæ? immo vero apud eosdem animæ gravitatem facere, dentibus et gingivis nocere: et in Ægypto[d] propter amaritudinem non estur.[2]

XXXVI. Sylvestris, sive erraticæ, immenso plus effectus laudat Cato,[e] adeo ut aridæ[f] quoque farinam in olfactorio[g] collectam, vel odore[1] tantum naribus rapto, vitia

enim loqnebantnr antiqui.' *Brotier.*—12 Vet. Dalec. *vitia cum aceto, cum rutæ semine ad secundas, et muris aranei.*—13 Idem Vet. *altius tumentes partes.*

CAP. XXXV. 1 Chiffl. *vetusto ac.* Gronov. et al. ante Harduin. *pervetusto.* —2 Vet. Dalec. *non edi.*

NOTÆ

[t] *Et ad secundas*] Subintellige, ejiciendas: ἐκβαλεῖν χορία dixit Hippocrates de Morb. Mul. I. 122.

[u] *Alterutra parte*] Sive superne vomitum, sive inferne alvum ciendo.

[a] *Cyma*] In omni, inquit, brassicæ genere, cyma quidem suavissima est, ut agnoscunt omnes subtilioris gulæ magistri: est enim, ut dictum est XIX. 41. ipsorum caulium tenerior delicatiorque cauliculus: sed idem tamen est medicinæ inutilis: quippe difficilis in coquendo, &c. Cave credas brassicæ genus cymam appellari.

[b] *Inter caustica*] Καυστικὰ medicamenta sunt, quæ adurendi vim habent.

[c] *In vicem psilothri*] Ψίλωθρον, φάρμακον πρὸς ψίλωσιν τῶν τριχῶν, *medicamentum ad evellendos pilos*, quasi *depilatorium.*

[d] *Et in Ægypto*] Diosc. II. 145.

[e] *Laudat Cato*] Cap. 157. pag. 87. et 88.

[f] *Adeo ut aridæ*] Cato loc. cit. pag. 88. 'Si polypus in naso introierit, brassicam erraticam aridam tritam in malum conjicito, et ad nasum admoveto: ita subducito sursum animam quamplurimum poteris: in triduo polypus excidet,' &c.

[g] *In olfactorio*] 'Olfactorium,' inquit Joan. de Janua, 'vas est un-

earum graveolentiamque sanare affirmet. Hanc alii petræam vocant,[h] inimicissimam vino,[i] quam præcipue vitis fugiat; aut, si non possit fugere, moriatur. Folia habet una,[2][j] parva, rotunda, lævia, plantis oleris similior,[k] candidior sativa, et hirsutior. Hanc inflationibus mederi, melancholicis quoque, ac vulneribus recentibus, cum melle, ita ne solvantur ante diem septimum: strumis, fistulis, in aqua contritam, Chrysippus auctor est. Et alii vero compescere mala corporis quæ serpant: nomas vocant.[l] Item excrescentia absumere. Cicatrices ad planum redigere. Oris ulcera et tonsillas, manducatam et coctam, succo gargarizato cum melle tollere. Item psoras, et lepras veteres, ipsius tribus partibus cum duabus aluminis in aceto acri illitis. Epicharmus satis esse eam contra canis rabiosi morsum imponi. Melius si cum lasere, et aceto acri. Necari quoque canes ea, si detur, ex carne. Semen ejus tostum auxiliatur contra serpentes, fungos, tauri sanguinem.[3][m] Folia cocta splenicis[4] in cibo data, et cruda illita

CAP. XXXVI. 1 Margo edd. Dalec. et Gronov. *pulvere*, e Catone.—2 Gronov. et al. vett. ante Harduin. *bina*.—3 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *serpentes, fungorumque venena, tauri sanguinem* Gronov. et al. vett.—4 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *spleneticis* Gronov. et al. '*splenicis* Chiffl. hic et alias sem-

NOTÆ

guentarium muliebre, in quo odoramenta gestantur,' nempe ex Isidoro XIX. 31.

h *Petræam vocant*] Quod in locis petrosis, præruptisque nascitur, *ἐν κρημνώδεσι τόποις*, ut ait Diosc. II. 147. a quo hæc *ἀγρία κράμβη* vocatur. Hæc eadem illa est, inquit Ruellius II. 132. pag. 446. quæ tot exercuit, immo fere occidit Grammaticos, illo Satirici senariolo vaticinante, quantam crucem nostris Criticis olim poneret, 'Occidit miseros crambe repetita magistros.'

i *Inimicissimam vino*] Quippe cui si vitis asseratur, a brassica recedat ea quam possit longissime, ut quidem prodit auctor Geopon. v. 11. pag. 131. Paxamus apud eundem auctorem, XII. 17. pag. 339. ait aut tabe tum brassicam, aut vitem interituram esse. De hac inimicitia iterum Plinius XXIV. 1.

j *Folia habet una*] Ita Reg. 1. cod. Alii *bina* legunt: sed falso. *Una* vero idem est, atque unius generis, ac modi.

k *Oleris similior*] Hoc est, brassicæ sativæ.

l *Nomas vocant*] Νομαὶ sunt *τὰ νεμόμενα τῶν ἑλκῶν*, ulcera serpentia quæ depascunt.

m *Tauri sanguinem*] Et adversus taurini sanguinis epoti venenum auxi-

cum sulfure et nitro prosunt. Item mammarum duritiæ. Radicum cinis uvæ in faucibus tumenti tactu medetur: et parotidas cum melle illitus reprimit: serpentium morsus sanat. Virium brassicæ unum et magnum argumentum addemus, et mirabile. Crustæ si occupent intus vasa omnia, in quibus aquæ fervent in tantum, ut non sit eas avellere, si brassica in iis[5] decoquatur, abscedunt.

XXXVII. Inter sylvestres brassicas et lapsana[n] est, pedalis altitudinis, hirsutis foliis, sinapi similis,[1] nisi candidior esset flore. Coquitur in cibo.[o] Alvum lenit et mollit.[2]

XXXVIII. Marina brassica[p] vehementissime ex omnibus alvum ciet. Coquitur propter[q] acrimoniam cum pingui carne, stomacho inimicissima.

XXXIX. Scillarum[a] in medicina alba est quæ masculus, fœmina nigra. Quæ candidissima fuerit, utilissima erit. Huic aridis tunicis[b] direptis quod reliquum e vivo[c] est, consectum suspenditur lino, modicis intervallis. Postea arida[d] frusta in cadum aceti quam asperrimi pendentia

per.' *Dalec.*—5 Vett. quædam edd. *in his.*

CAP. XXXVII. 1 'Ita codd. Regg. et Editio princeps. Male emendatum in recentioribus editionibus, *napi simillimis.*' Brotier. *napi simillimis* edd. Dalec. Elz. Gronov. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—2 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *leniter emollit* Gronov. et al. vett.

NOTÆ

liari brassicæ semen, auctor est Diosc. in Alexipharm. cap. 25.

[n] *Lapsana*] De qua XIX. 41.

[o] *Coquitur in cibo*] Et caulis et folia, inquit Diosc. II. 142.

[p] *Marina brassica*] Hæc totidem verbis Diosc. II. 148. Galenus item de Fac. Simp. Med. lib. VII. pag. 196. A Lobelio pingitur id brassicæ genus in Observ. pag. 329. quale in horto Regio vidimus.

[q] *Coquitur propter*] Iisdem verbis Diosc. loc. cit.

[a] *Scillarum*] Delibata hæc jam XIX. 30.

[b] *Huic aridis tunicis*] Hanc ipsam aceti scillini concinnandi rationem vide apud Columellam XII. 33. Marcellum Empir. cap. 20. pag. 149. et apud Diosc. V. 25.

[c] *Quod reliquum e vivo*] E medio, quod tenerius, interiusque est. Marcellus Empir. cap. 34. pag. 232. 'Scillæ bulbi,' inquit, 'quod interius est.' Τὸ μεσαίτατον, quod intimum est meditullium, inquit Diosc. II. 202.

[d] *Postea arida*] In umbra siccata. Hæc totidem verbis Diosc. loc. cit. Sectas taleolas vocat Columella XII. 33.

immerguntur,[1] ita ne ulla parte vas contingant. Hoc fit ante solstitium,[e] diebus XLVIII.[2] Gypso deinde oblitus cadus ponitur sub tegulis, totius diei Solem accipientibus. Post eum numerum dierum tollitur vas, scilla eximitur, acetum transfunditur. Hoc clariorem[f] oculorum aciem facit. Salutare est[g] stomachi laterumque doloribus, parum[3] sumtum binis diebus. Sed tanta vis est, ut avidius haustum extinctæ[4] animæ momento aliquo speciem præbeat. Prodest et gingivis, et dentibus, vel per se commanducata. Tineas[5] et reliqua ventris animalia pellit ex aceto et melle sumta. Linguæ quoque[h] recens subjecta præstat, ne hydropici sitiant.[6] Coquitur pluribus[7][i] modis: in olla, quæ conjiciatur in clibanum aut furnum, vel adipe aut luto[j] illita, aut frustatim in patinis. Et cruda[k] siccatur, deinde conciditur,

CAP. XXXIX. 1 Chiffl. *merguntur.*—2 'Hæc clausula in Chiffl. sequitur eam, cui hic præponitur, hoc modo, *Gypso deinde, &c. Hoc fit,' &c.* Dalec. Verba, *Hoc fit a. s. d. XLVIII.* uncis inclusa sunt in Gronov. et al. vett.—3 Vet. Dalec. *paucum.*—4 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *tinctæ* Gronov. et al. vett.—5 *Tænias* Vet. Dalec.—6 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *sitim sentiant* Gronov. et vulgg.—7 Edd. vett. *plurimis.*—8 Dalec. *innatat cibus.*

NOTÆ

[e] *Hoc fit ante solstitium*] Discrepat Columella, qui diebus ante vindemiam XL. id fieri præcipit.

[f] *Hoc clariorem*] Dioscor. v. 25.

[g] *Salutare est*] Stomachicis, et iis qui ægre cibum concoquunt. Diosc. loco proxime cit.

[h] *Linguæ quoque*] Plinius Valer. III. 12. plane ad verbum. Apuleius quoque cap. 42. tit. 4.

[i] *Coquitur pluribus*] Ita Diosc. II. 202.

[j] *Vel adipe aut luto*] Dioscor. loc. cit. Σταιτὶ δὲ ἢ πηλῷ περιπλάσσεται, καὶ δίδοται εἰς κλίβανον, ἢ ἄνθραξιν ἐγκρύπτεται, μέχρις ἂν ὀπτηθῇ ἱκανῶς τὸ περικείμενον σταῖς. *Farina subacta, lutove oblinitur, et in clibanum conjicitur, aut prunis obruitur, donec ambiens crusta sufficienter tosta sit.* Ex iisdem, ut videtur, fontibus uterque hausit. At vocem ambiguam σταιτὸς, quæ et *adipem*, et *farinam subactam, fermentumve* significet, *de la paste*, cur adipem potius reddiderit quam farinam, non liquet. Hesychius, pag. 862. Στέατα, ἄλευρα, ζύμη. Στέατος, λίπους. Nisi forte numero solum multitudinis, ut Hesychius innuit, *fermentum* significet, ac *farinam*: numero singulari, *adipem*. At adipe involvi, incoquique scillam, minus commodum videtur, quam si id farina fiat subacta.

[k] *Et cruda*] Hæc quoque Diosc. II. 202. Theod. Priscianus, I. 22. de apum percussibus, vel scorpionum, ceterorumque serpentium: 'Scilla cruda trita imponitur, et statim curat.'

coquiturque in aceto, tum serpentium ictibus imponitur. Tosta quoque[l] purgatur, et medium ejus iterum in aqua coquitur. Usus sic coctæ[m] ad hydropicos, ad urinam ciendam tribus obolis cum melle et aceto potæ. Item ad splenicos, et stomachicos,[n] (si non sentiant ulcus,)[o] quibus innatet cibus.[8] Ad tormina,[p] regios morbos, tussim veterem cum suspirio. Discutit et foliis[q] strumas, quadrinis diebus soluta. Furfures[r] capitis,[9] et ulcera manantia illi-

—9 Codd. Regg. Brot. et Editio princeps, *quadrimis diebus*, &c. Cod. Dalec. *quadrinis diebus furfures capiti*, &c. Vet. Dalec. *quadrinis diebus solu.*

NOTÆ

[l] *Tosta quoque*] Plinius Valer. III. 12. ad verbum: et Scribonius Largus Compos. 76.

[m] *Usus sic coctæ*] Diosc. loco cit. Apuleius quoque, cap. 42. tit. 1. et ante hos Celsus III. 21. Plinius Valer. loc. cit. 'Scillæ bulbus torretur, deinde purgatur, et medium ejus in aqua coquitur: cum madidum est, ex eo tres oboli dantur potui ex melle et aceto: evacuatur per urinam.' Theodorus Priscianus lib. IV. 'Ad hydropem:' 'Squilla, id est, bulbus, sub prunis furno assatur: deinde circumpurgatur, et medietas ejusdem bulbi in aqua coquitur: posteaquam coquendo colorem mutaverit, tollitur. Ex quo bulbo scrupulus unus et dimidius teritur cum oxymelle: tribus cyathis calefactum, bibendum datur: omnem calamitatem per urinam evacuat.'

[n] *Item ad splenicos, et stomachicos*] Diosc. loc. cit. Καὶ στομαχικῶν οἷς ἐπιπολάζει τὰ σιτία. *Stomachicis quibus innatat cibus.* Celsus IV. 9. in lienis morbo 'acetum acre sorbere per se, et magis etiam quod scilla conditum sit, expedire' ait. Σπληνικὸς est *lienosus*, sive qui lienis indurationem patitur. Vide Galen. κατὰ τόπους, IX. 2. pag. 598. Στομαχικὸς, qui stomacho, hoc est, ventriculi orificio, laborat, et cibum continere nequit. Vocis hujus acceptiones alias vide apud eundem Galen. κατὰ τόπους, VIII. 2. pag. 563.

[o] *Si non sentiant ulcus*] Cavendus enimvero scillæ usus iis, quibus interna quæpiam exulceratio est, inquit Dioscor. II. 202. Φυλάττεσθαι δὲ αὐτῆς τὴν δόσιν δεῖ, ἐφ' ὧν ἕλκωσίς τίς ἐστιν ἐντός.

[p] *Ad tormina*] Diosc. loc. cit. Καὶ ἐπὶ ἰκτέρου, στροφουμένων, βηττόντων χρονίως, ἀσθματικῶν, ἀναφορικῶν. Celsus IV. 4. ad tussim pariter veterem 'delingere scillam' jubet. Scribonius Largus Compos. 76. 'Ad suspirium faciunt bene inter simplicia quidem acetum scillites, quod vocant, cochleario ter quaterve sumtum in die. Prodest et ipsa scilla, argilla circumdata, et furno cocta, purgatis exterioribus putaminibus, et quod tenerrimum est ejus mellis duabus partibus Attici admixtum et tritum, cochleario semel in die bisve sumtum profuit multis.'

[q] *Discutit et foliis*] Theod. Priscianus I. 9. ubi de furunculis, et strumis: 'Scilla quoque,' inquit, 'si contrita in vicem cataplasmatis imponatur, quatuor diebus permanens continuis, duritias solvit.'

[r] *Furfures*] Hanc vim bulbis ascri-

ta, ex oleo cocta.[10] Coquitur[s] et in melle cibi gratia, maxime uti coctionem facias. Sic et interiora[t] purgat. Rimas pedum[u] sanat in oleo cocta, et mixta resinæ. Semen ejus lumborum dolori ex melle imponitur. Pythagoras[v] scillam in limine quoque januæ suspensam malorum medicamentorum introitum pellere tradit.

XL. Ceterum bulbi ex aceto et sulfure vulneribus in facie medentur. Per se vero triti nervorum contractioni, et ex vino porrigini:[a] cum melle, canum morsibus:[b] Erasistrato[1] placet cum pice. Sanguinem idem eos sistere tradit illitos cum melle. Alii, si e naribus fluat, coriandrum et farinam adjiciunt. Theodorus et lichenas[c] ex aceto bulbis curat: et erumpentia[d] in capite, cum vino austero aut ovo. Et bulbos epiphoris idem illinit, et sic lippitudini medetur. Æque vitia quæ sunt in facie, eorum rubentes[e] maxime, in Sole illiti cum melle et nitro emendant: lentiginem cum

Furfures, &c.—10 Ita codd. Harduini, Dalec. et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *ex eo cocta* Gronov. et al. vett.

CAP. XL. 1 Dalec. *ut Erasistrato.*—2 Vet. Dalec. *aut cymino cocti;* Chiffl.

NOTÆ

bit Diosc. II. 20. cum nitro cocto.

[s] *Coquitur*] Diosc. totidem verbis, II. 202.

[t] *Sic et interiora*] Quoniam sic sumta, viscida excrementa alvo detrahit, inquit Diosc. loc. cit.

[u] *Rimas pedum*] Diosc. loc. cit. et Marcellus Empir. cap. 34. pag. 232. totidem verbis.

[v] *Pythagoras*] Et Diosc. quoque loc. cit. Ἔστι δὲ καὶ ἀλεξιφάρμακον ὅλη πρὸ τῶν θυρῶν κρεμαμένη. Sic etiam Zoroastres in Geopon. XV. 1. pag. 406. Quin et vulpes quoque, gnara lupo et scillam adversari, pro speluncæ foribus scillam suspendit, quæ lupum ab ingressu arceat, teste Habdarrahmano Ægyptio, cap. 23. pag. 96. Scilla vim expiandi habere credita olim: quare apud Theophr. in Charact. superstitiosus subinde se scillæ circumlatione purificat. Vide Casauboni Notas in eum locum.

[a] *Porrigini*] Furfuribus, πιτύροις, Diosc. II. 200. et Marcellus Empir. cap. 4. pag. 40.

[b] *Canum morsibus*] Diosc. loc. cit. cum melle, ac pipere trito.

[c] *Theodorus et lichenas*] Proximum certe licheni et affine malum, elephantiasin, hoc medicamento sanari auctor est Plinius Valer. II. 57. et Q. Serenus cap. 11. huic propellendo malo, inquit, 'Non frustra bulbos, et sulfura jungis aceto.'

[d] *Et erumpentia*] Subintellige ulcera: ἀχῶρας dixit Diosc. loc. cit.

[e] *Eorum rubentes*] E bulbis ii maxime, quorum cortex radicis rubet. Dioscoridi II. 200. βολβὸς πυῤῥός.

vino,[f] aut cucumi cocto.[2] Vulneribus quoque[g] mire prosunt per se, aut, ut Damion, ex mulso,[h] si quinto die solvantur. Iisdem et auriculas[i] fractas curat, et testium pituitas.[j] In articulorum doloribus miscent farinam. In vino cocti[k] illiti[3] ventri, duritiam præcordiorum emolliunt. Dysentericis[l] in vino ex aqua cœlesti temperato dantur. Ad convulsa intus, cum silphio pilulis fabæ magnitudine. Ad sudorem[m] tusi illinuntur. Nervis[n] utiles: ideo et paralyticis dantur. Luxata[o] in pedibus, qui sunt rufi ex his, citissime sanant cum melle et sale. Venerem maxime[p] Megarici stimulant: hortensii[4][q] partum, cum sapa aut passo sumti: sylvestres, interaneorum plagas et vitia, cum silphio pilulis devoratis, sedant. Et sativorum semen contra phalangia bibitur in vino. Ipsi ex aceto illinuntur contra serpentium ictus. Semen antiqui bibendum insanienti-

aut cum cucumi.—3 Vet. Dalec. *et illiti.* Mox, Gronov. *duritiem.*—4 Dalec. *esculenti*, e Diosc.

NOTÆ

[f] *Lentiginem cum vino*] Cum melle maluit Q. Serenus cap. 12. 'Proderit et bulbus mellis dulcedine victus.'

[g] *Vulneribus quoque*] Hæc Plinius Valer. ad verbum, III. 20.

[h] *Aut, ut Damion, ex mulso*] Vide Notas et Emend. num. 17.

[i] *Iisdem et auriculas*] Diosc. II. 200.

[j] *Et testium pituitas*] Sic, opinor, aquosos testium tumores vocat. Dolorem testium simpliciter Marcellus Empir. appellat, c. 33. p. 228. 'Bulbi ex mulso triti atque illiti, dolentibus testiculis medentur.'

[k] *In vino cocti*] Plinius Valer. II. 15. 'Bulbi triti,' inquit, 'illiti ventri, bene molliunt, et præcordiorum tumorem curant.'

[l] *Dysentericis*] Plinius Valer. II. 28. 'Dysenteriæ compescendæ:' 'Per se bulbi triti dantur, et in vino austero potio miscetur.'

[m] *Ad sudorem*] Compescendum. Diosc. II. 200.

[n] *Nervis*] Largiore tamen cibo sumtos nervis nocere bulbos ait Diosc. II. 200.

[o] *Luxata*] Diosc. II. 200. Græci *στρέμματα*, *luxata*, seu artus luxatos vocant, cum suo loco mota ossa legitimos naturæ in ea parte motus cum dolore remorantur.

[p] *Venerem maxime*] Hoc de bulbis satis universe prodidit Galenus de Fac. Simp. Med. lib. VI. p. 164. et Diosc. loc. cit. De Megaricis inprimis Ovidius a nobis laudatus XIX. 30. De Regiis appellatis, Athenæus lib. II. pag. 64. Referri huc forte potest vulgata illa apud eundem Athenæum loc. cit. parœmia: ἡ δὲ παροιμία φησὶν, Οὐδέν σ' ὀνήσει βολβὸς, ἂν μὴ νεῦρ' ἔχῃς. *Nervis carentem juverit bulbus nihil.* De qua Erasmum consule, Chiliad. IV. Cent. 2. Adag. 42.

[q] *Hortensii*] Idemque sativi, æsculentique appellati.

bus dabant. Flos bulborum tritus crurum maculas varietatesque igne factas emendat. Diocles oculos[r] hebetari ab iis putat. Elixos assis minus utiles esse adjicit, et difficile concoqui ex vi uniuscujusque naturæ.

XLI. Bulbinem[a] Græci vocant herbam porraceis foliis, rubicundo bulbo. Hæc traditur vulneribus mire utilis duntaxat recentibus. Bulbus, quem[b] vomitorium vocant ab effectu, folia habet nigra, ceteris longiora.[1]

XLII. (X.) Utilissimus[c] stomacho cibus asparagi traduntur.[1] Cumino quidem[d] addito inflationes stomachi colique discutiunt: iidem oculis[e] claritatem afferunt.[2] Ventrem leniter[f] molliunt. Pectoris et spinæ doloribus, intestinorumque vitiis prosunt, vino cum coquuntur addito.[3] Ad lumborum[g] et renum dolores, semen trium obolorum pondere, pari[4] cumini bibitur. Venerem[h] stimulant. Uri-

CAP. XLI. 1 Codd. ap. Brotier, et Editio princeps, *folia habet multo ceteris longiora.*

CAP. XLII. 1 Ita Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *asparagi, ut traditur* Gronov. et al. ante Harduin. *Inter utilissimos stomachi cibos asparagi traduntur* Chiffl.—2 Hæc clausula, *iidem oculis claritatem afferunt*, deest in cod. Dalec.—3 Chiffl. *cum coquantur adjecto.*—4 Idem codex, *parte.*—5 Ita

NOTÆ

[r] *Diocles oculos*] Diphilus quoque Siphnius apud Athen. l. II. p. 64.

[a] *Bulbinem*] Βολβίνη dicitur Theophrasto Hist. VII. 13. et Matroni apud Athen. l. II. p. 64.

[b] *Bulbus, quem*] Oribasii interpres l. XI. p. 193. post Diosc. l. II. p. 201. 'Bulbus, qui ad ciendum vomitum accommodatus dicitur, folia habet .... multo longiora, quam is qui edendo est,' &c. Dioscoridi, Βολβὸς ἐμετικὸς, κ.τ.λ. A similitudine quam folio cum juncis habet, Hispani Jonquillas nuncupant: a quibus et Galli *Jonquille: Jonquille d'Espagne: grande Jonquille: petite Jonquille.* Pingitur a Dodonæo, p. 226. Sed et quisquis bulbus vomitum ciet, vomitorius dici potest. Vide Anguillaram, par. 7. p. 119.

[c] *Utilissimus*] Hæc Plinius Valer. ad verbum, IV. 30.

[d] *Cumino quidem*] Plinius Valer. loc. cit.

[e] *Iidem oculis*] Plinius Valer. loc. cit.

[f] *Ventrem leniter*] Plinius Valer. loc. cit. Diosc. II. 152. et Diocles apud Athen. l. III. p. 120.

[g] *Ad lumborum*] Plinius Valer. II. 36. 'Asparagi semen et cumini,' inquit, 'pari pondere tritum, et ex vino vel aqua calida potui datum, emendat lumborum et renum vitia.' Et Q. Serenus c. 26. de lumbis et renibus sanandis: 'Aut caput asparagi cum vino sume vetusto, Seu mavis, appone: modus conducit uterque.'

[h] *Venerem*] Plinius Valer. IV. 30.

nam[i] cient utilissime, præterquam[5] vesicam exulcerant. Radix quoque,[j] plurimorum prædicatione, trita, et ex vino albo pota, calculos quoque exturbat, lumborum et renum[k] dolores sedat. Quidam et ad vulvæ[l] dolorem radicem cum vino dulci propinant. Eadem in aceto[m] decocta contra elephantiasin[6] proficit. Asparago trito ex oleo[7] perunctum pungi ab apibus negant.

XLIII. Sylvestrem asparagum aliqui Libycum vocant,[n] Attici hormenum.[1][o] Hujus ad supra dicta[p] omnia efficacior vis, et candidiori major. Regium morbum[q] extenuat. Veneris causa aquam eorum decoctam bibi jubent ad heminam. Ad idem et semen valet cum anetho, ternis utriusque[2] obolis. Datur et ad serpentium ictus succus decoctus. Radix miscetur radici marathri inter efficacissima auxilia. Si sanguis per urinam reddatur, semen asparagi,[3]

codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *præter quod* cod. Dalec. *præterquam quod* Gronov. et al. vett.—6 Cod. Dalec. *elephantiam.*—7 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *cum oleo* Gronov. et al. vett.

CAP. XLIII. 1 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *aliqui corrudam, aliqui Libycum .... orminium* Gronov. et al. ante Harduin. *hormenium* Vet. Dalec.—2 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *utrumque* edd. vett. et Gronov.

NOTÆ

[i] *Urinam*] Plinius Valer. loc. cit.

[j] *Radix quoque*] Diosc. II. 152. Plinius Valer. II. 36. et IV. 30. 176. et 179. Marcellus Empir. c. 25. pag. 173. et c. 26. p. 176.

[k] *Lumborum et renum*] Diosc. loc. cit. Marcellus Empir. c. 25. p. 173. Plinius Valer. II. 36. et IV. 30. Apuleius c. 84. tit. 4.

[l] *Quidam et ad vulvæ*] Plinius Valer. IV. 30.

[m] *Eadem in aceto*] Plinius Valer. loc. cit. 'Contra elephantiasim efficax creditur.' Marcellus Empir. c. 19. p. 130. 'Radix asparagi decocta in aceto, et elephantiosis rationabiliter imponitur.' Apuleius c. 84. tit. 3. 'Ad elephantiosos:' 'Herbæ asparagi radix coeta contrita imponatur elephantiaco, liberabitur.'

[n] *Libycum vocant*] Apuleius c. 84. 'Græci myacanthan, alii asparagon agrion, Latini corrudam, alii asparagum agrestem, alii asparagum rusticum, alii asparagum nostrum.' Nostrum cum dicit, Libycum, opinor, intelligit. Fuit enim is ex Africa, oppido Madaura.

[o] *Attici hormenum*] Vide quæ diximus XIX. 42.

[p] *Hujus ad supra dicta*] Athenæus lib. II. p. 62.

[q] *Regium morbum*] Diosc. II. 152.

et apii, et cumini ternis obolis in vini cyathis duobus, quinis diebus, Chrysippus dari jubet. Sic et[4] hydropicis contrarium esse, quamvis urinam moveat, docet: item Veneri.[r] Vesicæ quoque, nisi decoctum: quæ aqua si canibus[5][s] detur, occidi eos. In vino decoctæ[t] radicis succum, si ore contineatur, dentibus mederi.

XLIV. (XI.) Apio[a] gratia in vulgo est.[1] Namque rami largis portionibus per jura innatant, et in condimentis peculiarem gratiam habent. Præterea oculis[b] illitum cum melle, ita ut subinde foveantur ferventi succo decocti, alisque membrorum epiphoris: per se tritum, aut cum pane, vel polenta impositum, mire auxiliatur. Pisces quoque si ægrotent in piscinis, apio viridi recreantur.[2] Verum apud eruditos non aliud erutum terra in majore sententiarum va-

—3 Chiffl. *et asparagi.*—4 *Is et* margo edd. Dalec. et Gronov.—5 Cod. Dalec. *decoctum aqua. Si canibus.*

CAP. XLIV. 1 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Apio gratia vulgo est* Gronov. et al. vett.—2 Vet. Dalec. *creatum.*—3 Cod.

NOTÆ

[r] *Item Veneri*] Chrysippum secutus Diosc. loc. cit. docet decoctum radicis asparagi haustum, ποιεῖν ἀτόκιον καὶ ἄγονον, partum impedire, ac sterilitatem inducere.

[s] *Quæ aqua si canibus*] Et hoc ex aliorum sententia refert Diosc. loc. cit.

[t] *In vino decoctæ*] Marcellus Empir. c. 12. p. 94. Apuleius c. 84. tit. 2. 'Ad dentium dolorem herbæ asparagi succum in ore oportet continere.' Plinius Valer. I. 36. 'Asparagi sylvatici radicem in vino decoques: ex hoc in ore contineat: dolorem sedat: succusque ejus similiter facit.' Adde his Diosc. loc. cit. et Galenum de Fac. Simp. Med. lib. VI. p. 160.

[a] *Apio*] Sativum intelligit, sive hortense: vulgo *Persilum* dicitur: etsi aliter sentire intelligo Aloisium Anguillar. par. 7. p. 121.

[b] *Præterea oculis*] Oculorum inflammationibus, πρὸς ὀφθαλμῶν φλεγμονὰς, inquit Diosc. III. 74. Oculorum epiphoris, (quæ Plinii hoc loco mens est, cum sequatur statim, 'alisque membrorum epiphoris') Apuleius c. 118. tit. 1. 'Ad epiphoras oculorum:' 'Herba apio trita bene cum pane molli, oculi tegantur: mirifice sanat.' Eadem habet Plinius Valer. I. 14. Oculis tumentibus, vel dolentibus, apium imponi cum lacte mulieris Marcellus Empir. jubet, c. 9. p. 56. Theod. Priscianus I. 10. 'de oculorum causis:' 'Et caseus recens,' inquit, 'cum apiorum foliis contritis impositus, sæpe oculos liberavit: et panis mundus vino infusus, et cum oleo roseo tritus, par beneficium præstitit.'

rietate est.[3] Distinguitur sexu. Chrysippus fœminam esse dicit crispioribus foliis et duris, crasso caule, sapore acri et fervido. Dionysius nigriorem, brevioris radicis, vermiculos gignentem: ambo neutrum ad cibos admittendum, immo omnino nefas: nam id defunctorum[c] epulis feralibus dicatum esse:[4] visus quoque claritati inimicum. Caule fœminæ vermiculos gigni.[d] Ideoque eos qui ederint, sterilescere,[e] mares fœminasque.[5] In puerperiis[6] vero ab eo cibo comitiales[f] fieri qui ubera hauriunt. Innocentiorem tamen esse marem. Eaque causa est, ne inter nefastos frutices[7] damnetur. Mammarum[g] duritiam impositis foliis emollit. Suaviores aquas[h] potui incoctum præstat. Succo maxime radicis cum vino lumborum dolores mitigat. Eodem jure instillato gravitatem aurium. Semine

Dalec. *autoritate est.*—4 Vox *esse* non legitur hoc loco in cod. Dalec.—5 Hæc duo verba, *mares fœminasque*, desunt in cod. Dalec.—6 *In puerperis* codd. Dalec. et Chiffl.—7 Chiffl. *frutex.*—8 Ita Harduin. 1. 2. 3. Miller.

NOTÆ

[c] *Nam id defunctorum*] In feralibus epulis usi convivæ corona ex apio. Suidas: Σελίνου στέφανος. Πένθιμος· τὸ γὰρ σέλινον πένθεσι προσήκει, ὡς ἔφη καὶ Δοῦρις ἐν τῷ Περὶ ἀγώνων. Adde, ut Plutarchus est auctor, in Vita Timoleontis, coronari apio sepulcra: unde vetus illud, 'Indigere apio,' de iis qui profligata valetudine utuntur. Suidas, tom. II. p. 930. verbo, Τοῦ σελίνου δεῖται, ἐπὶ τῶν ἀσφαλῶς νοσούντων· Καὶ γὰρ εἰώθαμεν τὰ μνήματα στεφανοῦν σελίνοις, ὥς φασι Πλούταρχος. Arnobius contra Gent. lib. v. p. 169. 'Oblivioni etiam Corybantia sacra donentur, in quibus sanctum illud mysterium traditur, frater trucidatus a fratribus, interemti ex sanguine Apium natum, prohibitum mensis olus illud apponi, ne a manibus mortui inexpiabilis contraheretur offensio.'

[d] *Vermiculos gigni*] Cum e terra erutus Soli exponitur.

[e] *Ideoque eos . . . sterilescere*] Dissentire a Chrysippo videtur auctor Geopon. XII. 13. Βρωθὲν δὲ τὸ σέλινον καταφερεστέρας εἰς τὰ ἀφροδίσια ποιεῖ τὰς γυναῖκας, κ. τ. λ. Habet eadem Simeon Sethi de Alim. tit. Σέλινον.

[f] *Comitiales*] Comitiales fieri, qui apio in cibis utantur, auctor est Simeon Sethi loc. cit. Galenus tamen in Consilio, pro puero epileptico, tom. x. c. 4. p. 491. apium, smyrniumque, quod genus apii est, degustari ab ejusmodi ægrotis utilissime admonet: πράσου δὲ καὶ σελίνου, καὶ σμυρνίου προσάψασθαί ποτε συνοίσει, κ. τ. λ.

[g] *Mammarum*] Diosc. II. 74. Mammas, inquit, χονδριῶντας, grumoso lacte turgentes, reprimit.

[h] *Suaviores aquas*] Hinc ægris, quibus vino interdictum est, vel hydromeli, vel apiatam aquam præscribit Theod. Priscianus II. 2. 2. et 6.

urinam [i] ciet, menstrua, ac secundas partus.[8] [j] Et, si foveantur semine decocto, sugillata reddit colori.[9] Cum ovi albo [k] illitum, aut ex aqua coctum [l] potumque renibus medetur: in frigida tritum oris ulceribus. Semen cum vino, vel radix cum veteri vino, vesicæ calculos frangunt. Semen datur et arquatis ex vino albo.

XLV. Apiastrum [m] Hyginus quidem melissophyllon appellat. Sed in confessa [1] [n] damnatione est venenatum in

Bipont. et Franz. *menstrua, secundas, ac partus* Vet. Dalec. *menstrua ac secundas, partus* Chiffl. *menstrua ac secundos partus* Gronov. et vulgg.—9 Vet. Dalec. *colorem.*

CAP. XLV. 1 *Sed confessa* Vet. Dalec. *Sed et in confessa* al.—2 Cod. Da-

NOTÆ

[i] *Semine urinam*] Diosc. loc. cit. Plinius Valer. IV. 2. 'de facultate apii:' 'Nulla res fortius vel urinæ difficultates resolvit, vel fœminarum menstruis imperat.'

[j] *Ac secundas partus*] Ita Mss. Reg. et Colb. 1. ut c. 23. hoc est, secundas a partu. Prius legebatur, *ac secundos partus*, aliena a Plinii mente sententia.

[k] *Cum ovi albo*] Vel sic sugillatis sanandis, de quibus dictum est proxime, adhiberi jubet Marcellus Empir. c. 19. p. 131. 'Apium viride,' inquit, 'subtiliter tritum, cum ovi albo illitum, livoribus prodest.'

[l] *Aut ex aqua coctum*] Hoc vero ad verbum Marcellus exscripsit, c. 26. p. 177.

[m] *Apiastrum*] Μελισσόφυλλον, ab apibus, quæ ea herba plurimum lætantur. Illud est quod in coronamenta venire dicitur XXI. 29. Alii citraginem aut Melitænam, Galli Melissam vocant, *Melisse, ou citronelle.* Apiastrum ab Hygino vocari cœpit, eruditissimo alioqui viro, sed quem omnes hac in parte damnent, et, quod magis mirere, sequantur tamen. Nam Marcus Varro ita appellat, de Re Rust. III. 16. et Diosc. in Nothis p. 457. Μελισσόφυλλον, οἱ δὲ μελίτταιον, οἱ δὲ μελίφυλλον... Ῥωμαῖοι ἀπίαστρον, οἱ δὲ κιτράγω, κ. τ. λ. A Matthiolo pingitur in Diosc. lib. III. p. 826. In horto Regio septem melissæ genera diversa vidimus.

[n] *Sed in confessa*] Damnatur id vero, inquit, quod affinitatem habet nominis cum apiastro seu melissophyllo, quoniam et ipsum apiastrum vocatur: non eo sane, quod sit apibus gratum, ut melissophyllum, de quo proxime diximus: sed quod apium æmuletur: nam quæ ita desinunt, imitationem quandam, ut Grammaticis placet, important. Istud enim ipsum est, quod batrachion, et ranunculum appellant. Agemus de eo iterum XXV. 109. Apuleius c. 8. de scelerata: 'Græci,' inquit, 'batrachion dicunt... alii rhuselinon... alii selinon agrion.... Latini apium rusticum, iidem apium risus, iidem apiastellum,' &c. Hæc Sardonia herba est, de qua historici multa, et Diosc. in Alexiph. c. 14. Ruellium vide de Nat. Stirp. II. 116. p. 426. Agresti apio, hoc est, apiastro, similem herbam eam Sallustius facit. Adversus id venenum remedia plura Sennertus affert, Pract. lib. VI. p. 1055.

Sardinia. Contexenda enim[o] sunt omnia, ex eodem nomine apud Græcos pendentia.[a]

XLVI. Olusatrum,[p] quod hipposelinum vocant, adversatur scorpionibus. Poto semine torminibus, et interaneis[1] medetur. Itemque difficultatibus[q] urinæ semen ejus decoctum ex mulso potum. Radix ejus[r] in vino decocta calculos pellit, et lumborum ac lateris dolores. Canis rabiosi morsibus potum et illitum medetur. Succus ejus[s] algentes calefacit potus. Quartum genus[t] ex eodem faciunt aliqui oreoselinon, palmum[2] alto frutice ac recto semine, cumino simili,[u] urinæ et menstruis[v] efficax. Helioselino vis privata contra araneos. Sed et oreoselino[w] fœminæ purgantur e vino.

XLVII. (XII.) Alio genere petroselinum quidam appellant in saxis natum, præcipuum ad vomicas, cochlearibus

---

lec. *splendentia.*

CAP. XLVI. 1 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *torminibus, interaneis* Gronov. et al. vett. *torminibus interaneorum* Vet. Dalec.—2 'Vox *palmum* deest in V. C.' *Dalec.*

NOTÆ

[o] *Contexenda enim*] Etiam ea, inquit, interdum connectimus, quorum tractatio et natura dissimilis, sed nominis affinitas maxima. Sic XXIII. 65. cum erineo, hoc est, caprifico arbore, erinei quoque herbæ vires explicat, 'propter gentilitatem,' inquit, hoc est, propter similitudinem nominis. Ea cautione admonet se melissophyllon ab apiastro Sardo secernere: nec alterutrius fieri mentionem, alterius admonitione, nisi propter quandam cognationem nominis.

[p] *Olusatrum*] De quo XIX. 48. Hæc Plinius a Nicandro in Theriac. pag. 60.

[q] *Itemque difficultatibus*] Diosc. III. 78. totidem verbis Apuleius, c. 106. tit. 1. 'Ad vesicæ dolorem, et stranguriam :' 'Herba olusatrum trita ex passo in potu sumta, stranguriam potenter emendat.' E Græcis quoque, unus instar omnium Theophr. hist. VII. 6.

[r] *Radix ejus*] Et petroselino has vires assignat Diosc. III. 77. At hipposelino sive olusatro, Theophr. loc. cit.

[s] *Succus ejus*] Hipposelino suo easdem vires attribuit Diosc. III. 78. *Θερμαίνει τοὺς ῥιγοῦντας, πινόμενος καὶ ἐγχριόμενος.*

[t] *Quartum genus*] Primum enim genus apii hortensii, seu sativi, statuitur. Alterum apiastri. Tertium, hipposelini.

[u] *Cumino simili*] Vide Notas et Emend. num. 18.

[v] *Urinæ et menstruis*] Urinæ ciendæ, menstruisque pellendis. Diosc. III. 76.

[w] *Sed et oreoselino*] Totidem verbis hoc Diosc. loc. cit.

binis succi additis in cyathum marrubii succi, atque ita aquæ calidæ[1] tribus cyathis. Addidere quidam buselinum,[2] [x] differens brevitate caulis a sativo et radicis colore rufo, ejusdem effectus. Prævalere[3] [y] contra serpentes potu et linitu.

XLVIII. Ocimum quoque[a] Chrysippus graviter increpuit, inutile stomacho, urinæ, oculorum quoque[b] claritati. Præterea insaniam[c] facere, et lethargos, et jocineris[1] vitia: ideoque capras id aspernari, hominibus quoque fugiendum censet.[2] Addunt quidam[d] tritum si operiatur lapide, scorpionem gignere: commanducatum et in Sole positum, vermes.[3] Afri vero,[4] [e] si eo die feriatur quispiam a scorpione, quo ederit ocimum, servari non posse. Quinimmo[5] tradunt aliqui manipulo ocimi cum cancris decem marinis vel fluviatilibus trito, convenire ad id scorpiones ex proximo.[6] Diodotus in empiricis, etiam pediculos[f] facere ocimi cibum.

CAP. XLVII. 1 Vet. Dalec. *atque aquæ calidæ*, omisso *ita*; Chiffl. *atque ita caldæ aquæ*.—2 'Manuscr. *et oposelinon*.' Dalec.—3 Vet. Dalec. *Prævalet*; alii vett. *Peculiare, &c. potum et litum*. Cod. Dalec. *linitum*.

CAP. XLVIII. 1 Gronov. *jocinoris*.—2 Chiffl. *censens*.—3 'Ita codd. Regg. et Editio princeps. Frustra recentiores addunt *vermes afferre*.' Brotier. *vermes afferre* Dalec. Gronov. Elz. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—4 *Alii vero* cod. Dalec.—5 Cod. Dalec. *ocimum sanari*. *Quinimo*.—6 Ita codd. Har-

NOTÆ

[x] *Buselinum*] Βουσέλινον, quasi *majus apium*: ut ab hortensi apio, cui brevitas caulis palmum non excedit, magnitudine dirimatur. Nam particula *βοῦ* in compositione dictiones auget: a bovis magnitudine, qui *βοῦς* dicitur. Sic enim, auctore Festo, 'Bulimum Græci magnam famem dicunt, assueti magnis et amplis rebus præponere *βου*, a magnitudine scilicet bovis. Hinc est, quod grandes pueros bupædas appellant: et mariscam ficum, busycon.'

[y] *Prævalere*] Alii *peculiare* legunt.

[a] *Ocimum quoque*] Hæc Plinius Valer. ad verbum, IV. 21.

[b] *Oculorum quoque*] Plinius Valer. loc. cit. Copiosiore cibo si sumatur scilicet, oculis nocere prodidit Diosc. II. 171.

[c] *Præterea insaniam*] Plinius Valer. loc. cit.

[d] *Addunt quidam*] Plinius Valer. loc. cit. 'Ocimum,' inquit, 'edere nonnulli reformidant, quod commanducatum, et in Sole positum vermiculos gignit:' *Φυλάσσονται δέ τινες αὐτὸ, καὶ οὐκ ἐσθίουσι, διὰ τὸ μασσηθὲν καὶ τεθὲν ἐν ἡλίῳ σκωλήκια γεννᾷν.* Quod vero scorpionem gignat, falsum esse Galenus admonet, de Alim. Facult. II. 56. p. 365. tom. VI. Vide quæ diximus IX. 51.

[e] *Afri vero*] Plinius Valer. loc. cit. Dioscorides contra loc. cit. Afros ait in ea esse hæresi, ut existiment,

Secuta ætas[g] acriter defendit: nam[7] id esse capras. Nec cuiquam mentem motam, et scorpionum[h] terrestrium ictibus, marinorumque[8] venenis mederi ex vino, addito aceto exiguo. Usu quoque compertum deficientibus ex aceto odoratu[9] salutare esse. Item lethargicis, et inflammatis refrigerationi. Illitum capitis[i] doloribus cum rosaceo, aut myrteo, aut aceto: item oculorum[j] epiphoris impositum ex vino. Stomacho quoque[k] utile, inflationes[l] et ructum[10] ex aceto dissolvere sumtum. Alvum sistere[m] impositum, urinam ciere.[n] Sic et morbo regio et hydropicis prodesse. Choleras eo[o] et distillationes[11] stomachi inhiberi. Ergo etiam cœliacis Philistion dedit: et coctum dysentericis, et colicis Plistonicus.[12] [p] Aliqui et in tenes-

duini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *a proximo* Gron. et al. vett. Mox, *Diodorus* Gron. et al. ante Harduin.—7 Vox *nam* deest in Vet. Dalec. Mox, in eodem Vet. *capras, nec minus quam mentam aut rutam. Scorpionum.* Cod. Dalec. *mutari* pro *motam.*—8 Margo edd. Dalec. et Gronov. *draconumque marinorum,* e Diosc. Mox, *aceti exiguo* Chiffl.—9 Ita codd. Regg. Brot. 1. 2. *odoratum* al. ante Brotier. Mox, *et i. refrigerandis* Vet. Dalec.—10 Cod. Dalec. *inflationis ructum.*—11 Cod. Dalec. *prodesse etiam Cholericis. Eo distillationes;* Chiffl. *choleris distillationes.*—12 Chiffl. *et contra plistonicum.*

NOTÆ

si scorpione quis feriatur, qui eo die ocimum ederit, incolumem eum fore.

[f] *Etiam pediculos*] Pediculis infestari eos, qui ocimum adhibeant in cibis.

[g] *Secuta ætas*] Posteriores medici, inquit, innocuum esse ocimi esum defenderunt, contra Chrysippum: neque officere oculorum claritati, quandoquidem illud capræ edunt, quibus est visus acutissimus, ut dictum est VIII. 76. neque insaniam facere, cum nemini compertum sit motam ex eo cibo mentem esse, &c.

[h] *Et scorpionum*] Diosc. loc. cit.

[i] *Illitum capitis*] Apuleius cap. 117. tit. 1. ‘Capitis dolori medendo:’ ‘Herbam ocimum tritam cum oleo rosaceo, aut myrtino, vel aceto, fronti imponas: mirabiliter capitis dolorem sanat.’

[j] *Item oculorum*] Plinius Valer. I. 14. ad verbum. Et Apuleius c. 117. tit. 2. ‘Ad epiphoras oculorum:’ ‘Ocimum ex vino optimo tritum, oculis illinitur.’ Vide et Diosc. II. 171.

[k] *Stomacho quoque*] Plinius Valer. IV. 15.

[l] *Inflationes*] Plinius Valer. IV. 20. et Diosc. loc. cit.

[m] *Alvum sistere*] Plinius Valer. loc. cit. et II. 27.

[n] *Urinam ciere*] Hoc de ocimi semine Diosc. loc. cit.

[o] *Choleras eo*] Χολερὰ stomachi, intestinorumque pariter vitium est: nam et dejectio et vomitus est, intestina torquentur, bilis supra infraque erumpit: *Débordement de bile.*

[p] *Et colicis Plistonicus*] In Mss. *Et*

mo, et sanguinem exscreantibus, in vino: duritia quoque præcordiorum. Illinitur mammis, extinguitque[q] lactis proventum. Auribus utilissimum infantium, præcipue cum adipe anserino. Semen tritum[r] et haustum naribus sternutamenta movet, et distillationes[s] quoque capiti[13] illitum: vulvas purgat in cibo, ex aceto. Verrucas[t] mixto atramento[14] sutorio tollit. Venerem stimulat. Ideo etiam equis asinisque admissuræ tempore ingeritur.

(XIII.) Sylvestri ocimo[u] vis efficacior ad eadem omnia: peculiaris ad vitia, quæ vomitionibus crebris contrahuntur. Vomicisque vulvæ,[15] contraque bestiarum morsus e vino radice efficacissima.

XLIX. Erucæ semen[a] scorpionum venenis et muris aranei medetur. Bestiolas omnes[b] innascentes corpori arcet:[1] Vitia cutis[c] in facie cum melle illitum. Lentigines[d] ex

—13 Margo edd. Dalec. et Gronov. *siccat capiti*, e Diosc.—14 Chiffl. *ceramento*.—15 *Vomicis vulvæ* Chiffl. Mox, Gronov. et al. ante Harduin. *contraque b. morsus radix in vino est efficacissima*; cod. Dalec. *contra b. morsus radice efficacissima*; Chiffl. *contra b. morsus e vino radice efficacissima.*

CAP. XLIX. 1 Chiffl. *corpore arcet.*—2 Vet. Dalec. *subituros poto, &c. indu-*

NOTÆ

contra Plistonicum aliqui: ut adhuc varietatem et contrarietatem opinionum de ocimo tractet.

[q] *Extinguitque*] Quin immo Dioscoride auctore loc. cit. lactis proventum facit: tanta fuit olim sententiarum de ocimo varietas, ut Plinius animadvertit, inter vetustos scriptores, ut de ejus viribus discrepantia pugnantiaque prodiderint.

[r] *Semen tritum*] Plinius Valer. IV. 20. iisdem verbis. Diosc. quoque II. 171.

[s] *Et distillationes*] Diosc. loc. cit. ocimi succo fluxiones capitis siccari quoque prodidit.

[t] *Verrucas*] Plinius Valer. totidem syllabis, loc. cit.

[u] *Sylvestri ocimo*] Præter sativum ocimum, de quo suo loco egimus, plura alia in horto Regio a nobis sunt diligenter observata: ex quibus quodnam sit illud quod sylvestre Plinius nunc appellat, incertum. Cave interim Dalecampio credas aienti *ὠκιμοειδὲς* a Plinio intelligi, de quo Diosc. IV. 28. cum sylvestris ocimi radicem Plinius laudet, *ὠκιμοειδοῦς* supervacuam esse Dioscorides haud obscure testetur.

[a] *Erucæ semen*] Plinius Valer. IV. 13. et Florentinus in Geopon. XII. 26. p. 349.

[b] *Bestiolas omnes*] Pediculos, credo, pulicesque intelligit. Forte et lumbricos: nam Florentinus, loc. cit. de eruca, *ἕλμινθας ἐξάγει*, inquit, *lumbricos educit*. Sed hos nusquam Plinius bestiolas vocat.

[c] *Vitia cutis*] Plinius Valer. loc. cit.

aceto. Cicatrices[e] nigras reducit ad candorem cum felle bubulo. Aiunt verbera[f] subituris potum ex vino duritiam quandam contra sensum inducere.[2] In condiendis[g] opsoniis tanta est suavitas, ut Græci euzomon[h] appellaverint. Putant subtrita eruca si foveantur oculi, claritatem restitui: tussim infantium[i] sedari.[3] Radix ejus[j] in aqua decocta fracta ossa extrahit. Nam de Venere stimulanda diximus:[k] tria folia[l] sylvestris erucæ sinistra manu decerpta, et trita, in aqua mulsa si bibantur.

L. E contrario nasturtium Venerem inhibet,[a] animum exacuit, ut diximus.[b] Duo ejus genera: Alvum[1] purgat,[c] detrahit bilem potum X. pondere[d] in aqua. Cum lomento[e]

---

ere. Chiffl. etiam *inducere.*—3 Chiffl. *sedare.*

CAP. L. 1 Vet. Dalec. *exacuit, ut diximus. Duo ejus genera. Album.* Edd. vett. *exacuit. Ut diximus, duo ejus genera. Alvum.* Mox, Chiffl. *po-*

NOTÆ

[d] *Lentigines*] Plinius Valer. loc. cit. et Q. Serenus c. 12. p. 131. 'Invida si maculat faciem lentigo decoram, Nec prodesse valent naturæ dona benignæ, Erucam, atque acidum laticem simul illine malis.'

[e] *Cicatrices*] Plinius Valer. loc. cit. et III. 46. et Florentinus loco citato.

[f] *Aiunt verbera*] Plinius Valer. IV. 13. et Florentinus loc. cit.

[g] *In condiendis*] Plinius Valer. loco citato.

[h] *Euzomon*] Εὔζωμον, παρὰ τὸ εὖ et ζωμὸν, propter suavitatem quam juribus præbet, quasi juribus grata.

[i] *Tussim infantium*] Plinius Valer. IV. 13.

[j] *Radix ejus*] Plinius Valer. loco citato.

[k] *Nam de Venere . . . diximus*] Lib. XIX. 44.

[l] *Tria folia*] Vide Notas et Emend. num. 19.

[a] *Venerem inhibet*] Plinius Valer. IV. 12. Auctor Geopon. XII. 27. pag. 350. At dissentit ab utroque Diosc. II. 185. Conciliare ambos inter se Pseudo-Macer videtur, cum eam vim inhibendi Venerem nasturtio tum solum ascribit, cum usu frequenti adhibetur: 'Dicunt ferventes quod habent nasturtia vires, Et siccas: hac re Venerem ceu ruta coërcent, Siccando semen: fuerint si sumta frequenter.'

[b] *Ut diximus*] Lib. XIX. 44.

[c] *Alvum purgat*] Illud nimirum, quod minus nigrum est. Nam alterum genus, ut mox dicetur, est nigrius. De hoc igitur Marcellum Empir. intellige, c. 30. cujus lemma est, 'Ad ventrem resolvendum,' &c. Sic enim ille, p. 215. 'Prodest et ad hoc nasturtium potum ex vino: nam et calefacit, et mollit viscera, et urinam movet. Prodest et intestinorum doloribus, et inflationibus,' &c. *Album* pro *alvum* legi hoc loco, etsi ita contendente Barbaro, plane nolim, libris invitis.

[d] *X. pondere*] Hoc est, denarii argentei pondere.

[e] *Cum lomento*] Hoc est, cum farina fabacea. Florentinus in Geopon.

strumis illitum, opertumque brassica, præclare medetur. Alterum est nigrius, quod capitis vitia purgat.[f] Visum compurgat.[g] Commotas[2] mentes sedat ex aceto sumtum. Lienem[h] ex vino potum, vel cum fico.[3] Tussim ex[i] melle, si quotidie jejuni sumant. Semen ex vino[j] omnia intestinorum animalia pellit: efficacius addito mentastro. Prodest et contra suspiria et tussim, cum origano et vino dulci. Pectoris doloribus[k] decoctum in lacte caprino. Panos discutit[l] cum pice, extrahitque corpori[4] aculeos.[m] Et maculas illitum ex aceto. Contra carcinomata adjicitur ovorum album. Et lienibus illinitur ex aceto. Infantibus vero e melle utilissime. Sextius adjicit,[n] ustum serpentes fugare, scorpionibus resistere. Capitis dolores contrito, et alopecias[o] emendari addito sinapi: gravitatem aurium[p]

tum X. pondere in aquæ VII.—2 Vet. Dalec. *quoque. Commotas*; al. vett. ap. eundem, *clarificat. Commotas.*—3 Chiffl. *fico sumptum.*—4 Vet. Dalec. *corpore.*—5 Alii ap. Dalec. *trito et imposito.*

NOTÆ

XII. 27. pag. 850. *Καρδάμου σπέρμα μιχθὲν ἀλεύροις κυαμίνοις, προσλαβὸν στακτῆς μέρος, ἰᾶται χοιράδας, ... χρηστέον δὲ ἀντὶ ὀθόνης φύλλοις κράμβης.* Plinius Valer. III. 29. Cum alumine contritum, illitum, vel impositum, strumis opitulari ait Marcellus Empir. cap. 15. p. 108. Cum lomento, idem pag. 109. et Apuleius, cap. 20. tit. 4.

[f] *Capitis vitia purgat*] Ope sternutationis, quam provocat. Apuleius c. 20. de nasturtio, tit. 1. 'Ad caput deplendum:' 'Herbæ nasturtii succum naribus injicis, caput deplet, et de phlegmate purgat. Hoc nasturtium non seritur, sed per se nascitur.' Ita Ms.

[g] *Visum compurgat*] Ita Mss. omnes.

[h] *Lienem*] Ad verbum hæc Plinius Valer. IV. 12. Celsus IV. 9. 'Nasturtium lienem extenuat.' Diosc. II. 185. ex melle, non ex vino, adhibet.

[i] *Tussim ex*] Plinius Valer. loc. cit. Florentinus in Geopon. loc. cit.

[j] *Semen ex vino*] Plinius Valer. et Florentinus locis citatis, et Diosc. II. 185. sed hic minus distincte, quam ceteri.

[k] *Pectoris doloribus*] Totidem verbis Plinius Valer. I. 57. et Florentinus in Geopon. loc. cit. Dat Theod. Priscianus II. 2. 17. ipsum nasturtium ex melle coctum: ac mentæ viridis pariter decoctum laudat.

[l] *Panos discutit*] Marcellus Empir. c. 32. p. 224.

[m] *Extrahitque . . . . aculeos*] Plinius Valer. III. 49.

[n] *Sextius adjicit*] Et Florentinus, loc. cit. et Dioscor. II. 185. et Plinius Valer. IV. 12. Columella denique lib. X. p. 353. 'Spargantur cæcis nasturtia dira colubris.'

[o] *Et alopecias*] Marcellus Empir. iisdem verbis, c. 6. p. 46. et Plinius

trito imposito [p] auribus cum fico. Dentium dolores [q] infuso in aures succo. Porriginem [r] et ulcera capitis cum adipe anserino. Furunculos [s] concoquit cum fermento. Carbunculos [t] ad suppurationem perducit, et rumpit. Phagedænas ulcerum expurgat cum melle. Coxendicibus [u] et lumbis cum polenta ex aceto illinitur: item licheni: [v] item unguibus scabris: quippe natura ejus caustica est. Optimum autem [w] Babylonium. Sylvestri vero ad omnia ea effectus major.

LI. In præcipuis autem medicaminibus ruta est. Latiora sativæ folia, rami fruticosiores. Sylvestris horrida [1] [x] ad

CAP. LI. 1 Vet. Dalec. *fervida.*—2 Cod. Dalec. *noxam.*—3 *Anacimum*

NOTÆ

Valer. I. 6. E Græcis Florentinus, ac Diosc. locis citatis.

[p] *Gravitatem aurium*] Marcellus Empir. c. 9. p. 82. 'Nasturtium tritum cum fico, atque auriculæ inditum, his qui gravius audiunt, prodesse fertur.' Eadem habet Plinius Valer. I. 12.

[q] *Dentium dolores*] Florentinus loc. cit. et Plinius Valer. ad verbum, IV. 12.

[r] *Porriginem*] Iisdem verbis Plinius Valer. loc. cit. Marcellus Empir. c. 4. p. 40. 'Nasturtii semen mixtum adipi anserino, tritumque, furfures capitis assidua levatione depellit.' Apuleius cap. 20. tit. 2. 'Ad capitis vitia, porrigines, vel furfures:' 'Herbæ nasturtii semen,' &c. Florentinus item loc. cit. *Στέαρ δὲ χήνειον προσλαβὼν, τὰ φυόμενα ἐν κεφαλῇ ἑλκύδρια, καὶ πιτυρίασιν θεραπεύει.* Ulcera capitis Plinius intelligit ea, quæ favi dicuntur, *κηρία*, de quibus c. 6.

[s] *Furunculos*] Florentinus loc. cit. *Δοθιῆνας μετὰ ζύμης πεπαίνει.* Sic et Plinius Valer. III. 32. et Apuleius loc. cit. tit. 5. Dioscorides loc. cit. pro fermento muriam asciscit. Porro furunculus, ut Celsus ait V. 28. 'tuberculum est acutum cum inflatione (legi malim, *cum inflammatione*) et dolore: maximeque ubi jam in pus vertit. Qui ubi adapertus est, et exit, super apparet pars carnis in pus versa, pars corrupta, subalbida, subrubra, quem ventriculum quidam furunculi nominant.' Gallis, *Froncle.*

[t] *Carbunculos*] Dioscor. II. 185. Et Plinius Valer. III. 30. 'Carbunculo medendo:' 'Nasturtium fermento mixtum utiliter medetur.' Et IV. 12. de nasturtio: 'Fermentum mixtum et appositum furunculos, itemque carbunculos provocat, ac suppurata dirumpit.'

[u] *Coxendicibus*] Dioscor. loc. cit. Marcellus c. 25. p. 173. Plinius Valer. II. 36. et IV. 12.

[v] *Item licheni*] Diosc. loc. cit.

[w] *Optimum autem*] Diosc. loc. cit. *Κάλλιστον μὲν εἶναι δοκεῖ τὸ ἐν τῇ Βαβυλῶνι κάρδαμον.* Nicander *τὸ ἀπὸ Μήδων κάρδαμον* laudat in primis.

[x] *Sylvestris horrida*] Vehemens, acris. Diosc. III. 52. *Πήγανον ὀρεινὸν καὶ ἄγριον τοῦ ἡμέρου καὶ κηπευτοῦ δρι-*

effectum est, et ad omnia acrior. Succus exprimitur, tusa et aspersa modice, et in pyxide Cypria asservatur. Hic copiosior datus veneni noxiam[3] obtinet, in Macedonia[b] maxime juxta flumen Aliacmonem.[3] Mirumque, cicutæ succo extinguitur: adeo etiam venenorum venena sunt, quando cicutæ succus prodest manibus colligentium[c] rutam. Cetero inter prima[d] miscetur antidotis, præcipueque Galatica. Quæcumque autem[e] ruta et per se pro antidoto valet, foliis tritis, et ex vino sumtis. Contra aconitum[f] maxime, et viscum.[g] Item fungos,[h] sive in potu detur, sive in cibo. Simili modo[i] contra serpentium ictus, utpote cum mustelæ dimicaturæ[j] cum his, rutam prius edendo se muniant. Valent[4] et contra[k] scorpionum, et contra araneorum,[5] apium, crabronum, vesparum aculeos, et cantharidas,[l]

Chiffl.—4 *Valet* Vet. Dalec.—5 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Har-

NOTÆ

μύτερον, ἄθετον πρὸς βρῶσιν. Ruta montana et sylvestris acrior est quam sativa et hortensis, et in cibis damnata. Apuleius c. 89. de ruta: 'Altera est usualis, altera agrestis atque virtutis acrioris: sed utræque ferventissimæ comprobantur.'

[b] *In Macedonia*] Dioscor. loc. cit. *Τὸ δὲ ἐν Μακεδονίᾳ φυόμενον κατὰ τὸν Ἀλιάκμονα ποταμὸν, ἀναιρεῖν φασι βρωθέν.*

[c] *Manibus colligentium*] Alioqui enim, ut Columella est auctor, XI. 3. debet ruta velata manu runcari, quam nisi contexeris, perniciosa nascentur ulcera, prurigo atque tumor incesset, &c.

[d] *Cetero inter prima*] Dioscor. loc. cit. Galenus de Antidotis II. 1. pag. 898. et 899.

[e] *Quæcumque autem*] Sive sativa, sive sylvestris. Diosc. lib. II. c. 52.

[f] *Contra aconitum*] Scribonius Largus Compos. 188. ad aconitum: 'sed adjuvantur facile qui id sumserint, ruta quamplurima pota cum vino.' Sic etiam Theopompus Chius, apud Athen. lib. III. p. 85.

[g] *Et viscum*] Hoc est, adversus chamæleonis herbæ venenatum succum, quem *ἰξίαν* Græci vocant, a visco, quod ad ejus radices quandoque invenitur. Idem de ruta ad ixiam Scribonius Largus prodit, Compos. 192.

[h] *Item fungos*] Scribonius Compos. 198. ad fungos: 'Item ruta ex aceto trita et pota proficit.'

[i] *Simili modo*] Hæc Plinius Valer. ad verbum, IV. 3. Diosc. item loc. cit.

[j] *Mustelæ dimic.*] Vide quæ dicta sunt VIII. 41.

[k] *Valent et contra*] Apuleius c. 115. tit. 7. 'Ad eos quos scorpio percusserit:' 'Rutæ sylvaticæ semen contritum ex vino dabis potui: dolorem sedat.'

[l] *Et cantharidas*] Scribonius Compos. 189. 'Ad cantharidas:' 'Item

ac salamandras, canisve rabiosi [m] morsus: acetabuli mensura [n] succus e vino bibitur, et folia trita vel commanducata imponuntur cum melle et sale, vel cum aceto et pice decocta. Succo vero perunctos aut eam habentes, negant feriri ab his maleficiis: serpentesque,[o] si uratur ruta, nidorem fugere. Efficacissima tamen est sylvestris radix cum vino sumta. Eandem adjiciunt efficaciorem esse sub die potam. Pythagoras et in hac marem minoribus herbaceique coloris foliis a fœmina discrevit: eam lætioribus foliis et colore. Idem oculis noxiam putavit: falsum,[6] quoniam scalptores et pictores [p] hoc cibo utuntur oculorum causa, cum pane vel nasturtio: capræ quoque sylvestres [q] propter visum,[r] ut aiunt. Multi succo [s] [7] ejus cum melle Attico inuncti discusserunt caligines, vel cum lacte mulieris [t] puerum enixæ, vel puro succo angulis occulorum tac-

duin. 1. 2. 3. et recentt. *scorpionum ictus et araneorum* Gronov. et al. vett.—6 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *putavit falso* Gronov. et vulgg.—7 Ita Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *oculorum causa. Cum pane quoque vel nasturtio sativæ atque silvestris propter visum. Ut aiunt, multi succo ejus* Gronov. et al. ante Harduin. *silves-*

NOTÆ

oleum irinum ex ruta tritum, et potum.'

[m] *Canisve rabiosi*] Apuleius c. 89. tit. 7. 'Ad morsum canis rabidi:' 'Herbæ rutæ pondus denariorum sex ex vino bibatur: plagæ vero imponantur rutæ folia trita cum melle, sale, et pice: liberabitur.'

[n] *Acetabuli mensura*] Dioscor. loco citato.

[o] *Serpentesque*] Odorem rutæ odisse viperam et alia venenata ait Albertus M. de Animal. VIII. 2. 2. p. 251.

[p] *Et pictores*] Simeon Sethi, p. 97. post Aëtium, I. 327. *Λέγεται δὲ καὶ ὡς ὀξυδερκές ἐστιν ἐσθιόμενον, καὶ διὰ τοῦτο οἱ πρὶν ζωγράφοι συνεχῶς αὐτοῦ ἀπεγεύοντο. Dicitur etiam visum comesta acuere: atque idcirco pictores olim eam assidue degustabant.*

[q] *Capræ quoque sylvestres*] Vide Notas et Emend. num. 20.

[r] *Propter visum*] Idcirco Ovidius de Remed. Amor. circa finem, 'acuentes lumina rutas' appellat.

[s] *Multi succo*] Sic Florentinus in Geopon. XII. 25. p. 349. Diosc. III. 52. cum fœniculi succo et melle rutæ succum adhibet. Simeon Sethi loc. cit. *Τινὲς δὲ καὶ τὸν πηγάνου χυλὸν μέλιτι μιγνύντες, ὀξυωπὲς ποιοῦσι φάρμακον.* Plinius Valer. I. 16. 'Ad lacrymosos oculos:' 'Ruta sicca et melle Attico æquis ponderibus mixta, oculos inunges: certum est.' Apuleius c. 89. tit. 6. 'Ad caliginem oculorum:' 'Herbæ rutæ rorem matutinum, aut matutino madentis succos collectos in vasculo habeto, et ex eo inunges.'

[t] *Vel cum lacte mulieris*] Florentinus loc. cit.

tis. Epiphoras[u] cum polenta imposita lenit. Item[8] capitis[v] dolores pota cum vino, aut cum aceto et rosaceo illita. Si vero sit cephalæa,[w] cum farina hordeacea, et aceto. Eadem cruditates discutit, mox inflationes,[x] dolores[9] stomachi[y] veteres. Vulvas aperit,[z] corrigitque conversas,[a] illita in melle,[10] toto ventre et pectore. Hydropicis[b] cum fico,[11] et decocta ad dimidias partes, potaque ex vino. Sic bibitur[c] et ad pectoris dolores, laterumque, et lumborum, tusses, suspiria: pulmonum, jocinerum, renum vitia, horro-

tris succo, multi, ut aiunt, propter visum cum melle Vet. Dalec.—8 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *cum pol. imposito. Lenit autem* Gronov. et vulgg.—9 Dalec. *et dolores.*—10 Vet. Dalec. *illito cum melle.*—11 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt.

NOTÆ

[u] *Epiphoras*] Oculorum videlicet. Plinius Valer. I. 4. 'Ad epiphoras oculorum, et tumores:' 'Ruta in polenta contrita, et imposita, lenit dolorem.' Apuleius c. 89. tit. 5. 'Ad epiphoras oculorum:' 'Herba ruta cum polenta bene trita et imposita lenit epiphoras: nam et radix ejus contusa et illita eas emendat.' Diosc. III. 52. Τὰς ἐν ὀφθαλμοῖς περιωδυνίας σὺν ἀλφίτῳ καταπλασθὲν πραΰνει.

[v] *Item capitis*] Diosc. loc. cit. Apuleius c. 89. tit. 13. 'Ad capitis dolorem:' 'Herba ruta ex vino potui detur, et trita capiti instilletur cum aceto et rosaceo oleo.' Q. Serenus c. 8. de capite purgando, p. 129. 'Aut mixtum rutæ cerebro instillatur acetum.'

[w] *Cephalæa*] Κεφαλαία, capitis dolor est inveteratus, atque ægre cedens, in quo differt ἀπὸ τῆς κεφαλαλγίας. Vide Celsum IV. 2. et Galenum κατὰ τόπους, II. 2. p. 377.

[x] *Mox inflationes*] Marcellus Empir. cap. 20. p. 143. 'Rutæ hortensis paululum cibo sumtum, vel in potione dilutum atque epotum, inflationes stomachi compescit.' Sic etiam Apuleius c. 89. tit. 2.

[y] *Dolores stomachi*] Marcellus Empir. loc. cit. Apuleius c. 89. tit. 9. 'Ad stomachi dolorem:' 'Herbæ rutæ semen cum sulfure vivo, et aceto, jejunus gustato: prodesse dicimus.'

[z] *Vulvas aperit*] In eo nempe morbi genere, quod suppressionem mensium Medici appellant: cujus morbi causas, signa, curationesque varias Sennertus affert, lib. IV. pract. part. 2. sect. 2. c. 3. p. 663. Hoc illud est quod Q. Serenus cecinit, c. 35. p. 148. 'Sed si forte cruor clausa remorabitur alvo, Aut molles nepetæ, aut rutæ quæcumque bibantur.'

[a] *Corrigitque conversas*] Mutat enim situm interdum uterus, cum suffocatione. Vide Hippocr. de Morb. Mulier. II. 16. et 33. ac seqq. Vulvæ strangulatui mederi rutam, auctor est Diosc. III. 52. κατὰ τοῦ αἰδοίου ἄχρι δακτυλίου ἐπιτεθέν.

[b] *Hydropicis*] Diosc. loc. cit. totidem verbis.

[c] *Sic bibitur*] Diosc. loc. cit. Plinius Valer. I. 57. Marcellus Empir. c. 22. p. 156.

res frigidos.[d] Ad crapulæ[e] gravedines[12] decoquuntur folia poturis. Et in cibo vel cruda, vel decocta conditave prodest. Item torminibus[f] in hyssopo decocta, et cum vino. Sic et sanguinem sistit interiorem,[g] et narium[h] indita:[13] sic et collutis dentibus prodest. Auribus quoque[i] in dolore succus infunditur: custodito, ut diximus,[j] modo, in sylvestri. Contra tarditatem vero sonitumque,[14] cum rosaceo, vel cum laureo oleo, aut cumino et melle. Succus et phreneticis[k] ex aceto tritæ instillatur in tempora et cerebrum. Adjecerunt aliqui et serpyllum, et laurum, illinentes capita, et colla. Dederunt et lethargicis[l] ex aceto olfaciendum. Dederunt et comitialibus[m] bibendum decoctæ succum in cyathis quatuor ante[15] accessiones, quarum frigus intolerabile est: alsiosisque[n] crudum in cibo. Urinam quoque[o] vel cruentam pellit. Fœminarum etiam[p]

cum ficu Gronov. et al. vett.—12 Vet. Dalec. *ad crapulam et gravedines.* —13 Vet. Dalec. *sistit interioribus indita;* alii ap. Dalec. *sistit, trita et naribus indita*, e Diosc.—14 Ita ex codd. Harduin. et recentt. *ut diximus, modo. E silvestri vero contra tarditatem et sonitum* Gronov. et vulgg. *ut diximus .... contra tarditatem vero sonitusque* Chiffl.—15 Vet. Dalec. *succum cyathis quatuor et ante.*—16 Vet. Dalec. *illini et vul. caus. et.*

NOTÆ

[d] *Horrores frigidos*] Rigores febrium circuitu repetentes, ῥίγη περιοδικὰ, inquit Diosc. loc. cit.

[e] *Ad crapulæ*] Apuleius c. 115. tit. 6. 'Ad stertentes vino:' 'Rutæ sylvaticæ semen cum vino potum mire facit.'

[f] *Item torminibus*] Marcellus Empir. c. 27. p. 195. ad verbum, et Plinius Valer. II. 22.

[g] *Sic et sanguinem sistit interiorem*] Hoc est, quem ex pectore hæmoptoici rejiciunt: item sanguinem narium iisdem indita ruta sistit. Vide Notas et Emend. num. 21.

[h] *Et narium*] Marcellus Empir. c. 10. p. 85. 'Ruta sæpius olfactata, vel trita, illita, sanguinem ex naribus nimis fluentem retundit.' Sic etiam Apuleius c. 89. tit. 1.

[i] *Auribus quoque*] Diosc. III. 52. Plinius Valer. I. 10. et IV. 3.

[j] *Ut diximus*] Paulo ante: nam copiosior scilicet datus, veneni noxiam obtinet.

[k] *Succus et phreneticis*] Plinius Valer. III. 9.

[l] *Dederunt et lethargicis*] Plinius Valer. totidem verbis, III. 7. Apuleius c. 89. tit. 9. 'Ad lethargicos excitandos:' 'Herba ruta trita ex aceto infundatur fronti.' Item Q. Serenus cap. 57. lethargiæ expellendæ, pag. 160.

[m] *Dederunt et comitialibus*] Diosc. loc. cit.

[n] *Alsiosisque*] Alsiosi dicuntur qui naturæ sunt plus nimio frigescentis, quique facile læduntur a frigore.

[o] *Urinam quoque*] Apuleius c. 115. tit. 4.

[p] *Fœminarum etiam*] Apuleius, c.

purgationes, secundasque, etiam emortuos partus, ut Hippocrati [q] videtur, ex vino dulci nigro pota. Itaque illitam et vulvarum causa etiam suffire [16] jubet. Diocles et cardiacis [r] imponit ex aceto et melle cum farina hordeacea. Et contra ileum decocta farina in oleo, et velleribus collecta. Multi vero et contra purulentas exscreationes siccæ drachmas duas, sulfuris unam et dimidiam sumi censent: et contra cruentas, ramos tres in vino decoctos. Datur et dysentericis cum caseo in vino contrita. Dederunt et cum bitumine [s] infriatam potioni propter anhelitum. Ex alto lapsis seminis tres uncias.[17] Olei libra vinique sextario illinitur cum oleo coctis foliis, partibus quas [18] frigus adusserit. Si urinam movet, (ut Hippocrati [t] videtur,) mirum est quosdam [u] dare velut inhibentem potui,[19] contra incontinentiam urinæ. Psoras et lepras cum melle et alumine illita emendat. Item vitiligines,[v] verrucas, strumas, et similia, cum strychno et adipe suillo ac taurino sevo.[20] Item ignem sacrum [w] ex aceto et oleo, vel psimmythio: carbunculum [x]

suffiri.—17 Vet. Dalec. *drachmas;* al. vett. ap. eundem, *obolos.*—18 Cod. Dalec. *artubus quos.*—19 Vet. Dalec. *potu.*—20 Vet. Dalec. *tum adipe suillo,*

NOTÆ

115. tit. 5. 'Si mulier intrinsecus aliquid mali habuerit,' (hoc est, si menstruorum, vel secundæ retentione laborat,) 'herbæ rutæ sylvaticæ semen contritum ex vino austero da bibat, præter partum:' (hoc est, quando non est gravida:) 'liberabitur.' Adde et Diosc. III. 52.

[q] *Ut Hippocrati*] De Morb. Mul. I. 128. Alia expulsoria idem affert, c. 110. Hippocratem sequitur Diosc. loc. cit.

[r] *Diocles et cardiacis*] Iisdem verbis Plinius Valer. III. 11. Apuleius quoque c. 89. t. 8. 'Ad cardiacos:' 'Herbæ rutæ fasciculus cum rosaceo decoquatur: adjecta aloës uncia et olei: perunctio dolorem sistit.'

[s] *Dederunt et cum bitumine*] Hoc medicamentum phthisicis, et iis qui pura exscreant, præcipit Marcellus Empir. c. 16. p. 121. 'Rutæ teneræ contritæ,' inquit, 'cum ramusculis suis, et expressæ succus, cum aliquantulo bitumine, ex vino vetere calido, phthisicis celeriter, similiter et empyicis in potu medetur.'

[t] *Si urinam .... ut Hippocrati*] De Diæta II. 26.

[u] *Mirum est quosdam*] Quos Dioscorides sequitur, III. 52.

[v] *Item vitiligines*] Dioscor. loco citato.

[w] *Item ignem sacrum*] Marcellus Empir. c. 4. p. 43. sed pro psimmithio sive cerussa, argenti spumam adhibet. Psimmithium prætermisit Apuleius c. 89. tit. 9. de ruta: 'Eadem

ex aceto. Nonnulli laserpitium una illini jubent, sine quo epinyctidas pustulas curant. Imponunt et mammis turgentibus decoctam, et pituitæ eruptionibus [y] cum cera. Testium vero [z] epiphoris cum ramis laureæ teneris, adeo peculiari in visceribus his effectu,[21] ut sylvestri ruta cum axungia veteri illitos ramices sanari prodant. Fracta quoque membra semine trito cum cera imposito. Radix rutæ sanguinem oculis suffusum, et toto corpore cicatrices aut maculas illita emendat. Ex reliquis quæ [22] traduntur, mirum est, cum ferventem rutæ naturam esse conveniat, fasciculum ejus [a] in rosaceo decoctum addita uncia aloës, perunctis sudorem reprimere. Itemque generationes [b] impediri [23] hoc cibo: ideo in profluvio [24] [c] genitali datur, et Venerem crebro per somnia imaginantibus. Præcavendum [d] est gravidis abstineant hoc cibo: necari enim partus [e] in-

hircino, ac taurino.—21 Cod. Dalec. *teneris. Adeo peculiaris est in visc. his effectus.*—22 *Ex reliquis quoque quæ* cod. Dalec.—23 Chiffl. *generationem impedire.*—24 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et re-

NOTÆ

ignem sacrum ex aceto et oleo illinita sanat.' Plinius Valerianus similiter III. 34. At idem IV. 3. de ruta: 'Ignes sacros,' inquit, 'cum aceto et oleo rosaceo, et cerussa temperata, illico extinguit.' Ad erysipelata quoque rutam cum aceto et psimmithio, rosaceoque inungi jubet Dioscor. loc. cit.

[x] *Carbunculum*] Ita Plinius Valer. III. 30. Apuleius c. 89. tit. 6. et Theodor. Priscianus I. 18. 'Rutæ viridis folia cum aceto.'

[y] *Et pituitæ eruptionibus*] His papularum eruptionibus cum cerato myrteo prodesse rutam sativam auctor est Diosc. loc. cit. De papulis diximus c. 26.

[z] *Testium vero*] Diosc. III. 52. Τὰς δὲ τῶν διδύμων φλεγμονὰς σὺν δάφνης φύλλοις καταπλασθὲν ὠφελεῖ. *Testium inflammationibus cum lauri foliis imposita medetur.*

[a] *Fasciculum ejus*] Hæc Plinius Valer. ad verbum, III. 11.

[b] *Itemque generationes*] Plinius Valer. loc. cit. Diosc. III. 5. Γονὴν τε σβέννυσιν ἐσθιόμενον, καὶ πινόμενον, *seu esitata ruta seu bibita, genituram extinguit.* Simeon Sethi p. 97. de ruta: Τὴν πρὸς τὰ ἀφροδίσια προθυμίαν ἐπέχει, καὶ ξηραίνει γενναίως.

[c] *Ideo in profluvio*] Apuleius c. 89. tit. 12. 'Si fluit semen:' 'Herba ruta manducetur ex vino cum liquamine.'

[d] *Præcavendum*] Occurrit huic Plinii cautioni Plinius alter Medicus IV. 3. 'Stultissime quidam,' inquit, 'rutæ vitia dixere, quod ventrem inhibeat, genitale semen extinguat, infantes in utero necet. Facit enim hæc non ipsa, sed qui virtutis ejus obliti, nec modum, nec tempus aspiciunt: ideo temperare prudentis est, ut de auxilio non fiat venenum.'

[e] *Necari enim partus*] Florentinus in

venio. Eadem ex omnibus satis quadrupedum quoque morbis in maximo usu est, sive difficile spirantibus, sive contra maleficorum [f] animalium ictus, infusa per nares ex vino: aut si sanguisugam exhauserint,[25] ex aceto: et quocumque in simili[26] morborum genere, ut in homine, temperata.[27]

LII. (XIV.) Mentastrum sylvestris menta est, differens specie foliorum, quæ sunt figura ocimi, pulegii colore.[1 g] Propter quod quidam [h] sylvestre pulegium vocant. Iis commanducatis [i] et impositis sanari elephantiasin, Magni Pompeii ætate, fortuito cujusdam experimento propter pudorem [2] facie illita compertum est. Eadem illinuntur [j]

centt. *ideo profluvio*, omissa præpositione, Gronov. et al. vett.—25 'Ita bene cod. Reg. 2.' *Brotier. aut si sanguisuga exhauserit* edd. vett. Gronov. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *aut si sanguisugam hauserint* margo edd. Dalec. et Gronov. —26 Vet. Dalec. *et in quocumque simili.*—27 Ita codd. Harduini et Vet. Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *temperato* Gronov. et al. vett.

CAP. LII. 1 Margo edd. Dalec. et Gronov. *odore*, e Diosc.—2 Cod. Da-

NOTÆ

Geopon. XII. 25. p. 349. 'Ο δὲ *καρπὸς τοῦ ἀγρίου πηγάνου πινόμενος ἡμέρας ιέ ἔμβρυα φθείρει, κ. τ. λ. Semen sylvestris erucæ potatum per dies quindecim, fœtus necat, &c.*

[f] *Sive contra maleficorum*] Florentinus loc. cit. Καὶ τὰς ἐκ θηρίων βλάβας *μετὰ οἴνου πινόμενον.*

[g] *Pulegii colore*] Quia nigriora paulo, minusque incana folia, cujusmodi mentastrum est Campense et Zwolense Lobelii in Observ. p. 273. Dalecampii Hist. Plant. lib. V. p. 573. Nos in horto Regio vidimus. Nullum est e tribus calaminthæ generibus, quæ a Dioscoride describuntur, III. 43. etsi vires utrobique vix dispares; sed menta sylvestris, ab eodem delibata, cap. 42. ut diximus XIX. 47. Quare frustra hoc loco Dalecampius Censoriam notationem distringit in Plinium. Est tamen Galeni καλαμίνθη de Fac. Simp. Med. lib. VII. 10. pag. 176. et 182.

[h] *Propter quod quidam*] Scholiastes Nicandri, p. 8. de calamintha: *τινὲς δὲ ἀγρίαν γλήχωνα αὐτὴν καλοῦσιν.* Apuleius item c. 90.

[i] *Iis commanducatis*] Galenus et Schol. Nicandri locis cit. Apuleius c. 90. tit. 8. ad elephantiosos: 'Herbæ mentastri folia frequenter commanducato. Sanare certum est.' Q. Serenus c. 11. de elephantiasi propellenda, p. 130. 'Mentastri folium potu, appositaque salubre est.' Et Marcellus Empir. c. 19. p. 130. 'Mentastri folia commanducata, vel contrita apposita, elephantiosis medentur.' Plinius Valerian. similiter, II. 57. Hoc ipsum de calamintha refert Diosc. III. 43. *'Ωφελεῖ καὶ ἐλεφαντιῶντας βρωθεῖσα, ἐπιπινομένου ὀῤῥοῦ γάλακτος. Esitata juvat elephantiases, si serum lactis superbiberint.*

[j] *Eadem illinuntur*] Galenus loc. cit. p. 182.

bibunturque adversus scolopendras, et serpentium ictus, drachmis duabus in vini cyathis duobus. Adversus scorpionum ictus cum sale, oleo, et aceto. Item adversus scolopendras jus decocti: adversus omnia[3] venena servantur folia arida, ad farinæ modum. Substratum[k] vel accensum fugat etiam scorpiones.[4] Potum fœminas[l] purgat a partu: sed partus necat. Ruptis, convulsis,[m] sed parcius: orthopnoicis,[5][n] torminibus, choleris, efficacissimum: item lumbis,[o] podagris impositum. Succus auribus[p] verminosis instillatur. In regio morbo[q] bibitur. Strumis[r] illinitur. Somnia Veneris inhibet. Tineas pellit[s] ex aceto[6] potum. Contra porriginem ex aceto infunditur capiti in Sole.

LIII. Mentæ ipsius[a] odor animum excitat, et sapor avi-

lec. *pulerem.*—3 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *adversusque omnia* Gronov. et al. vett.—4 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *fugat scorpiones* Gronov. et vulgg.—5 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *necat. Orthnopoicis*, intermediis omissis, Gronov. et al. vett. Mox, Gronov. et vulgg. *cholericis;* Harduini vero codd. et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *choleris.*—6 Margo edd. Dalec. et Gronov. *cum sale et melle*, e Diosc.

NOTÆ

[k] *Substratum*] Nicander in Theriac. p. 4. et de calamintha Diosc. III. 43.

[l] *Potum fœminas*] Galenus loc. cit. et de sua calamintha idem refert Diosc. III. 43.

[m] *Ruptis, convulsis*] Vide Notas et Emend. num. 22.

[n] *Orthopnoicis*] Ὀρθόπνοια morbi genus est, cum quis spirare non valet, nisi recta cervice spiritus trahatur. Asthmaticis prodesse calamintham scribit Galenus loc. cit.

[o] *Item lumbis*] Ischiadicis pariter calaminthain suam prodesse Dioscorides tradidit loc. cit.

[p] *Succus auribus*] Plinius Valer. I. 10. Apuleius cap. 90. tit. 1. 'Ad aurium vermes:' 'Herbæ mentastri succus cum vino austero mixtus, et in auriculam conjectus, vermes natos necare traditur.' Q. Serenus c. 13. p. 182. 'De aurium vitiis succurrendis:' 'Mentastri liquor expressus conducere fertur.' Adde et e Græcis Galenum, loc. cit. p. 183. Vermes minutos, quales in caseis semiputridis inveniuntur, ex auribus interdum prodire, etiam et majores, exemplis compluribus confirmat Schenckius Observ. Medic. lib. I. p. 192.

[q] *In regio morbo*] Galenus, loc. cit. Diosc. III. 43. Schol. Nicandri, p. 8.

[r] *Strumis*] Marcellus Empir. c. 15. p. 107. cum vino idcirco gargarizari jubet.

[s] *Tineas pellit*] Galenus et Diosc. locis cit. Plinius ipse superius c. 50. ubi de nasturtio: 'Intestinorum animalia pellit: efficacius mentastro addito.'

[a] *Mentæ ipsius*] Plinius Valer. IV. 20.

ditatem in cibis, ideo embammatum[b] mixturæ familiaris. Ipsa acescere,[c] aut coire, denserique[1] lac[d] non patitur. Quare lactis potionibus additur, ne hujus coagulati potu strangulentur. Datur[2] in aqua aut mulso: eadem vi resistere generationi creditur, cohibendo genitalia denseri.[e] Æque maribus ac fœminis sistit sanguinem;[3] et purgationes fœminarum inhibet: cum amylo[4][f] ex aqua pota, cœliacorum impetus. Syriation[g] et vomicas vulvæ curavit illa. Jocinerum[5] vitia ternis obolis ex mulso datis. Item sanguinem[h] exscreantibus in sorbitionem. Ulcera in capite[i] infantium mire sanat. Arterias humidas[j] siccat, siccas astringit. Pituitas corruptas purgat in mulso et aqua. Voci succus sub certamine utilis duntaxat, qui et gargarizatur[6] uva tumente, adjecta ruta et coriandro ex

F CAP. LIII. 1 Dalec. *densarique*, ut paulo post; Chiffl. *deserique*.—2 *Dato* codd. Dalec. et Chiffl.—3 Vet. Dalec. *prohibendo genituram densari æque maribus ac fœminis. Sistit sanguinem.* Chiffl. c. *genitali densari*, &c. Gronov. et al. ante Harduin. etiam *densari*.—4 Cod. Dalec. *fœminarum. Inhibet cum amylo*.—5 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *Syr. et vom. vulvæ curavit. Ille et jocinorum* Gronov. et al. vett.—6 Chiffl. *gargaridiatur*.—7 Chiffl. ut

NOTÆ

[b] *Ideo embammatum*] Ἔμβαμμα, *jurulentum* est, quod ad intinctus paratur: liquidum illud quo panem in vasculis, opsoniumve intingimus.

[c] *Ipsa acescere*] Ita Diosc. III. 41. Coire lac, inquit, densarique in caseum non patitur, si folia ei immergantur. Florentinus item in Geopon. XII. 24. p. 348. Εἰ δὲ καὶ εἰς γάλα ἐμβληθῇ, καὶ μετὰ ταῦτα ἡ πιτύα ἐπιβληθῇ, οὐ παγήσεται τὸ γάλα. *In lac si injiciatur, et coagulum postea immittatur, lac non coagulabitur.*

[d] *Denserique lac*] Ita Mss. Reg. Colb. &c. non *densare*, vel *densari*. Sic Lucretius I. 647. 'Nil prodesset enim calidum denserier ignem.' Et vs. 656. 'Denseri poterunt ignes.'

[e] *Genitalia denseri*] Hoc est, vel τὰ αἰδοῖα ἐντείνειν, vel densari potius et veluti coagulari genitale semen: nam et c. 84. genitale pro genitura seu semine genitali accipit. Sic Hippocrates de diæta II. 26. Μίνθη θερμαίνει ... καὶ ἢν πολλάκις ἐσθίῃ τις, τὸν σπόρον αὐτοῦ τήκει, ὥστε ῥέειν, καὶ ἐντείνειν κωλύει, καὶ τὸ σῶμα ἀσθενὲς ποιεῖ. *Menta calfacit ... et si quis sæpe comedat, semen genitale colliquefacit, ut diffluat, et arrigere prohibet, et corpus debile facit.*

[f] *Cum amylo*] Ita fere Q. Serenus c. 27. p. 143.

[g] *Syriation*] In Mss. Reg. et Colb. *Siratione ... curavit illa.* Medici nomen, vel obstetricis, priore vocabulo contineri, haud dubium est: quodnam sit illud, adhuc obscurum. An *Serapion*, de quo nos in Auctorum Indice? Antiochensis Medicus scilicet.

[h] *Item sanguinem*] Plinius Valer. IV. 23. Diosc. III. 41.

[i] *Ulcera in capite*] Apuleius c. 120. tit. 2.

[j] *Arterias humidas*] Fauces.

lacte. Utilis et contra tonsillas cum alumine: linguæ asperæ[k] cum melle. Ad convulsa intus per se, vitiisque pulmonis. Singultus[l] et vomitiones[7] sistit cum succo granati, ut Democritus monstrat. Recentis succus narium vitia spiritu subductus[8] emendat. Ipsa trita choleras, in aceto quidem pota. Sanguinis fluxiones intus. Ileum etiam imposita cum polenta: et si mammæ tendantur.[m] Illinitur et temporibus[n] in capitis dolore. Sumitur et contra scolopendras, et scorpiones marinos, et ad serpentes. Epiphoris illinitur,[9] et omnibus in capite eruptionibus: item sedis vitiis.[o] Intertrigines[p] quoque, vel si teneatur tantum, prohibet. Auribus cum mulso[10][q] instillatur. Aiunt et lieni mederi eam in horto gustatam, ita ne vellatur: si is qui mordeat, dicat se lieni mederi, per dies IX. Aridæ quoque[r] farinam tribus digitis apprehensam, et stomachi dolorem sedare in aqua: et similiter aspersam in potionem,[11] ventris animalia[s] expellere.

LIV. Magna societas cum hac ad recreandos[a] defectos animo pulegio, cum surculis suis in ampullas[1] vitreas

vomitiones.—8 Vet. Dalec. *subducto.*—9 Chiffl. *linitur.*—10 Margo edd. Dalec. et Gronov. *mulsa*, e Diosc.—11 Chiffl. *aspera potione.*

CAP. LIV. 1 Vet. Dalec. *surculis in ampullas.*—2 Cod. Dalec. *utriusque.*—

NOTÆ

[k] *Linguæ asperæ*] Diosc. loc. cit.

[l] *Singultus*] Diosc. III. 41.

[m] *Et si mammæ tendantur*], Distentas mammas, et nimio lacte turgentes compescit. Diosc. loc. cit.

[n] *Illinitur et temporibus*] Plinius Valer. IV. 23. Fronti, Diosc. loc. cit.

[o] *Item sedis vitiis*] Sedes a Medicis pro natibus accipitur, totaque ea parte corporis, super qua sedentes innitimur.

[p] *Intertrigines*] Intertrigo malum est, quo femina equitatu, aliave simili de causa atteruntur, aduruntur que. Alias attrita dicuntur. 'Intertrigo,' inquit Varro de Ling. Lat. lib. IV. 'ab eo quod duo inter se trita.'

[q] *Auribus cum mulso*] Diosc. III. 41. cum mulsa: Ὠταλγίαις δὲ ὁ χυλὸς σὺν μελικράτῳ ἀρήγει. Plinius Valer. similiter IV. 3. At Mss. *mulso.*

[r] *Aridæ quoque*] Hæc iisdem verbis Plinius Valer. IV. 23.

[s] *Ventris animalia*] Hoc est, lumbricos. Plinius Valer. Diosc. locis cit. Theod. Priscianus II. 2. 17. mentæ viridis decoctum in hoc usu laudat inprimis.

[a] *Ad recreandos*] Vel solum pulegium naribus admotum cum aceto, defectos animo recreare, auctor est Diosc. III. 36.

aceti utrisque[a] dejectis.[b] Qua de causa dignior e pulegio corona Varroni,[c] quam e rosis,[3] cubiculis nostris[d] pronuntiata est. Nam et capitis[e] dolores imposita dicitur levare. Quin et olfactu[f] capita tueri contra frigorum æstusque injuriam, et ab siti traditur: neque æstuare eos, qui duos e pulegio surculos impositos auribus in Sole habeant. Illinitur etiam in doloribus cum polenta et aceto. Fœmina[g] efficacior.[4] Est autem hæc flore purpureo. Mas candidum habet. Nauseas[h] cum sale et polenta in frigida aqua pota inhibet. Sic et pectoris ac ventris dolorem. Stomachi autem ex aqua item rosiones[i] sistit,[5] et vomitiones cum aceto et polenta. Intestinorum vitia melle decoctum et nitro sanat. Urinam pellit[j] ex vino: et si aminæum sit, et calculos,[k] et interiores omnes dolores. Ex melle[l]

3 *Varroni quam e rosa* Chiffl. *vertigini, quam e rosis* Gronov. et al. ante Harduin.—4 *Fœminæ efficacius* Chiffl.—5 Margo edd. Dalec. et Gronov. *interci-*

NOTÆ

[b] *Utrisque dejectis*] Mentæ, pulegiique surculis.

[c] *Varroni*] Vide Notas et Emend. num. 23.

[d] *Cubiculis nostris*] In quibus, ut nunc quoque fit, clavis alligabantur acervi florum et herbarum odoratarum ad Medicos usus. Petronius in Sat. p. 493. 'Mitia sorba Inter odoratas pendebant texta coronas, Et thymbræ veteres, et passis uva racemis.'

[e] *Nam et capitis*] Q. Serenus c. 2. p. 126. inter remedia capiti medendo: 'Vel corno ex arbore sertum, Pulegiumve potens una super aure levabis: Aut illud mixto coctum clementer aceto Cauta nare trahes.' Sic etiam Apuleius c. 92. tit. 6.

[f] *Quin et olfactu*] Apuleius cap. 92. tit. 1. 'Capiti ne noceat æstus aut frigus:' 'Herbam pulegium tecum, aut super aurem, aut sub annulo portato: hoc et hyeme tota facies: nec gravedinem senties, nec perfrictionem.'

[g] *Fœmina*] Apuleius c. 92. 'Duo genera ejus sunt: masculus, et fœmina: masculus florem album habet, fœmina rubrum sive purpureum: utrumque utile est, et mirabile.'

[h] *Nauseas*] Marcellus Empir. c. 20. p. 138. Apuleius c. 92. tit. 3. 'Contra nauseam stomachi:' 'Pulegium tritum, vel in aqua maceratum, cum aceto potui dabis: nauseam sedas.' Diosc. III. 36. ad nauseam μετὰ ὀξυκράτου, *ex posca*, bibi præcipit.

[i] *Stomachi*. . . .*rosiones*] Sive morsus. Diosc. δηγμοὺς στομάχου.

[j] *Urinam pellit*] Marcellus Empir. c. 26. p. 181. Id vero vini genus *puleiatum* a Lampridio appellatur, in Elagabalo, p. 103. Græcis οἶνος γληχωνίτης.

[k] *Et calculos*] Apuleius c. 92. tit. 11.

[l] *Ex melle*] Bibitum ejicere menstrua et secundas, scribit pariter Diosc. loc. cit.

et aceto sedat menstrua, et secundas. Vulvas[6] conversas[m] corrigit. Defunctos[7][n] partus ejicit. Semen obmutescentibus[o] olfactu[8] admovetur. Comitialibus in aceto cyathi mensura datur. Si aquæ insalubres bibendæ sint, tritum aspergitur. Salsitudines[p] corporis, si cum vino tradatur,[9] minuit. Nervorum causa,[q] et in contractione, cum sale et aceto et melle confricatur[10] in opisthotono. Bibitur ad serpentium[r] ictus decoctum: ad scorpionum et in vino tritum, maxime quod in siccis nascitur. Ad oris exulcerationes, ad tussim efficax habetur. Flos recentis incensus, pulices[11] necat[s] odore. Xenocrates[t] pulegii ramum lana involutum, in tertianis ante accessionem olfactandum dari, aut stragulis subjici, et ita collocari ægrum, inter remedia tradit.

LV. Sylvestri ad eadem vis efficacior est, quod simile est

siones sistit.—6 Vet. Dalec. *menstrua, secundas et vulvas.*—7 Chiffl. *Defunctis.*—8 Idem codex, *olfactum.*—9 Vet. Dalec. *si omnino tractetur.*—10 Pintian. *confricetur;* Chiffl. *infricatur.* Mox, *opisthotono*, omisso *in*, Edd. vett. Vet. Dalec. *et in opisthotono.*—11 Vet. Dalec. *culices.*

NOTÆ

[m] *Vulvas conversas*] Dioscor. III. 36. Πρὸς ὑποστροφὰς ὑστέρας ἁρμόζει.

[n] *Defunctos*] Diosc. loc. cit. Apuleius c. 92. tit. 7. 'Si infans in utero mulieris mortuus fuerit:' 'Pulegii cauliculos tres recentes, quia dolent suaviter, tritos in vino vetere optimo, sextarii quartario da bibat, liberabitur.'

[o] *Semen obmutescentibus*] Illud nimirum est quod Apuleius aliquanto planius c. 92. tit. 14. 'Si mulier obticuerit:' nempe in partu: 'Pulegium contritum et in pulverem redactum lana convolutum subjiciatur ab obstetrice.'

[p] *Salsitudines*] Forsan, *Lassitudines* rectius. Idcirco enim et tueri capita dicitur contra æstus frigorumque injuriam, quæ causæ sunt lassitudinum: et idem nervorum confricationi prodesse, quod lassitudinem pariter respicit.

[q] *Nervorum causa*] Apuleius c. 92. tit. 13. 'Contra spasmum:' 'Pulegium in aceti cyathis duobus jejunus bibat, si spasmus molestus fuerit.' Spasmus, nervorum distentio est, atque convulsio. Tetanus, eorundem rigor, auctore Celso II. 1. Opisthotonum spasmum Plinius dixit XXII. 9. De opisthotono diximus c. 15. Est enim opisthotonos e tribus spasmi generibus unum, quæ fusius explanaturi sumus XXIII. 24.

[r] *Bibitur ad serp.*] Diosc. III. 36.

[s] *Pulices necat*] Atque inde fortassis pulegii nomen.

[t] *Xenocrates*] Apuleius quoque c. 92. tit. 6. 'Ad tertianas:' 'Pulegii ramulos tres lana involutos odoret ante accessionem.'

origano, minoribus foliis,[1] quam sativum: et a quibusdam dictamnus vocatur. Gustatum a pecore caprisque, balatum concitat.[a] Unde quidam Græci[b] litera mutata blechona[2] vocaverunt. Natura tam fervens est, ut illitas partes exulceret. Tussi in perfrictione[c] fricari ante balnea[3] convenit: et ante accessionum horrorem, convulsis,[d] et torminibus. Podagris[e] mire prodest. Hepaticis cum melle et sale bibendum datur: pulmonum vitia[f] exscreabilia facit. Ad lienem[g] cum sale utile est, et vesicæ, et suspiriis, et inflationibus:[h] decoctum succo æqualiter, et vulvas[4] corrigit:[i] [α] et contra scolopendram terrestrem vel marinam: item scor-

[α] *Decoctum æqualiter prodest succo, et simul vulvas corrigit.*

CAP. LV. 1 Margo edd. Dalec. et Gronov. *pulegio, sed folio majore*, e Diosc. Mox, *dictamnum* Vet. Dalec. *dictamnos* Chiffl.—2 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *literas mutantes blechon* Gronov. et vulgg. *litera mutata blechonen* Chiffl. *literas mutantes blechona* cod. Dalec.—3 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *In tussi ex perfrictione, &c.* Gronov. et vulgg. *Tussi inter frictiones fric. ante balinea* Chiffl. Mox, *horrorem*. *Convulsis torm. et podagris* Dalec.—4 Dalec. *decoctum*. *Succus æqualiter et vulvas.*—5 Dalec. *scorpiones*

NOTÆ

[a] *Balatum concitat*] Diosc. III. 36. iisdem verbis: Καλοῦσι δέ τινες αὐτὴν βλήχωνα, ἐπειδὴ τὰ γευσάμενα κατὰ τὴν ἄνθησιν τῶν ποιμνίων, βληχῆς ὑποπίμπλανται.

[b] *Unde quidam Græci*] Hesychius: Βλήχων, γλήχων, καὶ οὕτως λέγεται. Apuleius quoque 92. ἀπὸ τῆς βληχῆς, quæ vox *balatum* sonat.

[c] *Tussi in perfrictione*] Eos, inquit, qui tussi laborant, quam ex perfrictione collegerint, ut Marcellus Empir. loquitur c. 16. p. 115. sylvestri pulegio fricari ante balnea convenit. Perfrictio, Græcis περίψυξις, *vehemens frigus* est, a 'perfrigesco:' qualis affectio illa est febre laborantium, quæ præcedit *horrorem*, hoc est, φρίκην. Hoc frigore pars interdum aliqua una tantum corporis laborat, quo et rigescit, torpescitque: unde κατεψυγμένη καὶ παράφορος γλῶσσα, *rigens et balbutiens lingua* dicitur.

[d] *Convulsis*] Τοῖς σπωμένοις, cum melle et sale auxiliari ait Diosc. III. 36.

[e] *Podagris*] Diosc. loc. cit.

[f] *Pulmonum vitia*] Cum melle item et sale: Diosc. loc. cit. Vide et Galenum de Fac. Simp. Med. lib. VI. p. 167.

[g] *Ad lienem*] Diosc. loc. cit. Ex aceto propinat Apuleius ad splenis dolorem c. 92. tit. 17.

[h] *Et inflationibus*] Apuleius c. 92. tit. 15. 'Ad inflationem stomachi, vel intestinorum:' 'Pulegium ex aqua calida contritum, vel ex vino, aut per se dato: rem miraberis illico.'

[i] *Vulvas corrigit*] Conversas scilicet, ut dictum est c. 51. Ad inflationes præterea duritiamque vulvæ egregie facere scribit Diosc. loc. cit.

piones: privatimque valet contra[5] hominis morsum. Radix contra increscentia[j] ulcera recens potentissima. Arida vero cicatricibus decorem affert.[6]

LVI. Item pulegio est nepetæque societas. Decocta enim in aqua ad tertias discutiunt frigora,[k] mulierumque menstruis[l] prosunt. Et æstate sedant calores. Nepeta quoque[m] vires contra serpentes habet. Fumum ex ea nidoremque fugiunt, quam et substernere in metu obdormituris[1 n] utile est. Tusa ægilopiis[o] imponitur, et capitis doloribus recens cum tertia parte panis temperata aceto illinitur. Succus ejus[p] instillatus naribus supinis, profluvium sanguinis sistit. Item radix, quæ cum myrti semine in passo tepido gargarizata[2] anginis medetur.

LVII. Cuminum sylvestre[a] est prætenue, quaternis aut quinis foliis veluti serratis. Sed et sativo magnus usus,

valet, privatimque contra.—6 '*Radix c. i. ulcera potentissima, arida v. c. decorem afferi*] Lego, *levorem affert*, quo vocabulo Lucretius aliique non raro utuntur.' *Nic. Heins.* Vid. Advers. I. 10. p. 94.

CAP. LVI. 1 Chiffl. *eo dormituri.*—2 Cod. Dalec. *quæ cum semine in balneo gargarizata.*

NOTÆ

[j] *Contra increscentia*] In quibus caro supra modum excrescit.

[k] *Discutiunt frigora*] Quæ febrium horrorem antevertunt.

[l] *Mulierumque menstruis*] Eam vim pulegio vel soli Q. Serenus vindicat, c. 35. p. 148. 'Pulegii calido purgatur fœmina potu.'

[m] *Nepeta quoque*] Apuleius c. 94. 'Morsibus serpentum curandis:' 'Herbæ nepitæ montanæ ex vino tritæ succus expressus cum vino potui datur: cujus etiam folia contrita plagæ utiliter imponuntur.' Est hæc fortassis Dioscoridis καλαμίνθη.

[n] *In metu obdormituris*] In eo loco obdormituris, in quo serpentes metuendæ.

[o] *Tusa ægilopiis*] Αἰγίλωψ oculi vitium est, quod in angulo oculi, qui est ad nares, fieri omnes testantur: esseque tumentem abscessum, qui in ea parte suppuret, et fistulæ modo distillet: Nostri *Fistule lacrymale* ex ea re vocant: Græci αἰγίλωπας et τὰ αἰγιλώπια, quæ vox *oculum caprinum* sonat, a vitio scilicet et labe, quæ capris fere propria est et continua. Vide Celsum VII. 7.

[p] *Succus ejus*] Quin et narium morbis medetur, si Theod. Priscianum audimus: 'Naribus vero specialiter sic medeberis,' inquit ille I. 11. de narium morbis, 'succum nepitæ, quam Græci calaminthen vocant, frequenter infunde: aut ejusdem siccatæ et contusæ pulverem per canalem exsufflato.'

[a] *Cuminum sylvestre*] Hæc totidem verbis interpres Oribasii, lib. XI. fol. 102. post Diosc. III. 69.

in stomachi præcipue[b] remediis. Discutit pituitas,[c] et inflationes,[d] tritum et cum pane sumtum, vel potum ex aqua vinoque: tormina quoque[e] et intestinorum dolores. Verumtamen omne pallorem[f] bibentibus gignit. Ita certe ferunt Porcii Latronis,[g] clari inter magistros dicendi, assectatores, similitudinem coloris[1] studiis contracti imitatos, et paulo ante Julium Vindicem[h] assertorem illum a Nerone libertatis, captatione testamenti[2][i] sic lenocinatum. Narium sanguinem[j] pastillis inditum vel ex aceto recens sistit. Et oculorum[3] epiphoris[k] per se impositum, tumentibus[l] cum melle prodest. Infantibus imponi in ventre[4] satis est. Morbo regio[m] in vino albo a balineis datur.

CAP. LVII. 1 Margo edd. Dalec. et Gronov. *palloris*.—2 Chiffl. *testamentis*.—3 *Testiculorum* margo edd. Dalec. et Gronov. e Diosc.—4 Dalec. *ven-*

NOTÆ

[b] *In stomachi præcipue*] Marcellus Empir. c. 20. p. 141. 'Cuminum teres, et vino mixtum dabis bibendum jejuno, si non febricitabit: si febricitabit, ex aqua tritum dabis: continue emendabis stomachi dolorem.' Apud Diosc. III. 68. εὔστομον hodie legitur, hoc est, *ori gratum*, forte pro εὐστόμαχον. Nam sylvestre cuminum c. 69. ad stomachi imbecillitatem levandam inprimis laudatur.

[c] *Discutit pituitas*] Crassiores humores ac pituitosos per alvum et urinas educit: eosdem a capite evocat.

[d] *Et inflationes*] Hæc deinceps iisdem verbis Diosc. tum de cumino sativo, tum de sylvestri, III. 68. et 69.

[e] *Tormina quoque*] Diosc. loc. cit. Q. Serenus c. 27. de ventris dolore mitigando, p. 142. 'Quin etiam ex lymphis tritum potare cuminum Conveniet, quod jam nobis documenta probarunt.'

[f] *Pallorem*] Unde 'cuminum pallens' Q. Sereno c. 14. et Persio Sat. v. 'Exangue cuminum' Horat. I. Epist. 20. Et hoc pariter notat Diosc. loc. cit.

[g] *Porcii Latronis*] M. Porcius Latro, genere Hispanus, primus clari nominis Professor, ut auctor est Quintil. x. 5. p. 775. Hunc Seneca pater in Præf. Controv. p. 59. tam egregie commendat, ut egregiis declamatoribus, qui Augusti sæculum illustrarunt, præripuisse gloriam videatur.

[h] *Julium Vindicem*] Qui primus adversus Neronem conspiravit: natione Gallus, stirpe regia, ordinis Senatorii. Vide Dionem lib. LXIII. pag. 724.

[i] *Captatione testamenti*] Cum ejus testamentum et hæreditatem Nero captaret, sic ille Principis cupiditati lenocinabatur, ut ejus amicitia summos honores adipisceretur: dum pallido interim colore simularet adversa valetudine se premi, atque adeo brevi interiturum.

[j] *Narium sanguinem*] Diosc. III. 68.

[k] *Et oculorum epiphoris*] Vide Notas et Emend. num. 24.

[l] *Tumentibus*] Oculis. Quem mor-

(XV.) Æthiopicum maxime in posca, et in ligmate[5] [n] cum melle. Africano privatim[6] urinæ incontinentiam cohiberi putant. Sativum datur ad jocineris vitia tostum, tritum in aceto. Item ad vertiginem. Iis vero quos acrior urina[7] mordeat, in dulci tritum vino. Ad vulvarum vitia[o] in vino: præterque, impositis vellere foliis: testium tumoribus,[p] tostum tritumque cum melle, aut cum rosaceo et cera.

Sylvestre ad omnia eadem efficacius. Præterea ad serpentes cum oleo, ad scorpiones, ad scolopendras. Sistit et vomitionem nauseasque ex vino, quantum apprehenderint tres digiti. Propter colum quoque bibitur illiniturque, vel penicillis[q] fervens apprimitur[8] fasciis. Strangulationes vulvæ potum in vino aperit, tribus drachmis in tribus cyathis vini. Auribus instillatur[r] ad sonitus atque tinnitus

trali.—5 Vet. Dalec. *ecligmate.*—6 'Ita codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier.* *Africano paulatim* Elz. Dalec. Gronov. al. vett. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—7 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *acriorum urina* Chiffl. *acriore vi urina* Gronov. et vulgg.—8 Cod. Dalec. *adstringitur.* —9 Gronov. *sevo.*

NOTÆ

bum ita Serenus expressit c. 14. pag. 133. 'Si tumor infestat, rufos et gliscit in orbes.' Vel, ut alii libri habent: 'Si tumor insolitus typho se tollat inani, Turgentes oculos vili circumline cœno.'

[m] *Morbo regio*] Plinius Valer. II. 59. ad verbum.

[n] *In ligmate*] Vel, ut alii, *in ecligmate.* Ἔκλειγμα arteriaca compositio est, quæ linctu absumitur, non vorando, ut catapotia. Vulgo Electuaria vocant. Τὰ ἐκλείγματα, quæ ori imposita sensim liquefiunt, ac deinde deglutiuntur: a λείχειν, hoc est, *lingendo.*

[o] *Ad vulvarum vitia*] Hippocr. de Morb. Mul. lib. I. tex. 56. p. 450.

[p] *Testium tumoribus*] Testium inflammationibus auxiliari Diosc. ait, cum uva passa, et fabarum lomento, vel cum cerato impositum: Διδύμων δὲ φλεγμοναῖς ἀρήγει σὺν σταφίδι, καὶ ἐρεγμίνῳ ἀλεύρῳ, ἢ κηρωτῇ ἐπιτεθέν. Theod. Priscianus I. 24. 'Fervores testium, vel indignationes, cuminum cum melle et oleo tritum, et appositum curat.'

[q] *Vel penicillis*] Hoc est, linteolis concerptis fervens cuminum imponitur, deinde fasciarum ope ventri apprimitur.

[r] *Auribus instillatur*] Marcellus Empir. c. 9. p. 80. 'Cuminum sylvestre contritum, et succo rutæ immixtum, instillatumque auriculæ, dolorem lenit: ventos quoque interius sonantes removet, atque omne vitium potenter emendat.'

cum sebo[9] vitulino, vel melle. Sugillatis[s] illinitur cum melle, et uva passa, et aceto. Lentigini nigræ[t] ex aceto.

LVIII. Est cumino[a] simillimum, quod Græci vocant ammi. Quidam vero[b] Æthiopicum cuminum id esse existimant. Hippocrates[c] regium appellat, videlicet quia efficacius Ægyptio[d] judicavit. Plerique alterius[e] naturæ in totum putant, quoniam sit exilius et candidius. Similis autem et huic usus: namque et panibus Alexandrinis subjicitur, et condimentis[1] interponitur. Inflationes et tormina discutit.[f] Urinas[2][g] et menstrua ciet. Sugillata[h] et oculorum epiphoras mitigat. Cum lini semine scorpionum[i] ictus in vino potum drachmis duabus, privatimque cerastarum, cum pari portione myrrhæ.[3] Colorem quoque[j] bibentium similiter mutat in pallorem. Suffitum cum uva passa et resina, vulvam[4] purgat. Tradunt facilius concipere eas, quæ odorentur id per coitum.

LIX. De cappari satis diximus[k] inter peregrinos frutices.

CAP. LVIII. 1 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *subigitur et condimentis* Vet. Dalec. *subditur et condimentis* Gronov. et vulgg. *subditur et alimentis* cod. Dalec.—2 *Urinam* Gronov.—3 Chiffl. *myrnæ*.—4 Ita Chiffl. Harduin. 1. 2. 3. Miller. et Bipont. *vulvas* Gronov. al. vett. et Franz.

NOTÆ

[s] *Sugillatis*] Diosc. III. 60. *Αἴρει δὲ καὶ ὑπώπια μασσηθὲν καὶ καταπλασθὲν σὺν μέλιτι καὶ σταφίδι.*

[t] *Lentigini nigræ*] Theod. Priscianus I. 32. 'Sunt quibus certis ex accidentibus maculæ in corporibus frequentius inhæserunt. Sunt nigræ, sunt albæ, velut elephantiasim annuntiantes . . . Cuminum cum aceto tritum, sæpe profuit.'

[a] *Est cumino*] Hæc totidem verbis interpres Oribasii lib. XI. p. 189. post Diosc. III. 70. Ammi vulgare a Dodonæo pingitur, p. 299. quo officinæ passim utuntur.

[b] *Quidam vero*] Diosc. loc. cit. *Ἄμμι ἔνιοι καὶ τοῦτο Αἰθιοπικὸν, κ. τ. λ.*

[c] *Hippocrates*] *Κύμινον Αἰθιοπικὸν Ἱπποκράτης βασιλικὸν ἐκάλεσε*, Diosc. III. 68.

[d] *Efficacius Ægyptio*] Vide Notas et Emend. num. 25.

[e] *Plerique alterius*] Diosc. III. 70.

[f] *Tormina discutit*] Diosc. loc. cit.

[g] *Urinas*] Diosc. loc. cit.

[h] *Sugillata*] Diosc. loc. cit. *Καὶ ὑπώπια καταπλασθὲν σὺν μέλιτι αἴρει.*

[i] *Scorpionum*] Omnium venenatorum morsibus opitulari ex vino, scribit Diosc. loc. cit.

[j] *Colorem quoque*] Et potu, et illitu similiter colorem pallidiorem efficere, ut cuminum, Diosc. etiam auctor est loc. cit.

[k] *De cappari . . . diximus*] Lib. XIII. c. 44.

Non utendum transmarino:[1] innocentius Italicum est. Ferunt, eos qui quotidie id edunt, paralysi non periclitari, nec lienis doloribus. Radix ejus vitiligines[m] albas tollit, si trita[1] in Sole fricentur. Splenicis[2 n] prodest in vino potus radicis cortex duabus drachmis, demto balinearum usu. Feruntque XXXV.[o] diebus per urinam et alvum totum lienem emitti. Bibitur[p] in lumborum doloribus, ac paralysi. Dentium dolores[q] sedat tritum ex aceto semen decoctum,[3] vel manducata radix. Infunditur[r] et aurium dolori decoctum oleo. Ulcera[s] quæ phagedænas vocant, folia et radix recens cum melle sanant. Sic et strumas[t] discutit radix: parotidas,[u] vermiculosque[4 v] cocta in aqua.

CAP. LIX. 1 Chiffl. *si tritæ.*—2 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Spleneticis* Gronov. et vulgg.—3 Chiffl. *vel*

NOTÆ

[1] *Non utendum transmarino*] Africano scilicet, eo præsertim quod apud Marmaridas nascitur, vel quod ex Arabia, et Rubro mari defertur: nam id in ore pustulas excitat, et gingivas osse tenus exedit, &c. Vide Diosc. II. 204. et Galenum de Fac. Simp. Med. lib. VII. p. 185.

[m] *Radix ejus vitiligines*] Diosc. loc. cit. Ἀλφοὺς τε λευκοὺς ἀποσμήχει σὺν ὄξει λεῖα, *cum aceto trita lentigines albas exterit.* Sic etiam Galenus de Fac. Simp. Med. lib. VII. p. 184.

[n] *Splenicis*] Marcellus Empir. cap. 23. pag. 167. Plinius Valer. II. 18. 'Corticis ex radice capparum cochlear plenum teres, et dabis bibere cum aqua calida, addens, si volueris, permodicum acetum: hocque per triduum facies, et sanus eris.' Aliter Celsus IV. 9. de lienis morbo: 'Multis modis huic rei cappari aptum est. Nam et ipsum cum cibo assumere, et muriam ejus cum aceto sorbere commodum est. Quinetiam extrinsecus radicem contritam, vel corticem ejus cum furfuribus, aut ipsum cappari cum melle contritum imponere expedit.'

[o] *Feruntque XXXV.*] Diosc. loc. cit. post dies XL. Galenus loc. cit. spatium dierum nullum assignat.

[p] *Bibitur*] Diosc. loc. cit.

[q] *Dentium dolores*] Diosc. et Galenus locis citatis.

[r] *Infunditur*] Diosc. loc. cit. Σκώληκάς τε τοὺς ἐν ὠσὶν ὁ χυλὸς ἐγχυματισθεὶς κτείνει. *Aurium vermiculos infusus succus enecat.* Sic etiam Galenus loc. cit. p. 185.

[s] *Ulcera*] Diosc. et Galenus locis citatis.

[t] *Sic et strumas*] Galenus, καὶ χοιράδας διαφορεῖ, loc. cit. p. 184. Sic et Diosc. loc. cit. Struma, inquit Celsus V. 28. tumor est, in quo subter concreta quædam ex pure et sanguine, quasi glandulæ oriuntur. Latini etiam scrofulas appellant: vulgo, *les écrouelles.* Celsus eas maxime in cervice ait oriri, sed in aliis etiam partibus, inguinibus, lateribusque, et mammis fœminarum.

Jocineris quoque malis medetur. Dant et ad tænias[5] in aceto et melle. Oris exulcerationes in aceto decocta tollit: stomacho inutile[w] esse[6] inter auctores convenit.

LX. Ligusticum (aliqui panacem[a] vocant) stomacho utile[b] est.[1] Item convulsionibus et inflationibus.[c] Sunt et qui cunilam bubulam appellaverint, ut diximus,[d] falso.

LXI. (XVI.) Cunilæ præter sativam[e] plura sunt in medicina genera. Quæ bubula[f] appellatur, semen pulegii habet, utile ad vulnera commanducatum impositumque, ut quinto post die solvatur. Et[1] contra serpentes[g] in vino bibitur, ac tritum plagæ imponitur. Vulnera ab iis facta

decoctum.—4 Vet. Dalec. *auriumque vermiculos.*—5 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *tineas* Gronov. et al. vett.—6 Ita codd. Regg. Brot. Editio princeps et al. vett. *st. inutiles esse* Gronov. et vulgg. item Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *st. inutilem esse* Vet. Dalec.

CAP. LX. 1 Ita codd. Harduini, Chiffl. et Vet. Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. 'Ex Diosc. nam coctionem juvat.' *Dalec. st. inutile est* edd. vett. et Gronov.

CAP. LXI. 1 *Et* deest in Vet. Dalec.—2 Ita ex codd. Harduinus et re-

NOTÆ

[u] *Parotidas*] Theod. Priscianus I. 8. 'de parotidibus:' 'Capparis corticem in aqua elixa: et cum vino commisces, et cataplasma facies.'

[v] *Vermiculosque*] Aurium scilicet, de quibus dictum est proxime.

[w] *Stomacho inutile*] Κακοστόμαχον et caulem et fructum perinde esse, auctor est Diosc. loc. cit.

[a] *Aliqui panacem*] Ut dictum est XIX. 50.

[b] *Stomacho utile*] Ita Mss. omnes, et Parm. edit. Diosc. III. 58. de ligustico: *ἱκανῶς δὲ εὐστόμαχόν ἐστιν, κ. τ. λ.* In libris editis perperam ad hunc diem *inutile*: uti et ex sequentibus liquet.

[c] *Et inflationibus*] Subintellige, utile est. Diosc. loc. cit. *Δύναμις καὶ τοῦ σπέρματος καὶ τῆς ῥίζης ... ἁρμόζουσα πρὸς ἐμπνευματώσεις, καὶ μάλιστα τὰς περὶ τὸν στόμαχον, κ. τ. λ.* Sic etiam Galenus de Fac. Simp. Med. lib. VII. p. 203. *ἄφυσον* ait esse, hoc est, *flatus extinguere.*

[d] *Ut diximus*] Lib. XIX. c. 50.

[e] *Præter sativam*] Quæ satureia, ut diximus IX. 50.

[f] *Quæ bubula*] Cunila hæc bubula, uti indicavimus VIII. 41. origanum sylvestre est, quod ab aliis Heraclei panacis, ab aliis, quos inter Nicander est, teste Dioscor. II. 34. cunilæ nomen accepit. Extat adhuc certe Nicandri carmen in Theriac. pag. 44. Πανάκτειόν τε κονίλην, Ἥν τε καὶ Ἡράκλειον ὀρείγανον ἀμφενέπουσι. *Non panactea conila, Quam quidam Heracleon origanon indigitarunt.* Vulgo *Origan.* Accurate a Lobelio pingitur in Observ. p. 263. a quo Agrioriganum sive Onitis major vocatur. Vidimus in horto Regio. Est origanum vulgare Matthioli in Diosc. lib. III. p. 701.

[g] *Et contra serpentes*] Contra venenatorum morsus. Diosc. loc. cit.

perfricantur. Item testudines[h] cum serpentibus pugnaturæ hac se muniunt: quidamque in hoc usu panaceam[*] vocant. Sedat et tumores, et virilium mala, sicca, vel foliis tritis, in omni usu mire congruens ex vino.

LXII. Est alia cunila,[i] gallinacea appellata nostris, Græcis origanum heracleoticum.[1] Prodest oculis trita addito sale. Tussim quoque[j] emendat, et jocinerum vitia. Laterum dolores cum farina,[2] oleo et aceto in sorbitionem temperata. Præcipue vero[k] serpentium morsus.

LXIII. Tertium genus[l] est ejus, quæ a Græcis mascula, a nostris cunilago vocatur, odoris fœdi,[m] radicis lignosæ,[1] folio aspero. Vires ejus vehementissimas in omnibus generibus[2 n] earum tradunt. Manipulo[o] quoque ejus abjecto,[3] omnes e tota domo blattas convenire ad eam. Privatim adversus scorpiones ex posca pollere. Tribus foliis[p] ex oleo perunncto homine, fugari serpentes.

LXIV. E contrario quæ mollis[q] vocatur, pilosioribus

centt. *ob hunc usum panacem* Vet. Dalec. *in hunc usum panacem* edd. vett. et Gronov.

CAP. LXII. 1 Margo edd. Dalec. et Gronov. *origanum silvestre et panax heracleus*, e Diosc.—2 Chiffl. *farre.*

CAP. LXIII. 1 Chiffl. *lineæ.*—2 Idem codex, *his generibus.*—3 Vet. Dalec. *objecto.*

NOTÆ

[h] *Item testudines*] Id jam antea indicatum VIII. 41.

[i] *Est alia cunila*] Apuleius cap. 122. 'Origanum a Græcis Heracleoticum ... Latini cunilam Gallicam, (lege ex Plinio, *gallinaceam*, sic enim Mss. omnes,) et origanum nominant.' Dioscor. III. 32. Ὀρίγανος Ἡρακλεωτική, οἱ δὲ κονίλην καλοῦσι, φύλλον ἔχει ἐμφερὲς ὑσσώπῳ, κ. τ. λ. Delineatum accurate a Matthiolo in Dioscor. lib. III. pag. 699. quale nos vidimus. De eo rursum Plinius XXV. 12.

[j] *Tussim quoque*] Dioscor. III. 32. cum melle delingi ad tussim jubet. Apuleius loc. cit. 'Tussi medendo:' 'Herbam origanum commanducet,' &c.

[k] *Præcipue vero*] Dioscor. loc. cit.

[l] *Tertium genus*] Hæc conyza mascula est, de qua rursum dicetur XXI. 32. Eadem conyza major Diosc. III. 136. cujus iconem Lobelius exhibet in Advers. p. 146. qualem nos in horto Regio vidimus.

[m] *Odoris fœdi*] Βαρύοσμος Diosc. l. c.

[n] *In omnibus generibus*] Sive mascula sit, sive fœmina: sive sylvestris, sive sativa.

[o] *Manipulo*] Substratu suffituque venenatas fugare bestias, abigere culices, pulices necare, tradit Diosc. III. 136.

[p] *Tribus foliis*] Folia serpentium morsibus imponuntur utiliter, inquit Diosc. loc. cit.

foliis ac ramis aculeatis, trita mellis odorem habet, digitis tactu[r] ejus cohærescentibus. Altera thuris,[r] quam libanotidem appellamus.[1] Medetur utraque[s] contra serpentes ex vino vel aceto. Pulices etiam[t] contritæ cum aqua sparsæ necant.

LXV. Sativa quoque[u] suos usus habet. Succus ejus cum rosaceo auriculas juvat. Ipsa ad ictus bibitur. Fit ex ea montana,[1 v] serpyllo similis, efficax contra serpentes. Urinam[w] movet: purgat et a partu mulieres. Conçoctionem mire adjuvat, et ad cibos aviditatem. Utraque[2] vel in cruditate jejunis in potione aspersa. Luxatis quoque utilis. Contra vesparum et similes ictus, ex farina hordeacea et posca, utilissima. Libanotidis[x] alia genera suis dicentur locis.

CAP. LXIV. 1 Ita codd. Harduini, Dalec. et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *tractu* Gronov. et al. vett.—2 Chiffl. *libanotidem appellaverimus.*

CAP. LXV. 1 *Est et altera montana* Vet. Dalec.—2 Ita edd. vett. Gronov. et Harduin. 1. *aviditatem utraque* Dalec. Harduin. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.

NOTÆ

q *E contrario quæ mollis*] Eadem conyza fœmina Theophrasto Hist. VI. 2. Conyza minor Diosc. loc. cit. a Lobelio picta accurate in Adversar. pag. 146. Visa a nobis in horto Regio.

r *Altera thuris*] Altera conyza, inquit, hoc est, mascula, thuris odorem habet: quapropter et ipsa libanotis appellatur, quanquam id nomen et aliæ plantæ verius sortiuntur. Plinius ipse XXI. 32. 'Folia fœminæ mellis odorem habent. Masculæ radix a quibusdam libanotis appellatur, de qua diximus,' hoc nimirum loco.

s *Medetur utraque*] Diosc. loc. cit.

t *Pulices etiam*] Diosc. loc. cit. ut paulo antea diximus. Democritus in Geopon. XIII. 11. p. 370. ubi de culicibus necandis, περὶ κωνώπων. Φεύξονται δὲ, εἰ κόνυζαν ἑψήσεις, καὶ τῷ ζέματι ῥανεῖς τὴν οἰκίαν. *Fugient, si conyzam decoxeris, decoctoque domum resperseris.* Et c. 15. de pulicibus, πρὸς ψύλλας, p. 374. necari hos ait, κονύζης ἑψηθείσης, τοῦ ζέματος ἐπιῤῥαινομένου.

u *Sativa quoque*] Sativa nempe cunila; nam, ut dictum est initio c. 61. cetera genera hactenus, præter sativam, descripta sunt. Hæc est quam θύμβραν aliqui, rectius alii cunilam nostram et satureiam vocarunt, ut diximus XIX. 50.

v *Fit ex ea montana*] Satureia montana, quæ Thymbra Dodonæi, pag. 287. visa a nobis in horto Regio.

w *Urinam*] Diosc. loc. cit.

x *Libanotidis*] Aliarum herbarum, quibus est libanotidis pariter nomen inditum, genera viresque suis locis dicentur: nempe XXIV. 59. ubi rosmarinum tractabitur, quod alio nomine libanotidem appellari dictum est superiore libro, cap. ult. ac genera quidem illius duo afferentur.

LXVI. (XVII.) Piperitis, quam et siliquastrum appellavimus,[y] contra morbos comitiales bibitur. Castor et aliter[1] [z] demonstrabat, caule rubro et longo, densis geniculis, foliis lauri, semine albo, tenui, gustu piperis, utilem gengivis, dentibus, oris suavitati, et ructibus.

LXVII. Origanum quod in sapore cunilam[a] æmulatur,[1] ut diximus,[b] plura genera in medicina habet: onitin[c] vel prasion appellant, non dissimile hyssopo. Privatim ejus usus[d] contra rosiones[2] stomachi in tepida aqua, et contra cruditates: contra araneos[3] scorpionesque in vino albo: luxata[e] et incussa in aceto, et oleo, et lana.

LXVIII. Tragoriganum[f] similius est serpyllo sylvestri.

Cap. LXVI. 1 *Castor taliter* cod. Dalec.

Cap. LXVII. 1 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *quod in sapore cunilæ æmulatur* edd. vett. et Gronov. *quod sapore cunilam æmulatur* Vet. Dalec.—2 Cod. Dalec. *torsiones.*—3 Ita codd. Harduini cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *aqua, et cruditates: contra araneas* edd. vett. et Gronov. *aqua, et contra crud. contra araneas* Chiffl. *aqua, et crud. contra araneos* cod. Dalec.

NOTÆ

[y] *Appellavimus*] Lib. XIX. 62. Illud est quod piper Indicum appellant vulgo, quod quidem] quadrigemino genere a Dodonæo pingitur, sub nomine Capsici, p. 704. et 705. nempe oblongioribus, recurvis, latis, minimisque siliquis. Nostris, *Poivre d'Inde.*

[z] *Castor et aliter*] Alterum intelligi vult piperitidis genus, a Castore descriptum.

[a] *Origanum quod in sapore cunilam*] Sive satureiam.

[b] *Ut diximus*] Lib. XIX. 50.

[c] *Onitin*] Diosc. III. 33. 'Η δὲ ὀνῖτις καλουμένη, λευκοτέρα τοῖς φύλλοις ἐστὶ, καὶ μᾶλλον ἐοικυῖα ὑσσώπῳ, κ. τ. λ. Sic etiam Interpres Oribasii lib. XII. fol. 209. Galeno de Fac. Simp. Medic. lib. VII. p. 215. ὀνῖτις scribitur. Marcellus Empir. c. 30. p. 212. 'Cunila, quam Græci onitim vocant.' Id ei nomen inditum, quod ab asinis præcipue expetatur: Schol. Nicandri: 'Ονῖτιδα λέγει, ὅπερ οἱ ὄνοι ἐσθίουσι. Πράσιον a viridi foliorum colore. Vidimus in horto Regio.

[d] *Privatim ejus usus*] Plinius Valer. IV. 36. De origano: 'Ex vino albo tritum, et in potione sumtum, scorpionum et araneorum venenis resistit: cruditates discutit: morsus stomachi ex aqua calida datum lenit.'

[e] *Luxata*] Plinius Valer. loc. cit.

[f] *Tragoriganum*] Diosc. III. 35. Τραγορίγανος θαμνίσκος ἐστὶν ὀριγάνῳ ἢ ἑρπύλλῳ ἀγρίῳ τὰ φύλλα καὶ τὰ κλωνία. Ab hircis, quibus gratum id pabulum est, nomen habere, ut ab asinis onitin, auctor est scholiastes Nicandri. Est Thymbra legitima Clusii, quam ille pinxit Hist. Rar. Plant. lib. III. p. 358. nos in horto Regio observavimus.

Urinam ciet,[g] tumores discutit, contra viscum[h] potum, viperæque ictum efficacissimum, stomachoque[i] acida ructanti, et præcordiis. Tussientibus[j] quoque cum melle datur, et pleuriticis, et peripneumonicis.[1] [k]

LXIX. Heraclium[1] quoque tria genera habet, nigrius,[l] latioribus foliis, glutinosum. Alterum exilioribus,[m] mollius, sampsucho non dissimile, quod aliqui prasion[2] vocare malunt. Tertium est inter hæc medium, minus quam cetera efficax. Optimum[n] autem Creticum.[3] Nam et jucunde olet. Proximum Smyrnæum, odorius.[o] Heracleoticum,[4] ad potum utilius, quod onitin vocant.[p]

CAP. LXVIII. 1 Chiffl. *et peripleumonicis.* Voces *et peripneumonicis* desunt in cod. Dalec.

CAP. LXIX. 1 *Origanum quoque tria genera habet, Heracleoticum nigrius* margo edd. Dalec. et Gronov. e Diosc.—2 Ibid. ex eodem, *aliqui oniten.*—3 God. Dalec. *efficax autem. Optimum Creticum.*—4 Ita Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *Smyrnæum. Deinde Heracleoticum* Gronov. et al. vett. *Smyrnæum. Dorius Heracl.* Chiffl. Mox, Brotier conj. *utilius eo, quod,*

NOTÆ

[g] *Urinam ciet*] Dioscor. loco citato.

[h] *Contra viscum*] Hoc est, contra ἰξίαν, ut diximus c. 51. Dioscor. loc. cit. Nicander in Alexiph. pag. 151. tragoriganum valere ait contra ἰξιόεν οὐλοφόνον.

[i] *Stomachoque*] Diosc. loc. cit. Τοῖς κακοστομάχοις, καὶ ὀξυρεγμιῶσι δίδοται· καὶ ἐφ' ὧν ἀλυσμὸς, καὶ ναυτία, καὶ θέρμη ὑποχονδρίων παρακολουθεῖ. *Stomacho male affectis, et acida ructantibus exhibetur, et iis quos qualis ex maris agitatione anxietas, nausea, et præcordiorum æstus comitantur.*

[j] *Tussientibus*] Dioscor. loco citato.

[k] *Et peripneumonicis*] Diosc. Θηρσί τε καὶ περιπνευμονίαις σὺν μέλιτι ἐν ἐκλεικτῷ δίδοται, *in ecligmate.*

[l] *Heraclium*] Sic in Indice hujus loci: *De origano heracleo: Genera tria.* Illud ipsum quod Heracleoticum superius appellatum est c. 62. Hoc tragorigani genus quoddam lætius Dioscorides appellat III. 35.

[m] *Alterum exilioribus*] Alterum tragorigani genus apud Diosc. loc. cit. Ἡ δέ τις τραγορίγανος λεπτόκαρφος, καὶ λεπτόφυλλος, ἣν καὶ πράσιον ἔνιοι καλοῦσιν.

[n] *Optimum*] Diosc. loc. cit. Ἀρίστη δὲ ἡ Κιλίκιος, καὶ ἡ ἐν Κῷ, καὶ Χίῳ, καὶ Σμύρνῃ, καὶ Κρήτῃ.

[o] *Smyrnæum, odorius*] Ita Mss. Reg. 2. Colb. 2. Chiffl. &c. ut sit sententia, jucundius Smyrnæum origanum olere, quam Creticum. Sunt qui *smyrnium* legant: falso: quanquam esse percommode hic possit videri σμύρνιον sive σμύρνειον, a σμύρνα, hoc est, a myrrha. Est autem *odorius* ab *odorus*, quæ vox cum sæpius in absoluto gradu apud idoneos Latinitatis auctores occurrat, tum vero est in comparativo infrequens.

[p] *Quod onitin vocant*] Hoc est, eo quod onitin vocant. Vide Notas et Emend. num. 26.

Communis autem[q] usus serpentes fugare, percussis esui dare decoctum, potu urinam ciere, ruptis, convulsis mederi[5] cum panacis radice, hydropicis cum fico, aut cum hyssopo, acetabuli mensuris decoctum ad sextam. Item ad scabiem, pruriginem, psoras, in descensione[6] balinearum.[r] Succus auribus infunditur cum lacte. Tonsillis[s] quoque et uvis medetur, et capitis ulceribus. Venena opii[t] et gypsi extinguit decoctum, si cum cinere in vino bibatur. Alvum mollit[u] acetabuli mensura. Sugillatis[v] illinitur. Item dentium dolori, quibus etiam et candorem facit, cum melle et nitro. Sanguinem narium sistit. Ad parotidas decoquitur cum hordeacea farina. Ad arterias asperas cum galla et melle teritur: ad lienem folia cum melle et sale. Crassiores pituitas[w] et nigras[7] extenuat coctum cum aceto et sale, sumtum paulatim. Regio morbo[8] tritum cum oleo in nares[x] infunditur. Lassi perunguntur ex eo, ita ut ne venter attingatur. Epinyctidas cum pice sanat. Furunculos aperit cum fico trita:[9] strumas cum oleo et aceto et farina hordeacea. Lateris dolores cum fico illitum. Fluxiones sanguinis in genitalibus tusum, et aceto illitum. Reliquias purgationum a partu.

&c.—5 Vet. Dalec. *medetur.*—6 Cod. Dalec. *in decessione.*—7 Vet. Dalec. *et nigra.*—8 Vet. Dalec. *mortuo prodest;* et sic Diosc.—9 ' Ita bene Editio

NOTÆ

[q] *Communis autem*] Communes Heracleotici et cnitidis vires. Sic Dioscor. III. 32. et 33.

[r] *In descensione balinearum*] Diosc. III. 32. *Κνησμοὺς δὲ καὶ ψώρας καὶ ἴκτερον τὸ ἀφέψημα αὐτῆς ἐν λουτρῷ ὠφελεῖ. Prurigini, psoræ, ac morbo regio decoctum ipsius in balneo prodest.*

[s] *Tonsillis*] Dioscor. loc. cit. *Παρίσθμια, καὶ κιονίδας, καὶ ἄφθας θεραπεύει.*

[t] *Venena opii*] Diosc. loc. cit. iis qui cicutam biberint, opiumve, præbet ex vino dulci, seu passo: ex oxymelite, seu aceto mulso, iis qui gypsum.

[u] *Alvum mollit*] Diosc. loc. cit. *Ξηρὰ δὲ ποθεῖσα ὀξυβάφου πλῆθος σὺν μελικράτῳ, μέλανα κατὰ κοιλίαν ἄγει. Aridum acetabuli mensura cum aqua mulsa epotum, atros humores per alvum extrahit.*

[v] *Sugillatis*] Marcell. Empir. c. 19. p. 132.

[w] *Crassiores pituitas*] Has per alvum extrahit, inquit Diosc. loc. cit.

[x] *Cum oleo in nares*] Cum oleo irino in nares infusum caput purgare, scribit Diosc. loc. cit.

LXX. Lepidium[a] inter urentia intelligitur. Sic et in facie[b] cutem emendat exulcerando, ut tamen cera et rosaceo facile sanetur. Sic et lepras,[c] et psoras tollit semper facile, et cicatricum ulcera.[1] Tradunt in dolore[d] dentium adalligatum brachio qua doleat, convertere dolorem.[2] [e]

LXXI. Gith ex Græcis,[f] alii melanthium, alii melanspermon[1] vocant. Optimum, quam[g] excitatissimi odoris, et quam nigerrimum. Medetur serpentium plagis et scorpionum. Illini ex aceto ac melle reperio, incensoque serpentes fugari.[h] Bibitur[i] drachma una et[2] contra araneos. Distillationem[j] narium discutit tusum in linteolo olfactum. Capitis dolores[k] illitum ex aceto et infusum naribus. Cum

princeps.' *Brotier.* Ita quoque Gronov. et al. ante Harduin. *cum fico trito* Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *cum fico tosta* Vet. Dalec.

CAP. LXX. 1 Vet. Dalec. *hulcerum cicatrices.*—2 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *compescere dolorem* Gronov. et vulgg.

CAP. LXXI. 1 Gronov. *melaspernon.*—2 Conjunctio *et* deest ap. Gronov.—

NOTÆ

[a] *Lepidium*] Dioscor. II. 205. *Λεπίδιον. Δύναμις δέ ἐστι τῶν φύλλων δριμεῖα ἑλκωτικὴ, κ. τ. λ. Vis foliorum acris et exulcerans, &c.*

[b] *Sic et in facie*] Inde nomen habet, quod faciei nempe maculas, *τὰς λεπίδας*, delet. Servi compuncti notas tollebant lepidio: quare, id ubi animadversum est, candenti ferro inuri eos invecta consuetudo est.

[c] *Sic et lepras*] Diosc. loc. cit.

[d] *Tradunt in dolore*] Totidem verbis hæc Diosc. Sed collo lepidium jubet appendi.

[e] *Convertere dolorem*] Sic Mss. omnes, Reg. Colb. Th. Chiffl. In libris editis, *compescere*, male. Excitat enim pustulam, quæ humoris impetum, quo dens vexatur, ad brachium revocet. Sic quidam in eo morbo hodieque aurium radici medicamenta admovent, quæ pustulas gignunt.

[f] *Gith ex Græcis*] Et Celso quoque lib. II. cap. postremo, *git*. Item Scribonio Largo, Compos. 131. Dioscoridi *μελάνθιον*, ceteris, a nigritia seminis, *μελάνσπερμον, μήκων ἄγριος μέλας*, 'Ρωμαίοις *γιτ, πανάβερ νίγρουμ*, ut est in Nothis ejusdem, p. 456.

[g] *Optimum, quam*] Dioscor. III. 93. *Μέλαν, δριμὺ, εὐῶδες.*

[h] *Incensoque ... fugari*] Dioscor. loc. cit.

[i] *Bibitur*] Contra phalangiorum etiam araneorum morsus: *Βοηθεῖ δὲ καὶ φαλαγγιοδήκτοις ὅσον < α′ μεθ' ὕδατος ποθέν.* Diosc. loc. cit.

[j] *Distillationem*] Iisdem verbis Diosc. loc. cit. *Λεανθὲν δὲ καὶ ἐν ἀποδέσμῳ δεθὲν, καὶ ὀσφραινόμενον, τοὺς καταῤῥοιζομένους ὠφελεῖ.* Sic etiam Galen. l. VII. de Facult. Simp. Med. p. 206. *Κατάῤῥους ἰᾶται, θερμὸν ἐν ὀθονίῳ προσφερόμενον, κ. τ. λ.*

[k] *Capitis dolores*] Diosc. loc. cit. *Ἁρμόζει δὲ καὶ κεφαλαλγοῦσι καταπλασ-*

irino oculorum epiphoras et tumores. Dentium dolores [l] coctum cum aceto. Ulcera oris tritum aut commanducatum. Item lepras et lentigines [m] ex aceto. Difficultates [n] spirandi addito nitro [3] potum. Duritias,[o] tumoresque veteres, et suppurationes, illitum. Lacte[4] mulierum [p] auget continuis diebus sumtum. Colligitur succus ejus, ut hyoscyami.[q] Similiterque [r] largior,[5] venenum est, quod miremur: cum semen [s] gratissime panes etiam condiat. Oculos quoque purgat: urinam [t] et menses ciet. Quinimmo linteolo deligatis [6] tantum granis XXX. secundas trahi reperio. Aiunt et clavis [u] in pedibus mederi tritum in urina: culices suffitu necare: item muscas.

LXXII. Et anesum [1] [a] adversus scorpiones ex vino bibi-

3 Vet. Dalec. *vino*.—4 'Ita codd. Regg. Antiquitus dictum *lacte* pro *lac*.' Brotier. Ita quoque codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Lac* Gronov. et vulgg.—5 Vet. Dalec. *largius*.—6 Ita codd. Harduini et Dalec. item Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *alligatis* edd. vett. et Gronov.

CAP. LXXII. 1 'Ita codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier*. *Et anisum*

NOTÆ

σόμενον τῷ μετώπῳ καὶ τοῖς ἀρκομένοις ὑποχεῖσθαι, ἐγχεόμενον εἰς τὰς ῥῖνας μετὰ ἰρίνου λεῖον.

[l] *Dentium dolores*] Diosc. loc. cit. *Ὠφελεῖ δὲ καὶ ὀδονταλγίαν μετὰ ὄξους .... ἑψηθὲν καὶ διακλυζόμενον.* Theod. Priscianus I. 14. 'de dentium curationibus:' 'Quibus putres cavernæ obvenerint, melanthium elixum in aceto commixtum.'

[m] *Item lepras et lentigines*] Diosc. *Αἴρει δὲ καὶ φακὸν καὶ λέπρας, κ. τ. λ.* Lentigo, *φακὸς*, macula est subrufa, vel nigricans in facie, ad lentis similitudinem.

[n] *Difficultates*] Diosc. et Galenus, locis citatis. Vide Sarraceni notas in Diosc.

[o] *Duritias*] Diosc. loc. cit.

[p] *Lacte mulierum*] Diosc. loc. cit. *Πινόμενον δὲ πλείους ἡμέρας γάλα ἄγει.* *Lacte* porro vetusto more Mss. omnes exhibent, pro *lac*, quod et antea observatum a nobis et in Planto aliisque, ad Plin. XV. 16.

[q] *Ut hyoscyami*] De quo dicetur XXV. 17.

[r] *Similiterque*] Ut in hyoscyamo evenit, cujus foliis constat mentem corrumpi, ut suo loco dicetur mox appellato, si plura quam quatuor bibantur. De melanthio Diosc. loc. cit. *Φασὶ δὲ καὶ ἀναιρεῖν αὐτὸ πλεῖον ποθέν.*

[s] *Cum semen*] Libro sup. c. 52.

[t] *Urinam*] Si nempe pluribus diebus continuis sumatur, ut ait Diosc. loc. cit. Vide etiam Galen. de Fac. Simp. Med. lib. VII. p. 206.

[u] *Aiunt et clavis*] Dioscor. loc. cit. *Καὶ ἥλους περιχαραχθέντας ἐκτινάσσει σὺν οὔρῳ παλαιῷ. Clavos circumscarificatos excutit cum urina vetere impositum.* Vulgati codices habent *σὺν οἴνῳ*. At Serapio, ut Plinius, *σὺν οὔρῳ* legit.

[a] *Et anesum* [*anisum*] Ita Nicander

tur, Pythagoræ inter pauca laudatum, sive crudum, sive decoctum. Item viride aridumve, omnibus quæ condiuntur, quæque intinguntur, desideratum. Panis etiam crustis inferioribus subditum. Saccis quoque [b] additur: cum amaris nucibus vina commendat. Quin ipsum [c] oris halitum jucundiorem facit, fœtoremque tollit manducatum matutinis cum smyrnio, et melle exiguo, mox vino collutum.[2] Vultum juniorem præstat. Insomnia levat suspensum in pulvino, ut dormientes olfaciant. Appetentiam ciborum præstat, quando id quoque inter artificia deliciæ fecere, ex quo labor desiit cibos poscere. Ob has causas quidam anicetum [d] id vocavere.

LXXIII. Laudatissimum [e] est Creticum, proximum Ægyptium. Hoc ligustici vicem præstat in condimentis. Dolores capitis [f] levat suffitum naribus. Epiphoris oculorum Evenor [g] radicem ejus tusam imponit: Iollas ipsum [1] cum croco pari modo et vino, et per se tritum cum polenta ad magnas fluxiones, extrahendisque,[2] si qua in oculos inciderint. Narium quoque carcinodes [h] consumit illitum

Edd. ante Brotier.—2 Vet. Dalec. *colluti.*

CAP. LXXIII. 1 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *e vino radicem ejus tusam imponit Iollas. Ipsum* Gronov. et vulgg. *Evenoros radicem ejus tusam imponit Iollas. Ipsum* Chiffl.—2 Vet.

NOTÆ

in Theriac. p. 44. ubi *ἄννησον* scribitur: quod Atticæ consuetudinis esse geminato *ν* scholiastes admonet, pag. 31. Sic etiam Diosc. III. 65. apud quem *ἄνισον* vulgari more. *De l'Anis.* Iconem apud Dodon. vide, pag. 297. In Mss. omnibus, Reg. Colbert. &c. *anesum* legitur.

[b] *Saccis quoque*] Quibus vina saccantur, sive percolantur, ut dictum est XIV. 28. et XVIII. 17. Vide Hieron. Mercurial. Var. II. 17.

[c] *Quin ipsum*] Dioscor. III. 65.

[d] *Anicetum*] *Ἀνίκητον*, *invictum*, quod aliis omnibus medicamentis antecellat. Non aniso id nomen, sed anetho, in Nothis pag. 455. Pseudo-Dioscorides attribuit.

[e] *Laudatissimum*] Sic Diosc. loc. cit. Auctor libri de Simp. Med. ad Paternianum, qui Galeno ascribitur, tom. XIII. pag. 985. 'Anisum optimum est Creticum, deinde Ægyptium: Gallicum inertissimum,' &c.

[f] *Dolores capitis*] Totidem verbis Diosc. loc. cit.

[g] *Evenor*] Ita eruimus e vestigiis codicum Reg. Colb. &c. in quibus *Evenenor* legitur. In editis, *e vino*, perperam. De Evenore et Iolla, in Auctorum Syllabo.

[h] *Narium .... carcinodes*] Extat ea

ex aqua. Sedat anginas cum melle et hyssopo ex aceto gargarizatum. Auribus[3] [i] infunditur cum rosaceo. Thoracis pituitas purgat tostum: cum melle sumtum melius. Cum acetabulo anesi nuces amaras L. purgatas tere in melle ad tussim. Facillime vero anesi drachmæ tres, papaveris, duæ miscentur melle ad fabæ magnitudinem, et ternis diebus sumuntur. Præcipuum autem est ad ructus:[j] ideo inflationibus[k] stomachi, et[4] intestinorum torminibus, et cœliacis[l] medetur. Singultus et olfactum potumque decoctum inhibet.[5] Foliis decoctis[m] digerit cruditates. Succus decocti cum apio olfactus sternutamenta[6] [n] inhibet. Potum somnum concitat:[7] calculos pellit: vomitiones cohibet, et præcordiorum tumores. Et pectorum vitiis, nervis quoque, quibus[o] succinctum est corpus, utilissimum. Prodest et[8] capitis doloribus instillari succum cum oleo decocti. Non aliud utilius ventri et intestinis putant: ideo dysentericis et in tenesmo[9] datur tostum. Aliqui ad-

Dalec. *extrahendaque.*—3 *Fractis auribus* margo edd. Dalec. et Gronov. e Diosc.—4 Conjunctio *et* deest in Vet. Dalec.—5 ' Ita codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier.* *S. et olfactum decoctum, potumque, inhibet* Gronov. al. vett. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—6 Ita cdd. vett. et Gronov. *sternumenta* ex codd. Harduinus et recentt.—7 Vet. Dalec. *conciliat.*—8 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *Prodest ejus et* Gronov. et vulgg.—9 Chiffl.

NOTÆ

vox apud Celsum lib. VI. de polypo. *Καρκινώδης ὄγκος* hoc loco intelligitur a Plinio, *tumor cancro similis*, qui absque exesione est. In Mss. Reg. et Colb. *narium cardines.*

[i] *Auribus*] Cum rosaceo tritum, inquit Diosc. III. 65. et instillatum fractis auribus medetur: *Καὶ τὰς ῥήξεις δὲ τῶν ὤτων λεῖον σὺν ῥοδίνῳ ἐνσταζόμενον ἶᾶται.*

[j] *Præcipuum . . . ad ructus*] Ad ructum modice ciendum. Vide quæ de anetho dicenda sunt cap. 74. statim initio.

[k] *Ideo inflationibus*] Diosc. loc. cit. et Galenus de Fac. Simp. Med. cap. 48. pag. 157.

[l] *Et cœliacis*] Alvum enim sistere scribit Diosc. loc. cit.

[m] *Foliis decoctis*] Ita fere Galenus et Diosc. locis citatis, cum aniso vim pariter digerendi attribuunt, *δύναμιν διαφορητικήν.*

[n] *Sternutamenta* [*sternumenta*] *inhibet*] Ita Mss. fere ubique: infrequentius, *sternutamenta.* Aëtius quoque, VI. 99. pag. 249. anisum cohibere sternutationem scribit.

[o] *Nervis quoque, quibus*] Hoc verborum ambitu septum transversum signat, quod alii *præcordia*, id est, *περικάρδια*, plures *διάφραγμα* appellant. Id enim membranis constat, quibus cor et pulmo a jocinere et

dunt et opium, pilulis in die [10] ternis lupini magnitudine in vini cyatho dilutis. Dieuches et ad lumborum dolores succo usus est. Semen hydropicis [p] et cœliacis dedit tritum cum menta: Evenor radicem [q] ad renes.[11] Dalion herbarius parturientibus ex eo cataplasma imposuit cum apio: item vulvarum dolori: deditque bibendum cum anetho parturientibus. Phreneticis quoque illinivit recens [12] cum polenta. Sic et infantibus comitiale vitium, aut contractiones [r] sentientibus. Pythagoras quidem negat corripi vitio comitiali in manu habentes: ideoque quamplurimum domi serendum. Parere quoque facilius olfactantes. Et statim a partu dandum potui polenta aspersa. Sosimenes contra omnes duritias ex aceto usus est eo, et contra lassitudines, in oleo decoquens addito nitro. Semine ejus poto, lassitudinis auxilium viatoribus spopondit. Heraclides ad inflationes stomachi semen tribus digitis cum castorei obolis duobus ex mulso dedit. Similiter ad ventris aut intestinorum inflationes. Et orthopnoicis, quod ternis digitis prehenderit [13] seminis, tantundem hyoscyami cum lacte asinino. Multi vomituris acetabula [14] ejus et folia lauri decem trita in aqua, bibenda inter cœnam suadent. Strangulatus vulvæ,[15] [s] si manducetur et linatur calidum, vel si bibatur cum castoreo in aceto [16] et melle, sedat. Vertigines a par-

in *tenesmos*.—10 Vet. Dalec. *inde*.—11 Ita Harduinus et recentt. ex codd. *e vino, radicem ad renes* Gronov. et vulgg. *e vino, radicem et ad renes* Chiffl. qui mox *Dallon*.—12 Ita Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *illinunt vel recens* Gronov. et vulgg. *illevit recens* cod. Dalec.—13 Chiffl. *prenderit*.—14 Vet. Dalec. *acetabulum*.—15 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *Strangulationes vulvæ* Gronov. et al. vett.—16 Cod. Dalec. *castoreo aceto*, omisso *in*.

NOTÆ

liene dispescitur.

[p] *Semen hydropicis*] Potum semen, inquit Diosc. III. 65. hydropicis sitim sedat.

[q] *Evenor radicem*] Ita rursum Mss. omnes: non, ut libri editi, *e vino*.

[r] *Aut contractiones*] Nervorum σπασμοὺς.

[s] *Strangulatus vulvæ*] Ita Mss. non *strangulationes*. Uterina suffocatio, quæ Dioscoridi ὑστερικὴ πνὶξ, Plinio sæpenumero vulvæ conversio, et vulva conversa dicitur: Est uteri ad superna decursus, quo fit ut strangulari et suffocari fœminæ videantur.

tæ cum semine cucumeris et lini pari mensura ternum digitorum, vini albi tribus cyathis discutit. Tlepolemus ad quartanas[t] ternis digitis seminis anesi et fœniculi usus est in aceto et mellis cyatho uno. Lenit articulares morbos, cum amaris nucibus illitum. Sunt qui et aspidum[u] venenis adversari naturam ejus putent. Urinam ciet.[v] Sitim cohibet. Venerem[w] stimulat. Cum vino sudorem leniter præstat. Vestes quoque a tineis defendit. Efficacius[x] semper recens, et quo nigrius. Stomacho tamen inutile est, præterquam inflato.[y]

LXXIV. (XVIII.) Anethum quoque[a] ructus movet, et tormina sedat. Alvum sistit. Epiphoris[b] radices illinuntur ex aqua vel vino. Singultus[c] cohibet semen fervens, olfactum. Sumtum ex aqua, sedat cruditates.[d] Cinis ejus[e] uvam in faucibus levat: oculos[f] et genituram hebetat.

NOTÆ

[t] *Tlepolemus ad quartanas*] Vide Notas et Emend. num. 27.

[u] *Sunt qui et aspidum*] Virulentorum animalium venenis adversari ait Diosc. III. 65.

[v] *Urinam ciet*] Diosc. loc. cit.

[w] *Venerem*] Diosc. loc. cit.

[x] *Efficacius*] Commendat inprimis Diosc. loc. cit. quod recens, quod odore vehementi, quod plenum, ac minime furfurosum.

[y] *Præterquam inflato*] Nam prodest ad inflationes, πρὸς ἐμπνευματώσεις, Diosc. loc. cit. et Plinius ipse supra.

[a] *Anethum quoque*] Nempe, ut anisum, de quo dictum est paulo ante. Plinius Valer. id paulo uberius, IV. 27. de anetho: 'Stomachi querelas,' inquit, 'coctum in aquæ cyathis tribus potum, miro modo relevat: indicio est ructus, per quem intelligere datur aperta omnia, quæ clausa torquebant: digestiones adjuvat: ideo ventrem videtur inhibere.' Diosc. III. 67. Ἀνήθου ξηροῦ τῆς κόμης καὶ τοῦ καρποῦ τὸ ἀφέψημα πινόμενον . . . στρόφους τε καὶ ἐμπνευματώσεις παύει. Aquam anethinam cum melle commendat ad sedanda tormina Marcellus Empir. cap. 27. pag. 176. et cap. 28. pag. 201. Nostris, *Aneth*. Pingitur a Dodonæo, pag. 296.

[b] *Epiphoris*] Plinius Valer. I. 14. 'Ad epiphoras oculorum, et tumores . . . anethi radix ex vino trita illinitur.' Et IV. 27. de anetho: 'Tritæ radices et impositæ fervoribus medentur oculorum.'

[c] *Singultus*] Diosc. III. 67.

[d] *Sedat cruditates*] Plinius Valer. IV. 27. Q. Serenus cap. 19. pag. 137. 'At male digestis si crapula sæviet escis, Aut cubitum pergens succum cape tristis anethi,' &c.

[e] *Cinis ejus*] Plinius Valer. IV. 27. de anetho: 'Cinis ejus suspendit uvam faucibus ingravescentem.' Q. Serenus cap. 16. pag. 135. 'Si vero afflictam languor dejecerit uvam: Tunc horas aliquot pronus recubare memento: Aut illam pulvis tosti relevabit anethi, Aut cinis ex cochlea, vel torrida brassica flammis.'

LXXV. Sacopenium, quod apud nos gignitur, in totum transmarino[1][g] alienatur. Illud enim[h] Hammoniaci lacrymæ simile, sagapenon vocatur. Prodest laterum[i] et pectoris doloribus, convulsis, tussibus vetustis, exscreationibusque,[j] præcordiorum tumoribus.[2] Sanat[k] et vertigines, tremulos, opisthotonicos, lienes, lumbos, perfrictiones.[l] Datur et olfactandum ex aceto in strangulatu vulvæ.[m] Ceteris et potui datur, et cum oleo infricatur. Prodest et contra mala medicamenta.

LXXVI. Papaveris sativi tria diximus[a] genera: et sponte nascentis alia promisimus. E sativis, albi calyx[1][b] ipse teritur, et e vino bibitur somni causa. Semen elephantiasi medetur. E nigro papavere sopor[2] gignitur[c] scapo

CAP. LXXV. 1 Dalec. *Sacopenio, quod, &c. transmarinum.*—2 Vet. Dalec. *excreationibus, præcordiorumque tumoribus.*

CAP. LXXVI. 1 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *Papaveris sativi diximus . . . promisimus. Sed sativi alibi calix* Gronov. et vulgg. *Papaveris sativi ita diximus, &c.* Chiffl. *proxime*, pro *promisimus*, cod. Dalec.—2 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *opium* Vet. Dalec. *opus* alii ap. Dalec. *sapor* Gronov. et vulgg. Mox, *gignitur capite inciso* Dalec.

NOTÆ

[f] *Oculos*] Diosc. totidem verbis, III. 57. Ἀμβλύνει τε τὰς ὄψεις, καὶ γονὴν σβέννυσι συνεχῶς πινόμενον. Leontius in Geopon. XII. 34. pag. 355. Τὸ ἄνηθον ἐσθιόμενον ἀμβλύνει τὴν ὄψιν.

[g] *Transmarino*] Longe discrepat a transmarino.

[h] *Illud enim*] Transmarinum videlicet: de quo Dioscor. III. 95. Σαγαπηνὸν ὀπός ἐστι πόας ναρθηκοειδοῦς, γεννωμένης ἐν Μηδείᾳ. *Sagapenum ferulaceæ herbæ liquor est, quæ quidem in Media nascitur.* Id et frutici et liquori, qui manat ex frutice, nomen esse, Galenus de Fac. Simp. Med. lib. VIII. pag. 226. In officinis Sagapenum, et Serapinum appellatur, quoniam odore pinum refert. Describitur a Charasio, in Pharmac. pag. 298.

[i] *Prodest laterum*] Hæc totidem verbis Diosc. III. 95.

[j] *Exscreationibusque*] Quoniam crassos humores pulmoni molestos expurgat, inquit Diosc. loc. cit.

[k] *Sanat*] Diosc. loc. cit.

[l] *Perfrictiones*] Δίδοται κατεψυγμένοις, inquit Diosc. *Datur perfrigeratis, frigidis*, quorum vel pars aliqua corporis, vel totum pariter perfrigescit.

[m] *Datur et . . . . vulvæ*] Dioscor. loco citato.

[a] *Papaveris . . . tria diximus*] Lib. XIX. cap. 53.

[b] *E sativis, albi calyx*] Hæc pariter Diosc. IV. 65.

[c] *Sopor gignitur*] Ita Mss. omnes, Reg. 1. 2. Colbert. 1. 2. 3. &c. tum hoc loco, tum in hujus libri indice: non *sapor*. Soporem poëtice pro succo soporifero usurpavit, quem opium vocant, ut mox dicetur.

inciso, ut Diagoras suadet, cum turgescit:[d] ut Iollas, cum deflorescit, hora sereni diei,[3] [e] hoc est, cum ros in eo exaruerit. Incidi jubent sub capite et calyce.[4] [f] Nec in alio genere ipsum inciditur caput.

Succus et hic,[5] et herbæ cujuscumque lana excipitur: aut si exiguus est, ungue pollicis, ut lactucis,[6] [g] et postero die magis quod inaruit. Papaveris vero[h] largus[7] densatur, et in pastillos tritus in umbra siccatur, non vi soporifèra modo, verum si copiosior hauriatur, etiam mortifera per somnos:[8] [i] opium vocant.[9] [j] Sic scimus interemtum Postumii Licinii Cæcinæ[10] prætorii viri patrem in Hispania bavili,[11] [k] cum valetudo impatibilis[l] odium vitæ fecis-

—3 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *hora diei sereni* Gronov. et vulgg.—4 Dalec. *aut calyce.*—5 *Succus et hujus* Dalec.—6 Margo edd. Dalec. et Gronov. *aut conchyliæ*, e Diosc.—7 Vet. Dalec. *largior.*—8 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *somnum* Gronov. et vulgg.—9 ' Ita codd. Regg.' *Brotier*. *opion vocant* Gronov. al. vett. Harduin. 1. 2. 3. et recentt.—10 ' Ita Editio princeps. Nec aliter in codd. Regg. 1. 2. *Post. Licinii Cæcinæ.*' Brotier. *Licinii Cecinnæ* edd. vett. et Gronov. *P. Licinii Cecinnæ* Chiffl. *P. Licinii Cæcinæ* Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—11 ' Ita libri omnes scripti et editi. Id nomen exprimere videtur, quod nos dicimus *le Bailli*. Inde forte, ut observat Cl. Harduinus, legendum *bajuli*. Antiquum enim fuit eorum judicum nomen.' *Brotier*. *Hispania Bavili* Gronov. Harduin. et recentt. *Hispa-*

NOTÆ

[d] *Cum turgescit*] Cum germinat, et florere incipit.

[e] *Hora sereni diei*] Vide Notas et Emend. num. 28.

[f] *Sub capite, et calyce*] Diosc. loc. cit. Ὀπίζοντας δὲ δεῖ, μετὰ τὸ τὰς δρόσους ἀνικμασθῆναι, περιγράφειν μαχαιρίῳ τὸν ἀστερίσκον, ὡς μὴ εἰς τὰ ἐντὸς διατρῆσαι· καὶ ἐκ πλαγίων δὲ τῆς κωδίας ἐπ' εὐθείας ἐκτέμνειν ἐξεπιπολῆς, κ. τ. λ. *At opii faciendi ratio hæc est: Cum ros exaruerit, stellulam quæ in summo papaveris capite visitur, cultello ita scarificare oportet, ut ne penitus intro adigatur: et a capitis lateribus per directum summam cutem incidere, et erumpentem lacrymam digito excipere, &c.*

[g] *Ut lactucis*] Perinde, inquit, ut in lactucis fieri mos est, cum ex iis incisis succus lacteus excipitur. Sic Diosc. IV. 65. δακτύλῳ, digito, hunc succum excipi jubet, et in conchulam deinde abstergi. Hunc idem adjicit succo sylvestris lactucæ sæpe adulterari.

[h] *Papaveris vero*] Hæc pariter Diosc. loc. cit.

[i] *Per somnos*] Ita recte Reg. 2. aliique: non, *per somnum*.

[j] *Opium* [*opion*] *vocant*] Ὄπιον, succus lacteus qui papaveris scapo inciso manat. Ὀπὸς *succum lacteum* sonat, qui non sponte, ut lacryma, id est, τὸ δάκρυον, emanat, sed castratione, scarificatione, terebratione, vel alio quovis vulnere effluit.

[k] *In Hispania bavili*] Vel *Bajuli* potius: ut nomen id magistratus fue-

set: item plerosque alios. Qua de causa magna concertatio extitit. Diagoras[m] et Erasistratus in totum damnavere, ut mortiferum, infundi vetantes. Præterea, quoniam visui[12] noceret. Addidit Andreas,[n] ideo non protinus excæcari eo, quoniam adulteraretur Alexandriæ. Sed postea usus ejus non improbatus est medicamento nobili, quod diacodion[o] vocant. Semine quoque[p] ejus trito in pastillos, e lacte utuntur ad somnum:[13] item ad capitis[q] dolores cum rosaceo: cum hoc[r] et aurium dolori instillatur. Podagris[s] illinitur cum lacte mulierum. Sic et foliis ipsis utuntur. Item ad sacros ignes[t] et vulnera ex aceto. Ego tamen[u] damnaverim collyriis addi: multoque magis[v] quas[14] vocant lexipyretos,[w] quasque pepticas et cœliacas. Ni-

nia Bilbili Dalec.—12 *Diagoras, ut scribit Erasistratus, usum ejus in totum damnavit oculorum lippitudini, et aurium vitiis infundi vetans, quoniam visui* margo edd. Dalec. et Gronov. e Diosc.—13 Chiffl. *pastillo electo utuntur ad somnium.*—14 Vet. Dalec. *magis confectionibus quas.*—15 *Nigri semen* margo

NOTÆ

rit, quem nos *Bailli* vocamus. Vide Notas et Emend. num. 29.

[l] *Valetudo impatibilis*] In Mss. omnibus, *impetibilis*, quod idem valet: hoc est, non ferenda, nimia, intoleranda.

[m] *Diagoras*] Ex Diagora quoque, et Erasistrato, opii usum damnat Dioscorides IV. 65. tum in aurium doloribus, tum in lippitudine oculorum: quoniam et visus aciem hebetet, et somnum inducat.

[n] *Addidit Andreas*] Diosc. loc. cit. Ἀνδρέας δέ φησιν, ὅτι εἰ μὴ ἐδολοῦτο, ἐτυφλοῦντο ἂν οἱ ἐγχριόμενοι ὑπ' αὐτοῦ. *Addidit Andreas protinus excæcatum iri, qui illinerentur, nisi adulteraretur.*

[o] *Quod diacodion*] Διὰ κωδειῶν, ut dicetur c. 79.

[p] *Semine quoque*] Diosc. loc. cit.

[q] *Item ad capitis*] Diosc. loc. cit.

[r] *Cum hoc*] Hoc est, cum rosaceo, quod et rosam veteres appellaverunt: ut ceram pro cerato dixerunt Marcellus c. 9. p. 78. 'Virentis papaveris succus cum rosa, vel amygdalino .... infusus dolentibus auribus prodest.' Adhibet Diosc. loc. cit. amygdalinum, myrrham, et crocum.

[s] *Podagris*] Diosc. loc. cit.

[t] *Item ad sacros ignes*] Diosc. loc. cit. Καὶ πρὸς ἐρυσιπέλατα δὲ καὶ τραύματα σὺν ὄξει.

[u] *Ego tamen*] Ita Galenus κατὰ τόπους, III. 1. p. 369. collyria ex apio multis tanto fuisse detrimento ait, ut etiam ἀμβλυωπίαν, et βαρηκοΐαν, *visus hebetudinem*, et *aurium gravitatem* induxerint. Sunt autem collyria, et medicamenta oculorum, et glandulæ quæ ano, et pessi qui vulvæ subduntur, et quæ induntur naribus.

[v] *Multoque magis*] Subintellige, damnaverim addi iis, quas, &c.

[w] *Lexipyretos*] Ληξιπυρέτους. Medicinæ sunt, quæ febres fugant, ἀπὸ τοῦ λήγειν. Marcellus Empir. c. 16. p. 114. 'Prodest et his qui sine horrore cir-

grum tamen[15] cœliacis in vino datur. Sativum omne majus: rotunda ei capita; at sylvestri[x] longa ac pusilla, et ad omnes effectus valentiora.[16] Decoquitur[y] et bibitur contra vigilias: eademque aqua fovent ora.[17] Optimum in siccis, et ubi raro pluat.[18] Cum capita[z] ipsa et folia decoquuntur, succus meconium vocatur, multum opio ignavior. ...

Experimentum opii est primum in odore:[19] sincerum enim perpeti non est:[a] mox in lucernis,[b] ut pura luceat flamma, et ut extinctum[20] demum oleat: quæ in fucato non eveniunt. Accenditur quoque difficilius, et crebro extinguitur. Est sinceri experimentum et in aqua, quoniam in nubila innatat:[21] [c] fictum in pustulas coit. Sed maxime

edd. Dalec. et Gronov. e Diosc.—16 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *Sativum omne magis rotundat capita. At silvestri longum ac pusillum, et ad omnes effectus valentius* Gronov. et vulgg. *rotundat caput* Vet. Dalec. *longa et pusilla, et ad omn. ef. valentiora* Chiffl.—17 Vet. Dalec. *foventur ora.*—18 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. et Bipont. *et ubi raro pluit* edd. vett. et Gronov. *et ubi raro et pluat* Franz.—19 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. et recentt. *primum odore* Gronov. et vulgg. —20 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. et recentt. *flamma, aut extinctum* Gronov. et edd. vett.—21 Ita Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et

NOTÆ

cuitu febrium vexantur: quamobrem lexipyretos hæc compositio dicitur.' Alexander Iatros III. 66. 'Lyxoperita epithimata febrientibus:' lege, *Lexipyreta epithemata.* Interpres eo loci in margine, 'fervores apta lenire' reddit. Πεπτικαὶ sunt quæ abscessuum collectiones maturant, et quæ stomachi concoctionem adjuvant. Κοιλιακαὶ, quæ cœliacis medentur. Succum papaveris nigri, concoctionem eam juvare, et cœliacorum affectibus auxiliari, scribit Diosc. IV. 65.

[x] *At sylvestri*] Diosc. loc. cit.

[y] *Decoquitur*] Diosc. loc. cit.

[z] *Cum capita*] Μηκώνιον, sive μηκώνειον parari, tusis papaverum capitibus, prelo expressis, tritis in mortario, digestisque demum in pastillos, docet Diosc. loc. cit. Sed priusquam torculari exprimantur, decoqui folia et capita juvat.

[a] *Perpeti non est*] Quoniam vel solo odore soporem inducit: ἐν τῇ ὀσμῇ καρωτικὸς, inquit Diosc. loc. cit.

[b] *Mox in lucernis*] Hæc omnia pariter Diosc. loc. cit.

[c] *Quoniam in nubila innatat*] Quoniam in nubium morem sparsum diluitur, et in aqua innatat: adulteratum contra in grumos coit, instar pustularum. Diosc. loc. cit. *Præstantissimus est ... qui facile aqua diluitur ... neque asper, neque grumosus.* Κριτέος δέ ἐστιν ὀπὸς ... εὐχερῶς διειμένος ὕδατι ... οὐ τραχὺς, οὔτε θρομβοειδὴς, κ. τ. λ. Ita porro Mss. omnes. Aliis magis placet, *quoniam in nubecula:* qua forma dictum est ab eodem Plinio XXVIII. 19. de urina: 'Mala, et in qua veluti furfures et nubeculæ apparent.'

mirum, æstivo Sole deprehendi. Sincerum enim sudat, et se diluit, donec succo recenti simile fiat. Mnesides [22] optime servari putat hyoscyami semine adjecto : alii in faba.

LXXVII. (XIX.) Inter sativa et sylvestria medium genus, quoniam in arvis,[d] sed sponte, nasceretur, rhœam vocavimus[e] et erraticum.[1] Quidam id decerptum protinus cum toto calyce mandunt. Alvum exinaniunt[f] capita quinque decocta in vini tribus heminis pota, et somnum faciunt.

LXXVIII. Sylvestrium[g] unum genus, ceratitin vocant, nigrum,[1] cubitali altitudine, radice crassa et corticosa, calyculo inflexo,[h] ut cornicula. Folia minora et tenuiora, quam ceteris sylvestribus. Semen exile,[i] tempestivum est[j] messibus : alvum purgat[k] dimidio acetabulo in mulso. Folia trita[l] cum oleo, argema jumentorum sanant. Ra-

Franz. *quia nebula innatat* edd. vett. et Gronov.—22 *Mnesicles* Gronov.

CAP. LXXVII. 1 Chiffl. *erraticum*.

CAP. LXXVIII. 1 Margo edd. Dalec. et Gronov. *vocant, sive nigrum*, e Theophr.

NOTÆ

[d] *Quoniam in arvis*] Theophr. Hist. IX. 13. *Ἐν ταῖς ἀρούραις, μάλιστα ἐν ταῖς κριθαῖς, maxime inter hordea*, quæ cibaria sunt et sativa : sed ipsum tamen inter illa sponte, non satu, provenit : idcirco medii generis censetur.

[e] *Rhœam vocavimus*] Lib. XIX. 53.

[f] *Alvum exinaniunt*] Paulo aliter Diosc. IV. 64. Ait enim capita papaverum quina vel sena, in vini cyathis tribus decocta, dum ad duos redeant, somnum pota inducere : semen autem acetabuli mensura ex aqua mulsa potum, alvum leniter emollire. Theophr. Hist. IX. 13. hoc tantum, *καθαίρει δὲ κάτω*.

[g] *Sylvestrium*] Hæc totidem verbis Theophr. loc. cit. *Μήκωνες δ' εἰσὶν ἄγριαι πλείους· ἡ μὲν κερατῖτις καλουμένη, ἡ δὲ μέλαινα*, lego *ἡ καὶ μέλαινα*. Papaver, ut remur, corniculatum violaceum est, quod in horto Regio vidimus, quale depictum est a Clusio Hist. Rarior. Plant. v. 6. p. 92. Aliud præterea corniculatum vidimus luteo, aliud phœniceo flore.

[h] *Calyculo inflexo*] Siliqua longa, in corniculi modum inflexa, unde et nomen accepit, inquit Diosc. IV. 66. *Καρπὸν δὲ μακρὸν, καμπύλον ὥσπερ κέρας . . . ὅθεν καὶ ἐπωνόμασται*.

[i] *Semen exile*] Diosc. IV. 66. *Σπέρμα δὲ μικρὸν, μέλαν, κ. τ. λ.*

[j] *Tempestivum est*] Theophr. loc. cit. *Συλλέγεται δὲ περὶ πυροτομίας, per messem legitur*.

[k] *Alvum purgat*] Theophr. *Δύναται δὲ καθαίρειν κοιλίαν*. Diosc. IV. 66. *Τὸ δὲ σπέρμα πλῆθος ὀξυβάφου ποθὲν σὺν μελικράτῳ, κοιλίαν ἐπιεικῶς καθαίρει*.

[l] *Folia trita*] Theophr. et Diosc. locis cit. Hujus verba sunt : *Τὰ δὲ φύλλα καὶ τὰ ἄνθη . . . ἐγχρισθέντα, τὰ ἐπὶ κτηνῶν ἄργεμα καὶ νεφέλια ἀποκαθαίρει*.

dix[m] acetabuli mensura cocta in duobus sextariis ad dimidias, datur ad lumborum vitia et jocineris. Carbunculis[n] medentur ex melle folia. Quidam hoc genus glaucion vocant,[o] alii paralion.[p] Nascitur enim in afflatu maris, aut nitroso loco.[q]

LXXIX. Alterum[a] e sylvestribus genus heraclion vocatur, ab aliis aphron,[1] foliis (si procul intuearis) speciem passerum[b] præbentibus,[2] radice in summa[c] terræ cute, semine spumeo. Ex hoc lina[d] splendorem trahunt æstate.

CAP. LXXIX. 1 Margo edd. Dalec. et Gronov. *aphrodes*, e Diosc.—2 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *repræsentantibus* Vet.

NOTÆ

[m] *Radix*] Diosc. loc. cit.

[n] *Carbunculis*] Diosc. loc. cit. Τὰ δὲ φύλλα .... ἐσχάρας περιῤῥήττει καταπλασθέντα σὺν ἐλαίῳ. Illita ex oleo folia crustas emarginant, crustulas ulcerum erodunt, carbunculos rumpunt.

[o] *Glaucion vocant*] Atque idcirco, ut ait Diosc. loc. cit. glaucion ex eo factitari, (qui succus herbæ est in Syria nascentis, foliis similibus corniculato papaveri, ut idem ait III. 100.) falso existimarunt, decepti quadam foliorum similitudine.

[p] *Alii paralion*] Diosc. loc. cit. Μήκων κερατῖτις, οἱ δὲ παράλιον, οἱ δὲ ἀγρίαν μήκωνα, οἱ δὲ θαλάσσιον, quod nempe in maritimis præsertim sponte nascitur: nunc ubique satum provenit. Galenus de Fac. Simp. Med. lib. VII. p. 208. Καλεῖται δ' ὑπό τινων παραλία μήκων, ἐπειδὰν τὰ πολλὰ πλησίον τῆς θαλάττης φύεται.

[q] *Aut nitroso loco*] Quoniam nitri natura haud multum a sale, marinique afflatus virtute distat. Ita Mss. Theophr. Hist. VI. 13. addit etiam petroso loco provenire: Φύεται δὲ παρὰ τὴν θάλατταν, οὗ ἂν ᾖ πετρώδη χωρία.

[a] *Alterum*] Theophrasto, loc. cit. Μήκων Ἡράκλεια. Diosc. IV. 67. Μήκων ἀφρώδης, ὑπὸ δέ τινων Ἡράκλεια κληθεῖσα, κ. τ. λ. *Papaver spumeum: ab aliquibus Heracleum vocatum, &c.* Nisi Latino ritu ac sono Græca sæpius pronuntiaret Plinius, rectius sane *aphrodes*, ut XXVII. 93. quam *aphron* diceret. Spumeum porro appellatum est a colore: nam spumam candore refert, inquit Galenus, loc. cit. Peplos est, sive esula rotunda, picta a Joan. Bauhino, tom. III. p. 669. et a Dodonæo, p. 371. Visa a nobis in horto Regio. Nostris vulgo dicitur *Réveil matin des vignes.* Sic etiam Ruellius, p. 654. et Dalec. lib. XVI. p. 1658.

[b] *Speciem passerum*] Sicuti στρούθιον, hoc est, herba lanaria, sive radicula, de qua XIX. 18. cui id nomen quoque inditum a similitudine aliqua cum ea ave. Vide Notas et Emend. num. 30.

[c] *Radice in summa*] Theophr. Hist. IX. 13. Ῥίζαν δὲ λευκὴν ἐπιπόλαιον. Diosc. IV. 67. Ῥίζαν δὲ λεπτὴν ἐπιπλέον, lege ex Theophr. ἐπιπόλαιον. Sic ipse Diosc. IV. 66. radicem papaveris corniculati tradidit ἐξ ἐπιπολῆς φυομένην, per summa cespitum nasci.

[d] *Ex hoc lina*] Supra XIX. 4. 'Est

Tunditur in pila[e] comitialibus[f] morbis, acetabuli mensura in vino albo: vomitionem enim[3] facit. Medicamento, quod diacodion[g] et arteriace[h] vocatur, utilissimum. Fit autem hujus papaveris aut cujuscumque sylvestris[i] capitibus CXX.[j] in aquæ cœlestis sextariis tribus biduo maceratis, in eademque discoctis: deinde saccatis,[4 k] iterumque cum melle decoctis ad dimidias partes vapore tenui. Addidere postea drachmas senas[l] croci, hypocisthidis, thuris, acaciæ, et passi Cretici sextarium. Hæc ostentatione: simplex quidem et antiqua illa salubritas papavere et melle constat.

LXXX. Tertium genus[m] est tithymalon,[1] mecona vocant, alii paralion,[2] folio lini,[n] albo, capite magnitudinis fabæ.[o]

Dalec. *præsentantibus* Gronov. et al. vett.—3 Vet. Dalec. *vomitionem autem;* Chiffl. *vomitionem enim*, quod receperunt Harduin. et recentt. *vomitiones enim* edd. vett. et Gronov.—4 'Vet. *decoctis: deinde siccatis.* Legitur et *siccato* in Chiffl. et mox, *decocto ad dimidias.*' Dalec.

CAP. LXXX. 1 Dalec. *tithymalos.*—2 Chiffl. *arthallion.* Mox, pro *lini*, quod habent edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. e Diosc. *lævi* legitur ap. Gronov. et vulgg.

NOTÆ

et inter papavera genus quoddam, quo candorem lintea præcipuum trahunt.'

[e] *Tunditur in pila*] Hoc est, in mortario, ut alibi monuimus.

[f] *Comitialibus*] Acetabuli mensura, inquit Dioscor. loc. cit. in aqua mulsa sumtum, vomitione purgat: privatimque hujuscemodi purgatio comitialibus prodest. Theophr. hoc tantum: Καθαίρει ἄνω ταύτης ἡ ῥίζα. Χρῶνται δέ τινες πρὸς τοὺς ἐπιλήπτους ἐν μελικράτῳ, ex mulso.

[g] *Diacodion*] Διὰ κωδειῶν, hoc est, ex capitibus papaveris: est enim κώδεια papaveris caput. Compositionis hujus concinnandæ modos multiplices vide apud Galenum κατὰ τόπους, cap. 2. p. 535.

[h] *Arteriace*] Est arteriace, omne medicamentum ad arteriæ asperæ vitia faciens, ut auctor est Aëtius Serm. VIII. c. 51. p. 38.

[i] *Aut cujuscumque sylvestris*] Vide Notas et Emend. num. 31.

[j] *Capitibus CXX.*] Sequitur fere in arteriace paranda Heræ medici placitum apud Galenum loc. cit.

[k] *Deinde saccatis*] Id est, colatis. Sic Heras Medicus apud Galen. loc. cit. p. 536. Καὶ διηθήσας, κ. τ. λ.

[l] *Drachmas senas*] Non singulorum, sed omnium simul generum. Sic Heras, Damocrates, Soranus, apud Galen. loc. cit.

[m] *Tertium genus*] De quo Diosc. IV. 165. Ὁ δὲ παράλιος τιθύμαλος, ὃν ἔνιοι τιθυμαλίδα ἢ μήκωνα ἐκάλεσαν. Vidimus hoc genus in horto Regio, quale a Dodonæo pingitur, p. 366. Dicetur de eo rursum, XXVI. 41. In Indice quoque Reg. 1. &c. paralium vocatur.

[n] *Folio lini*] Vide Notas et Emend. num. 32.

Colligitur[p] uva florente. Siccatur in umbra. Semen potum[q] purgat alvum, dimidio acetabulo in mulso. Cujuscumque autem papaveris caput viride, vel siccum, illitum epiphoras oculorum lenit. Opium ex vino meraculo si protinus detur, scorpionum ictibus resistit. Aliqui hoc tantum nigro tribuunt, si capita ejus vel folia terantur.

LXXXI. (XX.) Est et porcilaca,[1] quam peplin[r] vocant, non[2] multum sativa[s] efficacior: cujus memorabiles usus traduntur. Sagittarum venena, et serpentium hæmorrhoidum, et presterum[t] restingui:[3] pro cibo sumta, et plagis imposita, extrahi. Item hyoscyami, pota e passo expresso succo. Cum ipsa non est, semen ejus simili effectu prodest. Resistit et aquarum vitiis,[u] capitis dolori,[a] ulceribusque in vino tusa et imposita. Reliqua ulcera commanducata cum melle sanat. Sic et infantium cerebro imponi-

CAP. LXXXI. 1 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *portulaca* Gronov. et al. vett.—2 Vox *non* deest in Vet. Dalec.—3 Vet. Dalec. *restringi*.—4 Ita edd.

NOTÆ

[o] *Magnitudinis fabæ*] Capite, inquit Diosc. loc. cit. in cacumine orbiculato, in quo semen ervi simile continetur: *κεφαλὴν δὲ ἐπ' ἄκρου περιφερῆ, ἐν ᾗ ὁ καρπὸς ὡς ὄροβος.* Est autem faba, quemadmodum ervum, plane rotunda, ut diximus XVIII. 30.

[p] *Colligitur*] Theophr. Hist. IX. 12.

[q] *Semen potum*] Diosc. loc. cit. *πλῆθος ἡμίσους ὀξυβάφου ποτιζόμενα.*

[r] *Est et porcilaca, quam peplin*] Ita Mss. omnes, tum hoc loco, tum in Indice hujus libri. Editi, *Est et portulaca, quam peplion.* Hippocrates tamen peplion vocat, inquit Oribasius lib. XII. p. 211.

[s] *Non multum sativa*] Quod sane mirum: quoniam in reliquis fere herbarum generibus, vis efficacior sylvestribus est. Sativa certe, sive hortensis, ac domestica, quæ *ἀνδράχνη* Dioscoridis est, II. 150. at diximus XIII. 40. vulgatissima est, *le Pourpier*, *le Pourpier doré*. Sylvestris angustifolia, visa a nobis in horto Regio, a Dodonæo pingitur, p. 650. De ea Diosc. in Nothis: *'Ανδράχνη ἀγρία .... οἱ δὲ τηλέφιον, 'Ρωμαῖοι πορτουλάκαμ, κ. τ. λ.*

[t] *Et presterum*] Ad hæmorrhoi, dipsadisque morsus, portulacam pariter commendat Diosc. in Theriacis c. 30. Est autem prester serpentis genus haud absimile, de quo Lucan. l. IX. p. 722. 'Oraque distendens avidus spumantia Prester.'

[u] *Et aquarum vitiis*] Prohibet ne aquæ potæ noceant.

[a] *Capitis dolori*] Impositam cum polenta capitis dolori Diosc. mederi dixit, II. 150. *Καταπλασσομένη μετὰ ἀλφίτων κεφαλῆς ἀλγήμασι καὶ ὀφθαλμῶν φλεγμοναῖς, καὶ ταῖς ἄλλαις, καὶ στομάχου πυρώσεσι, κ. τ. λ.*

tur, umbilicoque prociduo. In epiphoris vero omnium, fronte[4] temporibusque cum polenta. Sed ipsis oculis, e lacte et melle. Eadem, si procidant[b] oculi, foliis[5] tritis cum corticibus fabæ. Pustulis cum polenta et sale et aceto. Ulcera oris tumoremque gingivarum[c] commanducata cruda sedat: item dentium dolores.[d] Tonsillarum ulcera, succus decoctæ. Quidam adjecere paulum myrrhæ. Nam et mobiles[6] dentes stabilit commanducata. Cruditates sedat, vocemque firmat, et sitim arcet.[e] Cervicis dolores, cum galla, et lini semine, et melle,[7] pari mensura sedat. Mammarum vitia, cum melle, aut Cimolia[8] creta. Salutaris est suspiriosis, semine cum melle hausto. Stomachum[f] in acetariis[9] sumta corroborat. Ardentibus[g] febribus imponitur cum polenta. Et alias[h] manducata refrigerat etiam

vett. Gronov. et Harduin. 1. *fronti* Dalec. Harduin. 2. 3. et recentt.—5 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *si procident, prodest, foliis* Gronov. et al. vett.—6 *Nam mobiles* Chiffl. Mox, in eodem: *manducata. Cruda.*—7 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. Hæ voces, *et melle*, desunt in Gronov. et vulgg.—8 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *et Cimolia* Gronov. et al. vett.—9 *Stomachum acetariis*, omissa præpositione,

NOTÆ

[b] *Si procidant*] Subintellige, *tunc imponitur*, ex antecedentibus. Oculorum procidentia, morbus est uveæ tunicæ prociduæ, ab erosione aut ruptura corneæ. Celsus VI. 6. 'Nonnunquam,' inquit, 'ingens inflammatio erumpit tanto impetu, ut oculos sua sede propellat: *πρόπτωσιν* id, quoniam oculi procidant, Græci appellant.' Scribonius Largus Compos. 27. 'Vastus tumor, quem quia a loco interdum videtur propellere oculum, *πρόπτωσιν* vocant.'

[c] *Gingivarum*] Quin 'si ex gingivis sanguis exit,' inquit Celsus IV. 4. 'portulacam manducasse satis est.'

[d] *Dentium dolores*] Stuporem, inquit Diosc. loc. cit. *αἱμωδίαν*, et Galenus de Fac. Simp. Med. VI. 43. pag. 156. post Arist. Problem. I. 38. p. 683. Marcellus Empir. c. 12. p. 94. 'Portulaca assidue commanducata, stridorem dentium tollit.'

[e] *Et sitim arcet*] Auctor Geopon. XII. 42. Τὸ δὲ *φύλλον αὐτῆς ὑποτιθέμενον τῇ γλώττῃ ἀδιψοτέρους ποιεῖ. Folium ejus linguæ subditum, sitim arcet.*

[f] *Stomachum*] Marcellus c. 20. p. 141. 'Portulaca,' inquit, 'coquitur diligentissime: et coctum bene edetur ex aceto ab eo qui stomachum dolebit, vel vitiosum habebit: cito proderit.'

[g] *Ardentibus*] In febribus etiam potu prodesse scribit Diosc. loc. cit. Impositam ventri et hypochondriis, æstuantes juvare plurimum in febribus hecticis, Galenus de Fac. Simp. Med. lib. VI. p. 156.

[h] *Et alias*] Sic etiam Diosc. II. 150.

intestina. Vomitiones sistit. Dysenteriæ et vomicis [i] estur ex aceto, vel bibitur cum cumino. Tenesmis autem cocta, et comitialibus cibo vel potu prodest. Purgationibus [j] mulierum, acetabuli mensura in sapa. Podagris calidis, cum sale illita, et sacro igni. Succus ejus potus renes juvat, ac vesicas. Ventris animalia [k] pellit. Ad vulnerum dolores ex oleo cum polenta imponitur. Nervorum duritias emollit. Metrodorus, qui Ἐπιτομὴν τῶν ῥιζοτομουμένων scripsit, purgationibus a partu dandam censuit. Venerem inhibet, Venerisque somnia. Prætorii viri [l] pater est, Hispaniæ princeps, quem scio propter impatibiles [10] uvæ morbos, radicem ejus filo suspensam e collo gerere, præterquam in balineis: ita [11] liberatum incommodo omni. Quin etiam inveni apud auctores, caput illitum ea distillationem anno toto non sentire. Oculos tamen hebetare putatur.

LXXXII. Coriandrum [m] inter sylvestria non invenitur. Præcipuum tamen esse constat Ægyptium. Valet contra serpentium genus unum, quod amphisbænas vocant, potum impositumque. Sanat et alia vulnera. Epinyctidas, [n] pustulas tritum. Sic et omnes [o] tumores collectionesque cum

Chiffl.—10 Margo edd. Dalec. et Gronov. *impetibiles*.—11 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *et ita* Gronov. et vulgg.

NOTÆ

[i] *Dysenteriæ et vomicis*] Hoc est, cruentis exscreationibus: πρὸς αἱματὸς τε πτύσιν, καὶ δυσεντερίας. Dioscor. II. 150. Celsus IV. 15. inter dysenteriæ remedia, affert et illud: 'Portulacam vel coctam, vel ex dura muria edisse.'

[j] *Purgationibus*] Profluvio mulierum sistendo, commendat Galenus, loc. cit.

[k] *Ventris animalia*] Diosc. loc. cit. Ἕλμινθας στρογγύλας, *teretes lumbricos*.

[l] *Prætorii viri*] Licinii Cæcinæ, de quo superius c. 76.

[m] *Coriandrum*] Non est, inquit, sylvestris coriandri forma dispar a sativo, nec sunt vires diversæ. Alias enim et sponte sua provenit in pratis, campestribusque locis. Et Nicander in Theriac. p. 63. adversus serpentes et scorpiones, laudat inprimis καρπὸν ὀρεγενέος κορίοιο, montani coriandri semen. Nicandri Schol. sativum a sylvestri quibusdam notis secernit: sed nemine ipsi, quod quidem sciam, suffragante. Nostris æque, ac Latinis, *Coriandre*. Pingitur a Dodonæo, p. 300.

[n] *Epinyctidas*] Diosc. III. 71. sanari has ait, coriandro, cum melle et uva passa, imposito.

[o] *Sic et omnes*] Plinius Valer. iis-

melle, aut uva passa. Panos[p] vero ex aceto tritum. Seminis grana[q] tria in tertianis devorari jubent aliqui ante accessionem: vel plura illini fronti. Sunt qui et ante[r] Solis ortum cervicalibus subjici efficaciter putent. Vis magna[s] ad refrigerandos ardores viridi. Ulcera quoque,[t] quæ serpunt, sanat cum melle vel uva passa: item testes,[u] ambusta, carbunculos, aures: cum lacte mulieris[v] epiphoras oculorum: ventris[w] et intestinorum fluxiones semen ex aqua potum. Bibitur et in choleris cum ruta. Pellit animalia[x] interaneorum, cum mali Punici succo et oleo semen potum. Xenocrates[y] tradit rem miram, si vera[1] est: menstrua contineri uno die, si unum granum biberint fœminæ: biduo, si duo: et totidem diebus quot grana sumserint. Marcus Varro, coriandro subtrito cum aceto, carnem incorruptam æstate servari putat.

LXXXIII. Atriplex[a] et sylvestre et sativum est. Py-

Cap. LXXXII. 1 Ita codd. Harduini, Dalec. et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *rem, si vera* Gronov. et vulgg.

NOTÆ

dem verbis, IV. 4. et de testium privatim tumoribus, Theod. Priscianus I. 24.

p *Panos*] Diosc. loc. cit. panos ait et strumas discutere cum faba fresa, *μετὰ ἐρεγμοῦ*.

q *Seminis grana*] Plinius Valer. loc. cit.

r *Sunt qui et ante*] Plinius Valer. loc. cit.

s *Vis magna*] Diosc. III. 71. *Δύναμιν ἔχει ψυκτικήν*.

t *Ulcera quoque*] Plinius Valer. loc. cit. ad verbum. Addit hoc loco Dalecampius ex Dioscoride, etiam ignes sacros coriandro sanari, cum pane aut polenta. At eo nomine reprehendi Dioscoridem a Galeno de Fac. Simp. Med. lib. VII. p. 174. bonus Medicus nescivit. Id igitur a Plinio caute prætermissum.

u *Item testes*] Plinius Valer. loco citato.

v *Cum lacte mulieris*] Plinius Valer. loc. cit. et I. 14. 'Coriandrum viride tritum, et mixtum lacte mulieris, super tumorem oculorum inunges: et statim sanat.' Habet eadem Marcellus Empir. c. 8. p. 56.

w *Ventris*] Plinius Valer. ad verbum, IV. 4.

x *Pellit animalia*] Lumbricos videlicet. Ita Dioscor. III. 71. et Plinius Valer. loc. cit. Apuleius c. 102. tit. 1. infundi clysteribus jubet.

y *Xenocrates*] Hæc Plinius Valer. iisdem verbis, loc. cit.

a *Atriplex*] Dioscoridi II. 145. *Ἀτράφαξις, οἱ δὲ χρυσολάχανον.* Cælius Aurel. Chron. V. 11. 'Atriplex, quam Græci *ἀνδράφαξιν vocant*.' Genera sedecim diversa in horto Regio observata a nobis. Sativam Galli vocant *Arroche*, et *Bonne-Dame*. Iconem sa-

thagoras,[1] tanquam faceret hydropicos, morbosque regios, et pallorem, concoqueretur[2] difficillime: ac ne in hortis quidem juxta id nasci quicquam, nisi languidum, culpavit.[3] Addidere Dionysius et Diocles, plurimos gigni ex eo morbos. Nec nisi mutata sæpe[4] aqua coquendum: stomacho contrarium esse, lentigines et papulas gignere. Miror, quare difficulter in Italia id nasci tradiderit Solon Smyrnæus. Hippocrates[b] vulvarum vitiis id infundit cum beta. Lycus Neapolitanus contra cantharidas bibendum dedit. Panos, furunculos[c] incipientes, duritias omnes, vel cocto vel crudo utiliter illini putavit. Item ignem[d] sacrum, cum melle, aceto nitroque:[5] similiter podagras. Ungues scabros[e] detrahere dicitur sine ulcere. Sunt qui et morbo[f] regio dent semen ejus cum melle,[6] arterias et tonsillas nitro addito perfricent, alvum moveant, cocto vel per se,[7]

CAP. LXXXIII. 1 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *Atriplex et sylvestre est, accusatum a Pythagora* Gronov. et al. vett. *et sativum accusatum a Pythagora* codd. Dalec. et Chiffl.—2 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *coqueretur* Gronov. et al. vett.—3 Vet. Dalec. *putavit.*—4 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2 3. Miller. Bipont. et Franz. *sæpius* edd. vett. et Gronov.—5 'Man. *acetoque nigro.* Chiffl. *aceto nigro.*' Dalec.—6 Margo edd. Dalec. et Gronov. *cum mulsa,* e Diosc.—7 Vet. Dalec. *cocto per se.*—8 Ita

NOTÆ

tivæ apud Lobelium videsis in Observ. p. 127. Sylvestrium, apud Matthiolum, p. 460. 461. et 462.

[b] *Hippocrates*] De morbis mul. lib. II. tex. 57. p. 588. *Μητρέων ὀδύνης ἔγχυτον· ἢν ὀδύνη μοῦνον ᾖ σπερχνὴ καὶ βίαιος, ἀχλὺς ἐν τῇσι μήτρησιν ἔνι, καὶ οὐκ ἔξεισι τὸ πνεῦμα, ἀλλ' αὐτόθι μένει· κακόν. Δεῖ οὖν οὕτως θεραπεύειν· Ἀνδραφάξιος ἀγρίης καρπὸν, καὶ τεῦτλα τρίψας ὁμοῦ λεῖα, χλιήνας τε ἔγχεον ἐς τὰς μήτρας. Ad dolorem uterorum medicamentum quod infundi debet. Si dolor solum fuerit vehemens ac violentus, caligo in uteris inest, nec flatus exitum habet, sed manet ibi. Malum. Oportet igitur sic curare: Atriplicis sylvestris semen, et betas, simul trita ac tepefacta, in uteros infundito.* Hæc vulvarum vitia, quam falso Dalecampius, et Medicus tamen, inflammationem uteri interpretatus sit, ex ipso fonte liquet, unde hausit Plinius.—'Ex Hippocrate liquet, cui similia Plinius refert.' *Ed. sec.*

[c] *Panos, furunculos*] Hæc deinceps verbis iisdem Plinius Valer. IV. 7. Galenus quoque de Fac. Simp. Med. lib. VI. p. 161.

[d] *Item ignem*] Plinius Valer. loc. cit. de atriplice: 'Ignes sacros sedat: podagræ fervorem cum nitro et aceto, cum melle restinguit.'

[e] *Ungues scabros*] Plinius Valer. loco cit.

[f] *Sunt qui et morbo*] Ut Dioscor. II. 145. Galenus loco mox citato, et Plinius Valer. IV. 7.

vel cum malva aut lenticula, concitantes vomitiones. Sylvestri capillos tingunnt, et ad supra scripta utuntur.[8]

LXXXIV. (XXI.) E contrario in magnis laudibus malva est utraque,[g] et sativa et sylvestris. Duo genera earum[h] amplitudine folii discernuntur. Majorem[i] Græci malopen[1] vocant in sativis. Alteram[j] ab emolliendo[k] ventre[2] dictam putant malachen. E sylvestribus,[3] cui grande folium et radices albæ,[l] althæa vocatur,[m] ab excellentia[n] effectus: a quibusdam plistolocia.[4][o] Omne solum, in quo se-

---

codd. Harduini, Dalec. et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *dicta utuntur* Gronov. et vulgg.

CAP. LXXXIV. 1 Margo edd. Dalec. et Gronov. *molochen*, ex Athen. *lopen* Chiffl.—2 Chiffl. *ventrem.*—3 *Et sylvestribus* in quibusdam vett.—4 Chiffl.

NOTÆ

[g] *Malva est utraque*] Sativa, quæ et hortensis appellatur, flore simplici, in Eystetensi horto: eadem malva major unicaulis, apud Matthiolum, p. 457. Præter istos etiam et a Dodonæo pingitur, p. 641. priore loco: a colore florum roseo nostris dicitur, *Rose d'Outremer, ou de Tremier*. Vidimus in horto Regio. Sylvestris commune retinuit nomen, *Mauve*. Pumila, proceriorque pingitur a Dodonæo, p. 642.

[h] *Duo genera earum*] Duo sativæ genera, totidem sylvestris.

[i] *Majorem*] Quæ malva hortensis, multiplici flore, apud Dodon. p. 641. Malva major Matthioli, p. 456.

[j] *Alteram*] E sativis scilicet: quæ malva hortensis prior Dodonæi, pag. 641.

[k] *Ab emolliendo*] Μαλάχην Græci dixere, ἀπὸ τοῦ μαλάσσειν, a (ventre) *molliendo*. Unde Martial. III. 89. 'Utere lactucis, et mollibus utere malvis, Nam faciem durum, Phœbe, cacantis habes.' Forte dictum in Vespasianum, qui erat vultu veluti nitentis, inquit Suetonius in ejus vita c. 20. Schola Salernitana: 'Dixerunt malvam veteres, quod molliat alvum,' &c.

[l] *Et radices albæ*] Intus albæ, ῥίζαν λευκὴν ἔνδοθεν, inquit Diosc. III. 163. Sed dum is folia althææ attribuit, quæ sint ut cyclamino rotunda, φύλλα περιφερῆ ὥσπερ κυκλάμινος, et ceteris adversatur, nec visam a se althæam prodit.

[m] *Althæa vocatur*] Diosc. loc. cit. 'Αλθαία, ἔνιοι δὲ ἰβίσκον καλοῦσι, μαλάχης ἐστὶν ἀγρίας εἶδος . . . 'Ωνόμασται δὲ ἀλθαία, διὰ τὸ πολυαλθὲς, καὶ πολύχρηστον αὐτῆς. Apuleius c. 38. 'Græcis appellatur althæa: alii althæan rhizan, alii elæomolochen, alii molochen agriam . . . Itali Ibiscum vocant.' Ibiscus Dodonæi est, pag. 644. Nostris, *Guimauve*. Capitulare de Villis cap. 70. 'Bismalvas, hoc est, alteas.'

[n] *Ab excellentia*] Διὰ τὸ πολυαλθὲς, ut ait Diosc. a verbo ἀλθαίνω, sive ἀλθέω, *medeor, curo, sano*.

[o] *Plistolocia* [*plistolycia*] Πλειστολυκία, forte quod instar Lycii medicamenta præbeat plurimi effectus. Alii πλειστολοχία malunt: quo nomine et altera nominatur herba, XXV. 54. In Reg. 1. 2. Colb. 2. Chiffl. *plitolicia*. In

rantur, pinguius faciunt. Huic contra[p] omnes aculeatos ictus efficax vis,[5] præcipue scorpionum, vesparum, similiumque, et muris aranei. Quin et trita[q] cum oleo qualibet earum[r] peruncti ante, vel habentes eas non feriuntur. Folium impositum scorpionibus torporem affert. Valent et contra[s] venena.[6] Aculeos omnes extrahunt illitæ crudæ cum nitro:[7] potæ vero[t] decoctæ cum radice sua, leporis marini venena restinguunt:[8] et, ut quidam dicunt,[u] si vomatur.

De eisdem mira et alia traduntur. Sed maxime, si quotidie quis succi ex qualibet earum sorbeat cyathum dimidium, omnibus morbis cariturum. Ulcera manantia[v] in capite sanant in urina putrefactæ, lichenas et ulcera oris cum melle. Radix decocta,[w] furfures capitis et dentium

plitolicia; Gronov. et al. ante Harduin. *aristalthæa*. Ille, *plistolycia*.—5 Ita codd. Harduini, Chiffl. et Vet. Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *efficacior vis* Gronov. et al. vett.—6 'Corrupte codd. *contra phystim*; alii, *psitim, venena*. Merito opinatur eruditus Harduinus emendandum, *contra psimmithii venena*. Malvam enim decoctam cum radicibus valere contra epotum psimmithium ψιμμυθίου δὲ ποθέντος, testatur Diosc. II. 163.' *Brotier*. *contra presterum venena* cod. Dalec. *contra phystim venena* Chiffl.—7 Codd. Dalec. et Vet. ejusdem, *cum anetho*; Chiffl. *cum anitro*.—8 Ita codd. Harduini et Vet. Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. Edd. vero vett. et Gronov. *venena restringunt*; codd. Dalec. *venenum restringunt*; Chiffl. *cum radice succo, lep.*

NOTÆ

Indice, *plistolocia*. Interpolatores *aristalthæa* hic scripsere, nempe ex Diosc.

[p] *Huic contra*] Hæc Diosc. totidem verbis loc. cit. Theod. Priscianus I. 22. de apum percussibus, vel scorpionum, &c.

[q] *Quin et trita*] Habet hoc a Nicandro in Theriac. p. 7. Descripsit ab eodem etiam Dioscor. II. 144.

[r] *Qualibet earum*] Nempe sylvestrium.

[s] *Valent et contra*] Vide Notas et Emend. num. 33.

[t] *Potæ vero*] Plinius Valer. III. 54. Avicenna tomo II. lib. IV. pag. 201. semen althææ laudat, contra venenum leporis marini. Alibi juvare ait et malvæ cauliculos, et althææ folia recens elixata. Caules cum radice, Diosc. Εὐπορ. II. 156. p. 123.

[u] *Et, ut quidam dicunt*] Hos secutus Aëtius Serm. XIII. c. 53. p. 263. de iis qui leporis marini venena sentiunt: 'His,' inquit, 'lac asininum recens mulctum cum passo assidue præbeatur: aut si hoc non adsit, bubulum, aut malvæ decoctum: indeque confestim vomant,' &c. Diosc. quoque II. 144.

[v] *Ulcera manantia*] Diosc. II. 144. Et Marcellus Empiricus c. 4. p. 40. 'Malva erratica cum urina humana, id est, puerili, trita et imposita, val-

mobilitates. Ejus, quæ unum[x] caulem habet, radice circa dentem qui doleat pungunt,[9] donec desinat dolor. Eadem strumas et parotidas panosque, addita hominis saliva, purgat[10] citra vulnus. Semen in vino nigro potum a pituita et nauseis liberat. Radix mammarum[y] vitiis occurrit, adalligata in lana nigra. Tussim[z] in lacte cocta, et sorbitionis modo sumta, quinis diebus emendat. Stomacho inutiles[11] Sextius Niger[a] dicit. Olympias Thebana, abortivas esse cum adipe anseris: aliqui purgari fœminas, foliis earum manus plenæ mensura in oleo et vino sumtis. Utique constat parturientes foliis substratis celerius solvi: protinus a partu revocandum,[12] [b] ne vulva sequatur. Dant et succum bibendum parturientibus jejunis, in vino decoctæ[13] hemina. Quin et semen adalligant[14] brachio, genitale[c] non continentium. Adeoque eæ Veneri nascuntur, ut semen unicaulis[d] aspersum genitali, fœminarum avidi-

mar. venenum restinguitur.—9 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *qui doleat punge* Gronov. et al. vett. *qui dolet punge* cod. Dalec. *qui doleat perunge* Vet. Dalec. *qui doleat pungit* Chiffl. Dalecampius conj. *qui doleat pungito.*—10 Chiffl. *pungunt.*—11 Cod. Dalec. *utiles.*—12 Vet. Dalec. *solvi, sed protinus a partu revocanda;* al. ap. eundem, *solvi: sed id protinus, &c.*—13 Gronov. *decocta.*—14 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *semen tritum adalligant* edd. vett. et Gronov.—

NOTÆ

de siccat capitis humores.' De capitis ulceribus ibi sermo.

[w] *Radix decocta*] Diosc. loc. cit. Q. Serenus c. 4. p. 127. 'Porrigini depellendæ:' 'Est insensibilis morbus, sed noxia forma Cum caput immensa pexum porrigine ningit, Copia farris uti frendentibus edita saxis: Hanc poterit malvæ radix decocta levare.'

[x] *Ejus, quæ unum*] Plinius Valer. IV. 5. 'Radix unius caulis,' inquit, 'admota denti, pellit dolorem.' Hæc malva major unicaulis Matthioli, de qua superius dictum est.

[y] *Radix mammarum*] Plinius Valer. IV. 5.

[z] *Tussim*] Malvam in cibo commendat pariter ad tussim Celsus IV. 4.

[a] *Sextius Niger*] Et qui Sextium transcribit, etsi eundem in præfatione vituperat, Dioscorides II. 144. Κακοστόμαχος δὲ καὶ εὐκοίλιος, κ. τ. λ. Plinius Valer. IV. 5. 'Olympias Thebana abortivas putat esse malvas cum adipe anseris genitali parti subjectas. Sextius Niger et Dioscorides stomacho inutiles arbitrantur.'

[b] *Protinus a partu revocandum*] Removendum statim a partu medicamentum.

[c] *Genitale*] Seminis profluvio laborantium. Genitale pro semine accipi monuimus, c. 58.

[d] *Semen unicaulis*] Malvæ majoris

tates augere ad infinitum Xenocrates tradat: itemque tres[15] radices juxta adalligatas: tenesmo et dysentericis utilissime infundi: item sedis[e] vitiis, vel si foveantur. Melancholicis quoque succus datur cyathis ternis tepidus: et insanientibus, quaternis.[16] Decoctæ comitialibus heminæ succi. His[17] et calculosis, et inflatione, et torminibus, aut opisthotonico laborantibus, tepidus illinitur. Et sacris ignibus,[f] et ambustis,[g] decocta in oleum[18] folia imponuntur: et ad vulnerum impetus cruda cum pane. Succus decoctæ[h] nervis prodest, et vesicæ, et intestinorum rosionibus. Vulvas et cibo et infusione[19][i] emollit in oleo: succus decoctæ permeatus[20][j] suaves facit.

Althææ[k] in omnibus supra dictis efficacior radix: præcipue convulsis ruptisque. Cocta in aqua alvum sistit. Ex vi-

15 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *item tres* Gronov. et vulgg.—16 Vox *quaternis* deest in cod. Dalec.—17 *Is* Vet. Dalec. Mox, *aut opisthotono* in eodem Vet.—18 Vet. Dalec. *in oleo.*—19 Vet. Dalec. *et insessione.*—20 ' Ita codd. Reg. 1. Colb. 2. et Editio princeps. In Colb. 1. et recentioribus edd. *pori meatus.*' Brotier. *permeatus* etiam Chiffl. *pori meatus* Gronov. et al. vett. *urinæ meatus* Vet. Dalec. *decoctæ potus halitus suaves* alii

NOTÆ

unicaulis, de qua dictum est superius. Plinius Valer. IV. 5. de radice malvæ unius caulis: 'Eadem femori alligata stimulat Venerem.'

[e] *Item sedis*] Dioscor. II. 144.

[f] *Et sacris ignibus*] Althææ hanc vim Dioscorides attribuit, III. 163. quam et ad hæc morborum genera efficaciorem esse reliquis, Plinius ipse mox tradit. Erysipelatis sanandis malvam idem commendat, II. 144.

[g] *Et ambustis*] Plinius Valer. III. 26. 'Ambustis sanandis:' 'Malvæ folia ex aqua decoquuntur, et ex ea aqua foventur combusta.' Diosc. item, II. 144. Theodorus Priscianus I. 17. 'De ustione calidæ, vel ignis ... Malvarum folia elixa, et cum oleo superintrita impones.'

[h] *Succus decoctæ*] Dioscor. II. 144. Apuleius c. 40. tit. 1. Ad vesicæ dolorem. Et tit. 2. Ad nervorum dolorem.

[i] *Et infusione*] Clysteribus. Alii *insessione* legunt, invitis Mss. Diosc. loc. cit. Τὸ δὲ ἀφέψημα αὐτῆς μαλακτικὸν ἐγκάθισμα ὑστέρας· εἴς τε ἐνέματα πρὸς δηγμοὺς ἐντέρων καὶ μήτρας καὶ δακτυλίου ἁρμόδιον. *Ejus decoctum insessione vulvas emollit: quin et ad intestinorum, vulvæ, sedisque rosiones, commode infunditur.*

[j] *Permeatus* [*pori meatus*] Ita libri editi, cum Colb. 1. At Reg. 1. et Colb. 2. cum Chiffl. *Permeatus.* Urinæ credo meatum intelligit: nam vesicæ utiles malvæ caules esse prodidit Diosc. loc. cit. οἱ καυλοὶ κύστει ὠφέλιμοι.

[k] *Althææ*] Plinius Valer. IV. 5.

no albo[1] strumas, et parotidas, et mammarum inflammationes,[21 m] et panos in vino[n] folia decocta et illita tollunt. Eadem arida in lacte decocta, quamlibet perniciosæ tussi citissime medentur. Hippocrates vulneratis, sitientibusque[22] defectu sanguinis, radicis decoctæ succum bibendum dedit: et ipsam vulneribus cum melle et resina: item contusis,[23] luxatis, tumentibus, et musculis, nervis, articulis[o] imposuit: et asthmaticis[p] ac dysentericis[24] in vino bibendum dedit. Mirum, aquam[q] radice ea addita[25] addensari sub dio,[26 r] atque lactescere. Efficacior autem, quo recentior.

LXXXV. Nec lapathum[a] dissimiles effectus habet. Est autem et sylvestre,[1 b] quod alii oxalidem appellant, sapore

ap. Dalec. *orisque meatus suaves* alii ibid.—21 Chiffl. *inflationes*; al. ap. Dalec. *inflammationes tollit.* Mox, Vet. Dalec. *panos in vi. fol. dec. et illita. Eadem.*—22 Vet. Dalec. *siccescentibusque.*—23 Cod. Dalec. *convulsis.* Mox, *tumentibus musculis* Vet. Dalec.—24 Chiffl. *ut s. spasticis dysentericis.*—25 Vox *addita* deest in cod. Dalec.—26 Chiffl. *sub divo.* Mox, *atque lentescere* Vet. Dalec. Quidam ap. Dalec. *latescere*, id est, in laticem verti.

CAP. LXXXV. 1 *Est autem sylvestre*, omissa conjunctione, cod. Dalec.—

NOTÆ

[l] *Ex vino albo*] Diosc. III. 163. Ἑψηθεῖσα γὰρ ἐν μελικράτῳ ἢ οἴνῳ ... ποιεῖ πρὸς τραύματα, παρωτίδας, χοιράδας, ἀποστήματα, μαστοὺς φλεγμαίνοντας, κ. τ. λ.

[m] *Mammarum inflam.*] Mss. *inflationes*, quod fere perinde est: cum ex inflatione inflammatio fere consequi soleat. Theod. Priscianus in Gynæciis, sive III. 1. 'Mamillas cum tensione tumentes vel dolentes, quod post partum quam maxime mulieribus evenire consuevit, quas ex eo etiam gravis dolor inquietat,' &c. Et mox: 'Si indignatio illa his minime potuerit prohiberi, et lactis aggregatio maximum fervorem locis incusserit,' &c.

[n] *Et panos in vino*] Ita Galenus de Fac. Simp. Med. lib. VI. p. 170. Πεπτικὴ φυμάτων δυσπέπτων, *panos difficiles concoquit*, sive discutit.

[o] *Nervis, articulis*] Ad nervos articulosque vulneratos althææ radicem Galenus commendat, κατὰ γένη, III. 7. p. 729.

[p] *Et asthmaticis*] Mss. Reg. et Colb. *Imposuit, ut supra: spasticis, dysentericis, &c.* De dysentericis, subscribunt Diosc. III. 163. et Galenus de Fac. Simp. Med. VI. 5. p. 170.

[q] *Mirum, aquam*] Dioscor. III. 163. Πήγνυσι δὲ ἡ ῥίζα καὶ ὕδωρ, μιγεῖσα λεία, καὶ συνεξαιθριασθεῖσα. Accepit a Theophrasto Plinius, Histor. IX. 19.

[r] *Sub dio*] Mss. omnes, *sub divo.*

[a] *Nec lapathum*] Hortense videlicet, Dodonæi Lapathum sativum, p. 637. Gallis, *la Patience.*

[b] *Est autem et sylvestre*] Id esse

proximum,[2] foliis acutis, colore betæ candidæ, radice minima: nostri vero rumicem,[c] alii lapathum cantherinum,[d] ad strumas[e] cum axungia efficacissimum. Est et alterum genus fere,[f] oxylapathon[g] vocant, sativo idem similius, et acutiora[3] habet folia ac rubriora, non nisi in palustribus nascens. Sunt qui hydrolapathon[h] tradunt in aqua natum. Est et aliud hippolapathon[i] majus sativo, candidiusque, ac spissius. Sylvestria scorpionum[j] ictibus medentur, et ferire[4] prohibent habentes. Radix aceto de-

2 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *sativo proximum* Gronov. et al. vett. Mox, Vet. Dalec. *Est alterum genus feri.* —3 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *sativo id est, &c.* Vet. Dalec. *sativo id quidem similius, sed acutiora* alii vett. ap. Dalec. *sativo item, &c.* Gronov. et vulgg.—4 Vet. Dalec. *et feriri.*—

NOTÆ

quod Gallicum vulgus oxalim adhuc imitatione Græca nuncupat, aliqui *ozellam, l'Ozeille:* alii *vinetam:* e recentioribus herbariis plerique asseverant: quibus ut assentiar, vehementer laboro: cum absit ab ozellæ foliis color betæ candidæ: sunt enim e nigro viridia. De hoc genere Diosc. II. 140. Ἔστι δὲ καὶ τέταρτον εἶδος, ὃ ἔνιοι ὀξαλίδα, ἢ ἀναξυρίδα, ἢ λάπαθον καλοῦσι.

c *Nostri vero rumicem*] Cum in hortis seritur. Sed et alii rumicem sylvestre lapathum appellarunt: ut Plinius Valer. I. 38.

d *Lapathum cantherinum*] Forte quod cantheriis, hoc est, jumentis, pabulo datur. Sic hordeum cantherinum vocat Columella II. 9. p. 55. 'quod et alia animalia quæ ruri sunt melius quam triticum, et hominem salubrius quam malum triticum pascit.'

e *Ad strumas*] Vide Notas et Emend. num. 34.

f *Est et alterum genus fere*] Ita libri omnes: nequicquam *feri*, hoc est, sylvestris, reponere tentante Pintiano. Fere hoc genus alterum recte a Plinio dicitur, quod sit nempe sativo, etiam quam illud quod est proxime antea memoratum, similius affiniusque: vix ut diversi generis esse putes.

g *Oxylapathon*] Id ei nomen ob acutiora folia datum: ob id officinæ nostrates 'Lapathum acutum' nominant. 'Grandem oxillam' officinæ dicunt: vulgus Parellam, *Pareille.* Lapathum sylvestre seu Oxylapathum Dodonæi est, p. 637.

h *Sunt qui hydrolapathon*] Hanc hippolapatho congenerem herbam esse nemo diffitebitur, cum aquarum vernacula et ea sit, ambæque paludibus exsiliant: sed oleribus repudiatur. Galenus de Fac. Simp. Medic. lib. VII. pag. 201. Ἱππολάπαθον, ἐν ἕλεσι γεννᾶται.

i *Est et aliud hippolapathon*] A folii amplitudine id nomen sortitur: Ἵππος enim in compositione amplitudinem supra modum designat. Hoc genus plerique Rhabarbarum Monachorum nominant, quod ejus radice rhabarbari loco nonnulli utuntur. Sic Anguillara par. 7. p. 110. Pingitur a Dodonæo, p. 637.

j *Sylvestria scorpionum*] Seu semen, seu radix decocta bibatur, Diosc. II. 140.

cocta, si colluatur[5] [k] succus, dentibus auxiliatur: si vero bibatur, morbo regio.[l] Semen stomachi[m] inextricabilia vitia sanat. Hippolapathi[n] radices privatim ungues scabros detrahunt. Dysentericos[o] semen duabus drachmis in vino potum[6] liberat. Oxylapathi semen lotum in aqua cœlesti, sanguinem rejicientibus adjecta acacia lentis magnitudine prodest. Præstantissimos pastillos[p] faciunt ex foliis et radice, addito nitro et thure exiguo.[7] In usu aceto diluunt.

LXXXVI. Sed sativum in epiphoris oculorum illinunt frontibus.[1] Radice lichenas[q] et lepras[2] curant. In vino vero[r] decocta, strumas, et parotidas, et calculos: pota

5 'In Ms. Reg. 2. *coluatur*. Male recentiores editiones, *coletur*. Emendandum fuit, *colluatur*. Sic enim Marcellus Empir. cap. 12. 'Lapathi radix in aceto acerrimo coquitur, atque eo aceto dentes colluuntur, vel foventur.' Plinius Valer. I. 38. 'Agrestis lapathi, quod alii rumicem dicunt, radix ... cum aceti cyathis quinque cocta, in ore aceto tento, dolorem dentium tollit.'' *Brotier*. *colluatur* etiam Vet. Dalec.—6 Chiffl. *optimum*.—7 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. ita quoque Cornarius. *et jure exiguo* Gronov. et al. vett.

CAP. LXXXVI. 1 Vet. Dalec. *fronti et temporibus*.—2 *Radice meliceridas et*

NOTÆ

[k] *Radix ... si colluatur* [*coletur*] Si per vas aliquod aut linteolum panxillatim stillatimque exprimatur. Vide Notas et Emend. num. 35.

[l] *Morbo regio*] Plinius Valer. II. 59. et Dioscor. loc. cit. Item Africanus in Geopon. XII. 38. p. 357.

[m] *Semen stomachi*] Stomachi tantum fastidia, ἄσην στομάχου, semine poto depelli Diosc. prodidit, loc. cit.

[n] *Hippolapathi*] Plinius Valer. IV. 8, 'de lapatho:' 'Scabros ungues sine injuria detrahit.' Theod. Priscianus I. 30. 'Scabiosos, veluti elephantiosos, si quis forte ungues habuerit, ... lapathi agrestis radix in aceto cocta et contrita curat.' Et Diosc. II. 140. λειχῆνας, ὄνυχας λεπρούς.

[o] *Dysentericos*] Plinius Valer. loc. cit. et Diosc. Πίνεται ὠφελίμως μεθ' ὕδατος ἢ οἴνου πρὸς δυσεντερίας. Galenus quoque de Fac. Simp. Medic. lib. VII. p. 201.

[p] *Pastillos*] Τροχίσκους Græci vocant ab orbiculari forma. Pastilli medicis arida sunt medicamenta, contrita humore non pingui, aut vino vel aceto incocta, quæ a coctione rursus inaruerunt: quæ, cum utendum est, subinde ejusdem generis humore diluuntur, deinde vulneribus illinuntur: non autem imponuntur, ut emplastra. Ita Budæus.

[q] *Radice lichenas*] In Mss. Reg. 1. 2. &c. *licherias* male. Sed unde *lichenas* erui sincerius a nobis intelligas, quam ab Hermolao, ceterisque qui sunt deinde subsecuti, *meliceridas*. Impetigines sive lichenas radice lapathi cum aceto decocta ad tertias, sanari ait Marcellus Empir. cap. 19. p. 129.

[r] *In vino vero*] Plinius Valer. IV. 8. et Diosc. II. 140.

vino[a] et lienes illita, cœliacos[3] æque, et dysentericos, et tenesmos. Ad eademque[t] omnia efficacius jus lapathi: et ructus[4] facit, et urinam ciet, et caliginem oculorum discutit: item pruritum[u] corporis, in solia balinearum additum, aut prius ipsum illitum sine oleo. Firmat[v] et commanducata radix dentes. Eadem decocta cum vino, sistit alvum: folia solvunt.[w] Adjecit Solon (ne quid omittamus)[5] bulapathon,[x] radicis tantum altitudine differens, et erga dysentericos effectu,[6] potæ ex vino.

LXXXVII. (XXII.) Sinapi, cujus in sativis tria genera diximus,[a] Pythagoras principatum habere ex his, quorum sublime[1] vis feratur, judicavit, quoniam non aliud magis in nares et cerebrum penetret. Ad serpentium[b] ictus et scorpionum tritum cum aceto illinitur. Fungorum[c] venena

lepras Gronov. et al. ante Harduin.—3 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *semine poto e vino, &c.* Cornar. *poto vino et lienes, cœliacos* Gronov. et al. vett. *lienes inlita cœliacos* Chiffl.—4 Vet. Dalec. *quod ructus.*—5 Cod. Dalec. *solvunt adjecto sale. Neque hic omittemus.* Chiffl. *Solo* pro *Solon.*—6 Cod. Dalec. *efficacius.* Mox, pro *potæ,* quod servant codd. Harduini, cum edd. Harduin. et recentt. *potum* legitur in edd. vett. et Gronov.

CAP. LXXXVII. 1 Vet. Dalec. *in sublime.*—2 ' Ita bene Editio princeps.

NOTÆ

[a] *Pota vino*] Ita Colb. 1. recte: non *poto.* Marcellus Empir. c. 27. p. 194. ' Herba oxylapathos cum semine suo arida, contrita et ex vino arido pota, magnum incontinentiæ ventris præstat remedium.' Plinius Valer. loc. cit. ' Radices ex aceto coctæ et positæ, duritiem lienis confringunt.' Idcirco scilicet et potari Plinius et illini voluit.

[t] *Ad eademque*] Plinius Valer. ad verbum, IV. 8.

[u] *Item pruritum*] Ita Diosc. loc. cit. *Πραΰνει δὲ καὶ κνησμοὺς τῶν ἀφέψημα αὐτῶν ἐκαντλούμενον, ἢ λούτρῳ μιγνύμενον. Radicum decoctum pruritus corporis sedat, vice fotus affusum, aut in solia blia balinearum additum.*

[v] *Firmat*] Ita fere Marcellus Empir. c. 12. p. 92.

[w] *Folia solvunt*] Lapathi folia pariter alvum solvere, semen vero sistere, scribit Galenus, lib. de theriaca ad Pison. c. 4. p. 935.

[x] *Bulapathon*] Quod idem cum hippolapatho videtur, aut affine certe: nam βοῦς et ἵππος apud Græcos in compositione solam magnitudinem indicant: non similitudinem ullam cum bove, nisi ea forte utraque compositæ vocis parte designetur: ut in βούγλωσσον, et βουκέρως, *linguæ cornuque bubuli* notatur effigies.

[a] *Sinapi . . . tria genera diximus*] Lib. XIX. 54.

[b] *Ad serpentium*] Hæc Plinius Valer. ad verbum, IV. 28.

[c] *Fungorum*] Plinius Valer. loc. cit. et Diosc. Εὐπορ. II. 160. p. 124. et in Alexiph. c. 28.

discutit. Contra pituitam[d] tenetur in ore, donec liquescat, aut gargarizatur cum aqua mulsa. Ad dentium dolorem manditur: ad uvam[e] gargarizatur cum aceto et melle. Stomacho[f] utilissimum contra omnia vitia, pulmonibusque. Exscreationes faciles facit in cibosum tum: datur et suspiriosis. Item comitialibus[g] tædiis[2] cum succo cucumerum. Sensus, atque[h] sternutamentis caput purgat, alvum mollit, menstrua et urinam ciet. Hydropicis[i] imponitur, cum fico et cumino[3] tusum ternis partibus. Comitiali morbo, et vulvarum[4] [j] conversione suffocatos[5] excitat odore, aceto mixto: item lethargicos.[k] Adjicitur tordylion.[l] Est autem id semen ex seseli. Et si vehementior[m] somnus lethargi-

In Mss. Reg. 1. et 2. *comitialibus tædis.* Male emendatum in recentioribus editionibus, *comitialibus tepidum.*' Brotier. *comitialibus tepidum* Gronov. Harduin. 1. 2. 3. et recentt.—3 Margo edd. Dalec. et Gronov. *imponitur cum fico. cum cumino.*—4 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *ternis partibus commitiali*

NOTÆ

[d] *Contra pituitam*] Marcellus Empir. c. 5. p. 45. 'Mellis et sinapis triti æqualiter mixtæ partes tepefiunt: et humor multus e capite post longam gargarizationem deducitur.' Sic Diosc. II. 184. 'Ἀποφλεγματίζει διαμασσηθὲν, *commanducatum ad pituitam capitis eliciendam valet.*

[e] *Ad uvam*] Plinius Valer. I. 43.

[f] *Stomacho*] Marcellus Empir. cap. 20. p. 150.

[g] *Item comitialibus*] Diosc. II. 184. In Mss. non *tepidum*, sed *comitialibus tedis* legitur: unde *tædiis* forsan legendum, ut Pelicerius in Notis Mss. monet.

[h] *Sensus, atque*] Plinius Valer. IV. 28.

[i] *Hydropicis*] Celsus quoque III. 21. et ad hydropises crebrius imponi ventri sinapi jubet, donec cutem erodat. Vide Notas et Emend. num. 36.

[j] *Comitiali morbo, et vulvarum*] Diosc. II. 184. 'Ἐπιληπτικοῖς τε βοηθεῖ, καὶ ὑστερικῶς πνιγομένας διεγείρει.

[k] *Item lethargicos*] Celsus III. 20. 'Præcipueque proficit, et ad excitandum hominem, naribus admotum, et ad morbum ipsum depellendum, capiti frontive impositum sinapi.' Quin et in sopore qui ex vulvæ conversione oritur, sinapi jubet idem, IV. 20. 'super imum ventrem tertio quoque aut quarto die imponi, donec corpus rubeat.'

[l] *Adjicitur tordylion*] Diosc. III. 63. Τορδύλιον, ἔνιοι δὲ σέσελι Κρητικὸν καλοῦσι. Ejusdem nominis fuerit cum ipsa herba semen id quod ex ea prodit. De Cretico seseli sive tordylio, dictum est superius c. 18. Ὄρδυλον a Nicandro dicitur in Theriac. p. 60. Additum a Diosc. articulum, ut Τόρδυλον diceret, a Nicandro neglectum, ait Anguillara par. 5. pag. 91.

[m] *Et si vehementior*] Diosc. II. 184. Καὶ ἐπὶ ληθαργικῶν καταπλάττεται ξυρηθείσης τῆς κεφαλῆς. *Quin et lethargicorum capiti deraso illinitur.* Plinius Valer. IV. 28. 'Aiunt et lethargos excitari, si pedes eorum simul tritis sinapi et ficu arida perfricentur.'

cos premat, cruribus aut etiam capiti illinitur cum fico ex aceto. Veteres dolores[n] thoracis, lumborum, coxendicum, humerorum, et in quacumque parte corporis[6] ex alto vitia[o] extrahenda sunt, illitum caustica vi emendat, pustulas faciendo. At in magna duritia[7] sine fico impositum: vel si vehementior ustio[8] timeatur, per duplices[p] pannos. Utuntur ad[q] alopecias cum rubrica, psoras, lepras, phthiriases,[r] litanicos,[9] [s] opisthotonicos. Inungunt quoque[t] scabras genas, aut caligantes oculos cum melle. Succusque tribus modis[u] exprimitur in fictili, calescitque in eo Sole modice. Exit et e cauliculo[v] succus lacteus, qui

morbo. Et vulvarum Gronov. et al. vett. *Ex vulvarum* Vet. Dalec.—5 'Ita bene Mss. Reg. 1. et 2. Comitialis morbus maxime ad homines pertinet, vulvarum conversio ad fœminas. Recte ergo dictum, *suffocatos*. Nec fuit emendandum, *suffocatas*.' Brotier. *suffocatas* Gronov. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—6 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *in quacumque corporis* Gronov. et al. vett.—7 *Ad magnam duritiem* cod. Dalec.—8 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *urigo* edd. vett. et Gronov.—9 'Ita quidem codd. Regg. et Editio princeps. In recentioribus, *lithanicos*. Quid sint litanici incompertum. Videtur emendandum esse, ut multis placet, *tetanicos*. Tetanum, *le spasme des muscles*, sæpe memorat Plinius, ut et *tetanicos*.' Brotier. *tetanicos*

NOTÆ

[n] *Veteres dolores*] Et hic quoque ficos admisceri vult Dioscor. loc. cit. Μιγὲν δὲ σύκοις, καὶ ἐπιτεθὲν ἄχρι φοινίξεως, ἁρμόζει ἰσχιάδας, σπλῆνας, καὶ καθόλου εἰς πᾶν χρόνιον ἄλγημα. Plinius quoque tacite ficum subintelligit hic adhibendam: cum proxime sequatur, 'At in magna duritia sine fico.' Mss. omnes paulo post *ustio*, non, ut editi, *urigo*, exhibent.

[o] *Ex alto vitia*] Cum ex alto in summam cutem evocare humores animus est, translato scilicet in extimam partem morbo interius latente: ὅπου μετάγειν τι ἐκ τοῦ βάθους εἰς τὴν ἐπιφάνειαν βουλόμεθα, τῷ τῆς ἑτεροπαθείας λόγῳ. Diosc. II. 184. Hanc curationem Medici sinapismum vocant: cujus vis hujusmodi est, ut, quemadmodum Cælius Aurel. loquitur, II. 1. 'corpus valeat papulare lacessendo,' hoc est, pusulas facere.

[p] *Per duplices*] Supra, 'vel per duplicatum pannum.'

[q] *Utuntur ad*] Diosc. loc. cit.

[r] *Phthiriases*] Q. Serenus c. 6. de phthiriasi arcenda, p. 128. 'Sæpius ergo decet mordax haurire sinapi.'

[s] *Litanicos* [*lithanicos*] Ita libri omnes. Alii *tetanicos*: ego *lichenas* malim.

[t] *Inungunt quoque*] Dioscorides II. 184.

[u] *Succusque tribus modis*] E semine, radice, cauliculo. De succo eo, qui debet in fictili a Sole calescere, Diosc. loc. cit.

[v] *Exit et e cauliculo*] Plinius Valer. ad verbum, IV. 28. 'Est et alius succus qui caule colligitur: hic cum expressus fuerit, lacteam facit guttam, utilem dentibus, si in dolore illiniatur.'

ita [10] cum induruit, dentium dolori medetur. Semen ac radix [w] cum immaduere musto, conteruntur, manusque plenæ mensura sorbentur ad firmandas [11] fauces, stomachum, oculos, caput, sensusque omnes: mulierum etiam lassitudines, saluberrimæ [12] [x] genere medicinæ. Calculos quoque discutit potum in aceto.[13] Illinitur et livoribus [y] sugillatisque cum melle et adipe anserino, aut cera Cypria. Fit et oleum [z] ex eo semine [14] madefacto in oleo expressoque, quo utuntur ad nervorum rigores, lumborumque et coxendicum perfrictiones.

LXXXVIII. Sinapis naturam effectusque eosdem habere traditur adarca, inter sylvas tacta,[a] in cortice calamorum sub ipsa coma nascens.

LXXXIX. Marrubium [b] plerique inter primas herbas commendavere, quod Græci prasion vocant, alii linostrophon, nonnulli philopæda, aut philochares, notius quam ut indicandum sit. Hujus folia semenque contrita prosunt contra serpentes,[c] pectorum et lateris dolores, tussim [d] ve-

etiam margo edd. Dalec.—10 '*Caligentes ocu. succo cum melle, qui tribus modiis* (sub. 'seminis') *exprimitur, et in fictili deinde Sole modice crassescit. Exit et e caul. suc. lactescens, qui ita* partim ex Manusc. partim e conjectura. Manusc. habent, *oculos melle, succoque tribus modiis, &c.* deinde, *succus latens ei ne cui ita,' &c.* Dalec. *calescitque eo in Sole* Gronov. et al. vett.—11 Chiffl. *ad confirmandas.*—12 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *saluberrimo* Gronov. et vulgg.—13 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *ex aceto* Gronov. et al. vett. —14 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *ex semine* Gronov. et al. vett.

NOTÆ

[w] *Semen ac radix*] Plinius Valer. loc. cit. totidem verbis.

[x] *Saluberrimæ*] Sic Mss. omnes.

[y] *Illinitur et livoribus*] Iisdem verbis Plinius Valer. III. 47.

[z] *Fit et oleum*] Plinius Valer. ad verbum, IV. 28.

[a] *Adarca, inter sylvas tacta*] Hoc est, lib. XVI. quo sylvestrium arborum naturæ pertractantur, obiter indicata ibi, c. 66. in arundinum tractatione, circa quas adarca nascitur.

[b] *Marrubium*] Diosc. in Nothis, p. 457. *Πράσιον οἱ δὲ εὐπατόριον, οἱ δὲ φιλοχαρὲς . . . Ῥωμαῖοι μαῤῥοββιουμ.* Nostris, *du Marrube.*

[c] *Contra serpentes*] Et sane in theriacæ compositionem asciscitur marrubium virens, ab Andromacho apud Galen. de theriaca ad Pison. I. 7. pag. 939.

[d] *Lateris dolores, tussim*] Sic Diosc. III. 119. Apuleius cap. 45. tit. 1. 'ad tussim gravem:' 'Herbam marru-

terem. Et iis qui sanguinem[e] rejecerint,[1] eximie utile, scopis ejus[f] cum panico aqua decoctis, ut asperitas succi mitigetur. Imponitur strumis[g] cum adipe. Sunt qui viridis semen quantum duobus digitis capiant, cum farris pugillo decoctum, addito exiguo olei et salis, sorberi jejunis[2] ad tussim jubeant. Alii nihil comparant[h] in eadem causa marrubii et fœniculi succis ad sextarios ternos expressis, decoctisque ad sextarios duos, tum addito[3] mellis sextario, rursus decocto[4] ad sextarios duos, si cochleari mensura in die sorbeatur in aquæ cyatho. Et virilium vitiis[i] tusum cum melle mire prodest. Lichenas purgat ex aceto. Ruptis, convulsis, spasticis nervis[j] salutare. Potum alvum solvit cum sale et aceto. Item menstrua[k] et secundas mulierum. Arida farina[l] cum melle ad tussim siccam efficacissima est. Item ad gangrænas, et pterygia.[m] Suc-

CAP. LXXXIX. 1 Cod. Dalec. *rejiciunt*.—2 'Ita codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier*. Ita quoque codd. Dalec. et Chiffl. *sorbere jejunos* Gronov. et al. vett. item Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—3 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *cum addito* Gronov. et vulgg.—4 'Ita codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier*. *rursus decocta* Gro-

NOTÆ

bium decoques ex aqua, et dabis bibere eis qui graviter tussiunt: mire sanat.' Et Q. Serenus c. 35. p. 148. Præivit omnibus Celsus IV. 4. qui ad tussim veterem jubet 'porri vel marrubii succum assumi.'

[e] *Et iis qui sanguinem*] Plinius Valer. I. 64. 'Ad exscreationem cruentam ... Marrubii quoque scopæ cum pane (ex Plinio nostro scribe, *cum panico*) decoquuntur: æque ex aqua bibuntur.' Marcellus Empir. c. 16. p. 119. 'Marrubii viridis fasciculum, et ambrosiæ fasciculum ... postea decoque ad crassitudinem mellis: ex eo uteris jejunus ... ad sanguinis rejectionem sedandam et stomachum confirmandum.'

[f] *Scopis ejus*] Manualibus fasciculis.

[g] *Imponitur strumis*] Marcellus Empir. c. 15. p. 109. Apuleius c. 45. tit. 8. 'Ad omnem duritiam:' 'Herba marrubium tusa cum axungia, et imposita, mire sanat.'

[h] *Alii nihil comparant*] Ita fere Marcellus Empir. c. 16. p. 116. et 117.

[i] *Et virilium vitiis*] Ulceribus sordidis genitalium. Diosc. III. 119.

[j] *Spasticis nervis*] Contractis ac rigentibus. Apuleius c. 45. tit. 9. 'Si quis ab opere lassus inciderit in languorem, et nervorum habuerit dolorem et spasmum:' 'Herbæ marrubii succo cum oleo rosaceo permixto perunges eum: sine mora sanabitur.'

[k] *Item menstrua*] Diosc. loc. cit. et Q. Serenus cap. 35. pag. 148. ex edit. Pithœi.

[l] *Arida farina*] Diosc. loc. cit.

[m] *Et pterygia*] Celsus VI. 19. 'In digitis recedere ab ungue caruncula

cus vero [n] auriculis, et naribus, et morbo regio, minuendæque bili cum melle prodest. Item contra venena [o] inter pauca potens. Ipsa herba [p] stomachum et exscreationes pectoris purgat, cum iride et melle. Urinam [5] ciet: cavenda tamen [q] exulceratæ vesicæ, et renum vitiis. Dicitur succus [r] et claritatem [6] oculorum adjuvare. Castor marrubii duo genera [s] tradit: nigrum, et, quod magis probat, candidum. In ovum inane [t] succum addit is, ipsumque

nov. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—5 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *et excreationes pectoris purgat. Cum iride et melle urinam* Gronov. et al. vett.—6 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et re-

NOTÆ

cum magno dolore consuevit: *πτερύγιον* Græci appellant.' Sunt ab his diversa *πτερύγια τὰ ἐν ὀφθαλμοῖς, ungues in oculis orientes:* de quibus idem Celsus VII. 7. '*Unguis* vero, quod *πτερύγιον* Græci vocant, est membranula nervosa, oriens ab angulo, quæ nonnunquam ad pupillam quoque pervenit, eique officit. Sæpius a narium, interdum etiam a temporum parte nascitur,' &c. De priore *πτερυγίου* genere, *τοῦ ἐν δακτύλοις*, hic locus accipiendus est. Concinit Plinio Diosc. III. 119.

[n] *Succus vero*] Diosc. loc. cit. Galenus quoque, de Fac. Simp. Med. lib. VIII. pag. 221.

[o] *Item contra venena*] Contra aconita, Nicander in Alexiph. p. 130. Diosc. Εὐπορ. II. 137. p. 120. Apuleius cap. 45. tit. 'Contra venenum, si quis sumsit:' 'Herbæ marrubii succum dabis ex vino vetere,' &c.

[p] *Ipsa herba*] Vide Notas et Emend. num. 37. Et Apuleium adi, cap. 45. tit. 2. 'Ad stomachi dolorem:' 'Herbæ marrubii succus potus,' &c.

[q] *Cavenda tamen*] Dioscor. III. 119. Κύστει μέντοι καὶ νεφροῖς ἀθετεῖ.

[r] *Dicitur succus*] Cum vino scilicet ac melle inunctus. Diosc. loc. cit. et Galenus de Fac. Simp. Med. lib. VIII. pag. 221. Oleo quoque in quo marrubii folia maduerint, Theod. Priscianus I. 10. 'de oculorum causis.'

[s] *Castor marrubii duo genera*] Hoc etiam Diosc. l. c. hoc et ante Dioscoridem Theophr. Hist. VI. 2. hoc alii faciunt. Πράσιον candicans a Diosc. describitur III. 119. *Μέλαν πράσιον*, quod *nigrum* est Castoris *marrubium*, *βαλλώτη* etiam Græce dicebatur: de qua Diosc. idem, lib. cit. cap. 117. *Βαλλώτη, οἱ δὲ μέλαν πράσιον καλοῦσι.* Nigri marrubii formam ac vires persequitur uberius paulo Plinius XXVII. 30. Hujus iconem Dodonæus exhibet, pag. 90. Candidi, Matthiolus in lib. III. Diosc. pag. 828. Utrumque in horto Regio vidimus.

[t] *In ovum inane*] Marcellus Empir. hoc medicamentum ita digerit, cap. 17. pag. 125. 'Ovum incoctum in calicem defunditur, et testa ejus succo marrubii impletur, et in ipsum calicem defunditur, et mellis optimi despumati tantundem: omnia hæc in se permiscentur, ac tepefacta hauriuntur: miro modo vomicas rumpunt, et ad sanitatem laborantem stomachum perducunt.'

ovum infundit melle æquis portionibus, tepefactum: vomicas rumpere, purgare, persanare promittens: illitis etiam[u] vulneribus a cane factis tuso[7] cum axungia veteri.

XC. Serpyllum a serpendo[a] putant dictum. Quod in sylvestri[b] evenit, in petris maxime. Sativum non serpit,[c] sed ad palmæ[1] [d] altitudinem increscit. Pinguius voluntarium,[e] et candidioribus foliis ramisque, adversus serpentes[f] efficax, maxime cenchrin,[g] et scolopendras terrestres ac marinas, et scorpiones, decoctis ex vino[2] ramis foliisque. Fugat et odore[h] omnes, si uratur.[3] Et contra marinorum[i] venena præcipue valet. Capitis doloribus[j] decoctum in

centt. *succus claritatem* Gronov. et vulgg.—7 Vet. Dalec. *ipsumque infuso melle, &c. persanare promittit: illinit etiam vulnera a cane facta tuso.* Chiffl. *tusum cum ax. vetere.*

Cap. XC. 1 Ita Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *palmi* Gronov. et al. vett.—2 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et re-

NOTÆ

[u] *Illitis etiam*] Ad verbum hæc Plinius Valer. III. 51.

[a] *Serpyllum a serpendo*] Et Græce ἕρπυλλος ἀπὸ τοῦ ἕρπειν, inquit Diosc. III. 46. quoniam radicatur, quacumque sui parte terram attingit.

[b] *Quod in sylvestri*] Est illud serpyllum vulgare repens, quod Clusio pingitur, Hist. Rarior. Plant. lib. III. pag. 359. visum a nobis in horto Regio.

[c] *Sativum non serpit*] Ut Theophrasti Hist. VI. 7. sic etiam Plinii sativum serpyllum, sive hortense, non aliud est quam sylvestre Dioscoridis in hortis satum, uti ante nos Matthiolus, etsi paulo obscurius, animadvertit, in lib. III. Diosc. p. 725. Ut intelligas temere Dalecampium Censoriam animadversionem hoc loco in Plinium distrinxisse, perinde ac si sativi sylvestrisque serpylli formam imprudenter miscuerit.

[d] *Sed ad palmæ*] Ita recte Colb. 2. non *palmi*, ut editi: vel *palmum*, ut alii Mss.

[e] *Pinguius voluntarium*] Illud ipsum, quod in hortis seritur, cum sponte provenit: quamobrem sylvestre, ut diximus, a Diosc. appellatur.

[f] *Adversus serpentes*] Diosc. III. 46. Καὶ πρὸς ἑρπετὰ πινόμενός τε καὶ καταπλασσόμενος.

[g] *Maxime cenchrin*] Genus id serpentis est, quod et κεγχρίδιον Diosc. in Theriac. nominat, cap. 32. Pluribus hunc maculis variatam tingere alvum Lucanus docet, IX. 713. quæ quoniam *milii* seminibus similes sunt, quam frugem Græci κέγχρον vocant, nomen hoc serpenti fecerunt.

[h] *Fugat et odore*] Plinius Valer. IV. 38.

[i] *Et contra marinorum*] Leporis marini, draconis, pastinacæ.

[j] *Capitis doloribus*] Diosc. III. 46. Plinius Valer. loc. cit. et Apuleius cap. 99. tit. 1. ambo iisdem verbis. Scribonius Largus Compos. Medic. cap. 1. Ad capitis dolorem.

aceto illinitur temporibus ac fronti cum rosaceo. Item phreneticis,[k] lethargicis: contra tormina,[l] et urinæ difficultates,[4] anginas, vomitiones, drachmis quatuor datur. Ex aqua bibitur et ad jocinerum desideria.[5] [m] Folia obolis[n] quatuor dantur ad lienem ex aceto. Ad cruentas[o] exscreationes teritur in cyathis duobus aceti et mellis.

XCI. Sisymbrium[p] sylvestre a quibusdam thymbræum[1] appellatum, pedali non amplius altitudine. Quod in riguis[q] nascitur, simile nasturtio[r] est. Utrumque efficax[s] adversus aculeata animalia, ut crabrones et similia. Quod in sicco[t] ortum, odoratum est, et inseritur coronis, angustiore

centt. *decoctis vino* Gronov. et al. vett.—3 Chiffl. *uretur*.—4 Ita Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *difficultatem* Gronov. et vulgg.—5 Chiffl. *desiderium;* Vet. Dalec. *dolores;* margo edd. Dalec. et Gronov. *ardores, phlegmonas*, e Diosc.

CAP. XCI. 1 Margo edd. Dalec. et Gronov. *serpyllum*, e Diosc.—2 Ita

NOTÆ

[k] *Item phreneticis*] Diosc. loc. cit.

[l] *Contra tormina*] Diosc. et Plinius Valer. loc. cit. Marcellus Empir. cap. 27. pag. 196. 'Serpyllum ad pondus victoriati argentei tritum bene valenti ex vino, febriculento ex aqua potui datum, omnes ventris dolores sedat.'

[m] *Ad jocinerum desideria*] Ad ea omnia quæ jecur desiderat, quæ opus habet. Sic oris desideria dicit idem XXII. 50. Thoracis præcordiorumque desideria, XXVII. 109. Corporum desideria superius, XI. 111. Ad jocineris inflammationes prodesse serpyllum scribit Dioscorides, loc. cit.

[n] *Folia obolis*] Plinius Valer. IV. 38.

[o] *Ad cruentas*] Plinius Valer. loc. cit.

[p] *Sisymbrium*] A quibusdam serpyllum sylvestre appellatum, inquit Diosc. II. 155. *Σισύμβριον, οἱ δὲ ἕρπυλλον ἄγριον καλοῦσιν.* Theophrastum, credo, indicat, qui Hist. VI. 7. *ἕρπυλλον ἄγριον* in montibus ait *θυμβρώδη* nasci, *thymbræ similem:* atque inde thymbræi appellatio sisymbrio indita. Sisymbrium est hortense Matthioli in Diosc. lib. II. pag. 485.

[q] *Quod in riguis*] Hoc sisymbrium Dioscoridis alterum, II. 156. *Σισύμβριον ἕτερον .... ἔνυδρός ἐστι πόα.* Prius enim in culto solo oritur, *ἐν χέρσοις φύεται.* Aquaticum a Dodonæo pingitur, pag. 97. idem sisymbrium sylvestre Matthioli in Diosc. lib. II. pag. 486. *Mente sauvage*, quoniam sylvestris mentæ genus est.

[r] *Simile nasturtio*] Nasturtium gustu repræsentat, atque idcirco cardaminen vocant, inquit Diosc. II. 156. *Καρδαμίνην ἔνιοι λέγουσι, διὰ τὸ ἐοικέναι καρδάμῳ τὴν γεῦσιν.*

[s] *Utrumque efficax*] Hoc de solo priore, quod in sicco nascitur, Dioscorides prodidit, qui concisæ nimium brevitati studens multa prætermisit.

[t] *Quod in sicco*] Hortense Matthioli sisymbrium, ut diximus: quod, quem-

folio.[u] Sedant utraque[v] capitis dolorem: item epiphoras, ut Philinus tradit.[1] Alii panem addunt: alii per se decoquunt in vino. Sanat[w] et epinyctidas, cutisque vitia in facie mulierum, intra quartum diem noctibus impositum, diebusque detractum. Vomitiones,[x] singultus, tormina, stomachi dissolutiones cohibet, sive in cibo sumtum, sive succo potum. Non edendum gravidis, nisi mortuo conceptu. Quippe etiam impositum ejicit. Movet urinam[y] cum vino potum: sylvestre[z] et calculos.[3] Quos vigilare[a] opus sit, excitat infusum capiti cum aceto.

XCII. Lini semen cum aliis quidem in usu est: et per se[b] mulierum cutis vitia[c] emendat in facie. Oculorum aciem succo adjuvat. Epiphoras[d] cum thure et aqua, aut cum myrrha ac vino sedat: parotidas[e] cum melle, aut adipe,[1] aut

codd. Harduini, cum edd. Harduin. et recentt. '*Epiphoras, ut Philin. tradit* Vet. *epiph. ut Plinius tradit* Chiffl. corrupta, sed ex qua lectione illa Veteris confirmetur.' *Dalec. ut Philinus tradit* desunt in edd. vett. et Gronov.—3 Vet. Dalec. *ejicit calculos.*

CAP. XCII. 1 Ita Gronov. al. vett. Harduin. 1. et Bipont. *cum melle,*

NOTÆ

admodum Diosc. ait, loc. cit. foliis latioribus est, quam menta hortensis, ordoratius idem, et coronis inseritur.

[u] *Angustiore folio*] Quam quod in riguis nascitur.

[v] *Sedant utraque*] Hoc de solo priore rursum Diosc. II. 155. sed negligentius, ut opinor: Τὰ δὲ φύλλα ἐπιπλάσσεται πρὸς κεφαλαλγίαν κατὰ τῶν κροτάφων καὶ τοῦ μετώπου.

[w] *Sanat*] Hoc vero de solo posteriore, sive aquatico, Diosc. II. 156. Ἀποκαθαίρει δὲ καὶ φακοὺς καὶ ἔφηλιν καταπλασθέντα δι' ὅλης τῆς νυκτὸς, ἕωθεν δὲ ἀποκλυσθέν.

[x] *Vomitiones*] Hæc de priore pariter, quod in sicco oritur, Diosc. II. 155. Galenus de Fac. Simp. Med. lib. VIII. pag. 229.

[y] *Movet urinam*] Hoc de utroque etiam Diosc. prodit, II. 155. et 156. Marcellus item Empir. cap. 26. pag. 180. et Apuleius cap. 105. tit. 1. 'Ad vesicæ dolorem, et stranguriam:' 'Herbæ sisymbrii contriti exceptos succos unciis duabus....ex vino potui dato,' &c.

[z] *Sylvestre*] Illud sylvestre, quod in sicco oritur. Diosc. II. 155.

[a] *Quos vigilare*] Somnolentos, veternosos, lethargicos.

[b] *Et per se*] Sine ulla admixtione rei cujuscumque: quo sensu 'per se' usurpatur a Scribonio Largo Compos. 2. 10. 19. 28. 189. Etiam et Compos. 108. 'Vomitus per se factus,' id est, sponte.

[c] *Cutis vitia*] Ἐφήλεις etiam, hoc est, vitia cutis in facie ab insolatione. Diosc. II. 125.

[d] *Epiphoras*] Omnem inflammationem. Diosc. loc. cit.

[e] *Parotidas*] Iisdem verbis Plinius

cera: stomachi solutiones[2] inspersum polentæ modo: anginas in aqua[f] et oleo decoctum, et cum aneso[3] illitum. Torretur, ut alvum sistat. Cœliacis,[g] et dysentericis imponitur ex aceto. Ad jocineris dolores estur cum uva passa. Ad phthisin[h] utilissime e semine fiunt ecligmata. Musculorum, nervorum, articulorum, cervicum[4] duritias,[i] cerebri membranas[j] mitigat farina seminis, nitro aut sale aut cinere additis. Eadem cum fico idem[5] concoquit ac maturat. Cum radice vero[k] cucumeris sylvestris extrahit quæcumque corpori inhæreant.[l] Sic et fracta[6 m] ossa. Serpere ulcus in vino decocta[n] prohibet, eruptiones pitui-

adipe Harduin. 2. 3. Miller. et Franz.—2 Dalec. *dissolutiones*, ut paulo ante.—3 'Forte emendandum, *anetho*. Sic enim ad hunc morbum habent Marcellus Empiric. c. 15. et Plinius Valer. I. 52. *Brotier*. Vide ad c. 94. n. 2.—4 Vet. Dalec. *cervicis*.—5 Vet. Dalec. *totidem*; cod. Dalec. *et idem*; Dalecampius, *item*.—6 *Sic effracta* Chiffl.—7 Ita codd. Harduini et Dalec. cum

NOTÆ

Valer. I. 13. At pro melle lixivium Dioscorides adhibet, loc. cit. σὺν κονίᾳ.

[f] *Anginas in aqua*] Vide Notas et Emend. num. 38.

[g] *Cœliacis*] Diosc. II. 125.

[h] *Ad phthisin*] Plinius Valer. I. 63. Quid sit phthisis, ex Celso disces, III. 22. 'Tertia est,' inquit, 'longeque periculosissima species tabis, quam Græci φθίσιν nominaverunt. Oritur fere a capite: inde in pulmonem destillat: huic exulceratio accidit: ex hac febricula levis fit: quæ etiam cum quievit, tamen et repetit. Frequens tussis est, pus exscreatur, interdum cruentum aliquid. Quicquid exscreatum est, si in ignem impositum est, mali odoris est.' Educi ea quæ pectori intus hærent, eo ecligmate etiam Diosc. affirmat, loc. cit. Et Theod. Priscianus II. 2. 10. de empyicis: 'Eclegmate utor, quod ex lini semine frixo, cum nucleis et melle despumato conficitur.'

[i] *Cervicum duritias*] Rigorem. Marcellus Empir. cap. 18. pag. 127. 'Farina lini seminis addito nitro ex vino calido, in modum malagmatis temperatur, et imponitur: cervicum dolori statim medetur.'

[j] *Cerebri membranas*] Inflammatas. Inde est quod ad dolores capitis puerorum lini semen tritum ex aqua commendat Marcellus Empir. cap. 1. pag. 88. Et phreneticorum, quibus 'jugis insomnietas est ex meningis tensione, succo lini seminis irrigari articulos' præcipit Theod. Priscianus II. 1. 2.

[k] *Cum radice vero*] Ad verbum hæc Marcellus Empir. cap. 34. pag. 233. et Plinius Valer. III. 49.

[l] *Quæcumque corpori inhæreant*] Aculeos, spicula.

[m] *Sic et fracta*] Mss. Reg. Colb. Chiffl. *sic effracta*.

[n] *Serpere ulcus in vino decocta*] Plinius Valer. III. 22. pariter *in vino decocta*. Marcellus Empir. cap. 4. pag. 42. 'ex melle apposita.'

tæ [o] cum melle. Emendat ungues scabros cum pari modo nasturtii: [p] testium [7] vitia [q] et ramices cum resina et myrrha: [8] et gangrænas ex aqua. Stomachi dolores [r] cum fœno Græco sextariis utriusque decoctis in aqua mulsa. Intestinorum et thoracis perniciosa vitia, clystere in oleo, aut melle.[9]

XCIII. Blitum iners [s] videtur ac sine sapore, aut acrimonia ulla. Unde convitium [t] fœminis apud Menandrum faciunt mariti. Stomacho [u] inutile est. Ventrem adeo [v] turbat, ut choleram faciat aliquibus. Dicitur tamen [w] adversus scorpiones potum e vino prodesse, et clavis pedum illini: item lienibus, et temporum dolori,[x] ex oleo. Hippocrates menstrua sisti [1] [y] eo cibo putat.

edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *et testium* Gronov. et al. ante Harduin.—8 Gronov. et al. vett. *murrha*.—9 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *oleo et melle* Gronov. et vulgg.

CAP. XCIII. 1 Margo edd. Dalec. et Gronov. *cieri*, ex Hipp. de Diæt. lib. II. ita quoque Chiffl.

NOTÆ

[o] *Eruptiones pituitæ*] Marcellus Empir. et Plinius Valer. loc. cit.

[p] *Cum pari modo nasturtii*] Adjicit Diosc. II. 125. et parem etiam mellis mensuram.

[q] *Testium vitia*] Marcellus Empir. cap. 33. pag. 228. 'Farina lini seminis, cum resina et myrrha pari pondere permixta, et imposita testiculis, dolori ac tumori eorum subvenit.' Sic etiam Plinius Valer. II. 42. Adde et Theod. Priscianum I. 25. 'ad veretri dolores.'

[r] *Stomachi dolores*] Plinius Valer. iisdem verbis, II. 15.

[s] *Blitum iners*] Ad verbum hæc Plinius Valer. IV. 9. Gallis, *Blettes, ou Bettes*. Iconem apud Lobelium vide, in Observat. pag. 125. In Narbonensi Gallia *Turgon* vocant, inquit Ruellius lib. II. pag. 356.

[t] *Unde convitium*] Plautus in Trucul. IV. 4. 'Blitea et lutea est meretrix, nisi quæ sapit in vino ad rem suam.' Viles, abjectas, fatuasque mulieres *βλιτάδας* antiqui vocabant. Suidas: Βλιτάδας οἱ παλαιοὶ τὰς εὐτελεῖς γυναῖκας ἔλεγον. Quod nomen adhuc in nostrum vulgus manavit, socordes ignavosque homines *Beliteros* Græca imitatione nominans, inquit Ruellius lib. I. pag. 75. Festus: 'Blitum, genus oleris a saporis stupore appellatum esse ex Græco putatur, quod ab his *βλὰξ* dicatur stupidus.' At Græcis quoque *βλίτον* est. Hesych. Βλίτον, λαχάνου εἶδος. Schol. Aristoph. Βλίτον μωρὸν εἶναι δοκεῖ λάχανον. *Blitum videtur olus esse insipidum.*

[u] *Stomacho*] Tamen bonam alvum facere Diosc. vere dixit, II. 143.

[v] *Ventrem adeo*] Hæc totidem verbis Plinius Valer. IV. 9.

[w] *Dicitur tamen*] Plinius Valer. loc. cit.

[x] *Temporum dolori*] Sic Apollonius apud Galenum κατὰ τόπους, II. 1. p. 368. βλίτον τρίψας σὺν ἐλαίῳ διεὶς, χρῶ.

[y] *Hippocrates menstrua sisti*] Ita li-

XCIV. (XXIII.) Meum[1] [a] in Italia non nisi a medicis seritur, et iis admodum paucis. Duo genera ejus. Nobilius Athamanticum vocant, illi tanquam ab Athamante inventum, hi quoniam laudatissimum in Athamante reperiatur, foliis aneso[2] [b] simile, et caule aliquando bicubitali,[3] [c] radicibus multis, obliquis, nigris,[4] [d] quibusdam altissimis: Minus rufum, quam illud alterum.[e] Ciet urinam [f] in aqua potum, radice trita vel decocta. Inflationes[5] stomachi mire discutit.[g] Item tormina, et vesicæ [h] vitia: vulvarumque articulis [i] cum melle, infantibus[6] [j] cum apio illitum imo ventri urinas movet.

CAP. XCIV. 1 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. et recentt. *Meon* cod. Dalec. *Meu* Gronov. et vulgg.—2 Gronov. al. vett. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *aniso;* margo edd. Dalec. et Gronov. *anetho*, e Diosc. et sic Vet. Dalec. Vide ad c. 92. n. 3.—3 Chiffl. *bipedali.*—4 'Ita bene Editio princeps.' *Brotier.* *multis oblongis, nigris* cod. Dalec. *multis et obnigris* edd. vett. Gronov. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—5 Vet. Dalec. *potum. Radice tr. vel decocta inflationes.*—6 ' Vet. *ant. cum*

NOTÆ

bri omnes. Et Plinius quoque Valer. IV. 9. 'Hippocrate,' inquit, 'præcipiente ad sistenda omnia menstrua fœminarum in cibo dandum.' Hippocrates sane de diæta, II. 26. Βλῆτον θερμὸν, οὐ διαχωρητικόν. *Blitum calidum est, non movens alvum.*

[a] *Meum*] Diosc. I. 3. Μῆον τὸ καλούμενον Ἀθαμαντικὸν γεννᾶται πλεῖστον ἐν Μακεδονίᾳ καὶ Ἱσπανίᾳ. Galeno de Antidotis I. 7. p. 878. Μεῖον Ἀθαμαντικόν. Vidimus in horto Regio, quale depingitur a Dodonæo, p. 302. Meum in Italia reperiri, et in Calabria quidem ab incolis *Imperatrice* appellari, in montibus Nursinis *Spicura*, alibi aliter, scribit Anguillara de Simp. par. I. p. 20. Etiam et in Gallia obvium. Describitur a Charasio in Pharmac. p. 134. Nostris officinis, inquit Ruellius lib. II. pag. 284. anethum sylvestre hodie vocatur, quod anethum plane videatur imitari foliis, et umbella, et caule: unde quidam herbarii tortuosum anethum appellaverunt.

[b] *Foliis aneso*] Vide Notas et Emend. num. 39.

[c] *Bicubitali*] Sic Diosc. I. 3. Διπηχύ που ἀναβαῖνον. Sic Oribasii interpres lib. XI. fol. 206. Sic rerum ipsa natura postulare videtur. Tamen Mss. omnes, Reg. Colb. Chiffl. *bipedali.*

[d] *Obliquis, nigris* [*et obnigris*] In Mss. Reg. Colb. &c. *obolis, nigris.* Forte, *oblongis, nigris.* Diosc. μακραῖς. Oribasii interpres, *longis.*

[e] *Quam illud alterum*] In Italia natum.—' *Quam illud*] Quam Athamanticum.' *Ed. sec.*

[f] *Ciet urinam*] Dioscor. loc. cit. Galenus de Fac. Simp. Med. lib. VII. p. 209.

[g] *Inflationes ... discutit*] Diosc. loc. cit. Galenus quoque loc. cit. sed hanc exceptionem iste adjicit, quod simul caput lædat: si tamen largius bibatur, inquit Diosc.

[h] *Et vesicæ*] Diosc. loc. cit.

[i] *Vulvarumque articulis*] Subintel-

XCV. Fœniculum[k] nobilitavere serpentes gustatu, ut diximus,[l] senectam exuendo, oculorumque aciem succo ejus reficiendo: unde intellectum[m] est, hominum quoque caliginem præcipue eo levari.[1] Colligitur hic caule turgescente,[n] et in Sole[2] siccatur, inungiturque ex melle. Ubique hoc est. Laudatissimus[o] in Iberia[3] e lacrymis fit, et e semine recenti.[4] Fit et e radicibus[5][p] prima germinatione incisis.

XCVI. Est et in hoc genere sylvestre, quod alii hippomarathron, alii myrsineum[1][a] vocant, foliis majoribus, gustu acriore, procerius, brachiali crassitudine,[2] radice

melle prodest. Infantibus; alii vett. *articulis dolentibus prodest: thoracis item fluxionibus cum melle. Infantibus.*' Dalec.

CAP. XCV. 1 Chiffl. *hominem...levare;* cod. Dalec. *hominum...relevari.*—2 'Ita codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier.* *turgescente. In Sole* Gronov. et al. vett. item Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—3 *Laudatissimus tamen in Iberia* Vet. Dalec.—4 'Ita codd. Regg.' *Brotier.* *et ex semine recenti* Gronov. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—5 'Ita codd. Regg. 1. 2.' *Brotier.* *Fit etiam et e radicibus* Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *Fit etiam e radicibus* Gronov. et vulgg.

CAP. XCVI. 1 '*Murrhineum*, quod murrham oleat radix; vel *murrhinum.*' Dalec.—2 Codd. Regg. Brott. 1. 2. *bracchioli crassitudine.*—3 *Medicinæ in-*

NOTÆ

lige ex sequentibus, illitum urinas movet.

[j] *Infantibus*] Diosc. I. 3. apium prætermisit.

[k] *Fœniculum*] Hæc iisdem verbis Plinius Valer. IV. 24.

[l] *Ut diximus*] Lib. VIII. 41. Habet et istud Diosc. III. 81.

[m] *Unde intellectum*] Plinius Valer. loc. cit. Q. Serenus c. 14. p. 138. 'Si tenebras oculis obducit pigra senectus, Expressæ marathro guttæ cum melle liquenti Detergere malum poterunt: vel vulturis atri Fella, chelidoniæ fuerint quis gramina mixta.' Adde et Galenum de Fac. Simp. Med. lib. VII. p. 206.

[n] *Caule turgescente*] Quod fit cum primo germinat, κατὰ τὴν πρώτην ἐκβλάστησιν, inquit Dioscor. III. 81.

[o] *Laudatissimus*] Diosc. loc. cit. Caulem, inquit, medium, dum floret herba, demetunt indigenæ, ignique admovent: quo facilius vi caloris veluti exudans, lacrymam seu gummi remittat.

[p] *Fit et e r.*] Iisdem verbis Diosc. loc. cit.

[a] *Alii myrsineum*] Mallem trajecta literula *smyrneum* legi. Nam Anacreon in libro rei herbariæ, seu περὶ ῥιζοτομικῆς, hippomarathron a quibusdam σμυρνεῖον vocari scribit, teste Nicandri Scholiaste, in Theriac. pag. 28. Smyrnium porro dici potuit, quod, uti de altero smyrnio Plinius refert, XIX. 62. myrrham radice resipit. Vidimus in horto Regio, quale describitur a Lobelio in Advers. p. 347.

candida. Nascitur in calidis, sed saxosis. Diocles et aliud[b] hippomarathri genus tradit, longo et angusto folio, semine coriandri. Medicinæ in sativo,[3][c] ad scorpionum ictus et serpentium, semine in vino poto. Succus et auribus[d] instillatur, vermiculosque in his necat. Ipsum condimentis prope omnibus inseritur: oxyporis etiam aptissime. Quin et panis crustis subditur. Semen stomachum[e] dissolutum astringit, vel in febribus sumtum. Nauseam[f] ex aqua tritum sedat. Pulmonibus[g] et jocineribus laudatissimum. Ventrem sistit,[h] cum modice sumitur, urinam[i] ciet,[4] et tormina mitigat decoctum, lactisque defectu[j] potum mammas replet. Radix cum[k] ptisana sumta renes purgat, sive decocto[5] succo, sive semine sumto. Prodest[l] et hydropicis radix ex vino

sitivo Chiffl.—4 'Ita cod. Reg. 2.' *Brotier.* *urinam exciet* edd. vett. et Gronov. item Hardnin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *urinam excitat, et t. m. totum decoctum* Vet. Dalec. *urinam exciet ad tormina totum decoctum* Chiffl. Mox, *mammas replet radice cum ptisana sumpta.* *Renes* Vet. Dalec.—5 Chiffl.

NOTÆ

[b] *Diocles et aliud*] Hæc Dioscorides III. 82. totidem verbis, tacito modo Dioclis nomine. Galenus item, de Fac. Simp. Med. lib. VII. p. 206. Sed id fœniculi genus a nemine adhuc cognitum ait Matthiol. in Diosc. lib. III. p. 777.

[c] *Medicinæ in sativo*] Iisdem verbis hæc Plinius Valer. IV. 24. Quæ de fœniculo scilicet accipienda sunt.

[d] *Succus et auribus*] Plinius Valer. loc. cit.

[e] *Semen stomachum*] Iisdem hæc iterum verbis Plinius Valer. loc. cit. Q. Serenus c. 19. de digestione et stomacho medendo, p. 136.

[f] *Nauseam*] Plinius Valer. loc. cit. has vires semini pariter, Diosc. III. 82. foliorum decocto attribuit.

[g] *Pulmonibus*] Plinius Valer. loc. cit.

[h] *Ventrem sistit*] Plinius Valer. loc. cit.

[i] *Urinam*] Diosc. III. 81. Apuleius c. 124. 'Urinam movet cibo datum, lac provocat,' &c. Galenus item, de Fac. Simp. Med. lib. VII. p. 206.

[j] *Lactisque defectu*] Id vero de hippomarathro Diosc. III. 82. De marathro sativo, seu fœniculo, Apuleius loc. cit. et Galenus de Fac. Simp. Medic. lib. VII. p. 206. Et de semine quidem fœniculi, Plinius Valer. IV. 24. cum Hippocrate de Nat. Mul. tex. 88. p. 405. qui parem hippomarathro quoque vim ac dotem asserit.

[k] *Radix cum*] Plinius Valer. IV. 24. et II. 37. 'Radix fœniculi cum ptisana decocta, et in cibo data, renum densitates relaxat: et ejusdem radicis succus ad cyathos duos in vino potui datus mirabiliter vitia sanat.'

[l] *Prodest*] Plinius Valer. IV. 24.

cocta. Item convulsis. Illinuntur[m] folia tumoribus ardentibus ex aceto. Calculos vesicæ pellunt. Genituræ abundantiam quoquo modo haustum facit. Verendis amicissimum, sive ad fovendum radice cum vino cocta, sive contrita in oleo illitum. Multi tumoribus et sugillatis cum cera illinunt. Et radice[n] in succo[6] vel cum melle contra canis morsum utuntur, et contra[7] multipedam ex vino.

Hippomarathron ad omnia vehementius. Calculos præcipue[o] pellit. Prodest vesicæ[p] cum vino leni, et fœminarum menstruis hærentibus. Efficacius in eo semen, quam radix. Modus in utroque, quod duobus digitis tritum additur in potionem. Petrichus,[8] qui Ophiaca scripsit, et Micton,[9][q] qui Rhizotomumena, adversus serpentes nihil hippomarathro efficacius putavere. Sane et Nicander[r] non in novissimis posuit.

XCVII. Cannabis[a] in sylvis primum nata est, nigrior foliis, et asperior.[1] Semen ejus[b] extinguere genituram virorum dicitur. Succus ex eo[c] vermiculos aurium, et

decocti.—6 *Et radicis succo* Vet. Dalec.—7 Vet. Dalec. *vel contra.*—8 *Petridius* Gronov. et al. vett.—9 *Mictio* Gronov. et vulgg. *Myccon* Chiffl.

CAP. XCVII. 1 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *nigrior et foliis asperior*

NOTÆ

[m] *Illinuntur*] Plinius Valer. loc. cit. 'Tumores, et quæ ictu vel repentina indignatione commota sunt, folia ex aceto trita dissolvunt.'

[n] *Et radice*] Plinius Valer. loc. cit. hoc ipsum refert de semine: de radice, Diosc. II. 81.

[o] *Calculos præcipue*] Diosc. II. 82. Galenus loc. cit.

[p] *Prodest vesicæ*] Diosc. loc. cit. Στραγγουρίας ἰᾶται.

[q] *Micton*] In Mss. Reg. Colb. et Chiffl. *Miccon*: male. Vide Auctorum Indicem. Mictoni interim Dioscorides suffragatur, loc. cit.

[r] *Sane et Nicander*] In Theriacis, p. 43. adversus serpentes: Ἠὲ καὶ ἱππείου μαράθρου πολυαυξέα ῥίζαν. *Aut magnas grandis radices hippomarathri.*

[a] *Cannabis*] Diosc. III. 166. Κάνναβις ἀγρία .... τὰ φύλλα ἔχει ὅμοια τῇ ἡμέρῳ, τραχύτερα δὲ καὶ μελάντερα.

[b] *Semen ejus*] Dioscor. III. 165. de sativa cannabi: Galenus quoque, de Facult. Simp. Medic. lib. VII. pag. 184.

[c] *Succus ex eo*] Ex recenti semine, inquit Diosc. et post eum Galenus, locis citatis, sunt qui succum exprimant, ad aurium dolores, ex obstructione, ut mihi quidem videtur, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, natos, accommodatum maxime At Plinius Valer. I. 10. et Marcellus Empir. cap. 9. p. 76. et 80. hunc Plinii locum summa fide transcribunt, et suo defendunt calculo.

quodcumque animal intraverit, ejicit, sed cum dolore capitis. Tantaque vis[d] ei est, ut aquæ infusa, coagulare eam dicatur. Et ideo[e] jumentorum alvo succurrit pota in aqua. Radix contractos[f] articulos emollit in aqua cocta: item podagras, et similes impetus.[g] Ambustis cruda illinitur, sed sæpius mutatur priusquam arescat.[2]

XCVIII. Ferula semen anetho simile habet. Quæ ab uno caule dividitur in cacumine, fœmina putatur. Caules eduntur[h] decocti, commendanturque[1] musto ac melle, stomacho utiles. Sin plures[2][i] sumti, capitis dolorem[3] faciunt. Radix denarii[j] pondere in vini cyathis duobus, bibitur adversus serpentes. Et ipsa radix imponitur. Sic et torminibus[4][k] medetur. Ex oleo[l] autem et aceto, contra sudores immodicos, vel in febribus proficit. Succus ferulæ alvum solvit[5][m] fabæ magnitudine devoratus. E viridi medulla[n] vulvis utilis, et ad omnia ea vitia.[6] Ad sanguinem[o] sistendum decem grana seminis bibuntur, in

Chiffl. *nigriore folio et asperiore* edd. vett. et Gronov.—2 Vet. *inarescat.*

CAP. XCVIII. 1 Vet. Dalec. *condiuntur.*—2 *Sed plures* Vet. Dalec.—3 Gronov. *dolores*—4 *Semen torminibus* margo edd. Dalec. et Gronov. e Diosc.—5 Vet. Dalec. *sistit.*—6 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *Et viridi medulla vultui utilis est, et ad omnia ejus vitia* cod. Dalec. *vultui utilis* etiam codd. Regg. Brot. et Editio princeps. *Et viride merulla vultuis utile est, &c.* Chiffl. *Et viridi*

NOTÆ

[d] *Tantaque vis*] Quam ipse vim experimento non didicit, timide profert, nec audet asseverare. Caute id quidem.

[e] *Et ideo*] Alvum sistit jumentorum, cum est concitatior: quoniam vim spissandi habeat, et desiccandi.

[f] *Radix contractos*] Diosc. III. 166.

[g] *Similes impetus*] Ἐπιφορὰς, inflammationes et tumores.

[h] *Caules eduntur*] Vide quæ dicta sunt XIX. 56.

[i] *Sin plures*] Sic pariter Dioscor. III. 91.

[j] *Radix denarii*] Q. Serenus cap. de serpentium morsibus: 'Aut ferulæ radix potatur in imbre Lyæi.' Diosc. loc. cit. non radicem adversus serpentes, sed medullam commendat. Nicander quoque in Theriac. p. 43.

[k] *Sic et torminibus*] Hoc de poto semine, Diosc. loc. cit.

[l] *Ex oleo*] Plinius Valer. III. 11. 'Radix item ferulæ ex oleo et aceto perunctione sudorem minuit.'

[m] *Succus ferulæ alvum solvit*] Sistere congruentius forsan diceret: nam cœliacis medullam epotam prodesse scribit Diosc. loc. cit. nisi succus expressus e ferula, medullaque ipsa, dispares habent facultates.

[n] *E viridi medulla*] Vide Notas et Emend. num. 40.

[o] *Ad sanguinem*] Hæmoptoicis me-

vino trita, vel medulla. Sunt qui comitialibus morbis dandum putant[7] Luna quarta, sexta, septima, lingulæ mensura.[8] [p] Natura ferularum muræenis infestissima est: tactæ siquidem ea moriuntur. Castor radicis succum et oculorum claritati conferre multum putavit.

XCIX. Et de carduorum satu inter hortensia diximus:[q] quapropter et medicinam ex iis non differamus. Sylvestrium genera sunt duo, unum fruticosius[r] a terra statim: alterum unicaule[s] crassius. Utrique folia pauca, spinosa, muricatis cacuminibus. Sed alter florem purpureum mittit inter medios aculeos, celeriter canescentem, et abeuntem cum aura: scolymon Græci vocant. Hic antequam floreat[t] contusus atque expressus, illito succo alopecias replet. Radix cujuscumque ex aqua decocta potoribus[1] sitim[u] facere narratur. Stomachum corroborat:[v] et vul-

ramusculus, utilis est ad, &c. Gronov. Vid. Nott. Varr.—7 Chiffl. *bis dandum putent.*—8 'Ita codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier.* Ita quoque Chiffl. Regg. Hard. et Colb. *ligulæ mensura* Dalec. Gronov. Elz. Harduin. Miller. Bipont. et Franz.

CAP. XCIX. 1 Cod. Dalec. *potionibus;* Chiffl. *potioribus.*—2 Chiffl. *sic credi-*

NOTÆ

dullam epotam prodesse scribit Dioscor. III. 91. Galenus similiter, de Fac. Simp. Medic. lib. VIII. p. 218.

[p] *Lingulæ [ligulæ] mensura*] Mss. Reg. Colb. Chiffl. *lingulæ.* Sed utrumvis dixeris, perinde est.

[q] *Et de carduorum .... diximus*] Lib. XIX. c. 43.

[r] *Unum fruticosius*] Scolymos est Theophrasti, de quo XXII. 43. Eryngium idem luteum Monspeliensium, visum a nobis in horto Regio, quale a Lobelio delineatur, in Observ. pag. 478.

[s] *Alterum unicaule*] Cinara hæc hortensis aculeata, Dioscoridis σκόλυμος, III. 16. Forte Theophrasti κάκτος, Hist. VI. 4. *L'Artichaut.* Astipulatur etiam Anguillara par. VIII. pag. 136.

[t] *Hic antequam floreat*] Plinius Valer. IV. 16. et Marcellus Empir. c. 6. p. 46. iisdem verbis: 'Herbam cardui agrestis in mortario usque ad levitatem terito: succoque ejus expresso locum alopeciæ novem diebus oblinito: sed bis per dies singulos perunctione renovata.'

[u] *Potoribus sitim*] Plinius Valer. IV. 16. de carduo: 'Radix ex aqua cocta, cupiditatem bibendi potoribus subministrat.' Columella de cultu hortorum, lib. X. p. 358. 'Hispida ponatur cinara, quæ dulcis Iaccho Potanti veniat, nec Phœbo grata canenti.'

[v] *Stomachum corroborat*] Si non avidius sumatur, inquit Plinius Valer. IV. 16.

vis[w] (si credimus)[2] etiam conferre aliquid traditur, ut mares gignantur. Ita enim Chæreas Atheniensis scripsit, et Glaucias, qui circa carduos diligentissimus videtur. Mastiche cardui[3 x] odorem commendat oris.

C. (XXIV.) Ante discessum ab hortensiis,[1] unam compositionem ex his clarissimam subtexemus, adversus venenata animalia, incisam lapide versibus[a] in limine ædis[b] Æsculapii. Serpylli[c] duum denariorum pondus: opopanacis, et mei,[2 d] tantundem singulorum, trifolii pondus denarii: anesi,[3] et fœniculi seminis, et ammi,[4] et apii, denariorum senum singulis generibus, ervi farinæ duodecim. Hæc tusa cribrataque vino quam possit[5] excellenti, digeruntur in pastillos, victoriati pondere. Ex his singuli

mus.—3 Gronov. et al. ante Harduin. *manducatus carduus.*

CAP. C. 1 'In codd. Regg. 1. 2. *Et discessum.* In Editione principe, *Et ante discessum.* Recentiores, *Sed discessuri.*' Brotier. *Sed discessuri ab hortensiis* Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *Sed discessuri ab hortensibus.* Gronov. et al. vett. '*Sed discessuri* non legitur in Chiffl.' *Dalec.* Vide Nott. Var.—2 Gronov. et vulgg. ante Harduin. *et milii.*—3 Gronov. et vulgg. *anethi.*—4 'Ita bene codd. Regg. 1. 2.' *Brotier.* Ἄμμι Græce. Vide Lex. Gr. Schneider. et Galen. ab Harduino citatum. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *ammii;* Brotier in Not. *amni.* *Ammium* quoque ex hoc Plinii loco exhibent omnes fere Lex. Latt. Gronov. et al. ante Harduin. *seminis, et anisi, et ammii.* In Vet. Dalec. desunt, *et anisi.*—5 Margo edd. Dalec. et

NOTÆ

[w] *Et vulvis*] Transcripsit et istud Plinius Valer. loc. cit. ubi Glauciam pariter laudat auctorem.

[x] *Mastiche cardui*] Vide Notas et Emend. num. 41. Mastiche cardui, tenuior ille est et quodam modo lacteus succus, quem cinaræ radix, ubi defloruit ac durescit, scarificata emittit, ut et experientia docet, et Theophrastus conceptis verbis admonuit, Hist. VI. 4.

[a] *Versibus*] Quos recitat Galenus de Antidotis II. 14. p. 922. ex Eudemo medico. Sunt omnino sedecim.

[b] *In limine ædis*] Apud insulam Coum in templo Æsculapii, inquit Plinius Valer. III. 57.

[c] *Serpylli*] Galenus loc. cit. recitatis Eudemi versibus, medicamenta quæ iis continentur, ita breviter colligit: Μήου ῥίζης, ἑρπύλλου, ὀποπάνακος, ἀνὰ < β΄. Τριφύλλου σπέρματος, < α΄. Ἀνίσου, μαράθρου, ἄμμεως, σελίνου σπέρματος, ἀνὰ ὀξύβαφον. Ἀλεύρου ὀροβίνου λεπτοτάτου ὀξύβαφα β΄. Οἴνου παλαιοῦ εἰς ἀνάληψιν ὅσον ἐξαρκεῖ. Ἀνάπλασσε τροχίσκους, καὶ ξήραινε ἐν σκιᾷ· καὶ δίδου τριώβολον μετ' οἴνου κυάθων γ΄. Quæ totidem ferme verbis Plinius habet: modo tantum medicamentorum paululum discrepante.

[d] *Et mei*] Ita ex Galeno modo laudato rescripsimus: cum prius *milii* perperam legeretur. Plinius Valer. III. 57. insulse mel pro meo desiderat: et pro ammi amylum, IV. 38.

dantur ex vini mixti cyathis ternis. Hac theriaca magnus Antiochus[e] rex adversus omnia venenata[6] usus traditur.

Gronov. *quantum possit.*—6 'Ita codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier.* Ita quoque Chiffl. *omnia venena* Gronov. et al. vett. item Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.

NOTÆ

[e] *Magnus Antiochus*] Eo nomine tertius, Syriæ Rex. Hunc Philometora Eudemus vocat iis versibus, quibus hæc theriacæ compositio continetur: *Ἴησιν μάθε τήνδε πρὸς ἑρπετὰ, ἣν Φιλομήτωρ Νικήσας πείρᾳ κέκρικεν Ἀντίοχος.* *Hoc cape præsidium ad serpentia, quod Philometor Usu præcipuum reperit Antiochus.*

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD LIBRUM XX.

NATURALIS HISTORIÆ

C. PLINII SECUNDI.

1. Cap. i. *Et alio rursus abigente a sese*] Alio nempe lapide, ut diximus, abigente ferrum. Ita Mss. omnes, ipsaque loci sententia legi ita postulat. Frustra sunt Majolus, Cæsius, aliique, qui *allio* hic scriptum a Plinio autumant, quo ejus viri auctoritate magnetis et allii dissensionem et antipathiam stabiliant: quasi magnes allio confricatus ac perunctus ferrum non trahat. Albertum tamen Magnum scimus ita sensisse, Mineral. ii. 2. 11. et ante eum, Zoroastrem in Geopon. xv. 1. et Jo. Tzetzen, Chiliad. iv. Histor. 140. vs. 407. Sed illud haud dubie nunc Plinius spectat, quod alibi planius expressit, nempe xxxvi. 25. 'Alius rursus,' inquit, 'in eadem Æthiopia non procul mons gignit lapidem theameden, qui ferrum omne abigit, respuitque. De utraque natura sæpius diximus.' Et quidem nunc primum de utraque dicit.

2. Cap. vi. *Eadem contrahit vomitiones: siccatur, &c.*] Contraria plane sententia prius legebatur: *Eadem contra vomitiones siccatur.* Quid igitur illa sibi volunt, quæ proxime sequuntur, *Cortex quoque vomitionem movet?* An non ea aperte significant eandem modo cortici assignari vim, quæ radici fuerant prius attributa? Adde Diosc. ii. 164. ubi de peponis facultatibus: Ἡ δὲ ῥίζα ξηρὰ, inquit, *ποθεῖσα σὺν ὑδρομέλιτι < ὁλκῇ, ἐμέτους κινεῖ. Sicca radix ex mulsa drachmæ pondere bibita, vomitum ciet.*

3. Cap. viii. *Necnon ramentis corticis recentes podagras refrigerat, &c.*] In Mss. *recens.* Plinius Valer. *recentis* legisse videtur, hoc est, viridis. Sic enim ille, iv. 6. de cucurbita: 'Dioscorides,' inquit, 'ramenta corticis viridis in cucurbita laudat, earumque effectus sic tradit: Phthiriasim (lege ex Diosc. ii. 162. *Siriasim*) infantium, cuti imposita depellunt cum polenta: podagræ æstuanti, et ignibus sacris cum pane subveniunt.' Verba sunt hæc Græci scriptoris: Τὸ δὲ *ξέσμα αὐτῆς παιδίοις σιριῶσιν ὠφελίμως κατὰ τοῦ βρέγματος καταπλάσσεται.* Item Marcellus Empir. c. 1. p. 35. 'Cucurbitæ viridis ramenta cerebro imposita, infantibus

quoque, qui ex dolore capitis nauseam patiuntur, validissime prosunt.'

4. Cap. ix. *Testa quoque*] Rapa videlicet. Prius *costa* legebatur: ab aliis *cocta:* a Salmasio, *Cate quoque:* nos *Testa*, tum ex Mss. Reg. Colb. &c. tum ex Plinio Valer. iv. 34. hæc totidem verbis describente, defendimus.

5. Cap. x. *Mixta farina, pari mensura, ervi, hordei, tritici, et lupini. Radix ad omnia inutilis*] Naporum videlicet sylvestrium radix inutilis. Insigniter corruptus hic locus ad hunc diem fuit: sic quippe legebatur: *mixta urina pari mensura. Ervi, hordei, tritici, et lupini radix ad omnia inutilis.* Quid causæ est, amabo, cur de ervi, hordei, ceterorumque radice agat, ubi tota in rapis oratio habitat? Et lupini radicem, ut ceteras omittam, commendat in primis ad pellendam urinam, xxii. 74. Detexit errorem Dioscor. qui ex iisdem fontibus areolas suas aspersit, ex quibus Plinius rigavit hortos. Sic enim ille ii. 135. de rapo sylvestri: Μίγνυται δὲ *σμήγμασι προσώπου καὶ τοῦ ἄλλου χρωτὸς, ὅσα δι' ἀλεύρων γίνεται θερμίνων, ἢ πυρίνων, ἢ αἰρίνων, ἢ ὀροβίνων. Admiscetur in smegmata, quibus ad detergendam cutem in facie, reliquoque corpore utuntur: quæ quidem ex lupini, tritici, lolii, aut ervi farina fiunt.* Et de ervo sane diserte Plinius xxii. 73. 'Farina ejus maculas toto corpore emendat.' De lupinorum et ervi farina, ad eosdem usus Hippocr. de Morb. Mulier. ii. 67. p. 596.

6. Cap. xii. *Cetero æstivo usus in Italia, et armoraciam vocant. Et sativi vero, præter ea quæ circa eos dicta sunt, stomachum purgant, pituitam extenuant, urinam concitant, bilem detrahunt. Præterea cortices in vino decocti, mane poti ad ternos cyathos, &c.*] Hunc locum ita restituimus ex fide Reg. 2. codicis, cum omnia mire perturbata prius, depravataque, sic legerentur: *Cetero bilem detrahunt. Præterea cortices in vino. Præterea, quæ circa eos dicta sunt, stomachum purgant, pituitam extenuant, urinam concitant. Est et sativi usus in Italia, et armoraciam vocant. Et sativi vero decocti, mane poti ad ternos cyathos, &c.* Proh Superi! Tantumne in bonos auctores aut criticis aut librariis licuit, ut miscerent omnia ac pessumdarent? Ineamus, si fieri potest, mendorum quæ scatent, numerum, *Cetero bilem detrahunt.* Orationis structura *detrahit* legi postulabat: antecedit enim, *Laudatissimus in Arcadia . . . alibi nascitur . . . utilior urinæ.* Mox, *præterea cortices . . . præterea quæ circa eos.* Geminata tam repente ea vox *præterea*, Pliniine stylum et ingenium sapit? *Est et sativi usus in Italia, et armoraciam vocant.* At armoraciam constat esse sylvestris generis, quod ipse Plinius diserte confirmavit superiore lib. cap. 26. Deinde, quam frigida rursum repetitio earundem vocum, *Est et sativi usus*, statimque, *Et sativi vero.* In Mss. *Cetero æstivosus.* Pintianus legi volebat, *Cetero æstivosus ipse.* Nos, uti speramus, paulo felicius, *Cetero æstivo usus in Italia, &c.*

7. Cap. xiii. *Cerastis et scorpionibus adversatur*] Legebatur ante, *Cetero et scorpionibus.* In Mss. Reg. 1. 2. &c. *Ceterascis.* At emendatione locum egere Dioscorides admonuit, ii. 137. de raphano: ubi contra cerastæ morsum ex vino potum auxiliari tradit: Καὶ πρὸς κεράστου δῆγμα σὺν οἴνῳ πινόμενον βοηθεῖ. Haud penitus tamen improbanda prior scriptura.

8. Ibid. *Ex aceto et melle sumti, intestinorum animalia detrahunt*] Num locus hic mutilus sit, considerandum amplius. Nam Plinius Valer. qui totum fere opus suum ex Plinii nostri verbis contexuit, iv. 1. de raphani virtutibus, ita habet: 'Semine raphani cum melle trito et sumto, suspirium mitigatur, et tussis arcetur. Solus cum sale sumtus ventris animalia extinguit.' Nihil tamen sine

vade movere ausim. Quod vero ad periodum proxime insequentem attinet, quæ hactenus ita legebatur perpetua serie, *Item ad tertias decocto eorum poto cum vino enterocelis prosunt:* in duas distrahendam esse partes ex Plinio Valeriano, Marcelloque Empirico constat: ut prior illa, *ad tertias decocto eorum poto, cum vino,* ad superiorem morbum spectet, nempe ad intestinorum animalia detrahenda. Posterior, nova ibi instituta periodo, ad enterocelas. Marcelli hæc verba sunt, c. 28. p. 200. 'Raphanus ex aqua ad tertias decoquitur, eaque vino mixta, ad extirpandas tineas utiliter bibitur.' Plinii vero Valer. II. 21. 'Tineis purgandis:' 'Raphani decoquuntur ex aqua ad tertias, et ea aqua vino miscetur.'

9. CAP. XVII. *Stomachum excitat, fastidium absterget, ex aceto .... vel ex garo. Urinam ciet, &c.*] Præpostera interpunctione locus hic ante laborabat, in hunc modum: *Stomachum excitat, fastidium absterget. Ex aceto .... vel ex garo urinam ciet.* Ut sic restitueremus, auriculam vellit Galenus, et admonuit, de Alim. Facult. II. 55. p. 364. de gingidio: Προσφέρονται δ' αὐτό τινες δι' ἐλαίου, καὶ γάρου· τινὲς δὲ καὶ οἶνον ἢ ὄξος ἐμβάλλοντες· καὶ πολύ γε μᾶλλον εὐστόμαχόν τ' ἐστι, καὶ τοὺς ἀποσίτους προτρέπει μετ' ὄξους ἐσθιόμενον. *Sunt qui ipsum cum oleo et garo mandant: alii autem vinum etiam, vel acetum injiciunt: multoque magis ita stomachum juvat, collapsamque cibi appetentiam, si cum aceto sumatur, excitat.*

10. CAP. XX. *Sic et attrita sanant*] Prius legebatur, *sic et tritæ sanant.* In Mss. *trita.* Emendandi Dioscorides auctor fuit, qui II. 181. contra calceamentorum attritus utiles cepas esse prodidit: πρὸς ἐκτρίμματα ὑποδημάτων χρήσιμος.

11. CAP. XXIII. *Suspiriosis coctum, aliqui crudum id tritum dedere*] Vocem hanc *tritum* adjecimus, tum ex exemplarium Mss. fide, tum ex vetustis scriptoribus geminis, quorum alter a Plinio nostro, ab altero Plinius ipse noster hausit. Nam Plinius Valer. IV. 17. de allio: 'Suspiriosis quidam,' inquit, 'per se crudum, aliqui et cum lacte tritum dedere.' Celsus IV. 4. 'de difficultate spirandi:' 'Datur etiam utiliter frictum allium, deinde contritum, et cum melle mixtum.'

12. Ibid. *Et porrigines*] Prius *et prurigines* legebatur. At erroris admonuit Marcellus Empir. c. 4. p. 40. 'Ad pityriasin,' inquit, 'et porrigines capitis ... prodest ungere caput allio trito ex aceto et nitro.' Necnon Dioscorides, qui II. 182. τὰ πίτυρα allio quoque eximi prodidit. Adde consensum exemplarium manu scriptorum, Reg. Colb. Chiffl. &c. in quibus *porrigines*, non *prurigines*, scribitur.

13. Ibid. *Etiam arundines cum pice*] Subintellige, allium extrahit. Ita libri omnes, etiam Mss. Plane ut suspecta sit fides antiqui exemplaris, ex quo Pintianus *hirudines*, hoc est, sanguisugas, reponere conatus est. Præsertim Marcello Empirico, Plinioque Valeriano, huic lectioni mire suffragantibus: scriptoribus quidem non eruditissimis, sed quibus tamen concedendum in hac parte plurimum, cum opus ambo suum ex Plinii fere sententiis verbisque concinnarint. Et ille quidem, c. 34. p. 233. 'Allium elixum,' inquit, 'cum pice impositum, arundines extrahit corpori affixas. Filix radix trita arundinem extrahit: rursum arundinis radix,' &c. Iste III. 49. 'Ad extrahenda ea quæ corpori infixa sunt:' 'Allium elixum cum pice, arundines extrahit,' &c.

14. CAP. XXVIII. *Est et beta ... foliis, undecim sæpe, caule lilii*] Libri hactenus editi, *undecim sæpe caulium.* Repugnat ipsa plantæ natura, quam nos in horto Regio vidimus: ipseque Dioscorides, qui ex iisdem fontibus, unde Plinius noster hausit, ea quæ de

limonio prodidit, mutuatus, librariorum in hac parte vitium retegit. Sic enim ille IV. 16. Λειμώνιον, οἱ δὲ νευροειδὲς, τὰ μὲν φύλλα ἔχει ὅμοια σεύτλῳ, λεπτότερα δὲ, καὶ μικρότερα, δέκα ἢ πλείω. Καυλὸν λεπτὸν, ὄρθιον, ἴσον ὥσπερ κρίνου. *Limonium, aliis neuroides dictum, folia habet betæ, verum tenuiora et minora, decem aut plura. Caulem tenuem, rectum, liliaceo æqualem, &c.*

15. Ibid. *Gustantium os astringunt*] Prius legebatur, *guttantia astringunt*, nulla plane sententia. In Reg. 1. et Colb. 1. 2. *gustantia musati stringunt*. In Reg. 2. *gustantium os atistringunt*. Dioscor. lib. IV. c. 16. rem decidit, cum semen limonii prodit gustu astringere, στύφοντα καρπὸν τὴν γεῦσιν.

16. Cap. XXXIII. *Sic etiam fistulas, et luxata, et humores evocari*] Recepta hactenus lectio fuit ejuscemodi, *sic etiam fistulas eluxatas, et tumores evocari*. At quæ fistulæ eluxatæ auditæ unquam fuerint, aut vero esse possint, quive tumores evocandi, non satis intelligo. Locum sanavimus ex auctore gemino: altero, qui ex Plinio: altero, ex quo Plinius ipse hausit. Ille enim, qui Plinius Valerianus dictus est, IV. 29. de brassica: 'Fistulas,' inquit, 'atque luxata discutit, humores aut evocat, aut spargit imposita, insomnia ac vigilias compescit,' &c. Cato vero, c. 157. p. 85. 'Si cancer ater est, is olet, et saniem spurcam mittit. Si albus, purulentus est. Sed si fistulosus, subtus suppurat sub carne. In ea vulnera hujuscemodi tere brassicam, sanum faciet ... Et luxatum si quod est, bis die calida foveto, brassicam tritam apponito, cito sanum faciet.'

17. Cap. XL. *Prosunt per se, aut, ut Damion, ex mulso*] Plinium Valerianum miror, qui et Medicus haberi et dici voluit, dum hunc scriptoris nostri locum exscriberet, tam fœdo errore prolapsum, ut pro *mulso*, *muscum* legerit, et suum nobis deinde errorem intrepide obtruserit. Sic enim ille de Re Med. III. 20. 'Efficaces,' inquit, 'sunt et bulbi triti per se ad vulnera glutinanda. Adjiciebat tamen illis Damon medicus muscum qui in aqua gignitur, et die quinto solvebat.' At multo cautius *ex mulso* legit Marcellus Empiric. c. 33. pag. 228.

18. Cap. XLVI. *Semine recto, cumino simili*] Non, ut prius editum erat, *simile*: ad ipsum enim semen vox ea refertur, cujus similitudo notatur cum cumini semine. Diosc. III. 76. Ὀρεοσέλινον, καυλός ἐστι σπιθαμιαῖος εἰς ἐκ ῥίζης λεπτῆς· ... ὁ καρπὸς ἐπιμήκης, δριμὺς, λεπτὸς, εὐώδης, ἐοικὼς κυμίνῳ.

19. Cap. XLIX. *Nam de Venere stimulanda diximus: tria folia sylvestris erucæ sinistra manu decerpta, et trita in aqua mulsa si bibantur*] Non ad stimulandam Venerem, sed ad regium morbum pellendum hoc medicamento Florentinus utitur in Geopon. XII. 26. p. 349. Ἀγρίου δὲ εὐζώμου φύλλα τὸν ἀριθμὸν γ', τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ ληφθέντα, ἴκτερον ἰᾶται. Quin et Plinius alter Valerianus, qui suum opus ex Plinii nostri verbis sententiisque concinnavit, II. 59. ad morbum regium sanandum hæc refert. Capitis lemma est, 'Regio morbo pellendo:' atque inter medicamenta illud accensetur: 'Erucæ sylvestris tria folia sinistra manu decerpta ex aqua mulsa bibuntur.' Nihil hic porro manu scripti codices juvant: nihil conjectura: quanquam aut mutilatione aliqua verborum, aut trajectione sententiæ laborare hunc locum haud levis suspicio est. Ad Venerem non folia, sed semen ipsum erucæ adhibet auctor libri, qui falso Kiranus inscribitur, p. 24.

20. Cap. LI. *Idem oculis noxiam rutam putavit. Falsum: quoniam scalptores et pictores hoc cibo utuntur oculorum causa, cum pane vel nasturtio: capræ quoque sylvestres propter visum, ut aiunt. Multi succo ejus cum melle Atti-*

co inuncti discusserunt caligines, &c.] In libris hactenus editis sic legebatur: *Idem oculis noxiam putavit falso, quoniam .... oculorum causa. Cum pane quoque vel nasturtio sativæ atque sylvestris propter visum. Ut aiunt, multi succo ejus, &c.* Quo in loco mire grassata interpolatorum audacia est: nam ut omittam *falso* pro *falsum*, quod levissimum est, primum voculam *quoque* suo loco movere: adjecere deinde alteram *sativæ*, quæ nusquam in libris conditivis apparet: ac de sativa sylvestrique ruta locum hunc accepere: quem errorem Ruellius, Dalecampius, et alii, qui Plinium exscripsere, secuti sunt. Denique et inepta constructione verborum, cui nulla legitima sententia subest, et præpostera interpunctione omnia corrupere. In Mss. omnibus sic plane legitur: *Falsum ... cum pane vel nasturtio, atque quoque sylvestres propter visum, ut aiunt. Multi, &c.* Unde nos ex conjectura, quam esse certissimam fidenter asseveramus, *capræ quoque sylvestres*, legi oportere pronuntiamus, quod uti nunc de ruta Pythagoram, sic ipse Plinius c. 47. Chrysippum in ocimo coarguit, quod iste oculorum claritati inimicum aiebat, secuta deinde ætas cum Plinio falsum esse deprehendit, 'nam id esse capras.' Mox paulo eadem cap. ubi prius legebatur: *Epiphoras cum polenta imposito. Lenit autem capitis dolores*, ex Mss. fide rescripsimus: *Epiphoras cum polenta imposita lenit. Item capitis dolores.*

21. Ibid. *Sic et sanguinem sistit interiorem, et narium indita*] Ita libri omnes, etiam manu exarati. Mirum est laborasse nonnullos uti hanc vocem, *interiorem*, vel omnino expungerent, vel in deterius immutarent. Alii *sanguinem interioribus indita*: alii *trita et naribus indita*, legi voluere. At *interiorem sanguinem* Plinii sedulus imitator Marcellus Empir. c. 17. p. 128. eruptionem sanguinis ex interioribus partibus vocat. Et Plinius Valer. I. 64. cui titulum fecit, 'Sanguinem rejicientium curatio:' 'Aqua,' ait, 'in qua rosa, et ruta, et hyssopum decocta sunt, vino miscetur, et ita potui propinatur.'

22. Cap. LII. *Ruptis, convulsis, sed parcius: orthopnoicis, torminibus, cholericis, &c.*] Prioribus verbis prætermissis recepta hactenus lectio id solum exhibuit, *orthopnoicis, torminibus colericis.* Lacunam intrepide supplevimus, tum ex fide codicum Mss. Reg. Colbert. et vet. Dalec. tum ex Diosc. qui easdem calaminthæ suæ vires ascribit, quas mentastro Plinius. Sic enim ille III. 43. Βοηθεῖ δὲ καὶ ῥήγμασι, σπάσμασιν, ὀρθοπνόαις, στρόφοις, χολέρᾳ, καὶ ῥίγει.

23. Cap. LIV. *Dignior e pulegio corona Varroni, quam e rosis, cubiculis nostris pronuntiata est*] Sincera hæc lectio est Reg. 2. cod. et Chiffl. In aliis, *contra vartini.* In editis *corona vertigini* legitur, satis insulse. Et certe *dignior corona cubiculis* cum dicitur, ad cubiculorum magis ornatum, quam ad remedium vertiginis, suggerendum spectat haud dubie hæc loquendi forma. Deinde, ne quis temere Varronem a nobis huc insertum putet, in ipso hujus libri Indice, inter primos appellatur. Et justum hoc loco ac verum fuit, auctorem eum qui digniorem e pulegio coronam, quam e rosa pronuntiasset, appellasse. Id vero obiter quoque animadvertendum, non 'pulegium' veteres, sed, extrita litera *g*, 'puleium' ubique scripsisse. Martialis XII. 32. 'Quadrima nigri nec corona puleii.'

24. Cap. LVII. *Et oculorum epiphoris .... tumentibus cum melle prodest*] Ex Dioscoride, *Testiculorum epiphoris*, hoc est, inflammationibus, reponere Dalecampius omni ope nititur: vocemque *tumentibus*, quæ mox sequitur, de hernia nescio qua flatuosa accipit: qua in re vereor magnopere ut suffragatores habeat Medicæ rei magistros. Nos, qui nihil

astutius meditamur, pertinacem omnium codicum consensionem secuti, de oculorum epiphoris, ac tumore accipimus: cum præsertim de testium tumore mox ex ipso cumino medicina præscribatur, quam proinde hoc loco ante delibare, non fuit operæ pretium.

25. CAP. LVIII. *Quia efficacius Ægyptio judicavit*] In libris hactenus editis, *quia efficacius in Ægypto judicavit.* Quid porro istud rei est? idcircone cuminum Æthiopicum Hippocrates regium appellaverit, quoniam illud in Ægypto efficacius judicarit? An cohærent ista inter se satis apte? In Mss. Reg. Colb. &c. *quia efficacius Ægypto judicavit.* Nos ex indubitata conjectura *Ægyptio* reponimus: cui post Æthiopicum Dioscorides pariter III. 68. secundas partes ac vires assignat: Κύμινον τὸ ἥμερον εὔστομον· καὶ τούτου μᾶλλον τὸ Αἰθιοπικὸν, ὅπερ Ἱπποκράτης βασιλικὸν ἐκάλεσε· δεύτερον τὸ Αἰγύπτιον, κ.τ.λ.

26. CAP. LIX. *Heracleoticum ad potum utilius, quod onitin vocant*] Sincerius, credo, legas, *eo quod onitin vocant;* vel, *quam quod onitin vocant.* Discrepat enim onitis, de quo cap. 67. ab Heracleotico, de quo cap. 62. Galenum adde, cujus eadem fere sententia est, de Fac. Simp. Med. lib. VII. pag. 215. Ὀρίγανος ἡ μὲν Ἡρακλεωτικὴ δραστικωτέρα τῆς ὀνίτιδος, *efficacior est onitide.* Subscribit et Dioscor. III. 32. Atque hanc esse Plinii mentem, vel ex verbis, quæ proxime subsequuntur, perspicuum est: subjicitur enim statim, 'Communi santem usus,' utriusque scilicet origani, Heracleotici, onitidisque: quorum forma dispar, ad potum dissimilis usus, eædem in medicina vires.

27. CAP. LXXIII. *Tlepolemus ad quartanas ternis digitis seminis anisi et fœniculi usus est in aceto, et mellis cyatho uno*] Hoc medicamentum dum Q. Serenus a Tlepolemo, Pliniove, transcriberet, pro *aniso, anethum* reposuit. Sic enim ille cap. de quartana medicanda: 'Sume tribus digitis apprensum semen anethi, Tantundem marathri, mulsum nec desit aceti: In cujus cyatho prædicta salubriter hauris.' Nisi forte amanuensium id incuria factum est, qui pro *anesi*, ut vetustiores libri omnes manu exarati habent, *anethi* de suo inseruerint.

28. CAP. LXXVI. *Hora sereni diei*] Sic libri omnes, etiam conditivi, quos vidimus: Reg. Colb. Th. &c. Rectius forsan, ut in suis membranis vidisse Gronovius contestatur, *hora sereni diei tertia:* si probatæ admodum fidei forent. Certe hora diei tertia, hoc est, medio inter Solis exortum et meridiem intervallo, ros inarescere solet, æstusque incipere: quare Columella XI. 2. in Augusto monet: 'Quascumque vineas culturi sumus, ne per æstum, sed mane usque in tertiam; et a decima usque in crepusculum fodiamus.' Sextam horam, meridiem intelligi oportet.

29. Ibid. *P. Licinii Cæcinæ Prætorii viri patrem in Hispania Bavili*] In Mss. Reg. 1. 2. &c. *Postlicini.* Forte pro *Postumii Licinii.* Sed quod ad vocem *Bavili* attinet, quam libri omnes pertinaciter retinent, ea si mutari debet, non in *Bilbili*, quod nomen oppidi quidem in Hispania est, sed quod a veteris scripturæ vestigiis recedat sane longius, (quanquam ea fuit Dalecampii conjectura, quam Salmasius avide arripuit, in Solin. pag. 876.) sed in *Bajuli* potius, quod multo affinius est, cum totidem plane vox ea constet apicibus, converti crediderim oportere. Fuisse enim jam tum videtur in Hispania, ut modo in Gallia, id Prætoris nomen: nam quos Ballivos dicimus, a voce 'Bajulus' dictos omnino constat, ut egregie observavit V. Cl. D. Du-Cange in Glossario, pag. 436. apud quem et Bajuli vocem pro Ballivo usurpari sæpe, et

pro Mercatorum Prætore, et pro aliis magistratibus, videre licet. Stabilit egregie conjecturam nostram, quod is ipse qui nunc in Hispania Bajulus appellatur, idem paulo mox cap. 81. Hispaniæ Princeps vocatur.

30. Cap. lxxix. *Foliis . . . speciem passerum præbentibus. Ex hoc lina splendorem*] Quoniam Theophr. Hist. ix. 13. de papavere Heraclio ita prodidit: Τὸ μὲν φύλλον ἔχουσα οἷον στρουθὸς, ᾧ τὰ ὀθόνια λευκαίνουσι. Hoc est, *folium habet simile struthio, quo lintea dealbantur*. Idcirco geminum errorem a Plinio nunc admissum clamat Salmasius, in libello quem inscripsit, 'Præfatio in Plinium,' pag. 110. Primum, quod vocis στρουθὸς ambiguitate deceptus, de passeribus interpretatus est, quod de struthio herba dicere debuit, qua de egimus xix. 18. Alterum, quod virtutem eam dealbandi lina, quia ad passerem non poterat, ad heraclion papaver transtulit, quod struthii herbæ proprium ac peculiare est. Sed ne hoc primum a Salmasio animadversum putes, id antea Hermolaus Barbarus, et Leonicenus Pliniomastix, id deinde Matthiolus, in Diosc. lib. iv. pag. 1061. id Dalecampius in Notis, auctori nostro jampridem objecerant. Sed frustra omnes: est enim ille tum Plinii mos, tum herbariorum omnium, ut non herbas modo, sed et animalia, resque surdas interdum, ac diversissimas in exemplum afferant. Quod si, ut nominis, ita et formæ similitudinem aliquam cum passere στρούθιον herba habet, quid causæ demum esse potest, cur non et cum eadem ave affinitatem habeat papaver heraclium, quod ei herbæ simillimum ultro agnoscitur, quæ cum ea ave quandam cognationem formæ ac nominis habeat? Sic et in sylvestris quoque papaveris genere, corniculatum unum dici Theophrastus ipse scribit, quod fructus inflexi, ut cornicula, figurantur. Sic cum psyllium describunt herbarii, flores caninis capitibus similes pingunt: cum echion, vipereis: cum antirrhini fructum, vitulinis naribus: cum myosotin, auribus murinis: cum alectorolophon, cristis gallinaceis, &c. Plura apud Collinutium vide, in defensione Plinii adversus Leonicenum, unde hæc fere decerpsimus. Sunt et apud nos quæ ab hujusmodi affinitate nomen vernaculum habent, *Pied d'alouette, Gueule de loup, &c.*

31. Ibid. *Fit autem hujus papaveris, aut cujuscumque sylvestris*] Hic falli Plinium Dalecampius iterum asseverat: quod Dioscorides ex sativo tantum papavere diacodion concinnari dicat. Bene se res habet. Exhausisse naturam omnem, viresque singularum rerum attigisse, Dioscoridem unum putat. Quid igitur fiet Critoni Medico, et, qui Critonem sequitur, Galeno, qui κατὰ τόπους, vii. 7. pag. 585. ad arteriacen parandam κωδείας ἀγρίας desiderat? Quid Democrati, cujus hæc carmina apud eundem extant, pag. seq. Μήκωνος, ἣν λέγουσιν οἱ γεηπόνοι Μήκωνα ἀγρίαν, οὐδὲ γάρ πω σπείρεται, Κεφαλὰς ἔτι χλωρὰς, ἃς λέγομεν καὶ κωδύας. Quid denique Scribonio Largo, ut et Latinos afferam, qui Compos. Medic. 18. 'Ad tumorem et raucitatem arteriæ, et vocis abscissionem,' num. 73. 'Ad tumorem arteriæ,' inquit, 'papaveris sylvatici jam maturi, viridis tamen adhuc, capita quam plurima vase fictili conjiciuntur, aquaque superfunduntur, &c. Hoc medicamentum ad arteriæ tumorem, et ad tussim facit.'

32. Cap. lxxx. *Alii paralion, folio lini*] Prius legebatur, *folio lævi*. In Mss. Reg. Colb. &c. *folio lini*. Nos intrepide *lini* rescribimus, a Dioscoride admoniti, cujus hæc oratio est in describendo tithymalo paralio, iv. 165. φύλλα λινοειδῆ λίνῳ.

33. Cap. lxxxiv. *Valent et contra venena*] Sic libri omnes editi. In

Mss. Reg. 1. Colb. 1. 2. *Valent et contra phystim venena.* In Reg. 2. *et contra psitim venena.* Ut legi videatur oportere, *Valent et contra presterum venena.* Est enim prester e serpentium genere, quarum de venenis in præsenti agitur. Vel certe, *Valent et contra psimmithii venena*, hoc est, cerussæ: nam contra cerussam epotam valere malvæ cum radicibus decoctum, auctor est Diosc. Εὐπορ. II. 168. pag. 125. Ψιμμυθίου δὲ ποθέντος .... μαλάχης ἀφέψημα σὺν ταῖς ῥίζαις.

34. Cap. LXXXV. *Lapathum cantherinum, ad strumas cum axungia efficacissimum. Est et alterum genus fere, oxylapathon vocant*] Num mutata interpunctione legi in hunc modum oporteat: *Lapathum cantherinum. Ad strumas cum axungia efficacissimum est et alterum genus fere, &c.* scrupulum Apuleius, injicit. Is enim cap. 33. tit. 1. 'Si qua duritia in corpore:' 'Herba oxylapathon,' inquit, 'cum axungia vetere pisata, et cum pane domestico facta quasi malagma, et imposita mirifice sanat.' Sed oxylapathum is pro oxalide accepit haud dubie, quam et oxylapalin appellari prodidit Scholiastes Nicandri, in Theriac. p. 39. Ὀξαλὶς, καὶ ὀξυλάπαλις, καὶ ἀναξυρὶς καλεῖται.

35. Ibid. *Radix aceto decocta si coletur, succus dentibus auxiliatur*] *Si colluatur* aliqui legi malunt, ad differentiam bibiti. Sequitur enim, 'Si vero bibatur, morbo regio.' Favere ei conjecturæ Marcellus Empir. videtur, cap. 12. pag. 95. 'Lapathi radix,' inquit, 'in aceto acerrimo coquitur, atque eo aceto dentes colluuntur, vel foventur.' Plinius Valer. I. 38. 'Agrestis lapathi, quod alii rumicem dicunt, radix .... cum aceti cyathis quinque cocta, in ore aceto tento, dolorem dentium tollit.' Diosc. quoque, II. 140. Παρηγοροῦσι δὲ .... ὀδονταλγίαν ἑψηθεῖσαι ἐν οἴνῳ, καὶ διακλυζόμεναι. Nihilominus omnium exemplarium, quæ videre licuit, fidem secutus, nihil muto. Colari enim radicis succum oportere Plinius ait ad utrumque medicamentum: sive ad dentium dolorem leniendum, quos eo collui necesse est: sive ad potum, regio morbo pellendo. Plinius Valer. II. 59. 'Lapathi radices conteres ex vino austero, colabisque, et potui dabis: mire auruginem tollit.'

36. Cap. LXXXVII. *Hydropicis imponitur cum fico et cumino tusum ternis partibus. Comitiali morbo, et vulvarum conversione suffocatas excitat odore, aceto mixto*] Præpostera interpunctione perturbata hactenus omnia hoc loco fuere, et quæ hydropicis adhibita remedia, eadem epilepticis attributa. Sic enim legebatur: *Hydropicis imponitur: cum fico et cumino tusum ternis partibus comitiali morbo: vulvarum conversione suffocatas excitat odore, aceto mixto.* Erroris admonuere scriptores duo: alter qui de hydropicis, alter qui de epilepticis et vulvarum conversione suffocatis eadem prodidere. Plinius Valer. III. 12. de hydropisi: 'Sinapi,' inquit, 'et ficus, et cuminum, æquis partibus tusa, ventri imponuntur.' Cælius Aurel. Chron. I. 4. de epilepsia: 'Articulos quoque omnes,' inquit, 'ligatione constringentes, sternutamento commoto ex aceto, naribus interius flato, cum sinapi, ... vel iis quæ ad matricis præfocationes incendenda posuerunt.'

37. Cap. LXXXIX. *Ipsa herba .... exscreationes pectoris purgat cum iride et melle. Urinam ciet*] Prius legebatur: *pectoris purgat. Cum iride et melle urinam ciet.* Vitiosam hanc interpunctionem esse Dioscorides admonuit, cujus hæc verba, III. 119. de marrubio agentis: Ἀνάγει καὶ πάχος ἐκ θώρακος, ἴριδος ξηρᾶς μιγείσης. *Crassam quoque pituitam pectore contentam, admixta iride sicca, exscreatione purgat.*

38. Cap. XCII. *Anginas .... et cum aniso illitum*] In Mss. ubique, uti

monuimus, hoc loco *aneso* pro *aniso* scribitur. Sed *anethum* legerunt, Marcellus Empir. cap. 15. pag. 106. 'Lini semen,' inquit, 'et anethum, cum sale: et oleo, et aceto decoctum, bene contra faucium dolores gargarizabitur:' et pag. 108. ad fauces curandas rursum anethum adhibet: et Plinius Valer. I. 52. cui lemma inscriptum, 'Anginæ medendo:' 'Lini semen,' inquit, 'et anethum in oleo et aqua decoctum ad tertias, imponitur: acetum item et sal gargarizetur.' Et cap. 45. de tonsillarum vitio: 'Lini semen,' inquit, 'et anethum in oleo et aqua decoctum imponitur, et acetum gargarizatur.'

39. CAP. XCIV. *Foliis aniso simile*] Et hic rursum in Mss. omnibus, Reg. Colb. &c. ut proxime ante monuimus, *aneso* legitur. Verum haud dubie *anetho* legendum, res ipsa et similitudo mei anethique foliorum admonet. Adde Diosc. I. 3. Μῆον, . . . ὅμοιον καυλῷ καὶ τοῖς φύλλοις ἀνήθῳ· παχύτερον δὲ τοῦ ἀνήθου. Habet eadem quoque interpres Oribasii lib. XI. fol. 206.

40. CAP. XCVIII. *E viridi medulla, vulvis utilis, et ad omnia ea vitia*] Libri hactenus editi, *Et viridi ferula ramusculus utilis est ad omnia ea vitia.* Reg. 1. 2. Colb. 1. 2. &c. *Et viride medulla vultui utile est ad omnia ea vitia.* In Chiffl. *vultuis:* unde nos satis feliciter, ut remur, *vulvis* effinximus. Vocibus deinde istis, *omnia ea vitia*, quæ Mss. omnes editique conspirante consensu exhibent, ante dicta morborum genera signari intelligimus.

41. CAP. XC. *Mastiche cardui odorem commendat oris*] Interpolatores sic prius ediderant, *Manducatus carduus.* At in Mss. Reg. 1. 2. Colb. 1. 2. &c. *Mastethe carduis.* Errorem, auctore Plinio altero Valeriano, corrigimus, ita scribente IV. 16. 'Masticha carduorum odorem oris commendabilem reddit.'

C. PLINII SECUNDI

NATURALIS HISTORIÆ

LIBER XXI.

Natura florum et coronamentorum.

I. (I.) In hortis seri et coronamenta [1] jussit Cato, inenarrabili florum maxime subtilitate: quando nulli potest facilius esse loqui, quam rerum naturæ pingere, lascivienti præsertim, et in magno gaudio fertilitatis tam variæ [2] ludenti. Quippe reliqua usus alimentique gratia genuit: ideoque sæcula annosque tribuit iis. Flores vero odoresque in diem gignit: magna, ut palam est, admonitione hominum, quæ spectatissime floreant, celerrime [3] marcescere. Sed ne pictura quidem sufficiente [4] imagini colorum reddendæ, mixturarumque varietati, [5] sive alterni [a] atque mul-

CAP. I. 1 'Ita codd. Regg. Editio princeps, et Cl. Rezzonicus.' *Brotier.* Ita quoque Dalec. Elz. Gronov. et Franz. *In h. seri coronamenta* Harduin. 1. 2. 3. Miller. et Bipont.—2 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *varie* Gronov. et al. vett.—3 Chiffl. *celerius.* —4 Vet. Dalec. *sufficit.*—5 Ita codd. Harduini et Vet. Dalec. *mixturarum*

NOTÆ

[a] *Sive alterni*] Sive alterni flores atque multiplices nectantur in coronam: sive singulorum generum diversi funiculi modo in orbem ducantur, modo in obliquum: etiam quandoque toto coronæ ambitu, ut coronæ complures in una corona ductæ videantur.

tiplices inter se nectantur, sive privatis generum[6] funiculis in orbem, in obliquum, in ambitum, quædam coronæ per coronas currunt.

II. (II.) Tenuioribus[b] utebantur antiqui, struppos[1] appellantes:[c] unde nata strophiola. Quin et vocabulum ipsum tarde communicatum est,[2] inter sacra tantum et bellicos honores coronis suum nomen vindicantibus. Cum vero e floribus fierent serta, a serendo serieve[d] appellabantur:[3] quod apud Græcos[e] quoque non adeo antiquitus placuit.

III. Arborum enim ramis coronari in sacris certaminibus,[f] mos erat primum. Postea variari[1][g] cœptum mixtura versicolori florum, quæ invicem odores coloresque accenderet, Sicyone,[2][h] ex ingenio Pausiæ pictoris atque Glyce-

varietati Gronov. et vulgg.—6 Salmas. conj. *privati generis*.

Cap. II. 1 'Ita codd. Regg. 1. 2. et Camerac. Vide Festum verbo 'stroppus.'' *Brotier.* *stroppos* codd. Harduini, Chiffl. et Laet. item edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *stropos* Turneb. *strophia* Gronov. et al. vett.—2 Margo edd. Dalec. et Gronov. *tarde inde communicatum est*.—3 'In codd. Reg. 1. Camerac. et Lang. *serive appellabantur*. Emendandum fuit, *serieve appellabantur*, ut conjecerat eruditus Harduinus.' *Brotier.* Ita ante Harduinum conj. Salmasius. *fierent, serta a serendo appellabantur* Turneb. Edd. ante Brotier, *serviæ app.* Cod. Dalec. et Chiffl. *serivæ*.

Cap. III. 1 Margo edd. Dalec. et Gronov. *variare*.—2 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *versicolori florum quæ in od. col. accenderet, Sicione* Turneb. et Chiffl. *versicolori. Florumque invicem . . . Sicyonii*

NOTÆ

[b] *Tenuioribus*] Coronis videlicet, non e floribus quidem, sed e duabus tribusve tæniis, sive corollis invicem tortis: sic ut e pluribus una fieret. Στρόφια dicebantur, hoc est, fasciæ capitis. Nomen ex eo, quod essent eæ tortiles. Virg. in Copa: 'Et gravidum roseo necte caput strophio.'

[c] *Struppos appellantes*] Hoc est, strophia. Vide Notas et Emend. num. 1.

[d] *A serendo serieve* [*serviæ*] Vide Notas et Emend. num. 2. Serere porro intellige 'ligare:' unde et conserere.

[e] *Quod apud Græcos*] Σπάρτα recentiores Græcos, a σπείρω, quod et *sero* seu *necto* significat, pro sertis dixisse innuit. Quod et stabilire Hesychius videtur, cum σπάρτα interpretatur ῥάμματα, et βοστρύχια.

[f] *In sacris certaminibus*] Vide Archiæ Epigramma allatum a nobis, xv. 5.

[g] *Postea variari*] 'Pancarpiæ,' inquit Festus, 'dicuntur coronæ ex vario genere florum factæ.'

[h] *Sicyone*] Sic Mss. Reg. Colb. &c. De Glycera, Pausiaque, hæc multo tradentur uberius, xxxv. 40.

ræ coronariæ, dilectæ admodum illi, cum opera ejus pictura imitaretur, et illa provocans variaret, essetque certamen artis ac naturæ: quales etiam nunc extant artificis illius tabellæ, atque inprimis appellata Stephaneplocos,[3] [i] qua pinxit ipsam. Idque factum est post Olympiadem[4] centesimam. Sic coronis e floribus receptis, paulo mox subiere, quæ vocantur Ægyptiæ,[j] ac deinde hybernæ,[k] cum terra flores negat, ramento e cornibus tincto. Paulatimque et Romæ surrepsit appellatio, corollis inter initia propter gracilitatem nominatis: mox et corollariis, postquam e lamina[5] ærea tenui inaurata aut inargentata dabantur.

IV. (III.) Crassus dives, primus argento auroque folia imitatus, ludis suis coronas dedit. Accesseruntque et lemnisci,[l] quos adjici ipsarum coronarum honos erat, propter Etruscas,[m] quibus jungi nisi aurei non debebant. Puri diu fuere ii. Cælare eos primus instituit P. Claudius Pulcher,[n] bracteasque[o] etiam philyræ[1] dedit.

Gronov. et vulgg.—3 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. ex codd. *Stephanoploces* Gronov. et vulgg.—4 *Olympiada* Chiffl.—5 Chiffl. *corrollatis postquam e lamna.*
CAP. IV. 1 Vet. Dalec. *bractearumque etiam philyras.*

NOTÆ

Stephaneplocos] Ita Mss. laudati, non *stephanoplocos*. Στεφανηπλόκος, ut apud Theophr. legitur Hist. VI. 7. qui vel quæ nectit, et texit coronas. De hac pictura seu tabula dicetur fusius loco cit.

[j] *Ægyptiæ*] Ex hedera, narcisso, mali punicæ floribus, aliisque quas Athenæus enumerat, lib. XV. pag. 679. et 680.

[k] *Hybernæ*] Quales nunc fiunt e charta picta atque concisa, flores multiplices repræsentante.

[l] *Lemnisci*] Festus: 'Lemnisci sunt fasciæ coloriæ dependentes ex coronis, quod antiquissimum fuit genus coronarum lanearum.' Hesychius: *Λημνίσκους, τὰς στεφὰς Συρακούσιοι ταινίας.* Capitolinus in Vero, pag. 37. 'Coronas quin etiam datas, lemniscis aureis interpositis, et alieni temporis floribus.' Nempe ad imitationem veterum, ex lauro foliisque nexæ coronæ: quibus lemnisci aurei additi. Antiquitus ex auro, nunc e serico fasciolæ sunt, quibus lemniscorum possit appellatio tribui, *des rubans.* Non coronis modo, sed et palmis, quæ præmia Circensis victoriæ, lemnisci addebantur: unde utraque lemniscatæ dictæ.

[m] *Etruscas*] Tertullianus de Corona Mil. anteponi ait reliquis coronis Etruscas: subjicitque, 'Hoc vocabulum esse coronarum, quas gemmis et foliis ex auro quercinis, ob Jovem insignes, ad deducendas tensas cum palmatis togis sumebant.' Plinius ipse XXXIII. 4. 'Corona ex auro Etrusca.'

v. Semper tamen auctoritas vel ludicro quæsitarum fuit.[a] Namque ad certamina in Circum per ludos et ipsi descendebant, et servos suos quique[1] mittebant. Inde illa XII. tabularum[p] lex: 'Qui coronam parit ipse, pecuniave ejus, virtutis ergo duitor ei.'[2 q] Quam servi equive meruissent, pecunia partam lege dici, nemo dubitavit. Quis ergo honos? ut ipsi mortuo, parentibusque ejus,[r] dum intus positus esset, forisve ferretur,[3] sine fraude esset imposita. Alias in usu promiscuo ne ludicræ[4] quidem erant.

vi. Ingensque et hinc severitas.[1] L. Fulvius argentarius,[s] bello Punico secundo, cum corona rosacea interdiu e

[a] *Semper magna fuit auctoritas coronarum, etiam earum quæ ludo parabantur.*

Cap. v. 1 Salmasius, *et servos suos equosque.*—2 Ita Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *virtutis ergo arduitor* Lipsius; *virtutis suæ ergo dividitor ei* Turneb. *virtutisve ergo dividitor ei* Vet. Dalec. *virtutisve ergo dividitur ei* Chiffl. *virtutis ergo arguitur* Gronov. et edd. vett.—3 Vet. Dalec. *efferretur.* —4 Turneb. e vet. cod. *ludiæ.*

Cap. vi. 1 'Ita codd. Regg. 1. 2.' *Brotier.* *et hic severitas* codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *et his severitas*

NOTÆ

[n] *P. Claudius Pulcher*] Is qui Consulatum Romæ gessit, anno U. C. DLXX. L. Porcio Licinio collega, ex Fastis.

[o] *Bracteasque*] Tenuisque jam, philyræ instar, ex auro argentove laminis, quibus lemnisci constabant, adjecit tenuiores bracteas alias, quæ tæniarum instar attextæ ac pendulæ forent.

[p] *Illa XII. tabularum*] Sic ab Ursino emendata: QUEI. CORONAM. PARET. IPSIUS. PECUNIAEVE. EJUS. VIRTUTISVE. DIDITOR. IPSEIQUE. MORTUO. PARENTALIBUS. EJUS. QUOM ENTUS. POSITOS. EST. QUOMQUE. FORIS. EXFERTOR. IMPOSITAD. SE. FRAUDE. ESTOD. Sententia est: ut qui coronam vel ipse virtute peperisset, vel servorum ministerio et quadrigis, eidem ea donaretur: eique etiam mortuo acquisita corona sine fraude imponeretur: non tantum illis septem diebus, quibus intus, id est, domi, positus esset: sed eo etiam die, quo cum pompa et ornatu in forum ad Rostra efferretur.

[q] *Duitor ei*] 'Αρχαϊκῶς pro *dator ei.* In Mss. Reg. 2. &c. *dividitur*: non, ut editi, *arguitur.*

[r] *Parentibusque ejus*] Haud legisse satis diligenter eam legem Ursinus, vel ex eo loco intelligitur, cum PARENTALIBUS, pro PARENTIBUSQUE scripsit. Nam præter Plinium accedit Tullii ipsius auctoritas, ita legem referentis, de Legibus lib. II. 'Illa jam significatio est, laudis ornamenta ad mortuos pertinere, coronam virtute partam, et ei qui peperisset, et ejus parenti sine fraude esse lex impositam jubet.' Vide et Suidam, verbo Κατάγειν.

[s] *Argentarius*] Τραπεζίτης, *un Banquier.*

pergula sua in forum prospexisse dictus, ex auctoritate senatus in carcerem abductus,[2] non ante finem belli emissus est. P. Munatius, cum demtam Marsyæ coronam[t] e floribus capiti suo imposuisset, atque ob id duci eum in vincula triumviri jussissent, appellavit tribunos plebis. Nec intercessere[u] illi: aliter quam[v] Athenis, ubi comessabundi[3] juvenes ante meridiem conventus sapientium quoque doctrinæ frequentabant.[4] Apud nos exemplum licentiæ hujus non est aliud quam filia Divi[w] Augusti, cujus luxuria noctibus coronatum Marsyam, literæ illius Dei[x] gemunt.

VII. Florum quidem populus Romanus honorem Scipioni tantum habuit.[1] Serapio[a] cognominabatur, propter si-

cod. Dalec. *et hunc severitas* Gronov. et vulgg.—2 Pintian. *adductus.*—3 Chiffl. *commissabundi.*—4 Dalec. *conventus quoque sapientium doctrinæ causa frequentabant.*

Cap. VII. 1 Cod. Dalec. *adhibuit.*—2 'Supra VII. 12. (10.) *mancipii suarii.*'

NOTÆ

[t] *Marsyæ coronam*] Capiti ejus Dei impositam. Marsyas minister Liberi Patris per civitates liberas in Foro positus, libertatis indicium est, qui erecta manu testatur nihil urbi deesse, inquit Servius, in Æneid. IV. 58.

[u] *Nec intercessere*] Sed castigandum censuere.

[v] *Aliter quam*] Contrario Atheniensium more, apud quos juvenes comessabundi ludum Philosophicum petebant.

[w] *Filia Divi*] Julia, de qua diximus VII. 46. Ut ad statuam Marsyæ in Foro positam, meretriculæ convenirent, impudicitiæque suæ testem corollam alicui minorum gentium Deo imponerent, malo te a Lipsio, si pudor suadet, ediscere, Antiq. Lect. lib. III. pag. 120. quam immorari me in ista tenebris Stygiis digna fœditate. De Julia Seneca de Benef. VI. 32. 'Augustus flagitia principalis domus in publicum emisit, admissos gregatim adulteros, pererratam nocturnis comessationibus urbem .... quotidianum ad Marsyam concursum, cum ex adultera in quæstuariam versa,' &c.

[x] *Literæ illius Dei*] Ita Mss. omnes. Sic dolenter scriptas literas eas innuit, ut ingemiscere quodammodo viderentur. Deum autem vocat, ut VII. 46. 'In summa Deus ille, cœlumque nescio adeptus magis, an meritus,' &c.

[a] *Serapio*] Diversus hic videtur ab eo Scipione Nasica, quem Serapionem quoque cognominatum vidimus VII. 10. Neque enim Nasicam Tribunum fuisse plebis, aut quisquam prodidit, aut simile veri est: nec fuit is ex Africanorum familia, sed ex Cornelia tantum Scipionum gente, in qua familiæ duæ diversæ Nasicarum, et Africanorum fuerunt. Nec tam angusta re fuit, Pontifex Max. cum esset, et agrum publicum teneret, ut Plutarchus refert in Gracchis,

militudinem suarii[2] cujusdam negotiatoris. Ob id erat in tribunatu plebi[3] admodum gratus, dignusque Africanorum familia. Nec erat in[4] bonis funeris impensa. Asses ergo[b] contulit populus, ac funus elocavit, quaque præferebatur,[5] flores e prospectu[c] omni sparsit.

VIII. Et jam tunc coronæ Deorum honos[d] erant, et Larium publicorum[e] privatorumque, ac sepulcrorum,[f] et Ma-

Dalec.—3 Gronov. et al. ante Harduin. *plebei*.—4 *Defuit* in cod. Dalec.—5 Cod. Dalec. *et qua parte ferebatur*.

NOTÆ

uti funeri deesset impensa: nec denique is Romæ, sed Pergami in Asia diem extremum obiit, uti ex Plutarcho loc. cit. p. 824. aliisque didicimus. Aliquem unum a Nasicæ liberis fuisse hunc necesse est, qui quam esset similis suario negotiatori pater, tam ipse vultu referret patrem.—'*Serapio*] Is quem Serapionem quoque cognominatum vidimus VII. 10. Quem cum et Tribunum fuisse plebis, et dignum Africanorum familia, Plin. dicit, servili origine fuisse eum, sed manumissum ab aliquo e Scipionibus, proptereaque Scipionem cognominatum, oblique significat.' *Ed. sec.*

[b] *Asses ergo*] Factitatum id et alias, ut in funere Valerii Publicolæ regum exactoris: Menenii Agrippæ, qui populum cum Senatu in gratiam adduxerat: Q. quoque Fabii Maximi, ut Valerius Max. prodidit, v. 2. pag. 263. His ære collato a populo Rom. justa sunt peracta. Huc pertinet vetus inscriptio, apud Gruter. pag. 488.

M. VINICIO. P. F.
POST. MORTEM
MUNICIPES. SUI
AERE. CONLATO
PIETATIS. CAUSA
PP.

[c] *Flores e prospectu*] E pergulis, e fenestris, unde prospectus in vicum. Supra XIX. 19. 'Præfigi prospectus,' hoc est, obstrui fenestras. Has ἀνθέων βολὰς, *florum sparsiones*, receptas in eos, quos honore volebant affectos, Lipsius ad Taciti Ann. XV. jam olim ex variis Auctoribus annotavit. Id observatum quoque in Bruti funere, auctor est Dionys. Halic. lib. v. In funere etiam filiæ Virginii, lib. XI.

[d] *Deorum honos*] Vetus inscriptio in thesauro Goltzii, pag. 272. CORONAE. CENTENAE. FORTUNAE. PRIMIGENIAE. DEDICATAE.

[e] *Larium publicorum*] Compitalium scilicet, de quibus diximus in Notis et Emend. ad lib. III. num. 46. Adi quoque Notas et Emend. ad hunc librum, num. 2. De privatis atque domesticis, Cato de Re Rust. cap. 143. 'Villica focum purum circumversum quotidie, priusquam cubitum eat, habeat. Kalendis, Idibus, Nonis, festus dies cum erit, coronam in focum indat, perque eos dies Lari familiari pro copia supplicet.' Plautus in Trinummo I. 2. 'Larem corona nostrum decorari volo.' Juvenalis Sat. IX. 'O parvi nostrique Lares, quos thure minuto, Aut farre, aut tenui soleo exornare corona.'

[f] *Ac sepulcrorum*] Idem Tibullus II. 4. 'Atque aliquis senior veteres veneratus amores, Annua constructo serta dabit tumulo.' Aram sepulcra-

nium: summaque auctoritas pactili[1] coronæ.[g] Sutiles[h] Saliorum sacris[2] [i] invenimus, et solennes cœnis. Transiere deinde ad rosaria:[j] eoque luxuria processit, ut non esset gratia nisi mero folio:[k] sutilibus mox petitis ab India, aut ultra Indos. Lautissimum quippe habetur e nardi folio eas dari, aut veste serica versicolores unguentis madidas. Hunc habet novissime exitum luxuria fœminarum.

IX. Et apud Græcos quidem de coronis privatim scripsere Mnesitheus[1] atque Callimachus medici, quæ nocerent capiti:[l] quoniam et in hoc est aliqua valetudinis portio, in

CAP. VIII. 1 Chiffl. *fictili.*—2 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *coronæ. Sutiles aliorum sacris* Gronov. et vulgg. *coronæ, uti Saliorum sacris* Salmas. *coronæ ut in Saliorum sacris invenimus solennes et cœnis* Turneb.

CAP. IX. 1 Ita codd. Harduini, Chiffl. Laet. et Turneb. item Harduin.

NOTÆ

lem coronari solitam ex vetere inscriptione scito, quæ apud Gruterum extat, p. 715.

[g] *Pactili coronæ*] Seu plectili, quod idem est. E multiplici flore folioque textæ. 'Plexa,' inquit Festus, 'colligata significat, ex Græco' πλέκω, id est, *concinno, texo, necto.* Πλεκτὸν Græci dicunt, et πηκτὸν, a πηγνύω, *compono.*

[h] *Sutiles*] Hæ pactilibus opponuntur: e rosarum foliis consutæ. Martial. v. 65. 'Pinguescat nimio madidus mihi crinis amomo, Lassenturque rosis tempora sutilibus.' Et IX. 91. ad Flaccum: 'Perfundas glaciem triente rubro: Frontem sutilibus ruber coronis,' &c. Et Epigr. 94. 'Sutilis aptetur decies rosa crinibus.' Sic et 'lapillos sutiles' Prudentius appellat, Hymno VII. vs. 158. et hyacinthos sutiles, in Hamartigenia, vs. 268.

[i] *Saliorum sacris*] Salii sacerdotes Romæ fuere, a saliendo dicti, quod ancilia per urbem gestantes salire soliti. Varro de Ling. Lat. lib. IV. 'Salii a saltando, quod facere in Comitio in sacris quotannis et solent, et debent.' Inde saliares epulæ, pro lautis et opiparis, quia tales erant Saliorum. Vide Festum.

[j] *Ad rosaria*] Ut e solis rosis coronæ necterentur.

[k] *Nisi mero folio*] Rosarum foliis, e quibus sutiles coronæ: cum antiquitus totæ rosæ sutilibus insererentur. Sed eo tandem luxuria processit, ut fastidita gratia floris pulcherrimi, ejus tantum folia retenta sint, quæ ut alia aliis veluti squamatim insererentur, inventa est conditura ratio, qua sic macerarentur, ut manus artificis, et puncturas quibus necterentur, pati possent. Tradit eam rationem Apicius de Re Culinar. cap. 1.

[l] *Quæ nocerent capiti*] Aristoteles ἐν τοῖς φυσικοῖς προβλήμασιν, inquit Athen. lib. XV. p. 692. hoc quærit, cur magis canescant, qui unguento magis caput illinunt? causasque aliquas affert, quæ in Problematum libro hodie non leguntur.

potu atque hilaritate præcipue odorum vi subrepente fallaciter, scelerata[2] Cleopatræ solertia. Namque in apparatu[3] belli Actiaci gratificationem ipsius reginæ Antonio timente, nec nisi prægustatos cibos sumente, fertur pavore ejus lusisse, extremis coronæ floribus veneno illitis, ipsaque capiti imposita, mox procedente hilaritate invitavit Antonium, ut coronas biberent. Quis ita timeret insidias? Ergo concerpta in scyphum incipienti haurire opposita manu: 'En ego sum,' inquit, 'illa, Marce Antoni,[4] quam tu nova prægustantium diligentia caves: adeo mihi,[5] [m] si possim sine te vivere, occasio aut ratio deest.' Inde eductum[n] custodia bibere jussit, illico expirantem. De floribus supra dictos[a] [6] scripsit Theophrastus[o] apud Græcos. Ex nostris autem inscripsere aliqui libros Anthologicon:[p] flores vero persecutus[7] est nemo, quod equidem inveniam. Nec nos nunc scilicet coronas nectemus: id enim frivolum est: sed de floribus, quæ videbuntur digna, memorabimus.

X. (IV.) Paucissima nostri genera coronamentorum inter hortensia novere, ac pæne violas rosasque tantum. Rosa nascitur spina verius, quam frutice, in rubo quoque[q] pro-

[a] *Præter dictos ante scriptores.*

1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *Mnestheus* Gronov. et vulgg.—2 Chiffl. *sceleratæ*.—3 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Namque apparatu* Gronov. et vulgg.—4 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *chare Antoni* Gronov. et vulgg.—5 Cod. Dalec. *ideo mihi;* Vet. Dalec. *At mihi, si possim sine te vivere, occidendi ratio adest.* Cod. Dalec. *ratio adest. Inde ductum in custodiam bibere jussit, illico expirantem.* Turneb. *ratio deest. Inde eductam custodiam, &c.* Chiffl. *Inductam custodiam, &c. expirantem.* Gronov. et al. ante Harduin. *illico exspirante;* codd. Harduini, *illico expirantem.*—6 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *supradictis* Chiffl. *extra supradictos* Gronov. et vulgg.—7 Cod. Dalec. *prosecutus.*

NOTÆ

[m] *Adeo mihi*] Εἰρωνικῶς.

[n] *Inde eductum*] Reum unum aliquem.

[o] *Theophrastus*] Maxime Hist. Plant. VI. 6. et 7.

[p] *Anthologicon*] Ἀνθολογικῶν. Vox ea *florilegium*, seu librum Collectaneorum sonat: non quod de floribus hortorum hi libri tractarent, sed quod sententiarum flores ex variis scriptoribus collectos continerent.

[q] *In rubo quoque*] In cynosbato, de quo XVI. 71.

veniens, illic etiam jucundi odoris, quamvis angusti.[r] Germinat omnis primo inclusa granoso cortice.[s] Quo mox intumescente, et in virides alabastros[t] fastigato,[1] paulatim rubescens dehiscit, ac sese pandit, in calycis[u] medio sui stantis[2] complexa luteos apices. Usus ejus in coronis prope minimus[v] est.[3] Oleo maceratur, idque jam a Trojanis temporibus, Homero teste.[w] Præterea in unguenta transit, ut diximus.[x] Per se medicas artes præbet. Emplastris atque collyriis inseritur mordaci subtilitate.[4] Mensarum etiam deliciis perungendis[5] minime noxia.

Genera ejus nostri fecere celeberrima, Prænestinam[y] et Campanam.[z] Addidere alii Milesiam, cui sit ardentissimus colos, non excedenti[6] duodena folia. Proximam ei Trachi-

CAP. X. 1 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *fastigiato* Gronov. et vulgg.—2 Vet. Dalec. *stanteis*.—3 Vet. Dalec. *nimius est*.—4 Alii ap. Dalec. *utilitate*.—5 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *integendis* Vet. Dalec. *inungendis* Gronov. et vett.—6 Ita codd. Harduini et Chiffl. *cujus*... *excedentis* Gronov. et vulgg.

NOTÆ

[r] *Quamvis angusti*] Nec late sese spargentis.

[s] *Granoso cortice*] Intus veluti quibusdam granis scabro. Nodum enim, seu globulum eum quo semen continetur, corticem Plinius nuncupat, non semel. Nam infra, 'Tardissime proveniunt semine, quod in ipso cortice est.' Μῆλον Theophrastus appellat, Hist. VI. 6. *Umbilicum*, ὀμφαλὸν, Arist. Problem. XII. 8.

[t] *In virides alabastros*] Alabastrum vocat rosæ calycem, antequam ea sit expansa: a similitudine nimirum cum alabastro, vase unguentario, cujus est longitudo fastigata, in pleniorem orbem desinens, ut Plinius ipse ait, IX. 56. Poëta quidam pyramides vocat, quos Plinius alabastros: et calathos, quos ille calyces: 'Prima dies ostendit spicula florum, Altera pyramides nodo majore tumentes: Tertia jam calathos.'

[u] *In calycis*] Forte sincerius, *sese pandit in calyces, medio sui stantes complexa luteos apices*. Calyx vocatur, qui lutea stamina seu apices, et floris folia continet.

[v] *In coronis prope minimus*] Præ ceteris utilitatibus, quas rosa præbet: nam et oleo præterea maceratur, et in unguenta transit, et emplastris inseritur, &c. Hunc locum Barbarus prave intellexit: dum *nimius*, contra codicum fidem, et mentem Scriptoris reposuit.

[w] *Homero teste*] Iliad. Ψ. 186. ubi oleum rosaceum memoratur: Ῥοδόεντι δὲ χρῖεν ἐλαίῳ.

[x] *Ut diximus*] Lib. XIII. cap. 2.

[y] *Prænestinam*] Ea est quam vulgus Provincialem appellat, *Rose de Provins*, ut quidem Clusius arbitratur, Hist. Rar. Plant. I. 114.

[z] *Campanam*] Ubi nimirum biferi, ut Maro cecinit, rosaria Pæsti.

niam[a] minus rubentem. Mox Alabandicam viliorem, albicantibus foliis. Vilissimam[7][b] vero plurimis, sed minutissimis, spineolam.[8] Differunt[c] enim multitudine foliorum, asperitate, lævore, colore, odore. Paucissima quina folia, ac deinde numerosiora: cum sit genus ejus, quam centifoliam[d] vocant: quæ est in Campania Italiæ, Græciæ vero[9] circa Philippos: sed ibi non suæ terræ proventu. Pangæus[e] mons[10] in vicino fert, numerosis foliis ac parvis: unde[11] accolæ transferentes conserunt, ipsaque[12] plantatione proficiunt. Non autem talis[f] odoratissima est, nec[13] cui latissimum maximumque folium. Breviterque[g] indicium est odoris, scabritia corticis. Cæpio Tiberii Cæsaris principatu, negavit centifoliam in coronas addi, præterquam extremas velut ad cardines.[14] Nec odore, nec specie[h] probabilis est, quæ Græca appellatur a nostris, a Græcis lychnis,[i] non nisi in humidis locis proveniens, nec unquam ex-

excedenteis Vet. Dalec.—7 Ita codd. Harduini, Dalec. Laet. et Chiffl. item edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *Utilissimam* Gronov. et vulgg.—8 ‘ In cod. Reg. 2. et Editione principe, *spinosam*.’ Brotier.—9 *Græcia vero* Vet. Dalec.—10 Cod. Dalec. *namque mons*.—11 Vet. Dalec. *parvis. Inde*.—12 Vet. Dalec. *ipsæque*.—13 Margo edd. Dalec. et Gronov. *sed*, e Theophr. Mox, cod. Dalec. *maximumve folium*.—14 ‘ Ita codd. Regg. et Editio princeps. Sic Granius apud Nonium dixit, ‘ Sonat impulsa cardo regia.’’ *Brotier*. *extremos velut ad cardines* Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *extremos velut ad cardines. Nec odore, nec specie probabilem, et quæ Græcia* Gronov.

NOTÆ

[a] *Trachiniam*] Ab Heracleæ agro, quæ Trachin appellata est, ut vidimus IV. 14.

[b] *Vilissimam*] Ita Mss. Reg. Colb. Chiffl. non *utilissimam*. Recte: antecedit enim *viliorem*. Spineola vero a spinarum densitate, quibus est obsita, traxisse nomen videtur.

[c] *Differunt*] Hæc accepta a Theophr. Hist. VI. 6.

[d] *Centifoliam*] Et nos trecentifoliam maximam in horto Regio vidimus, flore, ut aiunt, Incarnato: eamque odoris perjucundi. Centifoliam quoque Batavicam, qualis a Clusio delineatur, Hist. Rarior. Plantar. lib. I. pag. 113.

[e] *Pangæus*] Theophr. ἐκ τοῦ Παγγαίου.

[f] *Non autem talis*] Theophr. loc. cit.

[g] *Breviterque*] Theophr. Ἐν δὲ τοῖς μεγάλοις εὐώδη μᾶλλον, ὧν τραχὺ τὸ κάτω. *Odoratiores sunt inter amplas, quibus pars ima scabra.*

[h] *Nec odore, nec specie*] Vide Notas et Emend. num. 3.

[i] *Lychnis*] Dioscoridis hæc coronaria lychnis est, sive sativa, de qua concisa brevitate Græcus auctor, III.

cedens quinque folia, violæque magnitudine,[15] odore nullo. Est et alia Græcula appellata, convolutis foliorum paniculis,[j] nec dehiscens nisi manu coacta, semperque nascenti similis, latissimis foliis. Alia funditur e caule malvaceo,[k] folia oleæ[16] habente, mosceuton[17][l] vocant. Atque inter has media magnitudine autumnalis, quam coroneolam vocant.[18] Omnes sine odore, præter coroneolam et in rubo natam: tot modis adulterantur. Et alias vera quoque[19] plurimum solo prævalet. Cyrenis[m] odoratissima est: ideoque ibi unguentum pulcherrimum. Carthagine Hispaniæ, hyeme tota præcox. Refert et cœli temperies. Quibusdam enim annis minus odorata provenit. Præterea omnis[20][n] siccis quam humidis odoratior. Seri nec pinguibus vult, nec argillosis[21] locis, nec riguis, contenta raris, proprieque ruderatum agrum[o] amat. Præcox Campana est, sera[22] Milesia. Novissime tamen desinit Prænestina. Fodiuntur altius quam fruges, levius quam vites. Tardissime proveniunt semine, quod in ipso cortice[p] est, sub ipso

et al. ante Harduin.—15 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *violæque magnitudinem* codd. Dalec. *violæ magnitudine* Gronov. et vulgg.—16 Vet. Dalec. *ulmi*.—17 ' Ms. *aceton*. Lege, *moscheuton*.' Dalec.—18 Chiffl. *appellant*.—19 Vet. Dalec. *quæque*.—20 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *locis omnis* Gronov. et vulgg.—21 Chiffl. *neque ping. neque argillosis*.—22 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Campana, sera* Gronov. et vulgg.

NOTÆ

114. *Λυχνὶς στεφανωματικὴ, ἄνθος ἐστὶν ὅμοιον λευκοΐῳ, ἐμπόρφυρον δὲ, πλεκόμενον εἰς τὰ στεφάνια.* Pingitur a Dodonæo, pag. 170. Galli vocant *Œillet-Dieu, ou Passerose*.

[j] *Foliorum paniculis*] Quicquid sublonga et subrotunda forma tumet, ut hic rosæ foliorum globulus, panicula appellatur.

[k] *Alia . . . e caule malvaceo*] Forte althæa rosea, *rose d'outremer*, sed peregrina, ab unicauli malva, de qua diximus superiore libro, diversa, etsi commune nomen utrique vulgus imposuit. Vidimus in horto Regio.

[l] *Mosceuton*] In quibusdam Mss. *muceuton*. In aliis, *aceton*.

[m] *Cyrenis*] Theophr. Hist. VI. 6. *Εὐοσμότατα δὲ τὰ ἐν Κυρήνῃ· διὸ καὶ τὸ μύρον ἥδιστον.*

[n] *Præterea omnis*] Omnis rosa scilicet. Didymus in Geopon. XI. 19. pag. 315. *Εἰδέναι δὲ χρὴ, ὡς ἐν τοῖς ἀνύδροις ῥόδα, ὁμοίως δὲ καὶ τὰ κρίνα εὐωδέστερα ἔσται.*

[o] *Ruderatum agrum*] In quo rudera, veterumque ædificiorum materies plurima inest.

[p] *Quod in ipso cortice*] Ex Theophr. loc. cit. *Φύεται μὲν οὖν ἡ ῥοδωνία*

flore,[23] opertum lanugine: ob id potius caule conciso [q] inseruntur: et ocellis [24] radicis, ut arundo,[r] unum genus inseritur pallidæ, spinosæ, longissimis virgis, quinquefoliæ, quæ e Græcis [25] altera [s] est. Omnis autem [t] recisione atque ustione proficit: translatione quoque, ut vitis, optime [26] ocyssimeque provenit, surculis quaternum digitorum longitudine, aut ampliore, post Vergiliarum occasum sata: dein per Favonium translata, pedalibus intervallis crebroque circumfossa. Qui præcocem [u] faciunt, pedali circa radicem scrobe aquam calidam infundunt, germinare incipiente calyce.

XI. (V.) Lilium rosæ nobilitate proximum est, et quadam cognatione unguenti oleique, quod lirinon [a] appellatur. Et impositum [1] [b] etiam maxime rosas decet, medio proventu earum incipiens. Nec ulli florum excelsitas major, interdum [2] cubitorum trium, languido semper collo, et non sufficiente capitis oneri. Candor ejus eximius, foris striati, et ab angustiis in latitudinem paulatim sese laxantis [3] effigie

—23 'Ms. *fere*. Lege, *quod sub ipso cortice est fere, opertum*.' Dalec.—24 Vet. Dalec. *at ocellis*.—25 'Mss. *quæ Græcula*. Lego, *a Græculis altera est*.' Dalec.—26 Chiffl. *ut vitis optima*.

CAP. XI. 1 Vet. Dalec. *Et appositum*.—2 Vet. Dalec. *caule interdum*.—3 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *foliis foris striatis . . . laxantibus* Gronov.

NOTÆ

καὶ ἐκ τοῦ σπέρματος· ἔχει δὲ ὑπὸ τὸ ἄνθος ἐν τῷ μήλῳ . . . ἔχον δέ τινα χνοῦν. Quid cortex sit, superius diximus.

[q] *Caule conciso*] Malleolis a caule decisis. Theophr. Hist. VI. 6. *Κατακόπτοντες τὸν καυλὸν φυτεύουσιν.*

[r] *Et ocellis r. ut arundo*] Quid sint in arundine oculi, diximus XVI. 67. Quod genus illud sit rosæ pallidæ, spinosæ, Græculæ, quinquefoliæ, non satis compertum.

[s] *E Græcis altera*] Quæ paulo ante Græcula appellata.

[t] *Omnis autem*] Hæc a Theophr. loc. cit.

[u] *Qui præcocem*] Palladius lib. III. in Februar. tit. 21. 'Si rosam temperius habere volueris, duobus palmis ab ea in gyrum fodies, et aqua calida bis rigabis in die.' Sic Didymus in Geopon. loc. cit.

[a] *Quod lirinon*] *Λειρινὸν*, nam Græci *λείριον* lilium appellant. Idem et *σούσινον* nuncupavere, ut diximus XIII. 2. Diosc. III. 16. de lilio: 'Αφ' οὗ *καὶ τὸ χρίσμα κατασκευάζεται, ὃ τινες λειρινὸν, οἱ δὲ σούσινον καλοῦσι.*

[b] *Et impositum*] Mallem *interpositum*. Intelligit enim, opinor, gratiam hortorum, vel coronarum, esse non levem, quemadmodum Maro cecinit Æneid. XII. 'Mixta rubent ubi lilia multa Alba rosa.'

calathi, resupinis per ambitum labris, tenuique filo, et semine,[4] stantibus in medio crocis. Ita odor, colorque duplex, et alius calycis, alius staminis, differentia angusta. In unguenti vero oleique usu, et folia non spernuntur.

Est flos non dissimilis illi in herba, quam convolvulum [c] vocant, nascens[5] per frutecta, nullo odore, nec crocis intus: candorem tantum referens, ac veluti naturæ rudimentum lilia facere condiscentis. Alba lilia [d] iisdem omnibus modis seruntur, quibus rosa: et hoc amplius lacryma sua,[e] ut hipposelinum:[f] nihilque est fœcundius, una radice quinquagenos sæpe emittente bulbos. Est et rubens [g] lilium, quod Græci crinon vocant.[6] Alii florem ejus cynorrhodon.[7] [h] Laudatissimum in Antiochia, et Laodicea Syriæ, mox in Phaselide.[i] Quartum locum obtinet in Italia nascens.

XII. Sunt et purpurea [j] lilia,[1] aliquando gemino caule, carnosiore tantum radice, majorisque bulbi, sed unius:

---

et vulgg.—4 Chiffl. *pilo et semine*; Vet. Dalec. *filo et staminis*; alii ap. Dalec. *filo et staminum*.—5 Vet. Dalec. *vocant. Nascitur*.—6 Vet. Dalec. *crinon agrion vocant*.—7 Vet. Dalec. *crinorrhodon*.

CAP. XII. 1 *Sunt et præterea leiria* margo edd. Dalec. et Gronov. e Theophr.

NOTÆ

[c] *Convolvulum*] Gallis, *Lizeret*. Smilax lævis minor a Dodonæo vocatur, apud quem iconem ejus vide.

[d] *Alba lilia*] Ex Theophr. Histor. II. 2. Ῥοδωνιὰ δὲ καὶ κρινωνιὰ, κ. τ. λ.

[e] *Lacryma sua*] Theophr. Hist. VI. 6. Ποιεῖ δέ τινα καὶ δακρυώδη συῤῥοὴν, ἣν καὶ φυτεύουσι. *Reddit lilium lacrymarum confluxum quendam, quem et serunt*. Et lib. II. ejusdem operis cap. 2. Ἰδιωτάτη δὲ γένεσις ἡ ἀπὸ δακρύων· καὶ γὰρ οὕτω δοκεῖ τὸ κρίνον φύεσθαι, ὅταν ξηρανθῇ τὸ ἀποῤῥυέν· φασὶ δὲ καὶ ἀπὸ τοῦ ἱπποσελίνου· καὶ γὰρ τοῦτο ἀφίησι δάκρυον. *Peculiaris generatio, quæ ex lacryma fit: quippe lilium ita exire videtur, cum id quod defluxit, Sole exaruerit, &c.*

[f] *Ut hipposelinum*] De quo XIX. 48.

[g] *Est et rubens*] Lilium illud purpureum majus Dodonæi est, pag. 198. quod in horto Regio vidimus: Galli vocant, *Lis orangé*.. Diosc. III. 116. Πορφυρᾶ ἄνθη κρίνου.

[h] *Cynorrhodon*] Ita libri omnes: et Hesychius: Κυνόῤῥοδον, κρίνον ὅμοιον ὑακίνθῳ.

[i] ' *Phaselide*] Convallis est Judææ, ut Plinius admonet, XIII. 9. unde lilium Phaselidis olim appellatum est 'lilium convallium,' Cant. II. 1.' *Ed. sec.*

[j] *Sunt et purpurea*] Cave accepta hæc putes a Theophr. Hist. VI. 6. ut visum iis, qui censoriam animadversionem distringere in Plinium, ponunt in lucro.

narcissum vocant.[k] Hujus alterum genus flore candido, calyce purpureo.[l] Differentia a liliis est et hæc, quod narcissis folia in radice sunt,[m] probatissimis in Lyciæ montibus. Tertio generi cetera eadem, calyx herbaceus.[2] Omnes serotini.[n] Post Arcturum enim florent, ac per æquinoctium autumnum.[3]

XIII. Inventa est et in his ratio inserendi,[1] [o] monstrificis hominum ingeniis. Colliguntur namque mense Julio scapi[2] arescentes, liliaque suspenduntur in fumo. Dein nudantibus se nodulis,[p] in fæce nigri vini, vel Græci, mense Martio macerantur, ut colorem percipiant,[3] atque ita in scrobiculis seruntur, heminis fæcis circumfusis. Sic fiunt purpurea lilia: mirumque, tingui[4] aliquid, ut nascatur infectum.

XIV. (VI.) Violis honos proximus.[q] Earumque plura[1] genera. Purpureæ,[r] luteæ, albæ: plantis[2] omnes,[s] ut olus,

—2 Salmasius conj. *helvaceus.* Margo edd. Dalec. et Gronov. *Alteri, &c. croceus*, e Diosc.—3 Vet. Dalec. *autumni.*

Cap. XIII. 1 Elz. *inficiendi.* 'Ita Vet. In edd. *inserendi*, quod et servari posset.' *Luet.*—2 Vet. Dalec. *bulbique.* Margo edd. Dalec. et Gronov. *scapi florescentes liliaque*, e Cassiano.—3 Vet. Dalec. *accipiant.*—4 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *merumque ita tingi* Gronov. et vulgg.

Cap. XIV. 1 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et

NOTÆ

[k] *Narcissum vocant*] Purpureus hic Maronis narcissus, Ecl. v. 38. Nondum id a nobis genus animadversum.

[l] *Calyce purpureo*] Calycem id vocat, quod in medio flore, circuli instar, et stamina et apices continet. Narcissum medio purpureum Dodonæus vocat, et delineat, pag. 223. Nascitur plerisque Galliæ locis, in pratis. *Narcisse.* Diosc. commendat eum qui ἐν ὀρεινοῖς τόποις gignatur, IV. 161.

[m] *In radice sunt*] Bulbo, non cauli, hærent. Quare narcissi caulem Theophrastus Histor. VI. 6. ἄφυλλον vocat.

[n] *Omnes serotini*] Ex Theophr. loc. cit. de narcisso universim: Ὄψιον δὲ σφόδρα· μετὰ γὰρ Ἀρκτοῦρον ἡ ἄνθησις, καὶ περὶ ἰσημερίαν. Post Arcturi occasum, de quo XVIII. 74.

[o] *Ratio inserendi*] Hoc est, nova serendi ratio excogitata est, non e bulbo, sed e radicula quam caulis emittit, ut mox dicemus. Ita Mss. omnes: nullus Pintiano favet, qui *inficiendi* mavult. Hunc porro modum totidem fere verbis expressit Anatolius in Geopon. XI. 21. pag. 317.

[p] *Nodulis*] E singulis enim nodis radiculæ quædam tum enascuntur, quæ seri debent. Anatolius loc. cit.

[q] *Violis honos proximus*] A rosis et liliis.

[r] *Purpureæ*] Sic auctor libri de Simp. Med. ad Paternian. tomo XIII. operum Galeni, pag. 1002. 'Viola,'

satæ. Ex iis vero,[t] quæ sponte apricis et macris locis proveniunt, purpureæ, latiore folio, statim ab radice carnoso,[3] exeunt: solæque Græco nomine a ceteris discernuntur, appellatæ ia, et ab his ianthina vestis.[u] E sativis[4] maxima auctoritas luteis. Genera iis[5] Tusculana, et quæ marina appellatur, folio[6] aliquanto latiore,[v] sed minus odorato. In totum vero sine odore, minutoque folio Calatiana,[7] [w] munus autumni, ceteræ veris.

XV. Proxima ei caltha[a] est concolori amplitudine.[1]

recentt. *Earum plura* Gronov. et vulgg.—2 Vet. Dalec. *plantæ*.—3 Gronov. *carnosa*. Mox *Græco* deest in Chiffl.—4 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *appellata Ia, ut ab h. I. vestis*. *Sed sativis* edd. vett. et Gronov. *appellatæ Ia, et ab, &c.* cod. Dalec. *appellatæ* etiam Vet. Dalec. *et ab his iacinthina* Chiffl. *Sed sativarum* cod. Dalec.—5 *Genera autem* Chiffl.—6 Dalec. *flore*.—7 'Ita Ms. Reg. 1. et Editio princeps. Calatiana autem dicta est a Calatia, oppido Italiæ. Nec est viola; sed videtur esse digitalis lutea, magno flore, C. B. *la grande Digitale à fleurs jaunes*.' Brotier. *Calathiana* ceteræ edd.

CAP. XV. 1 Vet. Dalec. *similitudine*. Salmas. conj. *et concolor: amplitu-*

NOTÆ

inquit, 'species habet tres: est enim alba, et purpurea, et aureo colore: floresque de radice ejus excrescunt: quibus melior habetur, quæ est purpurea.' Purpurea, quæ Theophrasto Hist. VI. 6. nigra dicitur, τὸ μελάνιον, Virgilio quoque, Ecl. X. ceteris ἴον et ἴον πορφυροῦν, a Dodonæo pingitur, pag. 156. *Violette*. Candida, quæ Græcis λευκόϊον, visa a nobis in horto Regio, ab eodem Dodonæo delineatur, pag. 159. Luteam Clusius exhibet, Hist. Rarior. Plant. lib. III. pag. 309. quam violam montanam vocat. Galli, *Giroflée jaune*. Adde his et tricolorem, quæ hos simul colores in se una colligit, purpureum, luteum, candidumque, apud eundem Clusium, pag. 310. sæpius a nobis observatam in horto toties appellato, cum generibus violarum aliis fere duodecim.

[s] *Plantis omnes*] In nostris regionibus nec lutea, nec alba, plantis propagatur, sed semine: nigra vero, seu purpurea, etiam plantis.

[t] *Ex iis vero*] Hæc a Theophr. loc. cit. ubi viola nigra dicitur πλατύφυλλος, καὶ ἐγγειόφυλλος, καὶ σαρκόφυλλος.

[u] *Et ab his ianthina vestis*] Hoc est, purpurea et violacea. *Violet pourpre*. Martialis II. 39. 'Coccina famosæ donas et ianthina mœchæ,' &c. Hinc 'violarii' apud Plautum in Aulul. III. 5. qui vestes violacea purpurea infectas distraherent.

[v] *Folio . . . latiore*] Folia intellige, quibus flos constat.

[w] *Calatiana* [*Calathiana*] A calathi effigie. Alii *calthiana* legunt, a similitudine calthæ. Pintianus, et ex illo Salmasius in Solin. p. 1160. *Calatina*, a Calatia oppido Italiæ. His favet codex Reg. 2.

[a] *Proxima ei caltha*] Et hæc e violarum lutearum genere est, non, ut a Ruellio primum, deinde a Salmasio creditum est, loc. cit. flos ille, quem solsequium dicimus, *le souci*, plane diversi generis. Nam et in Indice

Vincit numero foliorum marinam, quinque non[2] excedentem. Eadem odore superatur: est enim gravis calthæ.[3] Non levior[b] ei, quam scopam regiam appellant: quanquam folia ejus olent, non flores.

XVI. Bacchar[1] quoque[c] radicis tantum odoratæ est, a quibusdam[d] nardum rusticum appellatum. Unguenta ex ea radice fieri solita apud antiquos, Aristophanes[e] priscæ

dine vincit et numero.—2 Cod. Dalec. *quinque folia non.*—3 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *caltha* Gronov. et vulgg.

CAP. XVI. 1 *Baccharis* margo edd. Dalec. et Gronov. e Diosc. Mox,

NOTÆ

hujus loci sic legitur: *Violæ colores III. Luteæ genera V. De caltha: Regius flos.* Genera porro violæ luteæ tria duntaxat appellantur hoc loco, Tusculana, marina, calathiana; nisi ad eum numerum caltha quoque, et regius flos, seu regia scopa, accesserint. Et sane inferius cum singulorum florum medicinæ narrantur, quorum modo tractantur naturæ, de violis universim, sigillatimque de luteis, atque purpureis, longissima habetur oratio: de caltha, scopaque regia, ne γρῦ quidem: satis probabili argumento eas scilicet idcirco taceri, quod lutearum nomine censeantur, quod et fecisse Columella videtur in Hortulo, duo violarum genera carmine uno complexus: candidum, luteumque: 'Candida leucoia, et flaventia lumina calthæ.' Caltham nos suspicamur esse, aut ei certe affinem, quæ viola lutea multiplex a Dalec. appellatur Hist. Plant. l. VII. p. 803. quæ cultu mangonioque evadit in florem densissimis foliolis stipatum atque congestum, præstantissimi ac suavissimi odoris.

[b] *Non levior*] Perinde gravis, atque calthæ, odor est ei luteæ violæ generi, quam scopam regiam, sive, ut est in Indice, regium florem vocant: qui quo nomine hodie appelletur, certo statui non potest. Porro cum gravis odor dicitur, cave injucundum dici continuo putes: nam, ut Plinius ait, c. 18. quorundam florum suavitati etiam gravitas inest, ut lilio.

[c] *Bacchar quoque*] Dioscoridi III. 51. Βάκχαρις, βοτάνη ἐστὶ θαμνώδης, εὐώδης, καὶ στεφανωματική, κ. τ. λ. Idem et Cratevas habet, cujus fragmentum antea ineditum recitat Aloys. Anguillara, par. I. p. 26. etsi de asaro sermonem ibi esse falso contendit, cum et asaron στεφανωματικὸν esse Plinius paulo post neget: et quæ vires ei herbæ tribuuntur a Crateva, eas ipsas idem inferius c. 77. bacchari adjudicet.

[d] *A quibusdam*] Lib. XII. cap. 27. 'Baccharis vocatur nardum rusticum, de quo dicemus inter flores.' Rura apud nos, inquit Ruellius lib. III. p. 517. 'Divæ Mariæ chirothecas' appellant, *Gant Notre Dame*, hancque nectunt in coronas. Dodonæus, a quo delineatur, p. 169. et Fuchsius, Digitalem: Galli interdum etiam *Digitale*. Vidimus in horto Regio, purpureo, luteo, rubente, candido, ferrugineoque colore conspicuam.

[e] *Aristophanes*] In fabula cui titulum fecit, Θεσμοφοριάζουσαι, teste Athen. l. XV. p. 690. hæc poëtæ carmina recitante, quæ ad propositum

comœdiæ poëta testis est. Unde quidam errore falso barbaricam [f] eam [2] appellabant. Odor est ei [3] [g] cinnamomo proximus. Gracili solo [h] nec humido provenit. Simillimum ei, combretum [i] appellatur, foliorum exilitate usque in fila attenuata, et procerius quam bacchar: hæc sunt tantum.[j] Sed [4] eorum quoque error corrigendus est, qui bacchar rusticum nardum appellavere. Est enim alia herba sic cognominata, quam Græci asaron [k] vocant, cujus speciem figuramque diximus in nardi generibus. Quin immo asaron invenio vocitari, quoniam in coronas [5] [l] non addatur.

XVII. Crocum [a] sylvestre optimum: serere [1] in Italia

est, quæ a quibusdam, &c. ibid. Vid. XXI. 77.—2 Salmas. *baccharida ea.* Mox, *appellant* cod. Dalec.—3 Margo edd. Dalec. et Gronov. *radicis,* e Diosc.—4 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *bacchar. Nec hæc sunt tantum, sed* Gronov. et vulgg. Mox, *error regendus est* Chiffl.—5 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *coronis* Gronov. et al. vett.

CAP. XVII. 1 Vet. Dalec. *Crocum et sylvestre est, serere.* Mox, cod. ap.

NOTÆ

attinent: Ὦ Ζεῦ πολυτίμητ', οἷον ἐπνευσε ὁ μιαρὸς Φάσκωλος εὐθὺς λυόμενός μοι τοῦ μύρου, Καὶ βακχαρίδος. *O venerande Jupiter, ut oboluit soluta confestim pera unguentum mihi, et baccharim.* Adde Galenum tom. II. in Explic. vocum Hippocr. p. 88. Βάκχαρις, Λύδιόν τι μύρον. Hippocr. ipse de Nat. Mul. text. VI. p. 362. βακχάριον ἔλαιον vocat. Erotianum ibidem p. 115. Βάκχαρις, εἶδος βοτάνης καὶ μύρου, οὗ καὶ Ἀριστοφάνης μέμνηται. Adde Hesychium, Jul. Pollucem VI. 19. pag. 296. Simonidem poëtam apud Clem. Alexand. Pædag. l. II. p. 177. &c.

[f] *Barbaricam*] Ita Mss. omnes: hoc est, exoticam et peregrinam, nec in orbe Romano natam. Medicamenti meminit Marcellus Empir. cap. 8. p. 65. et 66. quod barbaricum similiter vocat: nempe ex rebus conflatum extra hunc orbem Romani imperii natis. Error falsus veterum in eo fuit, quod barbaricam radicem vocarent, quæ foret domestica. Hunc locum ut interpolet, explicetque, Salmasius frustra desudat, in Solin. pag. 1068. cum *baccharida* pro *barbaricam* reponit.

[g] *Odor est ei*] Radici scilicet. Diosc. III. 51. Ῥίζαι δὲ ὅμοιαι ταῖς τοῦ μέλανος ἐλλεβόρου, ἐοικυῖαι τῇ ὀσμῇ κινναμώμῳ.

[h] *Gracili solo*] Diosc. loc. cit. Φιλεῖ δὲ τραχέα χωρία, καὶ ἄνικμα.

[i] *Combretum*] In Indice, *Combetrum.* In Tuscia, Herba Luzula, inquit Anguillara, par. XI. p. 179.

[j] *Hæc sunt tantum*] Hac re solum, inquit, affinitatem habet combretum cum bacchare: cetera absunt: odor, unguentique in radice dos. Vide Notas et Emend. num. 4.

[k] *Græci asaron*] De quo XII. 28.

[l] *Quoniam in coronas*] Quoniam coronas non ornet. Ἄσαρος, *non ornatus.* Vide Lexicon Constantini, et Voss. in Etymol.

[a] *Crocum*] Mauritanorum appella-

minime expedit, ad scripula[b] usque singula areis decoquentibus. Seritur radicis bulbo. Sativum latius,[c] majusque,[2] et nitidius, sed multo lenius, degenerans ubique, nec fœcundum[3] etiam Cyrenis,[d] ubi semper flores[e] laudatissimi. Prima nobilitas[f] Cilicio, et ibi in Coryco monte: dein Lyciæ monte Olympo:[4] mox Centuripino Siciliæ. Aliqui Phlegræo[5] [g] secundum locum dedere. Adulteratur[h] nihil æque. Probatio sinceri, si imposita manu crepat,[6] veluti fragile.[i] Humidum enim, quod evenit adulteratione, cedit.[7] Altera probatio: si manu prolata ad ora leniter faciem oculosque mordeat. Est per se genus sativi blandissimum vulgo, cum sit mediocre,[8] [j] dialeucon vocant. Contra Cyrenaico vitium, quod omni croco nigrius est, et

Laet. *scripula*, quod recepit Brotier. Ceteræ edd. *scrupula*.—2 Vet. Dalec. *Sativum latius, optimum, majusve*.—3 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *sed multo levius degenerans. Sed nec ubique fœcundum* edd. vett. et Gronov.—4 'Ita Ms. Reg. 1. In Ms. Reg. 2. et Editione principe, *Lyciæ Olympo*. Frustra in recentioribus emendatum, *deinde Lycio, monte Olympo*. Fuit enim et Olympus mons in Lycia.' *Brotier*. *Lycio monte Olympo* Gronov. et al. vett. item Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—5 Turneb. *Ægeo*; al. ap. Laet. *Theræo*.—6 Chiffl. *crepit*; al. ap. Dalec. *crepitat*.—7 Turneb. *silet*; Salmas. *sidit*.—8 Ita Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *cum*

NOTÆ

tione *Zaffarano* vocamus: *du Safran*, inquit Ruellius l. II. p. 294.

[b] *Ad scripula* [*scrupula*] Sive, ut Mss. *scripula*. Decoquunt areæ, inquit, quod acceperunt: ut vix reddant singulæ singula scripula. Scripulum est pars quarta et vicesima unciæ, assis ducentesima octogesima octava. As est area, vel totum quod seritur in area. Ea area decoquit ad singula scripula, id est, ad quartam et vicesimam partem unciæ: ut vix ea supersit ex tota area.

[c] *Sativum latius*] Ita Mss. Forte *lætius*. Depictum vide in Eystetensi horto.

[d] *Etiam Cyrenis*] Hæc a Theophr. Hist. VI. 6. cujus oratio ex Athenæo corrigenda est, l. XV. p. 682.

[e] *Ubi semper flores*] Reliqui flores, præterquam croci. Athen. loc. cit.

[f] *Prima nobilitas*] Diosc. I. 25. Transcripsit hæc Solinus c. 38. p. 68.

[g] *Aliqui Phlegræo*] Cave hic Plinium ex Diosc. corrigas, quod Turnebus tentavit, Adv. XVI. 16. p. 642.

[h] *Adulteratur*] Vide Galenum de Antidotis I. 14. p. 886.

[i] *Veluti fragile*] Cum inaruit. Sic Dioscoridi, ex optima edit. Ald. *κρόκος εὔθραυστος* laudatur: improbatur *ἰκμάζων, humidus*.

[j] *Cum sit mediocre*] Ita Mss. omnes, Reg. 1. 2. Colb. 1. 2. Th. et alii: non, ut editi hactenus, *cum sit medio candidum*. Quin etiam in Reg. 1. cod. *dileacon*. In Colb. 3. *dialeacon* legitur, forte pro *Deliacon*.

celerrime marcescit. Optimum ubicumque quod pinguissimum, et brevis capilli:[9] pessimum vero, quod situm redolet. Mucianus auctor est, in Lycia anno septimo aut octavo transferri[k] in locum subactum, atque ita degenerans renovari. Usus ejus in coronis nusquam.[l] Herba enim[m] est folio angusto pæne in capillamenti modum. Sed vino[n] mire congruit, præcipue dulci: tritum ad theatra replenda.[o] Floret[p] Vergiliarum occasu paucis diebus, folioque florem[q] expellit. Viret bruma.[r] Colligitur; siccatur[s] umbra, melius etiam hyberna. Carnosa[t] et illi[10] radix, vivaciorque, quam ceteris. Gaudet calcari[u] et atteri pede, quo melius[11] provenit. Ideo juxta semitas[v] ac

it medio candidum Gronov. et al. vett. *quod sit medio candidum* Dalec.—9 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *et brevibus capillis* Gronov. et vulgg.—10 Cod. Dalec. *bruma. Collectum siccatur, &c. est illi;* Gronov. et al. vett. item Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *bruma et colligitur. Siccatur, &c. et illi.*—11 'Ita Editio princeps, nec aliter cod. Reg. 1. licet habeat *pedoque.* In cod. Reg. 2. et edd. recentt. *pereundoque.*' Brotier. Cod. Dalec. etiam, *atteri pede,*

NOTÆ

[k] *Transferri*] Ita fit et in Gallia passim. Nullibi vegetius est, quam in Agennensi agro et Narbonensi provincia.

[l] *Usus ejus in coronis nusquam*] Nisi in conviviis ad arcendam ebrietatem, ut dicetur c. 81.

[m] *Herba enim*] Hæc totidem verbis Theophr. Hist. vi. 6.

[n] *Sed vino*] Hoc illud est fortassis quod idem paulo explanatius, c. 81. 'Qui crocum prius biberint, crapulam non sentiunt: ebrietati eo resistunt.' Vel potius, dilui croco trito commode vinum innuit, ad theatra replenda.

[o] *Ad theatra replenda*] Subintellige, congruit. Lucr. ii. 416. 'Et cum scena croco Cilici perfusa recens est.' Spartianus in Hadriano p. 9. 'In honorem Trajani balsama et crocum per gradus Theatri fluere jussit.' Et aqua crocata, qua veteres uti pro rosacea soliti, et vinum crocatum, et crocus per se spargebatur, in theatris. Vide Martial. viii. 33.

[p] *Floret*] Hæc a Theophr. Hist. vi. 6.

[q] *Folioque florem*] Cum folio florem emittit: Εὐθὺς δ' ἅμα τῷ φύλλῳ καὶ ἄνθος ἀθεῖ, δοκεῖ καὶ πρότερον. Theophr. Sic etiam Florentinus in Geopon. l. xi. c. 27.

[r] *Viret bruma*] Theophr. loc. cit.

[s] *Siccatur*] Diophanes in Geopon. xi. 27. Διοφάνης δέ φησιν ὅτι τὸν κρόκον ἐν σκιᾷ χρὴ ψύχειν. Hunc ipsum Diophanem Plinius in hujus libri Indice laudat auctorem.

[t] *Carnosa*] Theophr. loco citato. Ῥίζα δὲ πολλὴ, καὶ σαρκώδης, καὶ τὸ ὅλον εὔζωος.

[u] *Gaudet calcari*] Vide Notas et Emend. num. 5.

[v] *Ideo juxta semitas*] Theophr. loc. cit.

fontes lætissimum. Trojanis temporibus jam erat honos ei. Hos certe flores Homerus [w] tres laudat, loton, crocon, hyacinthum.

XVIII. (VII.) Omnium autem odoramentorum, atque adeo herbarum differentia est in colore, et odore, et succo. Odorato [1] sapor raro ulli non amarus: e contrario [a] dulcia raro odorata. Itaque et vina [b] mustis odoratiora, et sylvestria [c] magis omnia sativis. Quorundam odor [d] suavior e longinquo, propius admotus hebetatur, ut violæ. Rosa recens [e] a longinquo olet, sicca propius. Omnis autem [f] verno tempore [2] acrior, et matutinis: quicquid ad meridianas horas diei vergit, hebetatur. Novella quoque [g] vetustis minus odorata. Acerrimus tamen odor omnium æstate media. Rosa et crocum odoratiora, cum serenis diebus leguntur: et omnia in calidis, [h] quam in frigidis. In Ægypto [i] tamen minime odorati flores, quia nebulosus et roscidus aër est a Nilo flumine. [j] Quorundam suavitati gravitas inest. Quædam, dum virent, [3] [k] non olent, propter

quo melius; Vet. Dalec. *atteri pede pereundoque melius;* Gronov. al. vett. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *atteri pereundoque melius.* ‘Ms. *pedoque.* Legendum *atteri pede, quo.*’ Laet.

CAP. XVIII. 1 *Odoratis* cod. Dalec.—2 Chiffl. *tepore.*—3 Ita codd. Har-

NOTÆ

[w] *Homerus*] Iliad. Ξ. 348. *Λωτὸν θ' ἑρσήεντα, ἰδὲ κρόκον, ἠδ' ὑάκινθον.*

[a] *E contrario*] Ex Theophr. de Causis c. VI. 22. p. 377. *Τῶν δὲ γλυκέων οὐδεὶς ὡς εἰπεῖν (εὔοσμος) ἢ ἐπὶ μικρόν. Ἐπεὶ καὶ τὰ μῆλα τὰ γλυκέα πάντων ἥκιστα εὔοσμα, καὶ ὅσῳ ἂν γλυκύτερα, ἧττον.* Rationem ejusce rei ibi diligenter investigat.

[b] *Itaque et vina*] Theophr. loc. cit. p. 378.

[c] *Et sylvestria*] Theophr. de Causis VI. 24. p. 349. *Διὰ τί δ' οἱ ἄγριοι καρποὶ τῶν ἡμέρων εὐοσμότεροι τῶν ὁμογενῶν, οἷον μῆλα τε, καὶ ἀχράδες, κ. τ. λ.*

[d] *Quorundam odor*] Theophr. c. 23. p. 378.

[e] *Rosa recens*] Theophr. loco proxime cit.

[f] *Omnis autem*] Theophr. de Causis VI. 25. p. 382.

[g] *Novella quoque*] Theophr. loc. cit.

[h] *Et omnia in calidis*] Theophr. de Causis VI. 22. p. 377.

[i] *In Ægypto*] Theophr. de Causis VI. 27. p. 384. *In Ægypto flores, coronamentaque deterrima fere omnium generantur: quia cælum caliginosum ac roscidum est. Ἐν Αἰγύπτῳ γὰρ χείριστα τὰ ἄνθη, καὶ τὰ στεφανώμαθ' ὡς εἰπεῖν ὅτι ὁ ἀὴρ ὁμιχλώδης καὶ δροσοβόλος.*

[j] *A Nilo flumine*] In Reg. 1. *a multo flamine.* Reg. 2. *a multo flumine.* Nullus *a Nilo.*

humorem nimium: ut buceros, quod est fœnum Græcum. Acutus odor non omnium sine succo est, ut violæ, rosæ, croco. Quæ vero ex acutis succo carent, eorum omnium[4] odor gravis, ut in lilio utriusque generis.[l] Abrotonum[m] et amaracus acres habent odores. Quorundam flos[n] tantum jucundus, reliquæ partes ignavæ, ut violæ, ac rosæ. Hortensiorum[5] [o] odoratissima quæ sicca, ut ruta, menta, apium, et quæ in siccis nascantur. Quædam vetustate[p] odoratiora, ut cotonea: eademque decerpta,[q] quam in suis radicibus. Quædam non nisi defracta, aut ex attritu olent: alia non nisi detracto cortice: quædam vero non nisi usta: sicut thura myrrhæque.[6] Flores triti[7] [r] omnes amariores, quam intacti. Aliqua arida[s] diutius odorem continent, ut melilotos. Quædam locum ipsum[t] odoratiorem faciunt,

duini, Dalec. et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *cum virent* edd. vett. et Gronov.—4 Vet. Dalec. *omnibus;* alii vett. ap. eundem, *omnino.*—5 Ita ex codd. Harduin. et recentt. *Hortensium* Gronov. et vulgg.—6 Vet. Dalec. *myrrhaque.*—7 Chiffl. *tritu.*

NOTÆ

[k] *Quædam, dum virent*] Theophr. de Causis VI. 22. p. 378. *Συμβαίνει δὲ καὶ τῶν ποωδῶν ἔνια, χλωρὰ μὲν ὄντα μὴ ὄζειν διὰ τὴν ὑγρότητα· ξηρανθέντα δὲ, καθάπερ ἄλλα καὶ τὸ βούκερας.*

[l] *Ut in lilio utriusque generis*] Albo, quod *λείριον* Græci, et rubente, quod *κρίνον* vocant, ut diximus cap. 11. Theophr. de Causis VI. 21. pag. 376. *Ὅσα δὲ αὐτῶν μὴ εὔχυλα, καὶ ἐν ταῖς ὀσμαῖς ἐμφαίνει γέ τινα βαρύτητα, καθάπερ τὸ κρίνον, καὶ τὸ λείριον, καὶ παραπλήσια τούτοις.*

[m] *Abrotonum*] Theophr. de Causis VI. 22. p. 378.

[n] *Quorundam flos*] Theophr. de Causis VI. 15. p. 369.

[o] *Hortensiorum*] Iisdem verbis Theophrast. de Causis VI. 22. p. 377.

[p] *Quædam vetustate*] Theophr. loc. cit.

[q] *Eademque decerpta*] Theophr. loc. cit. p. 378.

[r] *Flores triti*] Theophr. lib. de odoribus, p. 443. *Τὰ δ' ἄνθη μαλακωδέστερα τριβόμενα.*

[s] *Aliqua arida*] Theophr. de Causis VI. 23. p. 378. *Ὁ δὲ μελίλωτος καὶ εἰς πλείω χρόνον εὔοσμος διαμένει, κ. τ. λ.*

[t] *Quædam locum ipsum*] De iride herba qui hoc proderet, nemo veterum adhuc occurrit. De iride seu arcu cœlesti, Theophr. ad verbum, de Causis VI. 25. p. 382. *Καὶ γὰρ τὸ περὶ τὴν ἶριν λεγόμενον, ὡς ὅπου ἂν κατέχῃ, ποιεῖ τὰ δένδρα καὶ τὸν τόπον εὐώδη, τοιοῦτόν ἐστι. Ποιεῖ γὰρ οὐ πάντως, ἀλλ' ἐὰν ὕλη τις ᾖν νεόκαυστος· οὐ δ' ἴσως καθ' αὑτὴν, ἀλλὰ τρόπον τινὰ κατὰ συμβεβηκός· ἐφίει γὰρ ὅπου ἂν ἐφίστῃ. Nam et quod de arcu cœlesti referunt, arbores et loca reddere odorata, ubicumque constiterit, tale est. Reddit enim non omnibus modis odorata: sed si qua materia recenter sit adusta: nec id forsitan per se agit, sed quodammodo per accidens:*

ut iris: quin et arborem totam, cujuscumque radices attingit. Hesperis[u] noctu magis olet, inde nomine invento. Animalium[v] nullum odoratum, nisi si de pantheris, quod dictum est,[w] credimus.

XIX. Illa quoque omittenda differentia est, odoramentorum multa nihil pertinere[1] ad coronamenta, ut irin, atque saliuncam, quanquam nobilissimi odoris utramque. Sed iris[a] radice tantum commendatur, unguentis et medicinæ nascens. Laudatissima[b] in Illyrico, et ibi quoque non in maritimis, sed in sylvestribus Drilonis, et Naronæ.[2] Proxima in Macedonia,[c] longissima hæc et candicans, et exilis. Tertium[3] locum habet Africana,[d] amplissima inter omnes, gustuque amarissima. Illyrica quoque duorum generum est: raphanitis[e] a similitudine: et quæ melior,[4] rhizoto-

---

CAP. XIX. 1 Cod. Dalec. *odoratorum m. n. attinere;* Chiffl. habet etiam *attinere.*—2 *Naronis* Vet. Dalec.—3 *Macedonia. Laudatissima hæc candicans. Ex illis tertium* cod. Dalec.—4 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *similitudine, quæ et melior* Gronov. et al. vett. "quæ melior rhizotomos,' XXI. 20.'

NOTÆ

impluit enim iis locis in quibus constiterit, &c. Hoc ipsum antea Plinius delibavit, XII. 53.

[u] *Hesperis*] Theophr. loco proxime allato: *Ὥσπερ καὶ ἔστιν ἐπὶ τῆς ἑσπερίδος καλουμένης· αὕτη γὰρ τῆς νυκτὸς ὄζει μᾶλλον ἢ καθ' ἡμέραν, κ. τ. λ.*

[v] *Animalium*] Ad verbum ex Theophrast. de Causis VI. 26. pag. 383. Arist. pantheras jucunde olere plane affirmat, Problem. XIII. 4. p. 748.

[w] *Quod dictum est*] Lib. VIII. cap. 23. Vide quæ diximus in Notis et Emend. ad eundem librum, num. 48.

[a] *Sed iris*] Ex qua unguentum irinum, de quo nos obiter XIII. 2. plura prolixe Diosc. I. 66.

[b] *Laudatissima*] Theophr. Hist. IX. 7. *Ἶρις δὲ ἀρίστη ἐν Ἰλλυρίοις· οὐκ ἐν τῇ πρὸς θάλατταν χώρᾳ· ἀλλ' ἐν τῇ ἀνακεχωρηκυίᾳ, κειμένῃ δὲ μᾶλλον πρὸς ἄρκτον. Iris optima, quæ apud Illyrios exit, non tamen prope maritima, sed mediterranea magis et deserta regione, &c.* Nicander in Theriac. p. 43. *Ἶριν θ' ἣν ἔθρεψε Δρίλων καὶ Νάρωνος ὄχθη.* Naronam coloniam Plinius maluit, quam proximum amnem, signare. Porro in officinis retinuit iris appellationem: rura nostra partim *Flambe*, partim *Glaieul* vocant, a similitudine florum cum gladiolo, lilioque, ut Lobelius animadvertit, in Adversar. pag. 31. Incolis Drilonis et Naronæ *Macinaci* appellari ait Anguillara de Simp. par. I. pag. 17. Vide Ruellium II. 1. pag. 282.

[c] *Proxima in Macedonia*] Theophr. de Causis VI. 28. p. 386.

[d] *Tertium . . . Africana*] Diosc. I. 1. et Galenus de Antid. I. 12.

[e] *Raphanitis*] A similitudine radicis cum raphano. Galenus *κατὰ τόπους*, cap. 1. *ἀσπαραγαλῖτιν* vocat.

mos subrufa.[f] Optima, quæ[g] sternutamenta[5] tactu movet.[h] Caulem habet cubitalem, erectum.[6] Floret diversi[i] coloris specie, sicut arcus cœlestis, unde et nomen. Non improbatur et Pisidica. Et fossuri[j] tribus ante mensibus mulsa aqua circumfusa, hoc veluti placamento terræ blandiuntur, circumscripta[7] mucrone gladii orbe triplici: et cum legerint eam, protinus in cœlum attollunt. Natura est[k] fervens, tractataque pusulas ambusti modo facit. Præcipitur ante omnia, ut casti legant. Teredines non sicca modo, verum et in terra celerrime sentit. Optimum antea[l] irinum Leucade et Elide ferebatur:[8] jampridem enim et seritur: nunc e Pamphylia: sed Cilicium maxime laudatur, atque e Septemtrionalibus.[9][m]

XX. Saliunca[n] folio quidem subbrevi, et quod necti[1]

Dalec.—5 Ita Gronov. et al. vett. *sternumenta* Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. Mox, *tractatu movet* Vet. Dalec.—6 Vet. Dalec. *et rectum.*—7 *Effossuri* . . . *mulsam aquam circumfundunt hoc vel. plac. ter. blandientes circumscriptæ* Vet. Dalec.—8 Vet. Dalec. *afferebatur.*—9 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *laudatur. At Septemtrionalibus saliunca, &c.* Vet. Dalec. *laudatur atque Septemtrionale* Gronov. et vulgg.

CAP. XX. 1 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Saliunca foliosa quidem est, sed brevis et quæ necti* Gronov. et vulgg. Mox, ra-

NOTÆ

[f] *Et quæ melior . . . subrufa*] Plinius infra c. 38. 'Iris rufa melior quam candida.' Quam sententiam Diosc. probat loc. cit. et Anguillara, qui non foris, sed intus rufam esse radicem, recte admonet, p. 18.

[g] *Optima, quæ*] Auctor libri de Simp. Med. ad Patern. tom. XIII. operum Galeni, pag. 992. 'Optima,' inquit, 'est iris Illyrica, et Macedonica: est enim spississima . . . et dum tunditur, sternutare facit.'

[h] *Tactu movet*] In Mss. Reg. 1. *tractu.* Reg. 2. *tractatu.* *Ego tritu* malim: tum ex auctore proxime appellato, tum Diosc. lib. I. ubi de iride, πταρμοὺς τε ἐν τῷ κόπτεσθαι κινοῦσα. Mox tamen ipse Plinius *tractatu* videtur agnoscere, dum ait, 'Tractata pustulas ambusti modo facit.'

[i] *Floret diversi*] Sic Dioscorides loc. cit.

[j] *Et fossuri*] Hæc quoque Theophr. ad verbum Hist. IX. 9. de sylvestri iride, quæ et ξιρὶς vocatur.

[k] *Natura est*] Theophr. de odoribus pag. 192. Θερμὴ δὲ καὶ στυπτικὴ ἡ ἶρις [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], καὶ τὴν χεῖρα τῶν ἐργαζομένων [illegible] [illegible].

[l] *Optimum antea*] Vide quæ diximus XIII. 2.

[m] *Atque e Septemtrionalibus*] Hoc est, ex iride concinnatum, quæ in septemtrionalibus locis nata sit. Vide Notas et Emend. num. 6.

[n] *Saliunca*] Quæ saliunca sit hodierno die, haud facile est statuere.

non possit, radici numerosæ cohæret, herba verius quam flos, densa veluti manu pressa, breviterque cespes sui generis. Pannonia hanc gignit et Norici, Alpiumque aprica: urbium, Eporedia:[2] tantæ suavitatis, ut metallum[o] esse cœperit. Vestibus interponi eam gratissimum.

XXI. Sic et apud Græcos[p] polion herbam, inclytam Musæi et Hesiodi laudibus, ad omnia utilem prædicantium, superque[1] cetera ad famam etiam ac dignitates,[2] prorsusque miram, si modo (ut tradunt)[q] folia ejus mane candida, meridie purpurea, Sole occidente cœrulea aspiciuntur. Duo genera ejus:[r] campestre, majus: sylvestre, quod minus est. Quidam teuthrion vocant. Folia[3] canis hominis[s] similia, a radice protinus, nunquam palmo altiora.

dice numerosa Vet. Dalec.—2 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Eporrhedia* Gronov. et vulgg.

CAP. XXI. 1 Cod. Dalec. *laudibus. Ad omnia utilem prædicant vim superque.* —2 Cod. Dalec. *etiam dignitatis.*—3 *Capitula* margo edd. Dalec. et Gronov. e Diosc.

NOTÆ

Neque Lavendula nostra est, neque nardus Celtica, ut recte Matthiolus animadvertit, in lib. I. Diosc. p. 34. et ea est quam Virgilius breviter indicavit in Eclogis, 'Puniceis humilis quantum saliunca rosetis.'

[o] *Metallum*] Ut in vectigali redituque publico esse cœperit, haud secus ac metalli fodina.

[p] *Sic et apud Græcos*] Ut Romanis, inquit, saliuncam, sic et apud Græcos polion vestibus interseri mos est, ad tineas necandas. Hæc iisdem verbis Theophr. Hist. IX. 21. *Καὶ ὡς δή φασι, τὸ πόλιον, καθ' Ἡσίοδον καὶ Μουσαῖον, εἰς πᾶν πρᾶγμα σπουδαῖον χρήσιμον εἶναι· διὸ καὶ ὀρύττουσιν αὐτὸ νύκτωρ, κ. τ. λ.* Et Hist. I. 16. *Πόλιον δὲ καὶ πρὸς τοὺς σῆτας τοὺς ἐν τοῖς ἱματίοις ἀγαθόν.* Est autem *σὴς*, ut Glossæ admonet, *tinia*, seu tinea vestes corrodens. Unde herba tiniaria appellata, teste Scribonio Largo, Compos. 83. 'Ad sanguinis eruptionem, sive ex arteriis, sive a pulmone,... prodest et herbæ quam *πολιὸν* vocant, nos, ut opinor, tiniariam, fasciculum,' &c.

[q] *Ut tradunt*] Famæ, opinionisque vulgi, vadem se præbere non audet: quod eruditi nonnulli eam dotem non polio, sed tripolio, assignarent: quos inter Dioscorides censendus, IV. 135.

[r] *Duo genera ejus*] Utrumque a Dodonæo pingitur pag. 282. Utriusque Dioscorides meminit III. 124. *Πόλιον, τὸ μέν ἐστιν ὀρεινὸν, ὃ καὶ τεύθριον καλεῖται, κ. τ. λ.*

[s] *Folia canis hominis*] Polium Salmasius non vidit, qui negat in Præfat. ad Plinium, p. 10. et 11. ea canescere: quoniam id Dioscorides sileat, affirmetque hoc tantum, capitula in summo esse, quadam corymbi specie, cæsariei canæ simili. Vel si Dodonæum legisset, Plinium erroris insimulando, suum non proderet.

XXII. (VIII.) Et de odoratis floribus satis dictum: in quibus unguento vicisse naturam gaudens[1] luxuria, vestibus quoque provocavit eos flores qui colore commendantur. Hos animadverto tres esse principales. Rubentem, in cocco,[a] qui a rosis migrante gratia, idem trahitur suspectu[2][b] et in purpuras Tyrias,[c] dibaphasque, ac Laconicas. Alium in amethysto, qui a viola,[d] et ipse[3] in purpureum, quemque ianthinum appellavimus.[e] Genera enim tractamus, in species multas sese spargentia. Tertius est,[f] qui proprie conchylii intelligitur, multis modis: unus in heliotropio, et in aliquo ex his plerumque[4] saturatior: alius in

CAP. XXII. 1 Cod. Dalec. *dictum, in quibus unguenta vicisse naturam gaudemus:* moxque alterum caput sic inchoat, *Luxuria vestibus, &c.*—2 Ita Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *principales: unum in cocco, qui in rosis micat. Gratius nihil traditur aspectu* Gronov. et vulgg. *nihil aspectu. Trahitur is in purpuras* Vet. Dalec. *et in purpura Tyria, dibaphaque ac Laconica* Bayfius.—3 Ita Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *qui in viola: et ipse* Gronov. et vulgg. 'Vet. *viola. Trahitur et ipsa;* Bayf. *viola, et ipsum purpureum.* Ego vero lego, *qui ipse et in viola purpurea.*' Dalec. Mox, *quemque iacinthinum* Chiffl.—4 Vet. Dalec. *aliquando exilior, plerumque.*—5 Vet. *Serrana;* et sic Columel.

NOTÆ

[a] *Rubentem, in cocco*] Rubens, inquit, color in cocco micat, (est enim coccum rubens granum, ut dictum est IX. 65.) cujus coloris gratia omnis a rosa profecta, sive a rosæ similitudine: inde trahitur et in purpuras, dibaphasque, et Laconicas, in quibus idem colos deprehenditur suspectu, hoc est, cum in sublimi positæ spectantur. Vide Notas et Emend. n. 6.

[b] *Suspectu*] Usus iterum ea voce Plinius XXXVII. 40. 'Præcellens,' inquit, 'debet esse in suspectu, velut ex carbunculo refulgens, quidam in purpura leviter roseus nitor.' Vim vocis aperit egregie Seneca, in hoc ipso purpuræ argumento habitans, Quæst. Natur. I. 5. 'Sunt etiam quidam colores, qui ex intervallo vim suam ostendunt. Purpura Tyria, quo melior saturiorque est, eo oportet altius teneas, ut fulgorem suum ostendat,' &c.

[c] *Tyrias*] De his egimus IX. 60. 62. et 63.

[d] *Qui a viola*] Subintellige ex antecedentibus, qui a viola migrante gratia et ipse trahitur in purpureum colorem. Est enim quidam purpuræ fulgor, non ex toto igneus, sed qui in violam desinat, et vini colorem, ut ait Plinius XXXVII. 40. Hujus coloris veste qui indutus sit, 'amethystinatus' Martiali dicitur II. 57.

[e] *Quemque ianthinum appellavimus*] Ubi vestis ianthinæ facta mentio est, cap. 14. Utriusque coloris nomen in Notis quæ falso Tironi ascribuntur, apud Gruterum pag. 159. 'Amitextinum. Iantinum.' Lege, *Amethystinum. Ianthinum.*

[f] *Tertius est*] Locum hunc jam superius explicuimus, IX. 58.

malva,[g] ad purpuram inclinans: alius in viola serotina,[5] conchyliorum vegetissimus.[6] Paria nunc componuntur, et natura atque luxuria depugnant. Lutei video honorem antiquissimum, in nuptialibus flammeis[7h] totum fœminis concessum: et fortassis ideo non numerari[8] inter principales, hoc est, communes maribus ac fœminis, quoniam societas principatum dedit.[a]

XXIII. Amarantho[i] non dubie vincimur. Est autem spica purpurea verius, quam flos aliquis, et ipse sine odore. Mirum in eo, gaudere decerpi et lætius renasci. Provenit Augusto mense: durat in autumnum. Alexandrino palma, qui decerptus asservatur. Mireque,[1] postquam defecere cuncti flores, madefactus aqua revivescit,[2] et hybernas coronas facit. Summa ejus natura[j] in nomine est, appellato, quoniam non marcescat.

[a] *Quoniam qui colores societatem habent, ut communes maribus fœminisque sint, ii principatum obtinent.*

—6 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *vegetissima* Gronov. et vulgg. *vegetissime* alii ap. Dalec. Mox, Vet. Dalec. *naturæ atque luxuriæ depugnante.*—7 Margo edd. Dalec. et Gronov. *flameis*, e Verrio. —8 Vet. Dalec. *numeratum*.

CAP. XXIII. 1 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et

NOTÆ

[g] *Alius in malva*] Græcis malva μολόχη est, ut omnes probe norunt. Hinc ii qui colorem tingebant ad purpuram inclinantem, qualis in malvæ flore spectatur, *molochinarii* a Plauto nuncupati, in Aulul. III. 5. 40. Qui violaceum, violarii: et auctore Festo, 'Flamearii, infectores flamei coloris,' de quo mox dicemus.

[h] *In nuptialibus flammeis*] Sive *flammeolis*. Petronius in Satyr. pag. 70. 'Consurrexi ad officium nuptiale. Jam Psyche puellæ caput involverat flammeolo.' Amiculum fuit, quo amiciebatur nubens, inquit Festus, verbo 'Flameo,' boni ominis causa: quod eo Flaminica, hoc est, Flaminis Dialis uxor, cui divortium facere nefas erat, assidue utebatur: atque hinc nomen traxit, non a flammeo colore: nam erat luteum. Lucanus II. 361. 'Lutea demissos velarunt flammea vultus.' Flammeum vocat Sulpitius Severus Hist. Sacræ lib. II. de Nerone. Nonius Marcellus XIV. 41. 'Flammeus, vestis vel tegmen, quo capita matronæ tegunt.' Flammea Juvenali Sat. VI. 224. ubi vetus Schol. 'Genus amicti, quo se cooperiunt mulieres die nuptiarum.' Vide alia multa de flammeo, apud Brissonium de Ritu Nupt. p. 178. et 179.

[i] *Amarantho*] Amaranthus spicatus vocatur in Eystetensi horto, qualem in Regio vidimus: *Amarante, ou Passevelours: amarante à creste de coq, ou crestée.* Italis, *Fior di velluto.*

XXIV. In nomine et cyani colos:[k] item holochrysi.[l][1] Omnes autem hi flores[2] non fuere in usu Alexandri Magni ætate, quoniam proximi a morte ejus auctores siluere de illis: quo manifestum est postea placuisse. A Græcis tamen repertos quis dubitet: non aliter Italia usurpante nomina illorum?

XXV. At Hercules petilio[m] ipsa nomen imposuit,[a][1] autumnali, circaque vepres nascenti, et tantum colore commendato, qui est rosæ sylvestris. Folia parva, quina. Mirumque in eo flore, inflecti cacumen, et non nisi retorto[2] folia nasci, parvo calyce, ac versicolori, luteum semen includente.

Luteus et bellio[3][n] pastillicantibus[o] quinquagenis quinis barbulis[4] coronatur. Pratenses hi flores, ac sine usu plerique, et ideo sine nominibus. Quin et his ipsis alia alii vocabula imponunt.

XXVI. Chrysocome,[p] sive chrysitis, non habet Latinam

[a] *Italia nomen petilio flori dedit.*

recentt. *Mirumque* Gronov. et vulgg.—2 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *reviviscit* Gronov. et vulgg.

Cap. XXIV. 1 *Eliechrysi* margo edd. Dalec. et Gronov. e Diosc.—2 'Ita codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier*. Ita quoque al. vett. et Gronov. *Omnes autem flores* Harduin. 1. 2. 3. et recentt.

Cap. XXV. 1 Chiffl. *petillio ipsa nomen posuit*. Cod. ap. Laet etiam *petillio*.—2 Chiffl. *et nodis intorto*.—3 Vet. Dalec. *et bellis*.—4 Idem Vet. *quinquagenis quinis foliolis*.

NOTÆ

[j] *Summa ejus natura*] Ita Mss. recte: non, ut vult Salmasius in Solin. p. 966. *Summa ejus naturæ*. 'Αμάραντον porro dici affirmat, ἀπὸ τοῦ μὴ μαραίνεσθαι, et vere id quidem.

[k] *Et cyani colos*] Cyanus vulgaris, in Horto Regio, qualis a Lobelio pingitur, in Observ. p. 226. Nostris, *Bluet, ou Aubifoin.*

[l] *Holochrysi*] Ita Mss. omnes, tum hoc loco, tum in Indice, tum denique libri hujus c. 85. Inter ignotas herbas censenda.

[m] *Petilio*] Mss. Reg. Colb. Th. *petellio*. At in Indice, *petilium*, in recto casu. Genus esse rosæ sylvestris videtur, cui a Petilia forte nomen inditum, magnæ Græciæ oppido.

[n] *Luteus et bellio*] Lutei coloris, inquit, et bellio est. Ipsa Bellis lutea est, quam Chrysanthemum segetum Lobelius vocat, in Observat. p. 298. et in Advers. p. 237. Eadem poëtarum caltha, *le Souci*.

[o] *Pastillicantibus*] Pastilli, rotundam figuram repræsentantibus.

[p] *Chrysocome*] Χρυσοκόμη Diosc. IV. 55. Et in Nothis, p. 465. Χρυσοκόμη,

appellationem. Palmi altitudine[q] est,[1] comantibus fulgore auri corymbis, radice nigra, ex austero dulci, in petrosis opacisque nascens.

XXVII. (IX.) Et fere peractis colorum quoque celeberrimis, transeat ratio[1] ad eas coronas, quæ varietate sola placent. Duo earum genera, quando aliæ flore constant, aliæ folio. Florem esse dixerim genistas: (namque et iis[2] decerpitur luteus:) item rhododendron: item zizipha, quæ et[3] Cappadocia vocantur: his odoratus, similis olearum floribus. In vepribus nascitur cyclaminum, de quo plura alias.[r] Flos ejus colossinus[s] in coronas admittitur.

XXVIII. Folia in coronamentis smilacis et hederæ, corymbique[1] earum obtinent principatum, de quibus in fruticum loco abunde diximus.[t] Sunt et alia genera nominibus Græcis indicanda, quia nostris majore ex parte hujus nomenclaturæ[2] defuit cura. Et pleraque eorum in exteris terris nascuntur, nobis tamen consectanda,[3] quoniam de natura sermo, non de Italia est.

XXIX. Ergo in coronamenta folio venere melothron,[a] spi-

Cap. XXVI. 1 Verbum *est* deest in cod. Dalec. Mox, *aureis corymbis* Vet. Dalec.

Cap. XXVII. 1 Alii ap. Dalec. *oratio*.—2 Vet. Dalec. *ex iis*.—3 Conjunctio *et* deest in Vet. Dalec.

Cap. XXVIII. 1 Vet. Dalec. *smilacis et ederæ in coronamenta se dedere, corosæque*.—2 Cod. Dalec. *his nomen dare*.—3 Cod. Dalec. *consectata*.

NOTÆ

οἱ δὲ χρυσῖτις, οἱ δὲ χρυσάνθεμον, κ. τ. λ. Galenus de Fac. Simp. Med. lib. VIII. p. 242. *Χρυσοκόμη, καλεῖται δὲ καὶ χρυσίτης, ... Ῥωμαῖοι, Ἴοβις βάρβα*. Nec vidisse se, nec nosse quæ sit, scribit Anguillara par. 14. pag. 264. Forte Stœchas citrina Dodonæi, p. 267.

[q] *Palmi altitudine*] Diosc. loc. cit. *Χρυσοκόμη θαμνίον ἐστὶ σπιθαμιαῖον, ἔχον κόμην κορυμβοειδῆ, ὁμοίαν ὑσσώπῳ*, κ. τ. λ.

[r] *De quo plura alias*] Lib. XXV. c. 67. 68. et 69.

[s] *Flos ejus colossinus*] Purpureus, a Colossis urbe Troadis, ubi simile pigmentum paratur. Vide Strabon. lib. XII. p. 578. Etsi id Scaliger negat, Exercit. 325. in Card. p. 1044. Plinius XXV. 67. de cyclamino: 'Caule exiguo, inani, floribus purpureis,' &c.

[t] *Abunde diximus*] Lib. XVI. 62. et 63.

[a] *Melothron*] Ex his hæc recenset Theophrastus Hist VI. 1. *μήλωθρον, σπειραία, κνέωρον, ὀρίγανον, κόνυζα, μελισσόφυλλον, καὶ ἕτερα τοιαῦτα*. Melothron, vitem albam esse arbitramur, de qua XXIII. 16. Origanon illud est,

ræa, origanon,[1] cneoron, quod casiam[b] Hyginus vocat: et quod cunilaginem,[c] quæ conyza: melissophyllon quod apiastrum:[d] meliloton,[e] quod sertulam Campanam vocamus. Est enim in Campania Italiæ laudatissima, Græcis in Sunio: mox Chalcidica[f] et Cretica:[2] ubicumque vero asperis et sylvestribus nata. Coronas ex ea[3] [g] antiquitus factitatas, indicio est nomen sertulæ, quod occupavit. Odor[4] ejus[h] croco vicinus est, et flos, ipsa cana. Placet maxime foliis brevissimis atque pinguissimis.

XXX. Folio coronat et trifolium.[1] Tria ejus genera. Mi-

Cap. xxix. 1 Ita Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *spireon, trigonon* Gronov. et vulgg. *spira, trigonon* codd. Dalec. *origanum* margo edd. Dalec. et Gronov. e Theophr. *spira thryganum* Chiffl. *melophron, smerea, origanum, cneorum, quod, &c.* Salmas. Mox, Vet. Dalec. *et conyza, quam cunilaginem, mel quod ap. melilotos, quam.*—2 *Chalcedonica et e Cyzico* margo edd. Dalec. et Gronov. e Diosc.—3 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *ex hac* Gronov. et vulgg.—4 *Color* margo edd. Dalec. et Gronov. e Diosc.

Cap. xxx. 1 *Folia coronant et trifolii* cod. Dalec.—2 Dalec. *quo non utuntur.*

NOTÆ

de quo xx. 69. Spiræa, si Dalecampio credimus, et Rob. Constantino in Lexico, verbo Σπειραία, ea est, quam pro viburno Matthiolus, rei herbariæ alioqui peritissimus, accepit: vulgo, *Blanche-putain.* Alia est Spiræa Clusii Hist. Rarior. Plant. lib. I. p. 84. quam ipse viciniorem Theophrasteæ, seu Plinianæ, putat: et nos in horto Regio vidimus.

[b] *Quod casiam*] Non aromaticam quidem illam, de qua xii. 43. sed alteram, de qua mox, cui id nomen inditum ab Hygino, quod juxta casas agricolarum nascitur.

[c] *Quod cunilaginem*] De qua xx. 63.

[d] *Quod apiastrum*] Non ab apio illud quidem, sed ab apibus dictum, quibus id pabulum suave est. Vide quæ de eo diximus xx. 45.

[e] *Meliloton*] Diosc. iii. 48. Μελίλωτος, κράτιστος ὁ Ἀττικὸς, καὶ ὁ ἐν Κυζίκῳ, καὶ ὁ ἐν Καλχηδόνι γεννώμενος, κροκίζων καὶ εὐώδης· φύεται καὶ ἐν Καμπανίᾳ. Græco nomine Gallis, ipsisque adeo officinis, notior, quam Latino: *Melilot.* Lobelii Melilotus Germanica est, in Observat. p. 501.

[f] *Mox Chalcidica*] Forte *Chalcedonica*, ex Diosc.

[g] *Coronas ex ea*] Melilotinæ coronæ, apud Athenæum perquam odoratæ, lib. xiv. p. 678. Unde nunc etiam in Campania Romana, retinet nomen, *Coronello.* Anguillara par. 12. p. 205. Reperitur frequens in Marsis.

[h] *Odor ejus*] Auctor libri de Simp. Medic. ad Patern. tom. xiii. operum Galeni, p. 1001. 'Sertula herba est humilis, odore suavi, exalbida, flosculum habens subrufum,' &c. Et Diosc. loc. cit. ex quibusdam libris, ὀσμῇ κροκίζων dixit.

nyanthes[i] vocant Græci, alii asphaltion,[j] majore folio, quo utuntur[2] coronarii. Alterum acuto,[k] oxytriphyllon. Tertium ex omnibus minutissimum. Inter hæc[3] nervosi[l] cauliculi quibusdam, ut marathro, hippomarathro, myophono.[m] Utuntur e ferulis[n] et corymbis, et hederæ flore[4][o] purpureo. Est et in alio[p] genere earum sylvestribus rosis similis. Et in iis quoque colos tantum delectat, odor autem abest.

(X.) Et cneori[q] duo genera, nigri atque candidi. Hoc

—3 *Præter hæc* Vet. Dalec.—4 Vet. Dalec. *et ferulis, et ederæ corymbis et flore.*

NOTÆ

[i] *Minyanthes*] Scholiastes Nicandri, in Theriac. p. 25. *Τὸ τρίσφυλλον Διονύσιος μὲν ἐν τοῖς Ῥιζοτομικοῖς, μινυανθὲς καλεῖ.* Tria genera complectitur Diosc. his verbis, III. 123. *Τρίφυλλον, οἱ δὲ ὀξύφυλλον, οἱ δὲ μινυανθὲς, οἱ δὲ ἀσφάλτιον, οἱ δὲ κνίκιον καλοῦσι.* Vulgo *Trefle.* Oxytriphyllon officinæ *Alleluia* et Trifolium vocant.

[j] *Alii asphaltion*] Quoniam, ut Nicander cecinit, in Theriac. p. 36. *Οἷόν τ' ἀσφάλτου ἀπερεύγεται, asphalto fragrat gravis,* inquit interpres Gorræus. Colum. VI. 17. p. 227. 'Simonianum trifolium, quod invenitur confragosis locis, efficacissimum traditur, (ad ictus serpentis videlicet, et noxiorum animalium,) odoris gravis, neque absimilis bitumini, et idcirco Græci eam *ἀσφάλτιον* appellant: nostri autem propter figuram vocant acutum trifolium: nam longis et hirsutis foliis viret, caulemque robustiorem facit, quam pratense.' Simonianum dicitur, fortassis a Simo medico, quem in Indice hujus libri Plinius laudat auctorem.

[k] *Alterum acuto*] Scribonius Largus Compos. 163. 'Trifolium acutum, quod *ὀξυτρίφυλλον* Græci appellant. Nascitur et hoc Siciliæ plurimum: nam in Italiæ regionibus nusquam eam vidi herbam, nisi in Lunæ portu .... plurimum super circumdatos montes. Est autem foliis, et specie, et numero, similis communi trifolio: nisi quod hujus pleniora sunt, et quasi lanuginem quandam super se habent, et in extrema parte velut aculeum eminentem. Sed hujus frutex duorum pedum interdum, aut etiam amplior, conspicitur, et odorem gravem emittit, quorum nihil circa pratense trifolium invenitur.'

[l] *Inter hæc nervosi*] Theophr. Hist. VI. 1.

[m] *Myophono*] Quod et *μυοκτόνον* vocant, sive aconitum, de quo XXVII. 2. Theophr. loc. cit. *μυοφόνον.*

[n] *Utuntur e ferulis*] Utuntur, inquit, ad coronamenta et corymbis sive umbellis ferularum. 'Αεροβατεῖ Scaliger Epist. I. 17. an Vertunianum, cum, libris invitis omnibus, *sphærulis* hoc loco reponit.

[o] *Et hederæ flore*] De quo dictum est XVI. 62.

[p] *Est et in alio*] Vide quæ diximus l. XVI. c. proxime appellata.

[q] *Et cneori*] Sive casiæ, ut dictum est. Theophr. Hist. VI. 2. *Δύο δὲ εἴδη καὶ τοῦ κνεώρου· ὁ μὲν γὰρ λευκὸς, ὁ δὲ μέλας, ... ἔστι δὲ ὀσμώδης· ὁ δὲ μέλας ἄοσμος .... καὶ τοὺς ἀκρέμονας πολλοὺς*

et odoratum: ramosa ambo. Florent post æquinoctium autumnum.[5] Totidem et origani[r] in coronamentis species. Alterius enim nullum semen. Id, cui odor[6s] est, Creticum vocatur.

XXXI. Totidem et thymi:[a] candidum, ac nigricans. Floret autem[b] circa solstitia, cum et apes decerpunt, et augurium mellis est. Proventum enim sperant apiarii large florescente eo. Læditur[c] imbribus, amittitque florem. Semen thymi[d] non potest deprehendi, cum origani perquam minutum, non tamen fallat. Sed quid interest occultasse id naturam? In flore ipso intelligitur,[1] satoque eo nascitur. Quid non tentavere homines? Mellis Attici in toto orbe summa laus existimatur. Ergo translatum[e] est ex Attica thymum, et vix flore (uti docemus)[2] satum. Sed alia ratio naturæ obstitit, non durante Attico thymo, nisi in afflatu[f] maris. Erat quidem hæc opinio antiqua in omni thymo, ideoque non nasci in Arcadia.[g] Tunc oleam

—5 Vet. Dalec. *autumni*.—6 Margo edd. Dalec. et Gronov. *candor*, e Theophr.
CAP. XXXI. 1 Vet. Dalec. *integitur*.—2 Vet. Dalec. *diximus*; al. vett. ap.

NOTÆ

.... *βλαστάνει δὲ καὶ ἀνθεῖ μετ' ἰσημερίαν μετοπωρινήν*. De hac casia Virgilius Georg. IV. 304. 'Thymum, casiasque recentes.' Non est autem ea Lavendula, *la Lavende*, ut Dalecampio visum, post Anguillaram par. I. p. 32. reclamante merito Dodonæo, p. 272. et Matthiolo p. 45. et 56. Nigram vero cneorum forte thymelæa est, ut Dodonæus suspicatur, p. 360. et post eum Salmasius p. 405.

[r] *Totidem et origani*] Subintellige genera, ut cneori, nigri atque candidi: hujus quidem fructuosi, illius infœcundi. Theophr. loc. cit. *Καὶ τῆς ὀριγάνου δὲ ἡ μὲν μέλαινα ἄκαρπος· ἡ δὲ λευκὴ κάρπιμος.*

[s] *Id, cui odor*] *Plinius* XX. 69. de origano: 'Optimum autem Creticum, nam et jucunde olet.'

[a] *Totidem et thymi*] Hæc iisdem verbis Theophr. loco citato.

[b] *Floret autem*] Ad verbum hæc iterum ex Theophr. loc. cit.

[c] *Læditur*] Theophr. loc. cit.

[d] *Semen thymi*] Theophr. loc. cit. Et de Causis I. 5. p. 203. *Κατὰ μὲν ὄψιν οὐ φανερὰ, κατὰ δὲ τὴν δύναμιν φανερά· σπειρομένων γὰρ τῶν ἀνθῶν γεννᾶται, κ. τ. λ.*

[e] *Ergo translatum*] Theophr. loco citato.

[f] *Nisi in afflatu*] Nisi quo flatus e mari possit pertingere: *Οὐ γάρ φασι δύνασθαι φύεσθαι καὶ λαμβάνειν, ὅπου μὴ ἀναπνοὴ διϊκνεῖται ἡ ἀπὸ τῆς θαλάσσης.* Theophr.

[g] *In Arcadia*] Theophrastum carpit ita de thymo et olea sentientem, loc. cit.

non putabant gigni, nisi intra CCC.[h] stadia a mari. Thymis quidem nunc etiam lapideos campos in provincia Narbonensi refertos scimus: hoc pæne solo reditu, e longinquis regionibus pecudum millibus convenientibus, ut thymo vescantur.

XXXII. Et conyzæ [i] duo genera in coronamentis, mas ac fœmina. Differentia in folio. Tenuius fœminæ, et constrictius, angustiusque: imbricatum [j] maris, et ramosius. Flos quoque [1] magis splendet ejus, serotinus utrique post Arcturum. Mas odore gravior, fœmina acutior: [2] [k] et ideo contra bestiarum morsus aptior. Folia fœminæ [l] mellis odorem [3] habent. Masculæ radix a quibusdam libanotis appellatur, de qua diximus.[m]

XXXIII. Et tantum folio coronant.[n] Jovis flos, amaracus, hemerocalles, abrotonum, helenium, sisymbrium, serpyllum, omnia surculosa,[o] rosæ [1] modo. Colore tantum [p]

eund. *docemur*; al. vett. *dicemus.*

CAP. XXXII. 1 Cod. Dalec. *imbricatus mar. et ramosior. Flos ejus quoque.*—2 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *acrior* Gronov. et vulgg.—3 Alii ap. Dalec. *meliorem odorem*; margo edd. Dalec. et Gronov. *suaviorem odorem*, e Diosc.

NOTÆ

[h] *Nisi intra CCC.*] Vide quæ diximus XV. 1.

[i] *Et conyzæ*] Et hæc quoque Theophrastea sunt, ex Hist. VI. 2. De utroque genere jam diximus, XX. 63, et 64.

[j] *Imbricatum*] Imbricis modo curvum et obtortum. Imbrex tegula curva est, per quam imber defluit.

[k] *Fœmina acutior*] Theophr. Δριμυτέρα δὲ θηλείας. Hesychius: Δριμὺς, ὀξύς. Ita porro Mss. non, ut editi prius, *acrior*. Aliud enim odor acris est, aliud acutus.

[l] *Folia fœminæ*] Scilicet, dum teruntur, ut dictum est XX. 64.

[m] *De qua diximus*] Lib. XX. cap. 64.

[n] *Et tantum folio coronant*] Nempe conyzæ duo genera proxime memorata: nam quæ subsequuntur, etiam flore coronant, rosæ modo. Theophr. Hist. VI. 1. Ἐν τοῖς στεφανωτικοῖς ἐστι, ῥοδωνιὰ, ἰωνιὰ, Διὸς ἄνθος, ἀμάρακος, ἡμεροκαλές· ἔτι δὲ ἕρπυλλος· σισύμβριον, ἑλένιον, ἀβρότονον· ἅπαντα γὰρ ταῦτα ξυλώδη, καὶ μικρόφυλλα. Ut de ceteris sileam, Catullus certe, Carm. LXII. 'Cinge tempora floribus Suaveolentis amaraci.'

[o] *Surculosa*] Ξυλώδη, *lignosa*. Theophr. loc. cit. et cap. 6.

[p] *Colore tantum*] Theophr. Hist. VI. 6. Ἄνοσμα, ὥσπερ Διὸς ἄνθος, φλόξ. Jovis florem, inquit Ruellius lib. II. pag. 448. rura nostra *cocolurdas*, Co-

placet Jovis flos, odor abest: sicut et illi, qui Græce phlox vocatur. Et ramis autem et folio odorata sunt, excepto serpyllo.[2] [q] Helenium e lacrymis [r] Helenæ dicitur natum, et ideo in Helene[3] insula laudatissimum. Est autem frutex humi se spargens dodrantalibus ramulis, folio simili serpyllo.

XXXIV. Abrotonum [a] odore jucunde gravi floret: est autem flos[1] aurei [b] coloris. Vacuum sponte [c] provenit. Cacumine suo se propagat. Seritur autem semine [d] melius, quam radice aut surculo: semine quoque[2] non sine negotio; plantaria transferuntur. Sic et Adonium.[e] Utrumque

Cap. XXXIII. 1 Margo edd. Dalec. et Gronov. *thymi vel rutæ*.—2 Margo edd. Dalec. et Gronov. *helenium, sisymbrium, serpyllum*, e Theophr.—3 *Helenæ* Chiffl. *Helena* Gronov.

Cap. XXXIV. 1 Ita Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *gravi floret*

NOTÆ

quelourdes nominant. Φλόγα, sive φλόγιον, seu *flammeam*, nos violæ inodoræ genus esse remur, quam vulgus Gallicum Penseam, *Pensée*, vocat, suffragante nobis Ruellio pag. 449. et Dodonæo pag. 358. a quo viola tricolor assurgens appellatur.

[q] *Excepto serpyllo*] Serpyllum tamen Theophrastus, ut cetera, et ramis et folio esse odoratum scribit Hist. VI. 6. Τῶν δὲ καὶ οἱ κλῶνες, καὶ τὰ φύλλα, καὶ ὅλως ἡ πᾶσα φύσις εὔοσμος· οἷον ἑρπύλλου, ἑλενίου, σισυμβρίου.

[r] *Helenium e lacrymis*] Fabulam apud Nicandrum in Theriacis vide, et apud Phavorinum. Ælianum quoque, si lubet, adi, Hist. Anim. IX. 21. Helenium istud Ægyptium est, orbi huic nostro incognitum, de quo eadem fere Diosc. I. 28. ex Crateva recitat. In Etymologico Phavorini: Ἑλένειον, βοτάνη ἡ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ γινομένη. Εἴρηται, ὅτι ἐκ τῶν δακρύων τῆς Ἑλένης ἀνεφύη· ὅτε ἐπὶ Κανώβῳ τῷ κυβερνήτῃ Μενέλαος ἐδάκρυσεν ὑπὸ αἱμοῤῥοΐδων ἀποθανόντι. Hoc et nectarion appellavere, ob suavitatem succi, quam dotem Plinius animadvertit inferius cap. 91. Hinc nectarites vinum, de quo XIV. 19.

[a] *Abrotonum*] Ἀβρότονον. Galli nunc vocant, Latinos imitati, *Aurone*: aliqui vestiarium custodem, *Garderobe*, quod armariis sparsum vestes a tineis vindicet. A Lobelio pingitur mas et fœmina, duo enim sunt ejus genera, in Observ. pag. 443. Diosc. III. 29. Ἀβρότονον . . . . . πλῆρες ἄνθους . . . . . θερείας γεννώμενον, εὐῶδες μετά τοσοῦ βάρους, πικρὸν τῇ γεύσει.

[b] *Flos aurei*] Ita Diosc. loc. cit.

[c] *Vacuum sponte*] Hoc est, ut quidem interpretor, semine vacuum, vel sine semine sponte provenit. Causa subjungitur, quoniam cacumine suo se propagat, dum vertex suo pondere delapsus terra excipitur, et radices agit. Libris omnibus adversantur, qui vel *vacuis sponte*, vel, ut Pellicerio placuit in Notis Mss. *vasculis depositum* legunt.

[d] *Seritur autem semine*] Vide Notas et Emend. num. 8.

[e] *Sic et Adonium*] In Indice pari-

æstate. Alsiosa[f] enim admodum sunt: et Sole tamen nimio læduntur. Sed ubi convaluere, rutæ vice[g] fruticant.[3] Abrotono simile odore leucanthemum[h] est, flore albo foliosum.[4]

XXXV. (XI.) Amaracum[i] Diocles medicus et Sicula gens appellavere, quod Ægyptus et Syria sampsuchum. Seritur utroque[j] genere, et semine et ramo, vivacius[1] supradictis,[2][k] et odore melius. Copiosum amaraco æque, quam abrotono, semen. Sed abrotono radix una et alte descendens: ceteris in summa terra[3] leviter hærens. Reliquorum satio autumno fere incipiente, necnon et vere quibusdam locis, quæ umbra[4] gaudent, et aqua, ac fimo.

æstate. Flos edd. vett. et Gronov.—2 Margo edd. Dalec. et Gronov. *viviradice ac surculo melius, quam semine: et semine quoque, &c.* e Theophr.—3 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *ritu vitis* Gronov. et vulgg. *transferuntur in Adonidis hortos æstate. Alsiosum enim adm. est: et so. ta. ni. læditur. Sed ubi convaluit, rutæ vice fruticat* margo edd. Dalec. et Gronov. e Theophr.—4 Vet. Dalec. *folioso.*

CAP. XXXV. 1 Margo edd. Dalec. et Gronov. *feracius*, e Theophr.—2 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *prædictis* Gronov. et vulgg.—3 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *summo terræ* Gronov. et vulgg.—4 Margo edd. Dalec. et Gronov. e Theophr. *locis omnia umbra, &c.*

NOTÆ

ter, *De Abrotono: Adonium.* Quid Adonium sit Plinio, satis ex Theophrasti verbis potest colligi, id esse abrotoni genus, quod in turbinibus cadorum, aut testa, viviradice comprehendit, in quem modum Adonidis hortulos pangebant. Sic enim Græcus auctor, Hist. VI. 7. de abrotono: *Προμοσχευόμενον ἐν ὀστράκοις, ὥσπερ οἱ Ἀδώνιδος κῆποι· τοῦ θέρους δὲ σπείρεται, κ. τ. λ.* Hic tragice, pro suo more, infeliciter tamen, in Plinium Salmasius invehitur, in Præfat. pag. 100. et 101. errorisque insimulat, quem ut Plinio objiceret, a Dalecampio, quem tamen non laudat, est mutuatus.

[f] *Alsiosa*] Facile læduntur a frigore. Theophr. loc. cit. de abrotono: *Τοῦ θέρους δὲ σπείρεται· δύσριγον γὰρ σφόδρα, καὶ ὅλως ἐπίκηρον, ὅπου καὶ ὁ ἥλιος σφόδρα λάμπει.*

[g] *Rutæ vice*] Vide Notas et Emend. num. 9.

[h] *Leucanthemum*] Differt ab ea quæ anthemis appellatur, et leucanthemon, XXII. 26. De ea nobis nihil compertum.

[i] *Amaracum*] Diosc. III. 47. *Σάμψυχον . . . . . καλεῖται δὲ ὑπὸ Κυζικηνῶν, καὶ τῶν ἐν Σικελίᾳ, ἀμάρακον.* Majorana nostra, *la Marjolaine*, vulgus officinarum existimat esse veterum sampsuchum, amaracumve: sed falso errore: *σάμψυχον* enim, ut cetera argumenta sileam, per terram repit, *πόα ἕρπουσα ἐπὶ τῆς γῆς*, teste Diosc. Majorana in altum assurgit.

[j] *Seritur utroque*] Theophr. Hist. VI. 7. Ὁ δὲ *ἀμάρακος ἀμφοτέρως φύε-*

XXXVI. Nyctegreton[1 l] inter pauca miratus est Democritus: coloris hysgini,[m] folio spinæ,[2] nec a terra se attollentem, præcipuam in Gedrosia, narrat. Erui post æquinoctium vernum radicitus, siccarique ad Lunam triginta diebus, ita lucere noctibus. Magos Parthorumque reges uti hac herba ad vota suscipienda. Eandem vocari chenomychon,[3 n] quoniam anseres a primo conspectu ejus expavescant: ab aliis nyctalopa,[4 o] quoniam e longinquo noctibus fulgeat.

XXXVII. Melilotos[p] ubique nascitur: laudatissima tamen in Attica: ubicumque vero recens nec candicans, et croco quam simillima: quanquam in Italia odoratior candida.[1]

XXXVIII. Florum prima[a] ver nuntiantium viola alba. Tepidioribus[b] vero locis etiam hyeme emicat. Postea quæ ion appellatur, et purpurea.[1] Proxime flammea,[c] quæ et

Cap. XXXVI. 1 ' Ita cod. Reg. 2. Nyctegreton est lunaria, *la lunaire*, de qua multæ semper traditæ sunt fabulæ.' *Brotier.* *Nyctegretum* edd. ante Brotier.—2 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *colores ignei, foliis spiræ* Gronov. et vulgg.—3 Vet. Dalec. *chenomyon;* Chiffl. *cherambycen.*—4 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *nyctilampada* Vet. Dalec. *nycti lampada* Vet. ap. Laet. *nyctilopa* Gronov. et vulgg.

Cap. XXXVII. 1 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *oderatior et candida* Gronov. et vulgg.

Cap. XXXVIII. 1 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *quæ appellatur purpurea,*

NOTÆ

ται, καὶ ἀπὸ περιστάδος, καὶ ἀπὸ σπέρματος.

[k] *Vivacius supradictis*] Abrotono et adonio.

[l] *Nyctegreton*] Νυκτήγρετον, quasi nocturnas agens excubias. Sunt qui hanc esse censeant, quam Chimistæ Lunariam nominant, noctibus cum Luna lucentem: inde nomen, inquit Ruellius lib. II. pag. 457.

[m] *Coloris hysgini*] Ita Mss. Reg. Colb. &c. non *ignei*.

[n] *Chenomychon*] Χηνόμυχον, quod *anseres*, χῆνες, ea visa in recessus locaque abdita, εἰς τοὺς μυχοὺς, fugiunt.

[o] *Nyctalopa*] Ita Mss. Reg. Colb. Th. tum hoc loco, tum in Indice, non, ut olim, *nyctilopa*. Νυκτάλωπας similiter quos Græci vocent, dicemus XXVIII. 47.

[p] *Melilotos*] Hæc verbis iisdem interpres Oribasii lib. XI. fol. 205. post Dioscor. III. 48.

[a] *Florum prima*] Transcripta hæc ad verbum e Theophr. Hist. VI. 7. Transcripsit et Athenæus lib. XV. pag. 680.

[b] *Tepidioribus*] Theophr. loc. cit.

[c] *Proxime flammea*] Flos ille nimirum, quem et φλόγα et φλόγιον appellari diximus cap. 33. Theophr. Ἅμα δὲ τῷ ἴῳ, ἢ μικρότερόν τι ὕστερον, τὰ φλό-

phlox [2] vocatur, sylvestris duntaxat. Cyclaminum [3] [d] bis anno, vere et autumno: æstates hyemesque fugit. Seriores [4] supra dictis aliquando narcissus et lilium [5] [e] trans maria: in Italia quidem, ut diximus, [f] post rosam. Nam in Græcia tardius [6] etiamnum anemone. Est autem hæc [g] sylvestrium bulborum flos, aliaque quam quæ dicetur in medicinis. [7] [h] Sequitur œnanthe, [i] melianthum: [8] [j] ex sylvestribus heliochrysos. Deinde alterum genus anemones, [k] quæ limonia vocatur. Post hanc gladiolus comitatus hya-

Gronov.—2 Margo edd. Dalec. et Gronov. *phloginon*, e Theophr.—3 Ita codd. Pintiani, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Codiaminon* edd. vett. et Gronov. '*Bulbi codion* Th. vulgo *Perrion*. Chiffl. *Cliclaminum*.' Dalec.—4 *Serior* margo edd. Dalec. et Gronov. e Theophr.—5 Margo edd. Dalec. et Gronov. *leirium*, e Theophr.—6 *In Græcia vero tardius* cod. Dalec.—7 Chiffl. *medicis*.—8 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. ita quoque in Indice, lib. I. *melanion* Gronov. et al. ante Harduin. Mox, Vet. Da-

NOTÆ

γιον καλούμενον τὸ ἄγριον. Jovis flamma eadem appellatur XXVII. 27. Hic Plinium immerito Salmasius carpit, in Solin. pag. 1361.

[d] *Cyclaminum*] Ita Mss. veteres, ipso Pintiano teste. In Reg. 1. et Colb. 1. *Cocliaminum*. In Reg. 2. *Clyclaminum*. In Thuanæo, *Clilaclaminum*. In editis, insulse, *Codiaminum*. Hoc vero Plinius, ut alia plurima, iis interserit, quæ mutuatur a Theophrasto.

[e] *Seriores . . . . lilium*] Album scilicet, quod λείριον appellavimus, cap. 11. Theophr. Hist. VI. 7. Μετὰ δὲ ταῦτα ὁ νάρκισσος, καὶ τὸ λείριον, καὶ τοῦ βολβοῦ κώδιον.

[f] *Ut diximus*] Cap. 11. ubi lilium medio rosarum proventu incipere dicitur.

[g] *Est autem hæc*] Theophrasti oratio ex Athenæo refingenda est, a quo ea transcripta accuratius est, quam in libris nunc editis legitur: Καὶ λείριον, inquit lib. XV. pag. 680. καὶ ἐκ τῶν τριῶν ἀνεμώνης γένος τὸ καλούμενον ὄρειον, καὶ τὸ τοῦ βολβοῦ κώδιον. *Postea lilium, et ex tribus anemones generibus genus illud, quod montanum vocant, et bulbi codion.* Sic legisse hunc locum, sic accepisse Plinium liquet: sed quod sit genus illud anemones, nec se nosse quidem, quod ingenui viri est, palam præ se fert.

[h] *Dicetur in medicinis*] Infra, c. 94.

[i] *Sequitur œnanthe*] Ea quæ describetur inferius, cap. 95. Theophr. Hist. VI. 7. et ex illo Athenæus, loc. cit. Ἐπὶ δὲ τούτοις ἡ οἰνάνθη, καὶ τὸ μελάνιον, καὶ τῶν ἀγρίων ὅ τε ἑλειόχρυσος, καὶ τῆς ἀνεμώνης ἡ λειμωνία καλουμένη, καὶ τὸ ξίφιον, καὶ ὑάκινθος.

[j] *Melianthum*] Vide Notas et Emend. num. 10.

[k] *Genus anemones*] Et hoc coronarium: *l' Anemone:* diversum a medicis anemones generibus, de quibus cap. 94. Centum et quinquaginta anemones genera in horto Regio vidimus. Hanc Theophrastus λειμωνίαν vocat, quasi pratensem.

cinthis. Novissima[9] rosa:[l] eademque prima deficit, excepta sativa: e ceteris hyacinthus[m] maxime durat, et viola alba, et œnanthe: sed hæc ita,[n] si divulsa crebro prohibeatur in semen abire. Nascitur locis tepidis. Odor idem ei, qui germinantibus uvis, atque inde nomen.

Hyacinthum comitatur fabula duplex,[o] luctum[10] præferens ejus quem Apollo dilexerat, aut ex Ajacis cruore editi, ita discurrentibus venis,[11] ut Græcarum literarum figura AI legatur inscripta.[12]

Heliochrysos[p] florem habet auro similem, folium tenue, cauliculum quoque gracilem, sed durum. Hoc coronare[q]

lec. *ex s. elilichrysos.*—9 *Novissime* Chiffl.—10 Dalec. *vel luctum.*—11 Vet. Dalec. *notis.*—12 Chiffl. *inscriptum.*—13 Alii ap. Dalec. *coronant se Magi, et si.*—

NOTÆ

[l] *Novissima rosa*] Et hæc a Theophr. loc. cit.

[m] *E ceteris hyacinthus*] Theophr. loc. cit.

[n] *Sed hæc ita*] Ita diutissime floret, inquit, si crebro florem vellas auferasque, nec seminescere sinas, nec solum apricum desit: Theophr. '*Ὡσαύτως δὲ καὶ ἡ οἰνάνθη· καὶ γὰρ τοῦτο ἀνθικὸν μὲν . . . . ἐάν τις ἀποκνίζῃ καὶ ἀφαιρεῖ τὸ ἄνθος, καὶ μὴ ἐᾷ σπερματοῦσθαι καὶ ὅταν τόπον εὐήλον ἔχει.*

[o] *Fabula duplex*] Alteram describit Ovidius Met. x. 162. ad 220. ubi Hyacinthi pueri, quem Apollo adamarat, in florem sui nominis conversionem enarrat. Alteram XIII. 185. ubi Ajacem in eundem quoque florem mutatum scribit: in quo 'Litera communis mediis pueroque, viroque, Inscripta est foliis: hæc nominis, illa querelæ.' Nam in illo flore inscripta diphthongus Græca A I, querimoniæ simul index est occisi ab Apolline puerili, dum simul disco luderent: et Ajaci eadem, nominis nota. De Apolline puerum lugente, Ovidius: 'Ipse suos gemitus foliis inscribit, et AI AI Flos habet inscriptum, funestaque litera ducta est.' Prudentius quoque *περὶ στεφάνων*, Hym. x. in S. Romanum vs. 191. 'Mox flevit impuratus occisum gravi Disco, et dicavit florulentum succubam:' nempe Hyacinthum Apollo. De nomine Ajacis lugubri, ipse Ajax apud Sophoclem: *Αἶ αἶ, τίς ἄν ποτ' ᾤεθ' ὧδ' ἐπώνυμον Τοὐμὸν ξυνοίσειν ὄνομα τοῖς ἐμοῖς κακοῖς; Νῦν γὰρ πάρεστι καὶ δὶς αἰάζειν ἐμοὶ, Καὶ τρίς.*

[p] *Heliochrysos*] Theophr. Hist. IX. 21. *Ἔχει δὲ ὁ ἑλειόχρυσος τὸ μὲν ἄνθος χρυσοειδὲς, φύλλον δὲ λεπτὸν* (non *λευκὸν*) *καὶ τὸν καυλὸν δὲ λεπτὸν καὶ σκληρόν.* Nomen ei a gemina causa: et ab aureo flore, et a paludibus in quibus oritur. Hanc amaranthi nomine Galenus intellexit, nec aliter vocavit. Rura nostra, inquit Ruellius lib. III. pag. 604. vocant 'Chanesum majus.' Hujus corymbos rustici, ut qui non facile marcescant, ad hybernas reservant coronas. A Dodonæo pingitur pag. 267. Dicemus de ea iterum cap. 96.

[q] *Hoc coronare*] Theophr. loc. cit. *Εὐδοξεῖ δὲ καὶ ἐάν τις τοῦ ἑλειοχρύσου τῷ ἄνθει στεφανοῦται, μύρῳ ῥαίνων ἐκ*

se Magi, si et [13] unguenta sumantur ex auro, quod apyron [r] vocant, ad gratiam quoque vitæ gloriamque pertinere [14] arbitrantur. Et verni quidem flores hi sunt.

XXXIX. Succedunt illis æstivi, lychnis,[a] et Jovis flos, et alterum genus lilii.[1 b] Item tiphyon,[2 c] et amaracus, quem Phrygium cognominant. Sed maxime spectabilis pothos. Duo genera[d] hujus: unum, cui flos hyacinthi est: alterum candidius,[3] qui fere nascitur in tumulis,[e] quoniam [4] fortius durat.[f] Et iris [g] æstate floret. Abeunt [5] et hi, marcescuntque. Alii rursus subeunt autumno: tertium genus lilii:[6 h] et crocum in utroque genere: unum hebes,

14 Margo edd. Dalec. et Gronov. *et vitæ gloriam pertinere.*

CAP. XXXIX. 1 Margo edd. Dalec. et Gronov. *et cerinthus*, e Theophr.—2 Ibid. ex eodem, *iphyon.*—3 Margo edd. Dalec. et Gronov. *decolor: ἄχρουν* Theophr.—4 Margo edd. Dalec. et Gronov. *quodque.*—5 Chiffl. *flores abeunt.* —6 *Alterum genus leirii* margo edd. Dalec. et Gronov. e Theophr.

NOTÆ

χρυσίου ἀπύρου.

[r] *Quod apyron*] Quod ignem non sit expertum.

[a] *Lychnis*] Theophr. Hist. VI. 7. Τὰ δὲ θερινὰ μᾶλλον, ἥ τε λυχνὶς, καὶ τὸ Διὸς ἄνθος.

[b] *Et alterum genus lilii*] Rubens scilicet, quod Græci κρίνον vocant, ut dictum est cap. 11. Candidum enim inter vernos flores sup. cap. recensitum est.

[c] *Item tiphyon*] Theophr. loc. cit. et ex eo Athenæus lib. XV. pag. 679. Καὶ τὸ ἴφυον, καὶ ὁ ἀμάρακος ὁ Φρύγιος. In Mss. Reg. et Colb. *Tiphon.* In Indice, *tiphyon.* In Thuan. *ipyon.* Theophr. ipse Hist. VII. 12. τὸ τίφυον scripsisse videtur. Et de Causis I. 10. τὰ τίφυα. Quid sit porro tiphyon, nescit Anguillara par. 12. pag. 212. neque nos exploratum habemus.

[d] *Sed maxime . . . . pothos. Duo genera*] Expressa hæc quoque a Theophrast. Hist. VI. 7. Πόθον nos arbitramur esse, quem modo florem Constantinopolitanum vocant, Galli *Croix de Hierusalem*, in horto Eystettensi pictum apprime, et apud Dodon. pag. 178.

[e] *Qui fere nascitur in tumulis*] Forte, *qui fere jacitur in tumulis:* nam ita Theophr. Hist. VI. 7. cujus verba videtur exscribere: ᾧ χρῶνται πρὸς τοὺς τάφους. Sic enim legit Athenæus lib. XV. pag. 697.—' Quid si ambo, Theophrastus et Athenæus, Latinum hic quempiam auctorem transcripsere, et inconsiderate *tumulos*, τάφους, pro βωμοὺς, verterunt?' *Ed. sec.*

[f] *Fortius durat*] Χρονιώτερος Theophr. *diutius vivit.*

[g] *Et iris*] Theophr. loc. cit. Ἀνθεῖ δὲ καὶ ἡ ἶρις τοῦ θέρους.

[h] *Tertium genus lilii*] Purpureum videlicet, sive narcissum, de quo superius cap. 12. quod Theophrasto Hist. VI. 6. alterum λειρίου genus est, ὁ δὲ νάρκισσος, ἢ τὸ λείριον. Quare rursum secundum lilii genus appellat cap. 7. unde hæc Pliniana manant: Τὸ δὲ λείριον τὸ ἕτερον, καὶ ὁ κρόκος, ὅ τε ὀρεινὸς ἄοσμος, καὶ ὁ ἥμερος· εὐθὺς

alterum odoratum: primis omnia imbribus emicantia. Coronarii quidem et spinæ flore[i] utuntur: quippe cum spinæ albæ cauliculi inter oblectamenta gulæ quoque condiantur. Hic est trans maria ordo florum. In Italia violis succedit rosa: huic intervenit lilium: rosam cyanus excipit, cyanum amaranthus. Nam vincapervinca[j] semper viret, in modum lineæ[k] foliis geniculatim circumdata, topiaria herba.[l] Inopiam tamen florum aliquando supplet. Hæc a Græcis chamædaphne vocatur.

XL. Vita longissima[m] violæ albæ trimatu.[1] Ab eo tempore degenerat. Rosa[n] et quinquennium perfert, nec recisa, nec adusta. Illo enim modo juvenescit. Diximus[o] et terram referre plurimum. Nam et in Ægypto[p] sine odore hæc omnia: tantumque myrtis[q] odor præcipuus. Alicubi etiam binis mensibus antecedit germinatio omnium. Rosa-

CAP. XL. 1 'Ita Reg. 2. et Editio princeps.' *Brotier.* *violæ albæ est trimatu*

NOTÆ

γὰρ ἀνθοῦσι τοῖς πρώτοις ὕδασι, subintellige ex antecedentibus, *μετοπώρου*.

[i] *Coronarii ... et spinæ flore*] Dum spinæ florem audis, acanthi duplex genus intellige, de quo XXII. 34. 'Brancam Ursinam' vocant. Plinius in indice hujus loci id satis perspicue admonet, cum ea appellat ex ordine, quæ nunc explanat uberius: 'Pothi genera duo: Orsinæ genera duo: Vincapervinca,' &c. De spina alba dicetur XXIV. 66.

[j] *Vincapervinca*] Retinet in officinis nomen *Pervenche*. Delineatur a Dodonæo pag. 401. ubi ab eo Clematis daphnoides major appellatur. Vidimus in horto Regio.

[k] *In modum lineæ*] Alii, *in modum lini*. Dodonæus loc. cit. *in modum lauri*. Utrique male. Linea hoc loco est, quam formidinem alii in venatione appellitant, vario plumarum nexu discolorem, qua terrentur apri, cervique. Hanc, foliorum congerie, plane repræsentat vincapervinca.

[l] *Topiaria herba*] Topiarium intelligitur opus, quod ex arbore, frutice, vel herba, ad decorem componebatur in testudines, aut cameras fornicatum: hinc topiariæ dici merentur arbores, vel herbæ, quæ nimirum huic operi, quod flexiles sunt, et suo lentore sequaces, accommodantur.

[m] *Vita longissima*] Theophr. Hist. VI. 7.

[n] *Rosa*] Theophrast. loc. cit. 'Ροδωνίας δὲ πέντε τὰ πρὸς τὴν ἀκτὴν μὴ ἐπικαιομένης δηλονότι, μηδ' ἐπιτεμνομένης.

[o] *Diximus*] Cap. 10.

[p] *Nam et in Ægypto*] Theophr. loc. cit.

[q] *Tantumque myrtis*] Theophr. loc. cit. Cur porro myrtus in Ægypto odoratissima sit, reliquæ inodoratæ gignantur, causam idem investigat, de Causis VI. 27. pag. 385.

ria a Favonio fossa oportet esse, iterumque solstitio. Et id agendum, ut intra id tempus purgata ac pura sint.[2]

XLI. (XII.) Verum hortis coronamentisque maxime alvearia et apes conveniunt, res præcipui quæstus compendiique, cum favit.[1] Harum ergo causa[r] oportet serere thymum, apiastrum,[s] rosam, violas, lilium, cytisum, fabam, erviliam,[2] cunilam,[t] papaver, conyzam, casiam,[u] melilotum, melissophyllum,[v] cerinthen. Est autem cerinthe[w] folio candido, incurvo, cubitalis, capite concavo, mellis succum habente. Horum floris[3] avidissimæ sunt, atque etiam sinapis, quod miremur, cum olivæ[x] florem ab his non attingi constet. Ideoque hanc arborem procul esse melius sit: cum aliquas quam proxime[y] seri conveniat, quæ et evolantium examina invitent, nec longius abire patiantur.

XLII. Cornum quoque arborem caveri oportet: flore ejus degustato,[a] alvo cita[1] moriuntur. Remedium, sorba con-

Gronov. et al. vett. *trimatus* cod. Dalec.—2 'Ita codd. Regg. et Editio princeps.' *Bretier.* Ita quoque Gronov. et al. vett. *perpurgata ac pura sint* ex codd. Harduinus et recentt.

CAP. XLI. 1 Chiffl. *compendio cum favet;* cod. Dalec. etiam *favet.*—2 Ita codd. Harduini, Dalec. et al. item Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *ervillam* Chiffl. *ervillium* Gronov. et vulgg.—3 Cod. Dalec. *florum.*

CAP. XLII. 1 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt.

NOTÆ

[r] *Harum ergo causa*] Accepta hæc fere ex Varrone de Re Rust. III. 9. pag. 320.

[s] *Apiastrum*] Hoc est, agreste apium, ἀγριοσέλινον, non melissophyllon, de quo mox. Colum. IX. 8. pag. 328. 'Sunt qui per initia veris apiastrum, atque (ut ille vates ait) trita meliphylla, et cerinthæ ignobile gramen, aliasque colligant similes herbas, quibus id genus animalium delectatur, et ita alvos perfricent, ut odor et succus vasis inhæreat.'

[t] *Cunilam*] Sive satureiam, de qua XIX. 50.

[u] *Casiam*] Seu cneorum, de quo cap. 30.

[v] *Melissophyllum*] Quod et apiastrum Hyginus vocavit, cap. 29.

[w] *Est autem cerinthe*] Ea est quæ cerinthe quorundam major versicolore flore appellatur a Clusio, delineaturque Hist. Rar. Plant. lib. v. p. 167. visa a nobis in horto Regio. Cave Ruellio credas qui Pasquetam putat esse lib. II. p. 446.

[x] *Cum olivæ*] Vide quæ diximus XI. 8.

[y] *Cum aliquas quam proxime*] Ut palmam, et oleastrum. Virgil. Georg. IV. 20. 'Palmaque vestibulum, aut ingens oleaster obumbret: Ut cum prima novi ducent examina reges, Vere suo, ludetque favis emissa juventus, Vicina invitet decedere ripa calori, Obviaque hospitiis teneat frondentibus arbos.'

tusa e melle præbere his, vel urinam[b] hominum, vel boum, aut grana Punici[c] mali, aminæo vino conspersa. At genistas circumseri[2] alveariis gratissimum.

XLIII. Mirum est dignumque memoratu, de alimentis quod comperi. Hostilia[d] vicus alluitur Pado. Hujus inquilini pabulo circa deficiente imponunt navibus alvos,[1] noctibusque quina millia passuum contrario[2] amne naves subvehunt. Egressæ luce apes pastæque, ad naves quotidie remeant,[3] mutantes locum, donec pondere ipso pressis navibus plenæ alvi intelligantur, revectisque eximantur[4] mella. Et in Hispania mulis provehunt, simili de causa.

XLIV. (XIII.) Tantumque pabulum refert, ut mella quoque venenata fiant. Heracleæ[e] in Ponto, quibusdam annis perniciosissima existunt, ab iisdem apibus facta. Nec dixere auctores, e quibus floribus ea fierent. Nos tradémus, quæ comperimus. Herba est ab exitio et jumentorum quidem, sed præcipue caprarum, appellata ægolethron.[f] Hujus flores concipiunt noxium virus, aquoso vere marcescentes. Ita fit, ut non omnibus annis sentiatur hoc malum. Venenati signa sunt, quod omnino non densatur, quod color

---

flore . . . alvo concita Gronov. et vulgg. *Nam flore* Pintian.—2 Chiffl. *At genistas conseri.*

CAP. XLIII. 1 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *alvearia* cod. Dalec. *alveos* Gronov. et al. vett.—2 Cod. Dalec. *contra ortum.*—3 Chiffl. *remaneant.* Mox, *mutant ii locum* Vet. Dalec. Paulo post, *pressis* deest in cod. Dalec.—4 Cod. Dalec. *plena alvearia intelligantur revect. eximuntur.*

NOTÆ

[a] *Flore ejus degustato*] Et floribus tithymalli, ulmique samera degustatis, alvi profluvio apes interire Columella prodidit, IX. 13.

[b] *Vel urinam*] Sic etiam Hyginus apud Columellam loc. cit.

[c] *Aut grana Punici*] Columella loc. cit. et Palladius in Martio IV. 15. pag. 106.

[d] *Hostilia*] Hostilia vicus Veronensium, inquit Tacitus Hist. III. pag. 63. Nunc est Ferrariensis agri, et nomen servat: *Ostiglia.*

[e] *Heracleæ*] Sic Diosc. II. 103. et Εὐπορ. II. 138. pag. 121.

[f] *Ægolethron*] Quod sit *αἰγῶν ὄλεθρος, caprarum pernicies.*—'D. de Tournefort, in Hist. Acad. Reg. Scient. an. 1704. pag. 351. hunc Plinii locum insigniter laudat; et ægolethron putat esse plantam, quam ipse Chamærhododendron Ponticum appellat, delineatque pag. 348.' *Ed. sec.*

magis rutilus est, odor alienus, sternutamenta[1] [g] protinus movens, quod ponderosius innoxio. Qui edere, abjiciunt se humi, refrigerationem quærentes: nam et sudore[h] diffluunt. Remedia sunt multa, quæ suis locis dicemus.[i] Sed quoniam statim repræsentari aliqua in tantis insidiis oportet, mulsum vetus[j] e melle optimo et ruta: salsamenta etiam, si rejiciantur sumta crebro. Certumque est id malum per excrementa[2] [k] ad canes etiam pervenire, similiterque torqueri eos. Mulsum tamen ex eo inveteratum, innocuum esse constat: et fœminarum cutem nullo melius emendari cum costo, sugillata cum aloë.[3] [l]

XLV. Aliud genus[1] [m] in eodem Ponti situ, gente Sannorum,[2] mellis, quod ab insania, quam gignit, mænomenon[n] vocant. Id existimatur contrahi flore rhododendri, quo scatent sylvæ. Gensque ea, cum ceram in tributa Romanis præstet, mel (quoniam exitiale est) non vendit.[o] Et in Perside, et in Mauretaniæ Cæsariensis Gætulia, contermina Massæsylis,[3] venenati favi gignuntur: quidamque a parte, quo nihil esse fallacius potest, nisi quod livore deprehen-

---

CAP. XLIV. 1 Ita edd. vett. et Gronov. *sternumenta* Harduinus et recentt. ex codd.—2 Chiffl. *per excreamenta.*—3 Vet. Dalec. *sale.*

CAP. XLV. 1 *Aliud genus mellis* Dalec.—2 Ita codd. Harduinus et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *in eodem Ponto gente Sannorum* Gronov. et vulgg.—3 *Mauritania Cæsariensi, Getuliæ ac Massæsulis* cod. Dalec. *Massy-*

NOTÆ

[g] *Sternutamenta*] Diosc. loc. cit.

[h] *Nam et sudore*] Diosc. loc. cit.

[i] *Suis locis dicemus*] Lib. XXIX. cap. 31. &c.

[j] *Mulsum vetus*] De mulso et salsamentis, concinit Plinio Diosc. loc. cit. sed ita ut salsamenta vomitione rejiciantur, quæ Plinii quoque mens est.

[k] *Per excrementa*] Sic libri vulgati, cum Reg. 1. cod. At Reg. 2. et Chiffl. *per excreamenta.* An exscreationes intelligunt, quas lambere canes solent? De excremento seu stercore, Diosc. Εὐπορ. II. 136. accepit. Τὴν ἄφοδον δὲ τῶν φαγόντων τὸ μέλι σύες ἢ κύνες φαγόντες, τὸ αὐτὸ πάσχουσι.

[l] *Cum aloë*] Sic etiam Mss. Diosc. loc. cit. *cum sale*, μετὰ δὲ ἁλὸς, πελιώματα.

[m] *Aliud genus*] De eo melle insano, vide Diodor. Sicul. Bibl. lib. XIV. pag. 260. Ælianus Hist. Anim. V. 42. et auctor libri de Mirab. Auscult. e buxo legi mel istud aiunt.

[n] *Mænomenon*] Μαίνομαι Græce *insanio.*

[o] *Non vendit*] Forte rectius, *non pendit.*

duntur. Quid sibi voluisse naturam iis arbitremur insidiis, ut ab iisdem apibus, nec omnibus annis fierent, aut non totis favis? Parum erat[4] genuisse rem, in qua venenum facillime daretur: etiamne hoc ipsa in melle tot animalibus dedit? Quid sibi voluit, nisi ut cautiorem minusque avidum faceret hominem? non enim et ipsis[p] jam apibus[5] cuspides dederat, et quidem venenatas? remedio adversus has utique non differendo. Ergo malvæ succo,[q] aut foliorum hederæ perungi[6] salutare est, vel percussos ea bibere. Mirum tamen[r] est, venena portantes ore, fingentesque ipsas non mori: nisi quod illa domina rerum omnium hanc dedit repugnantiam apibus: sicut contra serpentes Psyllis Marsisque[s] inter homines.

XLVI. (XIV.) Aliud in Creta miraculum mellis. Mons est Carma[t] IX.[1] M. passuum ambitu: intra quod spatium muscæ non reperiuntur, natumque ibi mel nusquam attingunt. Hoc experimento singulare medicamentis eligitur.[2]

XLVII. Alvearia orientem[a] æquinoctialem spectare convenit. Aquilonem evitent: nec Favonium minus. Alvos optimas[b] e cortice, secundas ferula, tertias[1] vimine. Mul-

lis Chiffl.—4 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Parum enim erat* Gronov. et vulgg.—5 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *Non enim ipsi melli, sed apibus jam* Gronov. et vulgg.—6 Chiffl. *ungui.*

Cap. XLVI. 1 'Ita codd. Regg. 1. 2. et Colb. 2.' *Brotier.* *Carma VIII.* Chiffl. *Carina IX.* Gronov. Harduin. 1. 2. 3. et recentt.—2 Chiffl. *exigitur.*

Cap. XLVII. 1 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt.

NOTÆ

[p] *Non enim et ipsis*] Hoc est, quasi non apes ipsæ haberent, quo lædere possent, et hominem esse cautiorem cogerent.

[q] *Ergo malvæ succo*] Diosc. Εὐπορ. II. 121. pag. 116.

[r] *Mirum tamen*] Mirari subit, cur apes ipsæ non moriantur, quæ venena portant ore, et venena fingunt.

[s] *Psyllis Marsisque*] De quibus dictum est VII. 2.

[t] *Mons est Carma* [*Carina*] Sic Mss. Reg. Colb. 2. &c. Quidam *Carma.* Colb. 1. *Narina.* Forte *Carnia:* cujus nominis montem in Arcadia esse auctor est Callimachus Hym. in Dian. vs. 109. Montem Cretæ, melle nobilem, ut Atticæ Hymettum, auctor Geopon. XV. 7. 'Ακραμαμμόριον vocat.

[a] *Alvearia orientem*] Deflecti in orientem brumalem præcipit Colum. IX. 7. p. 315. Palladius quoque I. 38. p. 33.

[b] *Alvos optimas*] Colum. IX. 6. pag.

ti eas[c] et speculari lapide fecere, ut operantes intus spectarent. Circumlini[d] alvos fimo bubulo utilissimum, operculum a tergo esse ambulatorium,[e] ut proferatur intus, si magna sit alvus,[2] aut sterilis operatio, ne desperatione curam abjiciant: id paulatim reduci,[3] [f] fallente operis incremento. Alvos hyeme[g] stramento operiri, crebro suffiri, maxime fimo bubulo.[h] Cognatum hoc iis,[i] innascentes bestiolas necat, araneos, papiliones, teredines: apesque ipsas excitat. Et araneorum quidem exitium facilius est: papilio pestis major.[4] Tollitur vere,[5] [j] cum maturescit malva, noctu, interlunio, cœlo sereno, accensis lucernis ante alvos. In eam flammam sese ingerunt.

Alvearia optima e c. secunda f. tertia edd. vett. et Gronov.—2 Cod. Dalec. *si magna sint alvearia;* Chiffl. *si magna sit alvos;* Gronov. et al. ante Harduin. *si magnus sit alveus.*—3 Vet. Dalec. *ac paulatim reducatur;* Dalec. *in paulatim reduci.*—4 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *papilionum pestis major* Gronov. et vulgg.—5 *Tollitur veré* Gronov. et al. ante Harduin. Mox, *cum florescit* Col. *cum maturescat* Chiffl.

NOTÆ

323. 'Igitur ordinatis sedibus, alvearia fabricanda sunt pro conditione regionis: sive illa ferax est suberis, haud dubitanter utilissimas alvos faciemus ex corticibus, quia nec hyeme rigent, nec candent æstate: sive ferulis exuberat, iis quoque, cum sint naturæ corticis similes, e quibus commode vasa texuntur. Si neutrum aderit, opere textorio salicibus connectuntur,' &c. Sic etiam Palladius loc. cit. Prævivit omnibus Varro de Re Rust. III. 16. p. 110.

[c] *Multi eas*] Et e vitro, et e cornu laternæ condita alvearia vidimus XI. 16.

[d] *Circumlini*] Varro loc. cit. 'Vitiles fimo bubulo oblinunt intus et extra, ne asperitate absterreantur.'

[e] *Ambulatorium*] Mobile, ut proferatur intus, cum opus, et sic coangustetur alveare, si majus æquo sit, ne in vasto loco et inani despondeant animum. Varro, loc. cit.

[f] *Id paulatim reduci*] Subintellige, utilissimum. Quod autem sequitur, 'fallente operis incremento,' simili forma loquendi Seneca usus, Nat. Quæst. III. 27. 'Natura parce utitur viribus, dispensatque se incrementis fallentibus.'

[g] *Alvos hyeme*] Sic Mss. omnes ubique: sic Varro, et alii, alvos fœmineo genere pro alveari dixere.

[h] *Fimo bubulo*] Colum. IX. 14. pag. 336.

[i] *Cognatum hoc iis*] Colum. loc. cit. et Pallad. in Martio, lib. IV. tit. 15. p. 107.

[j] *Tollitur vere*] Colum. IX. 14. pag. 338. 'Quo tempore florent .... si vas æneum simile miliario vespere ponatur inter alvos, et in fundum ejus lumen aliquod demittatur, undique papiliones concurrunt: dumque circa flammulam volitant, aduruntur.' Ita

XLVIII. Si cibus[k] deesse censeatur[1] apibus, uvas passas siccasve, ficosque tusas, ad fores earum posuisse conveniet:[2] item lanas tractas[l] madentes passo, aut defruto, aut aqua mulsa: gallinarum etiam crudas carnes.[3][m] Quibusdam etiam æstatibus iidem cibi præstandi, cum siccitas continua florum alimentum abstulit.[4] Alvorum, cum mel eximitur,[5] illini oportet exitus, melissophyllo aut genista tritis: aut medias[6] alba vite præcingere, ne apes diffugiant. Vasa mellaria aut favos[7] lavari aqua præcipiunt: hac decocta, fieri saluberrimum acetum.

XLIX. Cera fit[a] expressis favis, sed ante purificatis aqua, et triduo in tenebris siccatis, quarto die liquatis igni in novo fictili, aqua favos tegente, tunc sporta colatis. Rursus in eadem olla coquitur cera cum eadem aqua, excipiturque alia frigida, vasis melle circumlitis. Optima, quæ Punica[b] vocatur. Proxima quam[c] maxime fulva,

CAP. XLVIII. 1 Codd. Regg. 1. 2. et Editio princeps, *deesse sentiatur*.—2 'Ita Editio princeps.' *Brotier*. Ita quoque Gronov. et al. ante Harduin. *earum p. conveniat* codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *alveorum p. conveniet* Vet. Dalec.—3 Chiffl. *nudas carnes*.—4 Vet. Dalec. *negat*.—5 Chiffl. *eximatur*.—6 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *aut medios* Gronov. et vulgg. *aut medias al. vite præcingi, ne a. defugiant* Chiffl.—7 Idem codex, *et favos*.

NOTÆ

Pallad. in Aprili, lib. v. tit. 8. pag. 112. Sic porro Mss. omnes: non, ut editi, *Tollitur vero*.

[k] *Si cibus*] Varro de Re Rust. III. 16. p. 110. 'Præparandus his cibus, ne tum melle cogantur solo vivere .... Igitur ficorum pinguium .... in offas prope apponunt .... Alii aquam mulsam in vasculis prope ut sit, curant: in quæ addunt lanam purpuream, per quam sugant: uno tempore, ne potu nimium impleantur, aut ne incidant in aquam .... Alii uvam passam, et ficum cum pinserunt, affundunt sapam,' &c. Vide etiam Colum. loc. cit. pag. 339.

[l] *Item lanas tractas*] Carminatas, pexas.

[m] *Crudas carnes*] Ita libri vulgati, cum Colb. 1. Rectius forte, cum Reg. 1. 2. Colb. 2. Th. et Chiffl. *nudas carnes*, hoc est, a pelle exutas, ac pingui, ut exhiberi ægris solet.

[a] *Cera fit*] Eleganter Colum. IX. 16. p. 344. 'Expressæ favorum reliquiæ, posteaquam diligenter aqua dulci perlutæ sunt, in vas æneum conjiciuntur: adjecta deinde aqua liquantur ignibus: quod ubi factum est, cera per stramenta vel juncos defusa colatur: atque iterum similiter de integro coquitur, et in quas quisque volvit formas, aqua prius dejecta, defunditur.'

[b] *Quæ Punica*] Candoris eximii.

[c] *Proxima quam*] Sic Diosc. II. 105.

odorisque mellei, pura, natione autem Pontica, quam constare equidem miror inter venenata mella:[d] deinde Cretica,[e] plurimum enim ex propoli habet, de qua diximus[f] in natura apum. Post has Corsica, quoniam ex buxo fit, habere quandam vim medicaminis putatur. Punica fit[g] hoc modo. Ventilatur sub divo[1] sæpius cera fulva. Deinde fervet in aqua marina, ex alto petita, addito nitro. Inde lingulis[h] hauriunt[2] florem, id est, candidissima quæque, transfunduntque in vas, quod exiguum frigidæ[3] habeat. Et rursus marina decoquunt separatim: dein vas ipsum refrigerant. Et cum hæc ter fecere, juncea crate sub dio siccant Sole, Lunaque: hæc enim candorem facit. Sol siccat: et ne liquefaciat,[4] protegunt tenui linteo. Candidissima vero fit, post insolationem etiamnum recocta. Punica medicinis[5] utilissima. Nigrescit cera addito chartarum cinere, sicut anchusa admixta rubet. Variosque in colores pigmentis traditur, ad edendas[6] similitudines, et innumeros mortalium usus, parietumque[i] etiam et armorum tutelam. Cetera de melle apibusque in natura earum dicta sunt. Et hortorum quidem omnis fere ratio peracta est.

L. (XV.) Sequuntur herbæ sponte nascentes, quibus pleræque gentium utuntur in cibis, maximeque Ægyptus, frugum quidem fertilissima, sed ut prope sola iis carere pos-

CAP. XLIX. 1 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *sub dio* Gronov. et vulgg. —2 Ita codd. Harduini, Chiffl. et Laet. *ligulis hauriunt* Gronov. et al. vett. *ligulis eligunt* cod. Dalec.—3 Cod. Dalec. *marinæ frigidæ.*—4 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *facit. Siccantes ne liquefaciant* Gronov. et vulgg. *liquefiat* Vet. Dalec.—5 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *medicis* Gronov. et vulgg.—6 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *reddendas* Gronov. et vulgg.

NOTÆ

[d] *Inter venenata mella*] Quæ in eodem Ponti situ nascuntur, ut dictum est cap. 44. et 45.

[e] *Deinde Cretica*] Diosc. loc. cit.

[f] *De qua diximus*] Lib. XI. c. 6.

[g] *Punica fit*] Hunc fere modum candidissimæ ceræ concinnandæ tradit Diosc. loc. cit.

[h] *Inde lingulis*] Ita Mss. sive, ut editi, *ligulis*, hoc est, cochlearibus.

[i] *Parietumque*] Ad tutelam picturæ, qua parietes, clypeosque, et arma reliqua ornabant, quasi cujusdam tectorii vice, ceræ tenuissimæ crustam coriumve inducere, mos veterum fuit, nunc antiquatus.

sit: tanta est ciborum ex herbis abundantia. In Italia paucissimas novimus, fraga, tamnum,[1] [j] ruscum,[k] batin[l] marinam, batin hortensiam,[2] quam aliqui asparagum Gallicum vocant. Præter has pastinacam[m] pratensem, lupum[n] salictarium, eaque verius oblectamenta, quam cibos.

LI. In Ægypto nobilissima est colocasia,[a] quam cyamon aliqui[b] vocant. Hanc e Nilo metunt, caule, cum coctus est, araneoso[c] in mandendo: thyrso autem, qui inter folia

CAP. L. 1 Ita codd. Harduini, Laet, et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *tamum* Vet. Dalec. et Turneb. *thamnum* Salmas. *tamum* Gronov. et vulgg.—2 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *battim hortensiam* Chiffl. *batin hortensianam* Gronov. et edd. vett.

NOTÆ

j *Tamnum*] Ita Mss. omnes, Reg. Colb. Th. Chiffl. tum hoc loco, tum in Indice: non *tamum*, ut editi. Vitis sylvestris Dodonæi est, p. 396. Vitis nigra Matthioli, pag. 1285. cujus fructus uva taminia appellatur. Hæc Martio mense mittit asparagos seu prima germina: quæ digesta in fasciculos venalia circumferunt, et asparagorum more decocta mandunt.

k *Ruscum*] Seu myrtum sylvestrem, cujus cauliculi quoque incipientes asparagorum modo in cibo sumuntur, ut dicemus XXIII. 83.

l *Batin*] De ea dicemus XXVI. 50.

m *Pastinacam*] Gallicam, opinor, cui *carotæ* nomen vulgus affinxit, ut diximus XIX. 27.

n *Lupum*] Lupulum officinæ passim vocant, lupumque salictarium: Galli, *du Houblon*. Pingitur a Dodonæo p. 404. Asparagi, seu primi turiones, qui vere erumpunt, mitiores sunt, et in edulia recipiuntur.

a *Colocasia*] Quam in Ægypto colocasiam videre Bellonius, et Prosper Alpinus, et ab incolis *Culcas* appellari tradunt, radice prædulci, edulique, non a Pliniana modo descriptione discrepat, sed alterius plane formæ est, quam qualem esse dixere Herodotus, Theophrastus, Dioscorides, aliique. Vide Bellonium Observ. II. 19. Alpinum de Plantis Ægypti c. 33. p. 102. Clusium Hist. Rar. Plant. IV. 50. ex quibus multa Salmasius in suum prægrande volumen Plinianarum Exercit. transtulit, pag. 972. et seqq. Sed neque arum Ægyptium est colocasium istud, seu *Culcas* hodiernum, quanquam ita Salmasio visum est, pag. 975. ut conferenti ea quæ de aro dicta sunt XIX. 30. cum icone colocasiæ a prædictis auctoribus delineata, constabit.

b *Cyamon aliqui*] Κύαμον, *fabam*. Sed unde isti hanc colocasiæ appellationem affinxerint, unde hæc nata appellatio, incompertum. Hodierna Ægypti colocasia, et fructu, et flore, et caule, atque adeo similitudine fabæ omni caret. Cave enim fabam Ægyptiam intelligi hic putes, quæ a colocasia diversissima est, uti ex illius descriptione liquet, quam Plinius affert XVIII. 30.

c *Araneoso*] Hoc est, caule filis minutis, cujusmodi aranea sunt, fibrisque nervoso. Diphilus Siphnius apud Athen. lib. III. p. 73. fabæ quoque Ægyptiæ radicem (quam et κολοκάσιον quidam imperite dixere) ἐριώδη

emicat, spectabili: foliis latissimis, si [1] arboreis compararentur, ad similitudinem eorum quæ personata in nostris amnibus [2] [d] vocamus. Adeoque Nili sui dotibus gaudent, ut implexis colocasiæ foliis in variam speciem vasorum, potare gratissimum habeant. Seritur jam [e] hæc in Italia.

LII. In Ægypto proxima auctoritas cichorio [f] est, quam diximus intubum erraticum. Nascitur [g] post Vergilias. Floret [h] particulatim. Radix ei lenta, [i] quare etiam ad vincula utuntur illa. Anthalium [1] longius [j] a flumine nas-

CAP. LI. 1 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *latissimis etiam si* Gronov. et vulgg.—2 'In Mss. Reg. Colb. Thuan. et Editione principe, *in nostris manibus.* Inde emendandum videtur, *in nostris manibus*, ut jam monuit eruditus Harduinus. Certe personata non nascitur in amnibus.' *Brotier.*

CAP. LII. 1 *Rami ei lenti, &c. illis. Malinathalla* margo edd. Dalec. et Gro-

NOTÆ

ait esse, hoc est, *lanosam*. Idem de colocasiæ caule Martialis XIII. 57. cujus lemma, 'Colocasia:' 'Niliacum ridebis olus, lanasque sequaces, Improba cum morsu fila manuque trahes.' Et VIII. 33. 'Lenta minus gracili crescunt colocasia filo.'

[d] *Quæ personata in nostris amnibus*] Mss. omnes, Reg. 1. 2. Colb. 1. 2. Th. &c. *quæ personata in nostris manibus*. Forte, *manibus* rectius. Nam personata, de qua XXV. 58. in amnibus non nascitur. Salmasius p. 970. legit, *quæ per se nata in nostris amnibus notamus*, sed nec scriptis secundis, in quibus *vocamus* legitur: nec oratione satis perspicua: quid enim illud est *per se nata?* Quin statim Nymphæam dicebat, quam probe norat, quam prolixe describit XXV. 37. si Nymphæam, ut Salmasius putat, intellexit?

[e] *Seritur jam*] Ipsa colocasia Ægyptiaca, etsi peregrina, alienique cœli ac soli, serebatur olim in Italia. Testis Maro in Ecl. IV. 40. 'Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.' Dicit inter acanthos, notissimam tum in hortis herbam colocasia quoque sponte sua nascitura passim, quæ peregrina erat herba. Est et alia vulgaris colocasia, quam Palladius describit in Februario, tit. 24.

[f] *In Ægypto .... cichorio*] De quo diximus XIX. 40. et XX. 29.

[g] *Nascitur*] Theophr. Hist. VII. 10.

[h] *Floret*] Theophr. loc. cit.

[i] *Radix ei lenta*] De caule id prodidit Theophr. Ὁ δὲ τοῦ κιχορίου καυλὸς μέγας .... ἔτι δὲ γλισχρὸς καὶ δυσδιαίρετος· διὸ καὶ δεσμῷ χρῶνται.

[j] *Anthalium longius*] In locis arenosis, inquit Theophrastus Hist. IV. 10. haud procul a flumine: Ἐν δὲ τοῖς ἀμμώδεσι χωρίοις, ἃ ἐστιν οὐ πόῤῥω τοῦ ποταμοῦ, φύεται κατὰ γῆς ὃ καλεῖται Μαλιναθάλλη. Anthalium, ex ἀνὰ et θάλλω, *regermino*: quam vim habet et Theophrastea vox μαλιναθάλλη, ex μάλα, *valde*, et ἀναθάλλω, *regermino*. Iisdem notis delineatur a scriptore Græco: Στρογγύλον τῷ σχήματι, μέγεθος δὲ ἡλίκον μέσπιλον, ἀπύρηνον δὲ, ἄφλοιον· φύλλα ἀφίησιν ἀπ' αὐτοῦ ὅμοια κυπείρῳ.

citur, mespili magnitudine et rotunditate, sine nucleo, sine cortice, folio cyperi. Mandunt igni[k] paratum:[2] mandunt et œtum,[l] cui pauca folia minimaque, verum radix magna. Arachidna[m] quidem et aracos,[3] cum habent radices ramosas ac multiplices, nec folium, nec herbam ullam, aut quicquam aliud supra terram habent. Reliqua vulgarium[n] in cibis apud eos herbarum nomina, candryala,[4][o] hypochœris,[p] et caucalis, anthriscum,[q] scandix,[r] quæ[5] ab aliis tragopogon vocatur, foliis croco simillimis: parthenium,[s] strychnum, corchorus, et æquinoctio[t] nascentes, aphace,

nov. e Theophr. Mox, *haud procul* ibid. pro *longius*.—2 Chiffl. *igne comparatum*.—3 *Arachidna quidem et Arachoeides* margo edd. Dalec. et Gronov. e Theophr.—4 Ita codd. Regg. Brot. et al. ap. Harduin. *condrylla* edd. vett. et Gronov. *condrilla* Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—5 Margo

NOTÆ

[k] *Mandunt igni*] Theophr. *ἑψοῦσιν ἐν βρύτῳ*, *decoquunt in bryto*, quod potionis genus est ex hordeo, inquit Athenæus lib. x. p. 446. aut ex radicibus, ut Hellanicus *ἐν κτίσεσι*.

[l] *Et œtum*] Theophr. Hist. *Ὁμοίως δὲ καὶ τὸ ἐν Αἰγύπτῳ καλούμενον οἰϊτόν*. Hesychius: *Οἰϊτὸν, τὸ ὑπ' ἐνίων σῖτον*.

[m] *Arachidna*] Theophr. loco proxime cit. de *ἀραχίδνῃ* et *ἀράκῳ* habet plane paria. Herbæ hoc ævo ignotæ.

[n] *Reliqua vulgarium*] Hæc ex eodem Theophr. Hist. VII. 7.

[o] *Candryala* [*condrilla*] Κονδρίλλη Diosc. II. 161. Apud Theophr. loc. cit. *ἀνδρύαλα*, pro *κανδρύαλα*. Nam Mss. Pliniani omnes tum hoc loco, tum in Indice, Reg. Colb. Th. habent *candryala*. Herba est cichorio similis, ob idque *καὶ κιχόριον καὶ σερίδα* quidam vocarunt, teste Diosc. et agrestis intybi genus esse dixerunt, inquit Oribasii interpres lib. XI. fol. 201.

[p] *Hypochœris*] Ὑποχοιρὶς, *καυκαλὶς*, Theophr. loc. cit.

[q] *Anthriscum*] Vitiose legitur apud Theophr. *ἐνθουσικόν*. Hesychius: *ἄνθρισκον, λάχανον ἔχον ἄνθος ὡς ἄνηθον*. Auctor Etymolog. *Ἄνθρισκα, ἄγρια λάχανα τὰ παραπλήσια ἀνήθοις*. Folio hæc similitudo constat, non umbella, aut semine.

[r] *Scandix*] Theophr. Hist. VII. 8. Σκάνδιξ. Et c. 7. *Κόμη, ἣν τραγοπώγωνα καλοῦσιν, ὃ τὴν μὲν ῥίζαν ἔχει μακρὰν καὶ γλυκεῖαν, τὰ δὲ φύλλα τῷ κρόκῳ ὅμοια, κ. τ. λ.*

[s] *Parthenium*] Παρθένιον, *στρύχνον, κόρχορος*, Theophr. Hist. VII. 7.

[t] *Et æquinoctio*] Primis post æquinoctium imbribus germinationem fieri *ἀφάκης, καὶ τοῦ κύπερος*, scribit Theophrast. Hist. VII. 8. ubi *κύνωπος* Turnebus ait legendum. In Mss. Reg. 2. Colb. Th. Chiffl. tum hoc loco, tum in Indice, *acypos*. Tamen iidem inferius c. 101. *acinon* vocant. Et Reg. 1. qui codex est optimæ notæ, hoc loco sic habet: *aphace, acino, epipetron, vocant, &c.* In eo Theophrasti loco *ἐχινόπους* legit Salmasius, in Solin. p. 1292. Sed diversam echino-

acinos:[6] epipetron[u] vocant, quæ nunquam floret. At e contrario[v] aphace subinde marcescente flore emittit alium, tota hyeme, totoque vere, usque in æstatem.

LIII. Multas præterea ignobiles habent:[a] sed maxime celebrant cnicon[b] Italiæ ignotam, ipsis autem oleo, non cibo, gratam. Hoc faciunt[c] e semine ejus. Differentia prima, sylvestris et sativæ. Sylvestrium duæ species: una mitior est,[d] simili caule, tamen rigido:[1] [e] itaque et colu[f] antiquæ mulieres utebantur ex illis: quare quidam atractylida[g] vocant. Semen ejus[h] candidum[2] et grande, ama-

edd. Dalec. et Gronov. *scandix, et come, quæ*, e Diosc.—6 'Ita codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier*. *et æquinoctio nascens aphace, acinos* Gronov. et al. vett. item edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *et ab æquinoctio nascens aphace achinopos* Chiffl. Mox, *quam epipetron vocant* Gronov. et al. ante Harduin. *et quam epipetron vocant* Dalec.

CAP. LIII. 1 Margo edd. Dalec. et Gronov. *rectiore*, e Theophr.—2 Ibid.

NOTÆ

poda ab acino puto. Aphace hæc Theophrastea ex olerum genere est, et intubaceorum, soli Ægypto cognita. De acino dicemus c. 101. ubi de cognatarum simul herbarum, batis, colocasiæ, anthalii, strychni, corchori, medicinis agetur.

[u] *Epipetron*] Theophr. Hist. VII. 8. Ἔνια δὲ καὶ ὅλως ἀνανθεῖ, καθάπερ καὶ τὸ ἐπίπετρον. Meminere hujus et alii: Arist. de Part. Anim. IV. 5. Galenus Meth. Med. IV. 5. Hesychius, aliique.

[v] *At e contrario*] Theophr. Hist. VII. 8. et 11. totidem verbis.

[a] *Multas præterea .... habent*] Ægyptii nimirum.

[b] *Cnicon*] De qua Theophr. Hist. VI. 4. Τῆς κνήκου δύο γένη, κ. τ. λ. Alii κνίκον scribunt, Galenus, Aristoteles, ceteri, præter Hesychium. Cnicus sativus, seu Carthamum officinarum a Clusio pingitur, lib. v. p. 152. cnici vulgaris nomine. In horto Regio vidimus. Galli vocant, *Saffran bastard, ou Graine de Perroquet.*

[c] *Hoc faciunt*] Oleum videlicet.

[d] *Una mitior est*] Atractylis ea est, a Dodonæo delineata, pag. 724. et a Lobelio in Observ. p. 483. Græcis ἀτρακτυλὶς et κνίκος ἀγρία, ut Aëtio, Hesychio, et Galeno de Fac. Simp. Med. lib. VI. p. 161. Cnico, sativæ scilicet, similem dicit Diosc. III. 140. Visa a nobis in horto Regio.

[e] *Tamen rigido*] Hoc est, erecto, sive rectiore: εὐθυκαυλότερον dixit Theophrastus.

[f] *Itaque et colu*] Theophr. loc. cit. Διὸ καὶ πηνίοις ἔνιαι τῶν ἀρχαίων ἐχρῶντο γυναικῶν. Πήνιον et ἄτρακτος colum interdum sonant.

[g] *Atractylida*] Scholiastes Theocriti ad Idyll. IV. 52. Ἀτρακτυλὶς, εἶδος βοτάνης, ἢ ἀκάνθης· εἴρηται δὲ ἀπὸ τοῦ τὰς ἀγροικῶν γυναῖκας ἀτράκτους ποιεῖν ἐξ αὐτῶν.

[h] *Semen ejus*] Fructus: καρπὸν δὲ ἔχει μέλανα καὶ μέγαν, καὶ πικρόν. Theophr. Hist. VI. 4. verius.

rum. Altera hirsutior,[i] torosiore[j] caule, et qui pæne humi[k] serpat,[3] minuto semine. Aculeatarum[l] generis hæc est: quoniam distinguenda sunt et genera.

LIV. Ergo quædam herbarum spinosæ sunt, quædam sine spinis. Spinosarum multæ species. In totum spina[m] est asparagus, scorpio:[n] nullum enim folium habet. Quædam spinosa, foliata[1][o] sunt, ut carduus, eryngion, glycyrrhiza,[2][p] urtica. Iis enim omnibus foliis inest aculeata mordacitas. Aliqua et secundum[q] spinam habent folium, ut tribulus, et ononis. Quædam in folio[r] habent et in caule, ut pheos,[3][s] quod aliqui stœben appellavere. Hippophaës[t] spinis geniculatum: tribulo proprietas,[4][u] quod et fructum spinosum habet.

ex eodem, *nigrum*.—3 Ibid. ex eodem, *procumbat*.

CAP. LIV. 1 Vet. Dalec. *spinoso folio*.—2 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *glycyrrhizon* edd. vett. et Gronov.—3 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *ut phleos* Gronov. et vulgg.—4 Gronov. et al. ante Harduin. *tributa proprietas*.

NOTÆ

[i] *Altera hirsutior*] Altera Dodonæi Atractylis, seu Carduus benedictus, p. 725. a Lobelio item delineatus, p. 484. *Chardon bénit*.

[j] *Torosiore*] Crassiore, pinguiore.

[k] *Et qui pæne humi*] Theophr. loc. cit. τρόπον τινὰ ἐπιγειόκαυλος.

[l] *Aculeatarum*] Theophr. Hist. VI. 3. Καὶ ὁ κνῆκος τήν γε φύσιν ἀκανθώδη ἔχει. Sic etiam Galenus de Fac. Simp. Med. lib. VI. p. 161.

[m] *In totum spina*] Quæ tantum spinas pro foliis habent, simpliciter ἀκάνθας vocat Theophr. Hist. VI. 1. Τὰ μὲν ἁπλῶς εἰσιν ἄκανθαι, καθάπερ ἀσπάραγος καὶ σκόρπιος· οὐδὲ γὰρ ἔχουσι φύλλον οὐδὲν παρὰ τὴν ἄκανθαν. Quod iterum c. 3. repetit. De Ravennate asparago Martialis XIII. 21. 'Mollis in æquorea quæ crevit spina Ravenna.'

[n] *Scorpio*] De eo dicemus XXII. 17.

[o] *Quædam spinosa, foliata*] Hoc est, quædam folia habent spinis aculeata: φυλλάκανθα ea vocantur a Theophrast. Hist. VI. 3. adducente σκόλυμον carduum in exemplum: ἠρύγγιον et κνῆκον, cap. 1.

[p] *Glycyrrhiza*] Vide quæ de ea dicturi sumus XXII. 10.

[q] *Aliqua et secundum*] Theophr. Hist. VI. 3. παρὰ τὴν ἄκανθαν ἔχοντα φύλλον, juxta aculeum folium gerunt.

[r] *Quædam in folio*] Theophr. loc. cit. Ὅ τε φλέως, καὶ ὁ τρίβολος, καὶ ἡ κάππαρις, ἴδιον ἔχει, τὸ μὴ μόνον τὴν ἐκ τῶν καυλῶν ἄκανθαν ἔχειν, ἀλλὰ καὶ τὸ φύλλον ἐπακανθίζον. *Phleos, tribulus, capparisque, peculiare hoc habent, ut non solum caulem aculeatum, sed etiam folium hispidum habeant*. Et cap. 1. ἡ ὄνωνις, καὶ ὁ τρίβολος, καὶ ὁ φλέως, ὃ δή τινες καλοῦσι στοίβην.

[s] *Ut pheos*] Ita libri omnes, etiam Mss. tum hoc loco, tum in Indice. Theophrasto nihilominus, φλέως. Sed eidem Hist. VI. 5. ἱππόφεως, quæ et ipsa στοίβη nuncupatur.

[t] *Hippophaës*] In Mss. *hippophes*.

LV. Ex omnibus his generibus urtica[a] maxime noscitur, acetabulis[b] in flore purpuream lanuginem fundentibus, sæpe altior binis cubitis. Plures ejus differentiæ: sylvestris, quam et fœminam vocant: mitiorque.[1] Et in sylvestri, quæ dicitur canina,[2c] acrior, caule quoque mordaci, fimbriatis foliis. Quæ vero etiam odorem fundit, Herculanea vocatur. Semen omnibus copiosum, nigrum. Mirum sine ullis spinarum aculeis lanuginem ipsam esse noxiam, et tactu tantum leni pruritum, pusulasque[3d] confestim adusto similes existere. Notum est et remedium olei. Sed mordacitas non protinus cum ipsa herba gignitur, nec nisi Solibus roborata. Incipiens quidem ipsa nasci vere, non ingrato, multis etiam religioso in cibo est, ad pellendos totius anni morbos. Sylvestrium quoque radix omnem carnem teneriorem facit, simulque cocta innoxia est. Mor-

CAP. LV. 1 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *quam fœminam vocant, mitior* Gronov. et vulgg.—2 'Ita cod. Reg. 2.' *Brotier.* Ita quoque Cornarius et cod. Chiffl. *quæ dicitur cania* Gronov. et al. vett. item Harduin. 1. 2. 3. et recentt.—3 Cod. Dalec. *pusulas.*—4 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *simul cocta. Quæ innoxia, morsu carens* edd. vett. et Gronov. *noxia est* Chiffl. *caret* cod. Dalec.

NOTÆ

Græcis, ἱππο϶ὺς, ἱππο϶αὲς, ἱππο϶αὲς, et ἱππόφεως promiscue dicitur. Vide XXII. 14. et Diosc. in Nothis, pag. 474.

[z] *Tribulo proprietas*] Theophrast. Hist. VI. 4. Ὁ δὲ τρίβολος ἴδιον ἔχει, διότι περικαρπιάκανθός ἐστι. *Id vero tribulus peculiare habet, quod fructus integumentum spinosum sive aculeatum habet.* In Mss. *tributo* pro *tribulo.*

[a] *Urtica*] *De l'Ortie:* cui cognatam minorem novimus, *l'Ortie grièche.*

[b] *Acetabulis*] Vasculis quibusdam, quibus semen et lanugo continetur, quæ acetabuli speciem repræsentant.

[c] *Quæ dicitur canina* [*cania*] Ita Mss. omnes. Sunt qui *canina* legi malint.

[d] *Pusulasque*] Sic libri omnes Mss. non *pustulas.* Celsus v. 28. 'Pustularum plura genera sunt. Nam modo circa totum corpus, partemve, asprede quædam fit similis his pustulis, quæ ex urtica, vel ex sudore nascuntur: ἐξανθήματα Græci vocant: eaque modo rubent, modo colorem cutis non excedunt. Nonnunquam plures similes varis oriuntur, nonnunquam majores pustulæ, lividæ, aut pallidæ, aut nigræ, aut aliter naturali colore mutato: subestque his humor. Ubi hæ ruptæ sunt, infra quasi exulcerata caro apparet: φλύκταιναι Græce nominantur. Fiunt vel ex frigore, vel ex igni, vel ex medicamentis.' Gallis, *des pustules, des ampoules, des élevures.*

su carens,[4] lamium vocatur.[e] De scorpione dicemus[f] inter medicas.

LVI. (XVI.) Carduus[g] et folia et caules spinosæ lanuginis[1] habet. Item acorna, leucacanthos, chalceos, cnicos,[2] polyacanthos, onopyxos, helixine,[3] scolymos. Chamæleon, in foliis non habet aculeos. Est et illa[h] differentia, quod quædam in iis multicaulia ramosaque sunt, ut carduus. Uno autem caule, nec ramosum, cnicos.[4] Quædam cacumine tantum spinosa sunt, ut eryngium.[i] Quædam æstate[j] florent, ut tetralix, et helixine.[5] Scolymus quoque[k] floret sero et diu. Acorna colore[l] tantum rufo distinguitur, et pinguiore succo. Idem erat[m] atractylis quoque, nisi candidior esset, et nisi sanguineum[n] succum funderet. Qua

CAP. LVI. 1 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Carduus et folio et caule spinosas lanugines* Gronov. et al. vett.—2 Codd. Chiffl. et Turneb. *cnecos*.—3 'Ita cod. Reg. 1.' *Brotier*. *helxine* edd. vett. et Gronov. item Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *ixine* margo edd. Dalec. et Gronov. e Theophr. 'Vide Lexicon Græco-Latinum in Ἰξαί, Jac. Cell.' *Dalec*.—4 Codd. Chiffl. Laet, et Turneb. *cnecos*.—5 Margo edd. Dalec.

NOTÆ

[e] *Lamium vocatur*] Sive urtica iners, cujus triplex genus a Dodonæo depingitur, p. 185. visum a nobis in horto Regio: *Ortie morte*. Galeopsis est Dioscoridi IV. 96.

[f] *De scorpione dicemus*] Lib. XXII. c. 17.

[g] *Carduus*] Theophrasto σκόλυμος est, eadem recensenti, Hist. VI. 2. Σκόλυμος, ἄκορνα, λευκάκανθος, χάλκειος, κνῆκος, πολυάκανθος, ὀνόπυξος, ἰξίνη, χαμαιλέων· πλὴν οὗτος οὐ φυλλάκανθος.

[h] *Est et illa*] Hæc e Theophrasto, loc. cit. sed mutilum scriptoris Græci locum ante nos alii agnovere.

[i] *Ut eryngium*] Mss. *ut erynge*. Theophrast. non eryngium in exemplum affert, sed rutrum, herbam incognitam: loc. cit. Ἔνια δὲ ἄνωθεν ἔχει ἐξ ἄκρου (ἀποφύσεις,) καθάπερ τὸ ῥύτρος. Eryngium campestre pingit Dodonæus, p. 718. Nos *Chardon Roland* dicimus.

[j] *Quædam æstate*] Theophr. Hist. VI. 3. Ἔνια δὲ καὶ τοῦ θέρους, ὥσπερ ἡ τετράλιξ ὑπό τινων καλουμένη, καὶ ἡ ἰξίνη.

[k] *Scolymus quoque*] Theophr. loc. cit. Εὐάνθης γὰρ ὁ σκόλυμος, καὶ ἐπὶ πολὺν χρόνον.

[l] *Acorna colore*] Theophr. Hist. VI. 4. Acorna, inquit, quoad figuram cnico sativo similis est, colore flavicans, succo pinguis: Ἡ δ' ἄκορνα προσεμφερὴς, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, κατὰ τὴν πρόσοψιν τῷ κνήκῳ τῇ ἡμέρᾳ· χρῶμα δ' ἐπίξανθον ἔχει, καὶ λιπαρὸν χύλον. Hesychius: Ἀκορνὰ, ἀκανθῶδες φυτόν. In Illyrico reperiri scribit Anguillara par. VIII. p. 146.

[m] *Idem erat*] Sic Virgilius, 'Laurus erat.' Similis esset, inquit, acornæ atractylis, nisi candore antecelleret. Et hoc a Theophr. Hist. VI. 4.

[n] *Et nisi sanguineum*] Theophr.

de causa[o] phonos vocatur a quibusdam, odore etiam gravis,[6] sero maturescente semine, nec ante autumnum: quanquam id de omnibus spinosis dici potest. Verum omnia hæc et semine et radice nasci possunt. Scolymus carduorum generis ab iis distat, quod radix ejus vescendo est decocta.[p] Mirum, quod sine[q] intervallo tota æstate aliud floret in eo genere, aliud concipit, aliud parturit. Aculei arescente folio desinunt pungere. Helixine rara[r] visu est, neque in omnibus terris: est a radice foliosa,[7] [s] ex aqua media veluti malum extuberat, contectum sua fronde. Hujus vertex summus lacrymam continet jucundi saporis, acanthicen[t] mastichen appellatam.

LVII. Et cactos[u] quoque in Sicilia tantum nascitur, suæ



et Gronov. *ixine*, e Theophr. Mox, *Scolymos* Chiffl.—6 Vet. Dalec. *gravi*.—7 Margo edd. Dalec. et Gronov. *Ixine non rara visu est, æque in omnibus terris nascitur, a radice foliosa*. Theophr. etiam *Ixine*. Gronov. et al. ante Harduin, *neque in omnibus terris est, radice foliosa*.

NOTÆ

loc. cit. ait decerpta folia, et carni admota, sanguineum succum effundere, αἱματώδη ποιεῖ τὸν χυλὸν, τῇ σαρκὶ προσφερόμενον. Idcirco et ἀνδρόσαιμον dictam a veteribus scribit Aëtius l. I.

[o] *Qua de causa*] Theophr. loc. cit. Διὸ καὶ φόνον ἔνιοι καλοῦσι τὴν ἄκανθαν ταύτην. Est enim φόνος Græcis *sanguis effusus*.

[p] *Vescendo est decocta*] Etiam et cruda, τὴν ῥίζαν ἐδώδιμον ἔχει καὶ ἑφθὴν, καὶ ὠμὴν, inquit Theophr. De hoc scolymo diximus XX. 99. Non est is sane articactus noster: quis enim radicem hujus edulem dixit?

[q] *Mirum, quod sine*] Theophr. loc. cit.

[r] *Helixine [helxine] rara*] Quæ Theophrasto ἰξίνη dicitur, ubique Plinio *helxine* est: Ἡ ἰξίνη, inquit ille, οὐ φύεται πολλαχοῦ. Contra permutatis vocibus, ut facere vulgus solet, quæ helxine ab omnibus sive perdicium appellatur, eadem ixine agria ab Apuleio nominatur, c. 81. Diversa hæc porro ab ea de qua dicemus lib. seq. c. 19.

[s] *A radice foliosa*] Theophr. loc. cit. Ῥιζόφυλλον δέ ἐστιν· ἀπὸ δὲ τῆς ῥίζης μέσης ὁ σπερματικὸς ἄκανος ἐπιπέφυκεν, ὥσπερ μῆλον εὖ μάλα ἐπικεκρυμμένον ἐπὶ τῶν φύλλων.

[t] *Acanthicen*] Ἀκανθικὴν μαστίχην, quasi spinalem masticham, inquit Gaza.

[u] *Et cactos*] Ad verbum excerpta hæc a Theophr. Hist. VI. 4. quæ transcripsit etiam Athenæus lib. II. p. 70. Ἡ δὲ κάκτος καλουμένη περὶ Σικελίαν μόνον, κ. τ. λ. In Indice, *Ectacus, sive cactus*. Forte idem cum cinara, seu articacto nostro, cujus edulis est globus foliorum cum stipitis medulla summa, uti indicavimus libro sup. cap. 99. Phanias quoque apud Athen. loc. cit. peculiarem Siciliæ cactum facit: κάκτος Σικελική. In Græcia reperiri Theophrastus negat.

proprietatis et ipse: in terra[1] serpunt caules, a radice emissi, lato folio et spinoso. Caules vocant[v] cactos: nec fastidiunt in cibis, inveteratos quoque. Unum caulem[2 w] rectum habent, quem vocant pternica, ejusdem suavitatis, sed vetustatis[x] impatientem. Semen ei[y] lanuginis, quam[3] pappon vocant: quo detracto et cortice, teneritas similis cerebro palmæ est: vocant ascalian.[z]

LVIII. Tribulus non nisi[a] in palustribus nascitur, dira res alibi, juxta[1] Nilum et Strymonem amnes excipitur in cibis, inclinatus in vadum, folio ad effigiem ulmi, pediculo longo. At in reliquo[b] orbe genera duo: uni cicerculæ[2 c] folia, alteri aculeata.[d] Hic et serius[e] floret,[3] magisque septa obsidet villarum. Semen ei[f] rotundius, nigrum, in siliqua: alteri arenaceum.[4 g] Spinosorum etiamnum aliud genus anonis.[5 h] In ramis enim spinas habet, apposito[6]

CAP. LVII. 1 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *et ipsa, cujus in terra* Gronov. et al. vett.—2 *Alium præterea caulem* Dalec.—3 Margo edd. Dalec. et Gronov. *lanugine obvolutum quam*, e Theophr. *quam* deest in Vet. Dalec.

CAP. LVIII. 1 Vet. Dalec. *alibi. Juxta;* alii vett. ap. Dalec. *alicubi. Juxta.* Mox, Vet. Dalec. *amnes recipitur in cibos, inclinatur.*—2 Margo edd. Dalec. et Gronov. *ciceris*, e Theophr.—3 Ibid. ex eodem, *germinat.*—4 Gronov. *harenaceum.*—5 'Ita codd. Regg. et Editio princeps.' *Brotier. ononis* Gronov. al. vett. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—6 Margo edd. Dalec. et

NOTÆ

[v] *Caules vocant*] Theophr. loc. cit. cactos vocari similiter tradit, in cibis gratos, si decorticentur, nonnihil subamaros, muria condiri et inveterari.

[w] *Unum caulem*] Theophr. Ἕτερον δὲ καυλὸν ὀρθὸν ἀφίησιν, ὃν καλοῦσι πτέρνικα.

[x] *Vetustatis*] Qui sale, ut ceteri, condiri nequeat.

[y] *Semen ei*] Hæc Theophr. ad verbum, loc. cit.

[z] *Vocant ascalian*] Theophr. Καλοῦσι δὲ αὐτὸ ἀσκαλίαν.

[a] *Tribulus non nisi*] Hæc tribuli palustris descriptio petita est e Theophr. Hist. IV. 11. Ὁ δὲ τρίβολος αὐτὸς ἐν τῷ ὕδατι νεύει εἰς βυθόν· τὸ δὲ φύλλον ἐστὶ πλατὺ, προσεμφερὲς τῷ τῆς πτελέας, μίσχον δὲ ἔχει σφόδρα μακρόν.

[b] *At in reliquo*] Hæc deinceps e Theophr. Hist. VI. 5.

[c] *Uni cicerculæ*] Hoc est, ciceris exigui, ut diximus XIX. 61. Theophr. loc. cit. Τὸ μὲν γὰρ ἔχει φύλλον ἐρεβινθῶδες. Tribulus terrestris est Clusii, Rarior. Plantar. l. VI. p. 141. et Dodonæi c. 547.

[d] *Alteri aculeata*] Quem idcirco φυλλάκανθον vocat. Magnam hic habet affinitatem cum tribulo Dioscoridis IV. 15.

[e] *Hic et serius*] Theophr. loc. cit. Diosc. item loc. cit.

[f] *Semen ei*] Theophr. loc. cit.

[g] *Alteri arenaceum*] Σησαμῶδες dixit Theophr. *sesamæ vicinum.* Est fortas-

folio[i] rutæ simili, toto caule foliata[7] in modum coronæ: sequitur a frugibus,[j] aratro inimica,[8] vivaxque præcipue.[k]

LIX. Aculeatarum caules aliquarum per terram serpunt,[l] ut ejus quam coronopum[m] vocant. E diverso stant,[n] anchusa inficiendo ligno cerisque[1] radice apta, et e mitioribus anthemis,[o] et phyllanthes,[2] et anemone, et aphace. Caule foliato[p] est et crepis, et lotos.[3]

Gronov. *appositas*, e Theophr.—7 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *foliatum* Gronov. et vulgg.—8 Cod. Dalec. *secatur aratro, frugibus inimica*; Turneb. et Chiffl. *Sequitur aratra, frugibus inimica.*

CAP. LIX. 1 'Ms. *ceterisque*; sed nil mutandum ostendit ult. cap. hujus libri.' *Dalec.*—2 Margo edd. Dalec. et Gronov. *aphyllantes*, e Theophr.—3 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *crepis et apate* Gronov. et vulgg. 'Apud

NOTÆ

sis ei tribulo, ob formam σησαμῶδες, ob duritiam idem ἀμμῶδες.

[h] *Spinosorum . . . anonis* [*ononis*] Græcis ὀνωνὶς, de qua quæ hic referuntur, hausta e Theophr. sunt, Hist. VI. 5. Dioscoridi III. 21. Ἀνωνὶς, οἱ δὲ ὀνωνίδα καλοῦσι. Herbariis nunc Resta bovis, *Arrête-bœuf*, quod in opere boves subinde sistat, nominatur: frustra negante Anguillara par. VIII. p. 147. Delineatur a Dodonæo, p. 731.

[i] *Apposito folio*] Appositumque spinis folium habet rutæ simile, ἔστι στορθάκανθον, . . . φύλλον ἔχει πηγανῶδες, παραπεφυκὸς παρ' ὅλον τὸν καυλὸν, ὥσπερ στεφάνου τὴν ὅλην εἶναι μορφὴν διαλαμβανομένην ὑπ' ἀλλήλων. *Ramis aculeigera est, . . . folio rutæ similis, sed per totum apposito caulem, ut veluti coronam ex intervallis tota species repræsentet.*

[j] *Sequitur a frugibus*] Post fruges in segetibus atque cultis sponte nascitur, &c. Theophr. loc. cit.

[k] *Vivaxque præcipue*] Theophr. loc. cit. Καὶ ἔτι δυσώλεθρος, difficile tota evellitur, exscinditurve.

[l] *Per terram serpunt*] Hoc est, ut ipse ait XVIII. 10. earum caules sparguntur per terram, si non habeant adminiculum, ut pisa. Hæc alio e fonte Plinius, quam e Theophrasto.

[m] *Coronopum*] Diosc. II. 158. Κορωνόπους πρόμηκες βοτάνιον κατὰ τοῦ ἐδάφους ἐστρωμένον, *herbula humi strata.* Ea est, quam nostri Cornu Cervi vocant, *Corne de Cerf*, ut placere video Scaligero, in lib. II. Theophr. de Causis Plant. cap. 8. p. 117. aliisque omnibus. Pingitur a Dodonæo, p. 110. In multis Italiæ locis *Herba stella* dici auctor est Anguillara par. 7. p. 115.

[n] *E diverso stant*] Per terram non serpit istarum caulis, anchusæ, anthemidis, &c. De anchusa dicetur libro seq. c. 23.

[o] *Anthemis*] Græcis, ἀνθεμὶς, φυλλανθὲς, ἀφάκη. De anthemide, libro seq. c. 26. Φυλλανθὲς Gaza *frondifloram* reddidit: Jacea nigra Dodonæi est p. 124. Ἀφάκην esse eam, quam rura nostra agrestem viciam vocant, scribit Ruellius lib. II. p. 395. Ἀνεμώνην, ob floris præstantiam et pulchritudinem passiflorem appellari, *Passefleur*, p. 428. Diversa hæc ab aphace intubacea est, de qua superius cap. 52.

[p] *Caule foliato*] Vide Notas et E-

LX. Differentia[q] foliorum et hic quæ in arboribus, brevitate pediculi ac longitudine, angustiis ipsius folii, amplitudine, angulis, incisuris, odore, flore. Diuturnior[r] hic quibusdam per partes florentibus, ut ocimo, heliotropio, aphacæ, onochili.[1] Multis inter hæc[s] æterna folia, sicut quibusdam arborum, inprimisque heliotropio, adianto, polio.[2]

LXI. (XVII.) Aliud rursus[t] spicatarum genus, ex quo est cynops,[1][u] alopecuros,[v] stelephuros, (quam quidam ortygem[2] vocant, alii plantaginem, de qua plura dicemus[3] inter medicas,) thryallis.[w] Ex iis alopecuros spicam habet mollem, et lanuginem densam, non dissimilem vulpium caudis, unde ei et nomen. Proxima est ei[x] et[4] stelephu-

Theophr. Hist. Plant. lib. VII. legitur quidem, *κρηπὶς, ἀπάτη*, sed legendum, *πικρὶς, ἀφάκη*. Vide Lexicon J. C.' *Dalec.*

CAP. LX. 1 Ita Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *onochite* Chiffl. *onocheili* Diosc. *onocichlæ* Gronov. et vulgg.—2 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *heliotropio*, *polio*, *adiantho* margo edd. Dalec. et Gronov. e Theophr. *heliotropio*, *adiantho*. *Aliud*, &c. Gronov. et vulgg.

CAP. LXI. 1 Ita Gronov. Harduin. 1. 2. 3. Miller. et Bipont. *ex quo cynops* Franz. Mox, Dalec. *stelephuros et plantago, quam quidam ortyga vocant, de qua,* &c. e Theophr. correcto, Hist. VII. 10.—2 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *ortyga* Gronov. et vulgg.—3 Cod. Dalec. *infra dicemus.*—4 *Proxime est et* Chiffl.—5 Vet. Dalec. *germinant.*

NOTÆ

mend. num. 11. Crepis inter ignotas herbas censetur.

[q] *Differentia*] Theophr. Hist. VII. 9.

[r] *Diuturnior*] Theophr. loc. cit. de ὠκίμῳ, ἡλιοτροπίῳ, κιχωρίῳ. De ἀφάκῃ, et ὀνοχειλεῖ, c. 10.

[s] *Multis inter hæc*] Ex Theophr. Hist. VII. 10. Ἀείφυλλα τῶν τοιούτων ἐστὶν ἔνια, καθάπερ τὸ πόλιον, καὶ τὸ ἡλιοτρόπιον, καὶ τὸ ἀδίαντον.

[t] *Aliud rursus*] Theophrasto, loc. cit. Σταχυώδη μὲν οὖν ἐστιν, ὅ τε χήνωψ (alii κύνωψ) ὑπό τινων καλούμενος, τελείους ἔχων ἰδέας ἐν ἑαυτῷ· καὶ ὁ ἀλωπέκουρος, καὶ ὁ στελέφουρος, ὑπ' ἐνίων δὲ ἀρνόγλωσσον, τῶν δὲ ὄρτυξ καλούμενος. Παρόμοιον δὲ τούτῳ τρόπον τινὰ καὶ ἡ θρυαλλίς.

[u] *Cynops*] In Mss. *stanyps.* In Indice, *stanyopos.* Theophrasti codices hac parte vitiati. Quia sub eo nomine ignota est hæc herba nobis, auspicato nihil geri potest.

[v] *Alopecuros*] Quasi caudam vulpinam dixeris, *Queue de renard.* Pingitur a Dodonæo, pag. 532. Rura caudati frumenti nomine norunt.

[w] *Thryallis*] Hæc θρυαλλὶς spicata, omnino pimpinella sanguisorba Dodonæi est, pag. 105. *La Pimprenelle.*

[x] *Proxima est ei*] Theophr. loc. cit. Ὅμοιος δὲ τούτῳ καὶ ὁ στελεφοῦρος· πλὴν οὐχ ὥσπερ ἐκεῖνος ἀνθεῖ κατὰ μέρος, ἀλλὰ δι' ὅλου τοῦ στάχυος, ὥσπερ ὁ πυρός. *Huic plantago similis est, nisi quod florem non quemadmodum illa particulatim*

ros, nisi quod illa particulatim floret. Cichorion, et similia, circa terram folia habent, germinantibus[z] ab radice post Vergilias.[y]

LXII. Perdicium[a] et aliæ gentes, quam Ægyptii,[1] edunt: nomen dedit avis, id maxime eruens. Crassas plurimasque habet radices. Item ornithogale,[b] caule tenero, candido, semipedali[2] radice, bulbosa, molli, tribus aut quatuor[c] agnatis. Coquitur in pulte.

LXIII. Mirum, loton[d] herbam, et ægilopa, non nisi post annum e semine suo nasci. Mira et anthemidis[e] natura, quod a summo florere[1] incipit, cum ceteræ omnes, quæ particulatim florent, ab ima sui parte incipiant.

LXIV. Notabile et in lappa,[f] quæ adhærescit,[1] quoniam in ipsa flos nascitur, non evidens, sed intus occultus, et intra seminat,[2] [g] velut animalia, quæ in se pariunt. Circa

CAP. LXII. 1 *Perdicio, quam et Æoliæ gentes, et Ægyptii* Vet. Dalec.—2 Margo edd. Dalec. et Gronov. *sesquipedali*, e Diosc.

CAP. LXIII. 1 Ita edd. vett. Gronov. Harduin. 1. et Bipont. *flore* cod. Chiffl. Harduin. 2. 3. Miller. et Franz.

CAP. LXIV. 1 Vet. Dalec. *quæ vestibus adhærescit*.—2 Ita codd. Harduini

NOTÆ

edit, sed per totam spicam, tritici modo.

[y] *Post Vergilias*] Post Vergiliarum exortum, de quo XVIII. 66.

[a] *Perdicium*] Aliunde hoc Plinius quam a Theophrasto, qui de perdicio hoc solum tradit: crassas id habere radices, pluresque quam folia: nomen ei ea re esse, quod perdices ad id se volutent, terramque suffodiant. De hoc perdicio dicetur iterum XXII. 19. Diversum illud a Celsi perdicio, de quo cap. 104. hujusce libri.

[b] *Ornithogale*] Hæc totidem verbis Dioscor. II. 174. Ὀρνιθόγαλον καυλίον ἐστὶ, κ. τ. λ. Depingitur a Dodonæo, pag. 221. Est in horto Regio. Tota nasci Italia tradit Anguillara par. VII. pag. 117.

[c] *Tribus aut quatuor*] Tribus aut quatuor in cacumine mollibus agnatis, seu propaginibus, unde flores prodeunt: Ἄνω παραφυάδας ἔχον τρεῖς ἢ τέσσαρας ἁπαλὰς, ἀφ' ὧν ἄνθη, κ. τ. λ. Dioscor. loc. cit. Potest et Plinii locus accipi de bulbis minoribus, qui majori adnascuntur.

[d] *Mirum, loton*] Hoc e Theophr. Hist. VII. 12. καθάπερ τὸν αἰγίλωπά φασι, καὶ τὸν λωτόν. Ægilops bulbi genus est, cujus facta jam superius mentio, XIX. 30.

[e] *Mira et anthemidis*] Theophr. Hist. VII. 13.

[f] *Notabile et in lappa*] Theophr. Hist. VII. 14. Lappa, Græcis ἀπαρίνη: nostris, *de la Bardane, du Glouteron*. Contactu vestibus adhærescit, quare φιλάνθρωπος ab Aëtio appellatur. A Dodonæo pingitur pag. 38.

[g] *Et intra seminat*] Vide Notas et Emend. num. 12.

Opuntem[3] Opuntia[h] est herba, etiam homini dulcis. Mirumque[i] e folio ejus radicem fieri, ac sic eam nasci.

LXV. Iasione[j] unum folium habet, sed ita implicatum, ut plura videantur. Chondrylla[k] amara est, et acris in radice succi.[1] Amara[l] et aphace, et quæ picris[m] nominatur, et ipsa toto anno florens: nomen ei amaritudo imposuit.

LXVI. Notabilis[n] et scillæ crocique natura, quod cum omnes herbæ folium primum emittant, mox in caulem rotundentur, in iis caulis prior intelligitur,[1] quam folium. Et in croco quidem flos impellitur caule: in scilla vero caulis exit, deinde flos ex eo emergit. Eademque ter floret, ut diximus,[o] tria tempora arationum[2] ostendens.

---

et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *et intra seminant* Chiffl. *intra se germinat* Gronov. et vulgg. Mox, *quæ intra se pariunt* Vet. Dalec.—3 Hæc duo verba, *Circa Opuntem*, non leguntur in cod. Dalec.

CAP. LXV. 1 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *acri in r. succo* Gronov. et vulgg.

CAP. LXVI. 1 Vet. Dalec. *mox in caulem attollantur, in iis c. p. detegitur;* al. vett. ap. Dalec. *mox in c. protrudantur, &c. impellitur.*—2 Ita codd. Harduini, Chiffl. et Vet. Dalec. item edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et

NOTÆ

[h] *Opuntia*] Hanc depictam egregie vide in Eystettensi horto. Habet hæc Theophr. Hist. I. 12.

[i] *Mirumque*] Quod et de ficu. Indica, quæ est in Eystettensi horto, narrant ii qui in eo opere ejus horti plantas αὐτόπται testes descripserunt. De ficu Indica hoc ipsum Plinius admonuit XII. 11. De Euphorbio quoque narrant hodierni Herbarii. Vide Dodon. pag. 375.

[j] *Iasione*] Theophr. Hist. I. 21. Ἔνια δὲ μονόφυλλα φύεται, διαγραφὴν ἔχοντα μόνον τῶν πλειόνων, ὥσπερ τὸ τῆς ἰασιώνης. Florem iasiones ait unico constare folio, sed similitudinem plurium foliorum in ambitu ostendere: est enim, ut lilium, fere calathi figura. Vulgo Campanulas vocant, *Clochettes.* Vide quæ dicturi sumus XXII. 39.

[k] *Condrylla*] Quæ intybi agrestis genus est, ut diximus cap. 52. Theophr. Hist. VII. 11. Ἡ χονδρύλλα .... ἄβρωτος, καὶ ἐν τῇ ῥίζῃ δριμὺν ὀπὸν ἔχει καὶ πολύν.

[l] *Amara*] Theophr. loc. cit. Ἄβρωτος δὲ καὶ πικρὰ ἡ ἀφάκη. Aphace hæc intubacea est, de qua cap. 52.

[m] *Et quæ picris*] Theophr. Ὡσαύτως δὲ καὶ ἡ πικρὶς, καὶ γὰρ αὕτη τῷ ἦρι ἀνθεῖ, καὶ παραπλησία δι' ὅλου τοῦ χειμῶνος, καὶ τοῦ θέρους παρανθεῖ· τῇ γεύσει δὲ πικρά· διὸ καὶ τοὔνομα εἴληφε. Quæ Plinius totidem fere verbis. Est autem πικρὶς hæc non sylvestre intubum, de quo diximus VIII. 41. sed peculiare quodpiam genus, necdum satis nobis compertum, quod rotundo esse folio dicitur XXII. 31. quale ex intybis nullum habet.

[n] *Notabilis*] Hæc sunt petita pariter ex Theophr. Hist. VII. 12.

[o] *Ut diximus*] Lib. XVIII. cap. 65.

LXVII. Bulborum generi quidam annumerant[p] et cypiri, hoc est, gladioli, radicem. Dulcis ea est,[q] et quæ decocta panem etiam gratiorem faciat, ponderosioremque simul subacta. Non dissimilis[r] est[1] et quæ thesion vocatur, gustu aspera.

LXVIII. Ceteræ ejusdem generis folio differunt. Asphodelus oblongum[a] et angustum habet, scilla latum et tractabile, gladiolus simile nomini. Asphodelus manditur, et semine tosto,[1] [b] et bulbo: sed hoc in cinere tosto, dein sale et oleo addito: præterea tuso[c] cum ficis, præcipua voluptate, ut videtur Hesiodo.[d] Traditur[2] et ante portas villarum satum, remedio esse contra veneficiorum noxiam. Asphodeli mentionem et Homerus[e] fecit. Radix ejus napis modicis similis est: neque alia numerosior, LXXX. simul[f]

Franz. *arandi* margo edd. Dalec. et Gronov. e Virgil. *arationis* e Theoph. ibid. *sationum* Gronov. et vulgg.

CAP. LXVII. 1 Cod. Dalec. *subacta. Similis est.* Margo edd. Dalec. et Gronov. *Similis et quæ Thesion vocatur, gustu, &c.* e Theophr. Vid. Nott. Var.

CAP. LXVIII. 1 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *toto* Gronov. et vulgg.—2 *Tradunt* Chiffl. Mox,

NOTÆ

[p] *Quidam annumerant*] Quoniam scilicet radix bulborum similitudinem habet, ut ait Diosc. IV. 20. qui illud ξίφιον vocat, seu gladiolum, et μαχαιρώνιον, a gladii figura: Theophr. Hist. VII. 11. φάσγανον. Est gladiolus utrimque floriferus apud Dodon. pag. 209. Est in horto Regio. Nec κύπειρος Græcorum is, nec κύπερος fuit: sed Latinorum duntaxat: Apuleius cap. 46. 'Græcorum quidam xiphion, alii phasganon vocant, Itali gladiolum dicunt.' Scribonius Largus Compos. 20. num. 82. 'Cypiri radicis, quem nos gladiolum appellamus.'

[q] *Dulcis ea est*] Theophr. loc. cit. 'Αλλ' ἡ τοῦ φασγάνου καλουμένου γλυκεῖά τε ῥίζα ἑψηθεῖσα, καὶ τριφθεῖσα, μιγνυμένη τῷ ἀλεύρῳ, ποιεῖ τὸν ἄρτον γλυκὺν καὶ ἀσινῆ.

[r] *Non dissimilis*] Theophr. loc. cit. 'Η δὲ τοῦ θησείου τῇ μὲν γεύσει πικρὰ, τριβομένη δὲ κοιλίαν ἀποκαθαίρει. Similem gladiolo hanc herbam Plinius ait esse, quoniam pariter bulbosa est. Radix est cava minor Dodonæi, pag. 325.

[a] *Asphodelus oblongum*] Sunt ista pariter a Theophr. Hist. VII. 12. Gallis *Asphodello.* Iconem apud Clusium vide lib. II. pag. 196. Est in horto Regio.

[b] *Et semine tosto*] Theophr. loc. cit. Καὶ ὁ ἀνθερικὸς ἐδώδιμος σταθευόμενος, καὶ τὸ σπέρμα φρυγόμενον.

[c] *Præterea tuso*] Theophr. loc. cit.

[d] *Hesiodo*] Ἔργων vs. 41. Νήπιοι, οὐδ' ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντὸς, Οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ.

[e] *Homerus*] Odyss. Λ. 538. et Ω. 13.

acervatis sæpe bulbis. Theophrastus, et fere Græci, princepsque Pythagoras, caulem ejus cubitalem, et sæpe duum cubitorum, foliis porri [g] sylvestris anthericon vocavere: radicem vero, id est, bulbos, asphodelon. Nostri illud albucum [h] vocant, et asphodelum hastulam regiam, caulis acinosi: [i] ac duo [3] genera faciunt. Albuco est scapus [j] cubitalis, amplus, purus, lævis. De quo Mago præcipit, exitu mensis Martii, et initio Aprilis, cum floruerit, nondum semine ejus intumescente, demetendum: findendosque scapos, et quarto die in Solem proferendos: ita siccatis manipulos faciendos. Idem [4] pistanam dicit a Græcis vocari, quam inter ulvas sagittam appellamus.[k] Hanc ab Idibus Maii usque ad finem Octobris mensis decorticari, atque leni Sole siccari jubet. Idem et gladiolum alterum, quem cypiron oocant, et ipsum palustrem,[l] Julio mense toto [5] secari jubet ad radicem, tertioque die in Sole siccari, donec candidus fiat. Quotidie autem ante Solem occidentem in tectum referri, quoniam palustribus desectis nocturni rores noceant.

LXIX. (XVIII.) Similia præcipit et de junco, quem ma-

contra v. noxam Dalec.—3 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *illos albucum vocant, et caulem hastulam regiam, &c.* margo edd. Dalec. et Gronov. *asphodelon. Hastula regia ea est et caulis acinosi. Ejus duo* cod. Dalec. *hastulam regiam. Ea est et caulis acinosi. Ejus duo* Gronov. et vulgg.—4 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *item* edd. vett. et Gronov.—5 Vox *toto* deest in cod. Dalec. Paulo post, Chiffl. *tertioque dein sole.*

NOTÆ

[f] *LXXX. simul*] Centenarium sæpe numerum excedere ait Matthiolus in Diosc. lib. II. pag. 602.

[g] *Foliis porri*] Diosc. II. 199. Φύλλα ἔχων πράσῳ μεγάλῳ ὅμοια.

[h] *Nostri illud albucum*] Scribonius Largus Compos. 154. 'Hastulæ regiæ, quam ἀσφόδελον Græci dicunt.' Apuleius cap. 32. 'A Græcis dicitur asphodelos, Latinis hastula regia, aliquibus albucus.'

[i] *Caulis acinosi*] Ferentis semen rotundum, instar acinorum. Diosc. loc. cit. καρπὸν δὲ στρογγύλον.

[j] *Albuco est scapus*] Dioscor. loc. cit. levoris modo scapi meminit: καυλὸν δὲ λεῖον.

[k] *Sagittam appellamus*] Recentiores sagittalem: alii Linguam serpentis. Pingitur a Dodonæo pag. 577. Patavii frequentem esse ait Anguillara par. XI. pag. 182.

[l] *Et ipsum palustrem*] Quemadmodum et palustris sagitta est, de qua dictum proxime. Forte gladiolus est aquatilis Dodonæi, pag. 590.

riscon[a] appellat,[1] ad texendas tegetes: et ipsum Junio mense eximi ad Julium[2] medium præcipiens. Cetera de siccando, eadem quæ de ulva suo loco diximus.[b] Alterum genus[c] juncorum facit,[3] quod marinum,[4] et a Græcis oxyschœnon vocari invenio. Tria genera ejus:[d] acuti, sterilis, quem marem, et oxyn Græci vocant: reliqua fœminini,[e] ferentis semen nigrum, quem melancranin vocant.[5] Crassior hic et fruticosior: magisque[6] etiamnum tertius, qui vocatur holoschœnos.[f] Ex his melancranis[g] sine aliis generibus nascitur. Oxys autem et holoschœnos eodem cespite. Utilissimus[7][h] ad vitilia holoschœnos, quia mollis et carnosus est. Fert fructum[i] ovorum[8] cohærentium modo. Nascitur autem[j] is, quem marem appellavimus,[9] ex semetipso, cacumine in terram[k] defixo: melancranis autem suo semine.

CAP. LXIX. 1 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *quem mariscum appellant* Chiffl. *quem mariscon appellant* edd. vett. et Gronov.—2 Cod. Dalec. *ante Julium.*—3 Dalec. *faciunt.*—4 Margo edd. Dalec. et Gronov. *aquaticum*, e Theophr.—5 Chiffl. *melacraniam appellant.*—6 *Magis magisque* Chiffl.—7 *Utilissimis* Gronov. et al. ante Harduin.—8 Margo edd. Dalec. et Gronov. *ὠῶν.* Alii ap. Dalec. *sorborum.*—9 Ita Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. Ita quoque Chiffl. *appellamus* Gronov. et vulgg.—

NOTÆ

[a] *Quem mariscon*] Mariscus juncus, major juncus videtur esse, ut ficum mariscam majorem ficum esse diximus XV. 19.

[b] *Suo loco diximus*] Lib. XVIII. cap. 67. ubi de fœni sectione ac siccatione agitur.

[c] *Alterum genus*] Hæc a Theophr. Hist. IV. 13.

[d] *Tria genera ejus*] Totidem verbis hæc Theophr. loc. cit.

[e] *Reliqua fœminini*] Nempe melancranis, et holoschœnos: utrumque enim fert nigrum semen. Diosc. IV. 52.

[f] *Holoschœnos*] Ὁλόσχοινος, idem qui juncus mariscus. Sic Theophr. loc. cit. et Dioscor. IV. 52. Pingitur a Dodonæo, pag. 595.

[g] *Ex his melancranis*] A nigro fructu seu semine id ei nomen. Theophr. loc. cit. Ἡ μὲν οὖν μελαγκρανὶς αὐτός τις καθ' αὑτόν· ὁ δ' ὀξὺς καὶ ὁλόσχοινος ἐκ τοῦ αὐτοῦ ἐκχυρώματος φύονται. *Melancranis per se suo genere provenit: acutus autem, atque holoschœnus eodem ex cespite exeunt.* Hesychius: Μελάγκρανις, ὀξύσχοινος.

[h] *Utilissimus*] Theophr. loc. cit.

[i] *Fert fructum*] Theophr. Κἄπειτα ἐκτίκτει καθάπερ ᾠά.

[j] *Nascitur autem*] Is nempe, quem oxyn, acutum, sterilem, et marem appellavit.

[k] *Cacumine in terram*] Bulbi nempe radicis cacumine in terram defixo, ex quo junci radices quotannis pullulant. Hæc enim Græci scriptoris sententia est, a quo fonte hæc derivata, cum ἀπὸ τῆς κεφαλῆς τοῦ σχοίνου

Alioqui[10] [l] omnium radices omnibus annis intermoriuntur. Usus ad nassas marinas, vitilium elegantiam,[11] lucernarum lumina, præcipua medulla, amplitudine juxta maritimas Alpes tanta, ut inciso ventre impleant[12] pæne unciarum[m] latitudinem: in Ægypto vero cribrorum longitudinem, non aliis[n] utiliorem.[13]

Quidam etiamnum unum genus faciunt junci trianguli: cyperon vocant. Multi vero non discernunt a cypiro vicinitate nominis. Nos distinguemus utrumque. Cypirus[14] est gladiolus, ut diximus,[o] radice bulbosa, laudatissimus in insulis Creta, dein Naxo, et postea in Phœnice. Cretico candor[15] odorque vicinus nardo, Naxio acrior, Phœnicio exiguum spirans, nullus Ægyptio. Nam et ibi nascitur. Discutit duritias[p] corporum. Jam enim remedia dicemus: quoniam et florum odorumque generi est magnus usus in medicina.

Quod ad cypiron[q] attinet, Apollodorum quidem sequar,[16] qui negabat bibendum: quanquam professus efficacissimum esse adversus calculos, os eo fovet.[17] Fœminis quidem[r]



10 *Alioquin* Gronov.—11 Vet. Dalec. *vitilium elegantium nexus.* Mox, Vet. Dalec. *præcipue.*—12 Vet. Dalec. *impleat*, sub. 'medulla.'—13 'Ita bene cod. Reg. 2.' *Brotier.* Edd. ante Brotier, *alias.* Mox, *utiliores* Vet. Dalec.—14 *Cyperus* Chiffl.—15 Rondeletius, *color.*—16 Vet. Dalec. *sequimur.*—17 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *adversus calculosos, eo fovet* Gronov. et vulgg. *eo quidem fetas feminas abortivas fieri* cod. Dalec.

NOTÆ

dixit, Hist. IV. 13. Cave enim existimes ipsius junci cacumen intelligi, quo demisso in terram, ut in aliis vidimus, propagatio fiat.

[l] *Alioqui*] His radicibus, inquit Theophr. peculiare est, quod singulis annis intereant, et rursum superne ex radicis capite pullulent: *Αὐαίνονται κατ' ἐνιαυτὸν, καὶ ἡ τοῦ ἄνωθεν πάλιν ἡ γένεσις.*

[m] *Unciarum*] Unciæ unius, quæ pars est pedis duodecima.

[n] *Non aliis* [*alias*] In Mss. *non aliis.* Sententia est, non ex aliis rebus fieri in Ægypto cribra utilius, quem e junco.

[o] *Ut diximus*] Cap. 67. Ξίφιον ibi Dioscoridis esse monuimus.

[p] *Discutit duritias*] Et ξίφιον Dioscoridis IV. 20. panos discutit, διαφορεῖ φύγεθλα, quod genus est tumoris ac duritiei.

[q] *Quod ad cypiron*] Sive gladiolum, ξίφιον, ut diximus.

[r] *Fœminis quidem*] Sterilitatem induci pota τοῦ ξιφίου superiore radice e vino, scribit Diosc. loc. cit.

abortus facere non dubitat. Mirumque tradit, barbaros suffitum hujus herbæ excipientes ore, lienes consumere: et non egredi domibus,[18] nisi ab hoc suffitu: vegetiores enim firmioresque sic etiam in dies fieri.[19] Intertriginum et alarum vitiis, perfrictionibusque cum oleo illitum, non dubie mederi.

LXX. Cyperos juncus [a] est, qualiter diximus,[b] angulosus, juxta terram candidus, cacumine niger, pinguisque. Folia ima [c] porraceis exiliora, in cacumine minuta,[1] inter quæ est semen. Radix olivæ [d] nigræ similis, quam, cum oblonga est, cyperida vocant, magni in medicina usus. Laus cypero prima Hammoniaco,[2] secunda Rhodio, tertia Theræo,[3] [e] novissima Ægyptio: quod [4] et confundit [f] intellectum, quoniam et cypiros ibi nascitur. Sed cypiros [5] [g] durissima, vixque spirans. Ceteris [h] odor et ipsis [6] nardum imitans. Est et per se [i] Indica herba,[7] quæ cypira [8] vo-

—18 'Ita cod. Reg. 2. et Editio princeps.' *Brotier.* Ita quoque edd. vett. et Gronov. *die omni* codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *omni die* cod. Dalec.—19 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *etiam fieri* Gronov. et vulgg.

CAP. LXX. 1 Diosc. *cacumine caulis min.*—2 *Armenio* Vet. Dalec.—3 *Thracio* Gronov.—4 Cod. Dalec. *quæ.*—5 *Sed cyperos* Gronov. et al. ante Harduin. qui ex codd. lectionem nostram recepit.—6 Vet. Dalec. *est ipsam.*—7 Diosc.

NOTÆ

[a] *Cyperos juncus*] Hic Græcorum κύπερος et κύπειρος est. Cyperus officinarum, Dodonæi p. 336. Cyperus longus, Gallis *Souchet.* Vidimus in horto Regio. Scribonius Largus Comp. 12. num. 61. 'Cypiri, hoc est, junci radicis,' &c.

[b] *Qualiter diximus*] Sup. cap. 'Quidam etiamnum unum genus faciunt junci trianguli,' &c. Sunt qui quadratum vocent, ut Celsus III. 21. et IV. 20.

[c] *Folia ima*] Ita Diosc. I. 4.

[d] *Radix olivæ*] Diosc. loc. cit.

[e] *Theræo*] Vide Notas et Emend. num. 13.

[f] *Quod et confundit*] Vocum affinitas, inquit, cyperi et cypiri, multos induxit in errorem.

[g] *Sed cypiros*] Gladiolus, ξίφιον.

[h] *Ceteris*] Cypero nimirum Græco, seu κυπέρῳ, vel κυπείρῳ, et radici quam κυπερίδα vocant. Hic enim cyperus est, quo propter vicinitatem odoris adulterari nardum admonuit, XII. 27.

[i] *Est et per se*] Diosc. I. 4. 'Ιστορεῖται δὲ καὶ ἕτερον εἶδος κυπείρου ἐν 'Ινδίᾳ γεννώμενον, προσεοικὸς γιγγιβέρει· ὃ διαμασσηθὲν, κροκῶδες, καὶ πικρὸν εὑρίσκεται, καταχρισθὲν παραχρῆμα ψιλοῖ τὰς τρίχας, *depilat illico.* Hæc porro *cypira* in Reg. Colb. Chiffl. et Thuan. scribitur, tum hoc loco, tum in Indice: non, ut hactenus editi, *cyperis,* quod cyperi radicis nomen est.

catur, zingiberis effigie: commanducata croci vim reddit. Cypero [9] vis [j] in medicina psilothri. Illinitur [10] pterygiis, ulceribusque genitalium, et quæ in humore [k] sunt omnibus, sicut oris ulceribus. Radix [l] adversus serpentium ictus, et scorpionum, præsenti [11] remedio est. Vulvas [m] aperit pota. Largiori tanta vis, ut expellat eas. Urinam ciet, et calculos,[n] ob id utilissima hydropicis.[o] Illinitur [p] et ulceribus, quæ serpunt, sed his præcipue,[12] quæ in stomacho sunt, ex vino vel aceto illita.

LXXI. Junci radix [q] in tribus heminis aquæ decocta ad tertias, tussi medetur. Semen tostum et in aqua potum, sistit alvum, et fœminarum menses. Capitis dolores [r] facit, qui vocatur [1] holoschœnos: ejus quæ proxima [s] sunt radicis, commanducantur adversus araneorum morsus. Invenio etiamnum unum junci genus, quod euripicen [2] [t] vocant. Hujus semine somnum allici, sed modum servandum, ne sopor fiat.

LXXII. Ob id et odorati junci medicinæ dicentur, quo-

radix.—8 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *cyperis* Gronov. et vulgg.—9 *Cypero* deest in cod. Dalec. pro quo *Cyperipi* legitur in ed. Dalec.—10 *Cyperus illinitur* Vet. Dalec. Mox, cod. Dalec. *in tumore, &c. Sic et oris.*—11 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *ictus, scorpionum præsertim* Gronov. et vulgg.—12 Cod. Dalec. *præcipua.*

CAP. LXXI. 1 Ita codd. Harduini, et edd. antiq. item Harduin. 1. 2. 3. recentt. et Diosc. *capitisque dolores facit. At qui vocatur* Gronov. et al. vett.—2 *Æthiopicum* margo edd. Dalec. et Gronov. e Diosc.

NOTÆ

[j] *Cypero vis*] Hanc Indicæ cyperidi Dioscorides vim ascribit, ut proxime vidimus: nec tamen cypero idcirco abjudicat.

[k] *Et quæ in humore*] Sic infra cap. 76. Ulcera vocat, quæ in humidis sunt.

[l] *Radix*] Diosc. I. 4.

[m] *Vulvas*] Vide Notas et Emend. num. 14.

[n] *Urinam ciet, et calculos*] Diosc. loc. cit. et Galenus de Fac. Simp. Med. lib. VII. pag. 198.

[o] *Hydropicis*] Diosc. loc. cit. et Celsus III. 21.

[p] *Illinitur*] Diosc. loc. cit.

[q] *Junci radix*] Diosc. IV. 52.

[r] *Capitis dolores*] Diosc. loco proxime cit.

[s] *Ejus quæ proxima*] Folia nimirum radici vicina. Dioscor. IV. 52. Τὰ δὲ πρὸς τὴν ῥίζαν ἁπαλὰ φύλλα καταπλαττόμενα, φαλαγγιοδήκτοις ἁρμόζει.

[t] *Quod euripicen*] Diosc. loc. cit. totidem verbis: Ἡ δὲ εὐριπικὴ σχοῖνος ὑπνωτικὸν ἔχει τὸν καρπόν· φυλάττεσθαι δὲ δεῖ αὐτοῦ ἐν ταῖς πόσεσι τὸ πλῆθος· καροῖ γὰρ λίαν.

niam et in Syria Cœle (ut suo loco retulimus)[a] nascitur. Laudatissimus[b] ex Nabatæa, cognomine teuchites, proximus Babylonius, pessimus[1] ex Africa, ac sine odore. Est autem rotundus,[c] vinosæ[2] mordacitatis[d] ad linguam. Sincerus[e] in confricando odorem rosæ emittit, rubentibus fragmentis.[3] Discutit[f] inflationes, ob id stomacho utilis, bilemque et sanguinem rejicientibus. Singultus sedat, ructus movet, urinam[g] ciet, vesicæ medetur. Ad muliebres[h] usus decoquitur. Opisthotonicis cum resina arida imponitur excalfactoria.[4] [i]

LXXIII. Rosa[j] astringit,[1] refrigerat. Usus ejus dividitur in folia, et flores, et capita. Foliorum partes quæ candidæ, ungues[k] vocantur: in flore aliud est semen, aliud capillus:[l] in capite, aliud cortex, aliud calyx.[2] Folium

Cap. LXXII. 1 Margo edd. Dalec. et Gronov. *proximus Arabicus, quem alii Babylonium cognominant, alii Teuchitin, pessimus,* e Diosc.—2 Rond. e Diosc. *igneæ.*—3 Margo edd. Dalec. et Gronov. *purpurescens, fragilis,* e Diosc.—4 Ita Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *imponitur. Excalfactoria et rosa. Uteros astringit* Gronov. et vulgg. Vid. ad cap. seq. n. 1.

Cap. LXXIII. 1 'Ita cod. Reg. 2.' *Brotier.* *Et rosa astringit* Harduin. 1. 2. 3. et recentt. Vide ad cap. præced. n. 4. *Ut rosa, &c.* Chiffl.—2 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. ex codd. *refrigeratos, ut aiunt. Dividitur in folia, et flores, et capita. In flore partes candidæ ungues vocantur. Aliud est, &c.* alii ap.

NOTÆ

[a] *Ut suo loco retulimus*] Lib. XII. cap. 48.

[b] *Laudatissimus*] Ita fere Diosc. I. 16. sed τευχῖτιν is Babylonium, non Nabatænm, vocat. Τευχίτης porro cognominari videtur, quod e Syria affereba..r vasis: τεῦχος, ἀγγεῖον est.

[c] *Est autem rotundus*] Talis a Celso inter aromata censetur, III. 21. 'Junci rotundi semen,' inquit, 'σχοῖνον hoc Græci vocant,' &c.

[d] *Mordacitatis*] Qui linguam multo cum fervore mordeat: Δάκνουσα τὴν γλῶσσαν μετὰ πολλῆς πυρώσεως. Diosc. loc. cit.

[e] *Sincerus*] Totidem verbis Diosc. loc. cit.

[f] *Discutit*] Diosc. loc. cit. Δύναμιν δὲ ἔχει πνευμάτων διαλυτικὴν, κ. τ. λ.

[g] *Urinam*] Diosc. loc. cit.

[h] *Ad muliebres*] Ad vulvæ inflammationes insessione prodesse scribit Diosc. loc. cit.

[i] *Excalfactoria*] Cui resinæ vis est excalfactoria. Vide Notas et Emend. num. 15.

[j] *Rosa*] Diosc. I. 130. Peracta jam hortorum ac florum ratione, herbarumque sponte nascentium explanata natura, nunc ad horum omnium vires medicas enarrandas transilit. Et rosa, primum, inquit, astringit, refrigerat, ut juncus, qui idcirco bilem et sanguinem rejicientibus utilis.

[k] *Ungues*] Et Diosc. loc. cit. ὄνυχας appellat, ὅπερ ἐστὶ τὸ λευκὸν τὸ ἐν τῷ φύλλῳ.

[l] *Aliud capillus*] Capillum vocat lu-

siccatur, aut tribus modis exprimitur. Per se, cum ungues non detrahuntur: ibi enim humoris plurimum. Aut cum, detractis unguibus, reliqua pars aut oleo aut vino maceratur in Sole vasis vitreis. Quidam et salem admiscent, et anchusam nonnulli, aut aspalathum, aut juncum odoratum: quia talis maxime prodest vulvæ ac dysentericis. Exprimuntur eadem [m] folia detractis unguibus, trita per linteum spissum in æreum vas, lenique igni succus coquitur, donec fiat crassitudo mellis. Ad hoc eligi oportet odoratissima quæque folia.

(XIX.) Vinum quomodo fieret e rosa, diximus [n] inter genera vini. Usus succi [o] ad aures, oris ulcera, gingivas, tonsillas, gargarizatus, stomachum, vulvas, sedis vitia, capitis dolores. In febre per se, vel cum aceto ad somnos, nauseas. Folia uruntur [p] in calliblepharum.[3] Et siccis femina [q] asperguntur. Epiphoras quoque arida leniunt. Flos somnum facit. Inhibet fluxiones mulierum, maxime albas, in posca potus: et sanguinis exscreationes. Stomachi quoque dolores, quantum [4] in vini cyathis tribus. Semen his optimum crocinum, nec anniculo vetustius, et in umbra siccatur.[5] Nigrum inutile. Dentium dolori illinitur. Urinam ciet. Stomacho imponitur. Item igni

Dalec. *refrigerat. Usus e. d. in f. et flores. Capita foliorum partesque candidæ, u. vocantur. In f. a. e. semen, a. capillus in capite, aliud calix* Gronov. et vulgg.—
—3 Vet. Dalec. *calliblephara.* Margo edd. Dalec. et Gronov. *calliblepharum. sicca unguentis asperguntur,* e Diosc.—4 Chiffl. *tantum;* Vet. Dalec. *potus.*—

NOTÆ

teos, qui intra florem stant, apices. Corticem, id quod semen complectitur, ut dictum est cap. 10. Calycem denique, id quod luteos apices, et folia floris continet, remanetque foliis decussis.

[m] *Exprimuntur eadem*] Diosc. loc. cit.

[n] *Vinum . . . diximus*] Lib. XIV. cap. 19.

[o] *Usus succi*] Hæc omnia Diosc. I. 130. de liquore expresso ex aridis rosis in vino decoctis.

[p] *Folia uruntur*] Diosc. Καίεται δὲ καὶ εἰς τὰ καλλιβλέφαρα. Καλλιβλέφαρον medicamentum est quo fucantur ornanturque palpebræ.

[q] *Et siccis femina*] Femorum intertrigines. Diosc. Ξηρὰ δὲ λεῖα παρὰ μηροῖς προσπάσσεται. Ubi Marcellus interpres, παρατρίμμασι μηρῶν. Dalecampius Plinium immerito reprehendit, quod μηροῖς pro μόροις legerit.

sacro non veteri. Naribus subductum caput purgat. Capita pota[r] ventrem et sanguinem sistunt. Ungues rosæ epiphoris salubres.[6] Ulcera enim oculorum rosa sordescunt, præterquam initiis epiphoræ, ita ut arida cum pane imponatur. Folia quidem vitiis stomachi,[s] rosionibus et vitiis ventris, et intestinorum, et præcordiis[t] utilissima, vel illita. Cibo quoque lapathi modo condiuntur. Cavendus[u] in his situs celeriter insidens. Et aridis et expressis[7] aliquis usus. Diapasmata[v] inde fiunt ad sudores[w] coërcendos, ita ut a balineis inarescant corpori, dein frigida abluantur. Sylvestris[x] pilulæ cum adipe ursino alopecias mirifice emendant.[8]

LXXIV. Lilii radices multis modis florem suum nobilitavere,[1] contra serpentium[a] ictus ex vino potæ, et contra fungorum venena. Propter clavos pedum in vino decoquuntur, triduoque non solvuntur. Cum adipe aut oleo decoctæ, pilos quoque adustis reddunt. E mulso potæ inutilem sanguinem cum alvo trahunt. Lienique, et ruptis, vulsis[b] prosunt, et mensibus fœminarum.[2] In vino

5 Vet. Dalec. et Chiffl. *siccatum.*—6 Gronov. *salubres sunt.*—7 Cod. Dalec. *insidens et ariditas. At expressis;* Chiffl. *insidens. Et a. aut expressis.*—8 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *Silvestris cum adipe ursino a. m. emendat* Gronov. et vulgg. *Silvestris pilulæ cum ad. urs. alopecias emendant* codd. Dalec. et Chiffl.

CAP. LXXIV. 1 Chiffl. *nobilitant.*—2 Cod. Dalec. *lienique ruptis, et vulsis*

NOTÆ

[r] *Capita pota*] Diosc. loc. cit. Αἱ κεφαλαὶ δὲ ποθεῖσαι, κοιλίαν ῥέουσαν, καὶ αἵματος ἀναγωγὴν ἐπέχουσιν.

[s] *Vitiis stomachi*] Celsus IV. 5. 'Ubi stomachus exæstuat, aceto cum rosa extrinsecus subinde fovendus est,' &c.

[t] *Et præcordiis*] Inflammatis: Ἐπιπλασσόμενα φύλλα ποιεῖ πρὸς ὑποχονδρίων φλεγμονάς. Diosc. loc. cit.

[u] *Cavendus*] Idcirco, dum siccantur, assidue versanda, ne situm contrahant, aut a vermiculis erodantur.

[v] *Diapasmata*] Hæc totidem verbis Diosc. I. 131.

[w] *Ad sudores*] Ad sudorum graveolentiam, πρὸς τὴν τῶν ἱδρώτων δυσωδίαν.

[x] *Sylvestris*] Rosæ sylvestris.

[a] *Lilii . . . contra serpentium*] Apuleius cap. 107. tit. 1. 'Ad morsum serpentis:' 'Herbæ lilii bulbum conterito, et expressos succos potui dato: ipsum etiam bulbum tritum morsui apponas.'

[b] *Vulsis*] Convulsis, de quibus XX. 18.

vero decoctæ, impositæque cum melle nervis præcisis[c] medentur. Lichenas,[3] [d] et lepras, et furfures in facie emendant. Erugant[e] corpora. Folia in aceto cocta,[f] vulneribus imponuntur: epiphoris testium,[g] melius cum hyoscyamo[4] et farina tritici. Semen illinitur[h] igni sacro: flos et folia ulcerum vetustati. Succus qui flore expressus est, ab aliis mel vocatur, ab aliis syrium,[5] [i] ad emolliendas[6] [j] vulvas, sudoresque faciendos, et suppurationes concoquendas.[7]

LXXV. Narcissi duo genera in usu[1] medici recipiunt. Unum purpureo[k] flore, et alterum herbaceum.[2] [l] Hunc stomacho[3] inutilem, et ideo vomitorium,[m] alvosque solventem, nervis inimicum, caput gravantem, et a narce[n] narcissum dictum, non a fabuloso puero.[o] Utriusque radix mul-

prosunt, et menstruis fœminarum.—3 *Contra lichenas* Chiffl.—4 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *si testium melius cum hyoscyamo* Chiffl. *epiphoris testium in melle hyoscyamo* Gronov. et vulgg.—5 Dalec. *seireum.*—6 Ita Chiffl. et al. cum edd. Gronov. Harduin. et recentt. *ad emoliendas* Elz. et al. quædam vett.—7 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *coquendas* Gronov. et vulgg.

CAP. LXXV. 1 Vet. Dalec. et Chiffl. *usum.*—2 Vet. Dalec. *herbaceo;* et sic Diosc. *helvaceo* Salmas.—3 *Utrumque stomacho* margo edd. Dalec. et Gronov.

NOTÆ

[c] *In vino . . . nervis præcisis*] Diosc. III. 116. et Galenus de Fac. Simp. Med. lib. VII. pag. 197.

[d] *Lichenas*] Diosc. loc. cit.

[e] *Erugant*] Erugari faciem trita radice, prodidit etiam Diosc. loc. cit.

[f] *Folia in aceto cocta*] Condita maluit dicere Diosc. loc. cit. *ταριχευθέντα ἐν ὄξει*. In vino vetere oleoque decoctis sanari ambusta Celsus prodidit v. 27. sub finem.

[g] *Epiphoris testium*] Hoc est, inflammationibus. Diosc. loc. cit. *Σὺν ὄξει δὲ λεία (ῥίζα) ἢ σὺν ὑοσκυάμου φύλλοις, καὶ ἀλεύρῳ πυρίνῳ, ὄρχεων φλεγμονὰς παραιτεῖται.*

[h] *Semen illinitur*] Diosc. loc. cit. *Ἐρυσιπελάτων δὲ κατάπλασμα, κ. τ. λ.*

[i] *Ab aliis syrium*] Ita etiam Mss. Dalecampio legi *siræum* placuit, hoc est, sapam, ut diximus XIV. 11.

[j] *Ad emolliendas*] Hanc vim assignat unguento lirino Diosc. loc. cit.

[k] *Unum purpureo*] Primum est narcissi genus, quod et purpureum lilium vocat, cap. 12.

[l] *Herbaceum*] Tertium narcissi genus, de quo cap. 12. cui calyx herbaceus. Πρασίζειν ait Diosc. IV. 161. porrum referre. Abeant cum suo *helvaceo* colore, quibus est omnia corrumpendi verius quam corrigendi prurigo.

[m] *Et ideo vomitorium*] Q. Serenus cap. 20. pag. 137. 'Ad vomitum radix narcissi pota movebit.' Sic etiam Apuleius bulbum vomitorium vocat, c. 55. Dioscoridem adde, IV. 161.

[n] *Et a narce*] Ἀπὸ τῆς νάρκης, *a torpore*. Eandem appellationis rationem afferunt Plutarchus, et Clemens Alex. apud Vossium, in Etymol.

[o] *Non a fabuloso puero*] Narcisso adolescente, a quo flori nomen indi-

sei saporis est. Ambustis[p] prodest cum exiguo melle. Sic et vulneribus,[q] et luxatis. Panis vero[r] cum melle et avenæ[4] farina. Sic et infixa[s] corpori extrahit. In polenta[t] tritus[5] oleoque, contusis medetur, et lapide percussis. Purgat[u] vulnera permixtus farinæ. Nigras vitiligines[v] emaculat. Ex hoc flore[w] fit narcissinum oleum[6] ad emolliendas duritias, calfacienda quæ alserint. Auribus utilissimum: sed et capitis dolores facit.

LXXVI. Violæ sylvestres, et sativæ.[1] Purpureæ[a] refrigerant. Contra inflammationes[b] illinuntur stomacho ardenti. Imponuntur et capiti in fronte. Oculorum[c] priva-

e Diosc.—4 'Vet. *ærinea*, lolii scilicet.' *Dalec.*—5 Dalec. *trita.*—6 Margo edd. Dalec. et Gronov. *unguentum*, e Diosc. Mox, Vet. Dalec. *et calf. quæ alserint*, *auribus utilissimum*; Gronov. et al. ante Harduin. *auribus est utilissimus: sed capitis.*

CAP. LXXVI. 1 Ita Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *Violæ syl-*

NOTÆ

tum fabulantur. Vide Ovid. Met. XVI. et auctorem Geopon. XI. 25. aliosque.

p *Ambustis*] Diosc. IV. 161.

q *Sic et vuln.*] Diosc. loc. cit. præcisos nervos glutinari radice imposita: luxatis malleolis, diuturnisque articulorum doloribus tritam ex melle et illitam prodesse narrat. Cum oleo et farina ad vulnera Apuleius jubet adhiberi, c. 55. tit. 1.

r *Panis vero*] Hoc est, tumoribus abscessibusque ægre maturescentibus. Pro avenæ farina ervinam admiscet Dioscorides IV. 161. Σὺν ὀρόβῳ δὲ καὶ μέλιτι . . . τὰ δύσπεπτα τῶν ἀποστημάτων ῥήσσει.

s *Sic et infixa*] Diosc. loc. cit. cum ærinea, loliaceave farina imposita, σὺν αἰρίνῳ ἀλεύρῳ καὶ μέλιτι ἐπιπλασσομένη.

t *In polenta*] Diosc. loc. cit.

u *Purgat*] Diosc. loc. cit.

v *Nigras vitiligines*] Diosc. ἀλφόν, Vitiligo, cutis vitium est, ex malo corporis habitu. Hujus duo sunt genera, quæ diversi humores faciunt: nam ex pituitoso humore fit candida: ex atra bile, nigra. Galenus tom. II. in Medico c. 18. p. 393. ἀλφοὺς λευκοὺς, et ἀλφοὺς μέλανας vocat. Sic etiam κατὰ τόπους, I. 3. p. 342. Cum vitiligo profundius agit, tum eam λεύκην vocat: ἄλφος summam tantum corporis cutem immutat. Vide Pollucem IV. 25. p. 120. et Celsum lib. V. cap. ult. cui titulus, 'De vitiliginis speciebus, id est, de Alpho et Mela, et Leuce, et earum curatione.'

w *Ex hoc flore*] Sic Diosc. I. 63. ἔλαιον ναρκίσσινον, cujus concinnandi modum edocet: dotes ad eadem vulvæ auriumque vitia commendat: sed cavendum capiti monet: Ποιεῖ δὲ πρὸς τὰ ἐν ὑστέρᾳ, μαλάσσον τὰς περὶ αὐτὴν σκληρίας, καὶ ὤτων μύσεις· ἔστι δὲ κεφαλαλγές.

a *Purpureæ*] Sic Diosc. IV. 122.

b *Contra inflam.*] Diosc. loc. cit. et Galenus de Fac. Simp. Med. lib. VI. p. 179.

c *Oculorum*] Diosc. pariter, IV. 122.

tim epiphoris, et sede procidente,[2] vulvave: et contra suppurationes. Crapulam,[d] et gravedines capitis[e] impositis coronis olfactuque[3] discutiunt. Anginas ex aqua potæ. Id quod purpureum[f] ex iis, comitialibus medetur, maxime pueris, in aqua potum. Semen violæ scorpionibus adversatur. Contra flos albæ suppurata aperit: ipsa[4] discutit. Et alba autem[g] et lutea extenuant[5] menstrua, urinam cient. Minor vis est recentibus: ideoque aridis[6] [h] post annum utendum. Lutea dimidio cyatho in aquæ tribus,[7] menses trahit. Radices ejus[i] cum aceto illitæ sedant lienem: item podagram:[j] oculorum autem inflammationes cum myrrha et croco. Folia cum melle[k] purgant

vestres sunt, et sativæ Gronov. et vulgg.—2 Cod. Dalec. *et sede procedente;* Vet. Dalec. *et sedi procidenti.*—3 Ita eodd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *olfactuve* Gronov. et vulgg.—4 Vet. Dalec. *ipsaque.* —5 Margo edd. Dalec. et Gronov. *expellunt*, e Diosc.—6 Cod. Dalec. *attritis.*

NOTÆ

Καὶ ὀφθαλμῶν φλεγμοναῖς, καὶ ταῖς τῆς ἕδρας προπτώσεσι.

[d] *Crapulam*] Plutarchus in Sympos. III. 1. p. 647. *Αἱ τῶν ἀνθῶν ἀποῤῥοιαι πρὸς τοῦτο θαυμασίως βοηθοῦσι, καὶ ἀποτειχίζουσι τῆς κεφαλῆς ἀπὸ μέθης ὡς ἀκρόπολιν, τῶν μὲν θερμῶν μαλακῶς ἀναχαλώντων τοὺς πόρους καὶ ἀναπνοὴν τῷ οἴνῳ διδόντων· ὅσα δὲ ἡσυχῆ ψυχρὰ τῷ μετρίως ἐπιψαύειν ἀνακρουομένων τὰς ἀναθυμιάσεις, ὥσπερ ὁ τῶν ἴων καὶ ῥόδων στέφανος· στύφει γὰρ ἀμφότερα, καὶ στέλλει τῇ ὀσμῇ τὰς καρηβαρίας. Florum halitus mire huic malo medentur, caputque veluti arcem muniunt contra ebrietatem: nam et calidi flores molliter aperiendo meatus faciunt ut perspirare vinum possit: et quæ sunt modice frigida moderato contactu vapores cohibent, ut violacea et rosacea corona: utrumque enim horum astringit, reprimitque odore suo ea quibus corpus gravatur.* Schola Salernitana de viola: 'Crapula discutitur, capitis dolor, atque gravedo.'

[e] *Gravedines capitis*] Τῆς κεφαλῆς βαρύτητα intelligit. Gravatum caput dixit Colum. VI. 9. de febre boum. *Pesanteur de tête.*

[f] *Id quod purpureum*] Diosc. loc. cit. Φασὶ δὲ τὸ πορφυρίζον τοῦ ἄνθους, κ. τ. λ. Schola Salernitana: 'Purpuream violam dicunt curare caducos.'

[g] *Alba autem*] Diosc. III. 138. et Galenus de Fac. Simp. Med. lib. VII. p. 202.

[h] *Ideoque aridis*] Diosc. et Galenus, loc. cit. Sic etiam Mss. Reg. Colb. &c. non *attritis*.

[i] *Radices ejus*] Diosc. loc. cit. Marcellus Empir. cap. 23. pag. 166. 'Sedant lienis dolorem radices violæ luteæ, si ex aceto spleni vice emplastri apponantur.' Plinius Valer. II. 18. 'Radices violæ lotæ, (lege *luteæ*) ex aceto illinuntur.'

[j] *Item podagram*] Diosc. loc. cit.

[k] *Folia cum melle*] Folia quibus flos constat, intellige, non quæ ambiunt.

capitis ulcera:[8] cum cerato[l] rimas sedis, et quæ in humidis sunt. Ex aceto vero collectiones sanant.

LXXVII. Bacchar in medicinæ usu aliqui ex nostris perpressam vocant.[1] [m] Auxiliatur[n] contra serpentes, capitis dolores fervoresque: item epiphoras. Imponitur mammis tumentibus a partu, et ægilopis[2] incipientibus, et ignibus sacris. Odor somnum gignit. Radicem decoctam bibere spasticis, eversis,[o] convulsis, suspiriosis, salutare est. In tussi vetere radices[p] ejus tres quatuorve decoquuntur ad tertias partes. Hæc[3] potio mulieres ex abortu purgat. Laterum punctiones[4] tollit, et vesicæ calculos. Tunditur et in diapasmata.[5] [q] Vestibus odoris gratia inseritur. Combretum, quod simile ei diximus,[r] tritum cum axungia, vulnera mire sanat.

LXXVIII. Asarum jocinerum vitiis salutare esse traditur, uncia sumtum[1] in hemina mulsi mixti. Alvum purgat[s]

—7 Cod. Dalec. *aqua trita.*—8 Margo edd. Dalec. et Gronov. *sanant oris hulcera*, e Diosc. *hulcera, et quæ in humidis sunt: cum cerato rimas sedis ex aceto, &c.* ibid.

CAP. LXXVII. 1 Ita codd. Harduini, Laet, et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Bacchar ... perpensam vocant* Gronov. et vulgg. *Baccharis, &c.* margo edd. Dalec. et Gronov. e Diosc. *Bacchar et in medicinæ usu est. Aliqui ex nostris, &c.* ibid.—2 'Sic libri scripti et editi. Mallem tamen *ægilopiis*, ut passim alibi Plinius.' *Brotier.* *ægilopis incipientibusque ignibus* Vet. Dalec.—3 *Item si vetere vino radices ejus tres quat. decoquantur ad ter. partes, hæc* cod. Dalec. *rami* pro *radices* Chiffl. *decoquuntur a partu* Vet. Dalec.—4 Cod. Dalec. *compunctiones.*—5 Ita codd. Harduini et Vet. Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Tunditur cum diapasmate* cod. Dalec. *Conditur cum diapasmate* Gronov. et vulgg. *Tunditur utiliter ad diapasmata* Salmas. e vestigiis vet. lect.

NOTÆ

Sic et oris ulcera his sanari auctor est Diosc. loc. cit.

[l] *Cum cerato*] Diosc. loc. cit. Ἀναληφθέντα δὲ κηρωτῇ, ῥαγάδας τὰς ἐν δακτύλῳ θεραπεύει. Ceratum, sive cerotum, κηρωτὸν, medicamentum est cera temperatum. *Du Cerat.*

[m] *Perpressam vocant*] Vide Notas et Emend. num. 16.

[n] *Auxiliatur*] Vires plane easdem bacchari Dioscorides attribuit III. 51. et Cratevas item, cujus fragmentum recitat Anguillara par. II. p. 26.

[o] *Eversis*] Ex alto præcipitatis, πτώμασι, Diosc. loc. cit.

[p] *In tussi vetere radices*] Ita Reg. 1. Colb. 2. et 3. ipseque Diosc. loc. cit. At Reg. 2. Th. et Chiffl. *rami*, non *radices*, legunt.

[q] *Tunditur et in diap.*] Diosc. loc. cit. Καὶ εἰς διαπάσματα χρησιμεύει, ἱκανὴν ἔχουσα τὴν εὐωδίαν.

[r] *Combretum, quod ... diximus*] Cap. 16.

[s] *Alvum purgat*] Diosc. I. 9. ait radices bibitas drachmis sex ex aqua

hellebori modo. Hydropicis[t] prodest, et præcordiis, vulvisque, ac morbo regio. In mustum si addatur, facit vinum urinis ciendis. Effoditur cum folia emittit.[2] Siccatur in umbra. Situm celerrime sentit.

LXXIX. (XX.) Et quoniam quidam, ut diximus,[u] nardum rusticum nominavere radicem baccharis, contexemus et Gallici nardi remedia in hunc locum dilata in peregrinis[1] arboribus.[v] Ergo adversus[w] serpentes duabus drachmis in vino succurrit. Inflammationibus coli,[2] vel ex aqua, vel ex vino. Item jocineris,[x] et renum: suffusisque felle.[y] Et hydropicis per se, vel cum absinthio. Sistit[3] purgationum mulierum impetus.

LXXX. Ejus vero quod phu[a] eodem loco appellavimus, radix datur potui trita, vel decocta ad strangulatus,[1] vel pectoris dolores, vel laterum.[b] Menses quoque[c] ciet. Bibitur cum vino.

LXXXI. Crocum melle non solvitur, nulloque dulci: facillime autem vino, aut aqua. Utilissimum in medicina. Asservatur cornea[d] pyxide. Discutit[e] inflammationes omnes quidem, sed oculorum[f] maxime ex ovo[1] illitum.

Cap. LXXVIII. 1 Chiffl. *sumpta.*—2 Cod. Dalec. *mittit.*

Cap. LXXIX. 1 Cod. Dalec. *dilata cum disputaremus de peregrinis.*—2 *Inflationibus coli* Chiffl.—3 Cod. Dalec. *felle et hydropicis. Per se, vel cum absinthio sistit.* Mox, *purgationum muliebrium* Vet. Dalec. et Chiffl.

Cap. LXXX. 1 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *strangulationes* Gronov. et vulgg.

Cap. LXXXI. 1 Margo edd. Dalec. et Gronov. *cum humano lacte*, e Diosc.

NOTÆ

mulsa, hellebori modo purgare.

[t] *Hydropicis*] Diosc. loc. cit.

[u] *Ut diximus*] Cap. 16.

[v] *In peregrinis arboribus*] Lib. XII. c. 26.

[w] *Ergo adversus*] Totidem verbis Diosc. I. 7.

[x] *Item jocineris*] Subintellige ex antecedente sententia, *inflammationibus.* Diosc. loc. cit. Ὠφελεῖ δὲ καὶ τὰς περὶ τὸ ἧπαρ φλεγμονὰς, καὶ ἰκτερικοὺς, καὶ πνευματώσεις στομάχου, μετ' ἀφεψήματος ἀψινθίου πινομένη.

[y] *Suffusisque felle*] Ictericis.

[a] *Ejus vero quod phu*] Lib. XII. 26. Nardum Creticam sic veteres appellaverunt.

[b] *Vel laterum*] Diosc. I. 10. πρὸς πλευρᾶς πόνον.

[c] *Menses quoque*] Diosc. loc. cit.

[d] *Asservatur cornea*] Nostri plumbea magis utuntur.

[e] *Discutit*] Mitigat erysipelata, inquit Diosc. I. 25. quæ sunt cum in-

Vulvarum quoque strangulatus, stomachi exulcerationes, pectoris, et renum, jocinerum, pulmonum, vesicarumque, peculiariter inflammationi earum vehementer utile. Item tussi et pleuriticis. Tollit et pruritus. Urinas ciet.[2] [g] Qui crocum [h] prius biberint, crapulam non sentient, ebrietati resistent.[3] Coronæ quoque ex eo mulcent ebrietatem. Somnum facit.[i] Caput leniter movet. Venerem stimulat. Flos ejus igni sacro illinitur cum creta Cimolia. Ipsum plurimis medicaminibus miscetur.

LXXXII. Collyrio uni [j] etiam nomen dedit. Fæx quoque expressi [1] [k] unguento crocino, quod crocomagma [l] ap-

ex ovo. In vulvarum, &c. Chiffl.—2 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Urinam ciet* Gronov. et al. vett.—3 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *sentiunt, ebrietati eo resistunt* Gronov. et al. vett.

CAP. LXXXII. 1 Ita ex codd. Harduinus et recentt. et sic quoque conj. Salmasius; *dedit, sex quoque expressis* Chiffl. *dedit, ex eo quoque expresso* Gronov. et vulgg. *dedit ex quoque expressi* cod. ap. Laet; *dedit. Est quoque vis*

NOTÆ

flammatione conjuncta: aurium quoque inflammationibus prodest.

[f] *Sed oculorum*] Diosc. I. 25. 'Ρεῦμά τε ὀφθαλμῶν ἐπιχριόμενος στέλλει σὺν γάλακτι γυναικείῳ. *Oculorum fluxiones illitus ex lacte muliebri cohibet.*

[g] *Urinas ciet*] Diosc. loc. cit. et Galenus de Fac. Simp. Med. lib. VIII. p. 238.

[h] *Qui crocum*] Plutarch. Sympos. III. 1. pag. 647. Dioscorides loc. cit. bibi idcirco crocum ex passo jubet: 'Ακραίπαλός ἐστι μετὰ γλυκέος πινόμενος.

[i] *Somnum facit*] Celsus III. 18. ubi de phreneticis: 'Omnibus vero sic affectis,' inquit, 'somnus et difficilis, et præcipue necessarius est: sub hoc enim plerique senescunt. Prodest ad id, atque etiam ad mentem ipsam componendam crocinum unguentum cum irino in caput datum.'

[j] *Collyrio uni*] Quod διὰ κρόκου dicitur, descriptum a Celso VI. 6. tit. 'Διὰ κρόκου collyrium:' 'Proprie etiam ad caligationem oculorum quæ ex lippitudine oritur, componitur quod διὰ κρόκου vocant. Habet piperis P. X. I. Croci Cilicis, papaveris lacrymæ, cerussæ, singulorum P. X. III. psorici, gummi, singulorum P. X. IIII.' hoc est, pondo denarium quaternum. In collyriis oculorum plurimis admiscetur a Marcello Empirico cap. 8.

[k] *Fæx quoque expressi*] Ita Mss. tum nostri, tum Pintiani: non, ut editi, *ex eo quoque expresso.*

[l] *Crocomagma*] Diosc. I. 26. Τὸ δὲ κροκόμαγμα γίνεται ἐκ τοῦ κροκίνου μύρου, τῶν ἀρωμάτων ἐκπιεσθέντων καὶ ἀναπλασθέντων. *Crocomagma fit ex unguento crocino, expressis aromatis, et in pastillos digestis.* Crocomagma igitur fæx est et recrementum olei unguentive crocini. Celsus V. 18. 'Crocomagma, quod quasi recrementum ejus est.'

pellant, habet suas [m] utilitates contra suffusiones oculorum, urinas.[n] Magis excalfacit,[2] [o] quam crocum ipsum. Optimum, quod [p] gustatu [3] salivam dentesque inficit.

LXXXIII. Iris rufa melior quam candida. Infantibus eam circumligari salutare est, dentientibus [1] præcipue, et tussientibus, tinearumve [2] vitio [a] laborantibus instillari. Ceteri effectus ejus non multum a melle differunt. Ulcera purgat capitis, præcipue suppurationes [3] veteres. Alvum solvit duabus drachmis cum melle. Tussim, tormina,[b] inflationes, pota: lienes [c] ex aceto. Contra serpentium et araneorum morsus, ex posca valet. Contra scorpiones, duarum drachmarum pondere in pane vel aqua sumitur. Contra canum morsus, ex oleo imponitur: et contra perfrictiones. Sic et nervorum doloribus. Lumbis vero [d] et coxendicibus cum resina illinitur. Vis ei concalfactoria.[4] [e] Naribus subducta, sternutamenta [5] movet, caputque purgat. Dolori capitis [f] cum cotoneis malis aut strutheis illinitur. Crapulas quoque et orthopnœas discutit. Vomitiones ciet, duobus obolis sumta. Ossa fracta [g] extrahit, imposita cum melle. Ad paronychias

expressi unguenti crocini quod cod. Dalec. *fit expresso* Vet.—2 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *urinas magis ciet* Vet. Dalec. *urinas magis excalfacit* Gronov. et vulgg.—3 Ita codd. Harduini et Chiffl. *gustatum* Gronov. et vulgg. Mox, pro *salivam*, margo edd. Dalec. et Gronov. *linguam*, e Diosc.

CAP. LXXXIII. 1 Chiffl. *dentibus*.—2 Dalec. *teniarum*.—3 Vet. Dalec. *et suppurationes*.—4 Cod. Dalec. *calfactoria*.—5 Ita Gronov. et edd. vett. *ster-*

NOTÆ

[m] *Habet suas*] Diosc. loc. cit. *Δύναμιν δὲ ἔχει σμηκτικὴν τῶν ἐπισκοτούντων ταῖς κόραις. Vim habet ea detergendi, quæ pupillis oculorum caliginem offundunt.*

[n] *Urinas*] Subintellige, habet utilitates et contra urinas, quas admodum ciet: *δύναμιν ἔχει οὐρητικὴν*, inquit Diosc. loc. cit.

[o] *Magis excalfacit*] Et vim ei *θερμαντικὴν* Diosc. assignat loc. cit.

[p] *Optimum, quod*] Diosc. loc. cit.

[a] *Tinearumve vitio*] Hoc est, vermium, seu lumbricorum.

[b] *Tussim, tormina*] Diosc. I. 1. *πρὸς βῆχας, καὶ στρόφους.*

[c] *Lienes*] Diosc. loc. cit. *Μετ' ὄξους δὲ πινόμεναι, θηριοδήκτοις ἀρήγουσι, καὶ σπληνικοῖς.*

[d] *Lumbis vero*] Diosc. loc. cit.

[e] *Vis ei concalfactoria*] *Δύναμιν ἔχει θερμαντικὴν*, Diosc. loc. cit.

[f] *Dolori capitis*] Ex aceto ad id et rosaceo applicari Dioscorides præcipit, *σὺν ὄξει καὶ ῥοδίνῳ.*

[g] *Ossa fracta*] Diosc. loc. cit.

farina ejus utuntur: cum vino,[6] ad clavos, vel verrucas, triduoque non solvitur. Halitus oris commanducata abolet, alarumque vitia. Succo duritias omnes emollit. Somnum[h] conciliat, sed genituram consumit.[i] Sedis rimas, et condylomata,[j] omniaque in corpore excrescentia sanat. Sunt qui sylvestrem, xyrin vocent.[k] Strumas hæc,[l] vel panos, vel inguina discutit. Præcipitur, ut sinistra manu ad hos usus[7] eruatur, colligentesque dicant, cujus hominis utique causa eximant. Scelus herbariorum[m] aperietur[8] in hac mentione. Partem[9] ejus servant, et quarundam aliarum herbarum, sicut plantaginis: et si parum mercedis tulisse se arbitrantur, rursusque opus quærunt,[10] partem eam quam servavere, eodem loco infodiunt: credo, ut vitia,[n] quæ sanaverint, faciant rebellare.

numenta Harduin. 1. 2. 3. et recentt.—6 Chiffl. *teruntur in vino.*—7 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *sinistra manu lecta ad hos usus* Gronov. et vulgg. Mox, cod. Dalec. *servetur* pro *eruatur*.—8 Ita codd. Harduini, Dalec. et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *aperitur* Gronov. et vulgg.—9 *Partes* Chiffl.—10 Cod. Dalec. *rursus ut plus opum acquirant.*

NOTÆ

[h] *Somnum*] Diosc. loc. cit.

[i] *Sed genituram consumit*] Consumendoque, ne effluat, facit. Unde Diosc. loc. cit. auxiliari ait iridem potam iis, quibus genitura effluit, τοῖς γόνον προϊεμένοις.

[j] *Et condylomata*] Scribonius Largus Compos. 225. ad condylomata: 'Multis et iris contusa, et ex vino mixta, cocta, et posita velut farina hordeacea profuit.' Κονδύλωμα, excrescentia carnis est circa anum, et tubercula quædam in locis muliebribus sanguinem fundentia: sic dicta a similitudine extremorum in quatuor digitis pugno clauso nodorum.

[k] *Xyrin vocent*] Ξυρὶς est Dioscoridi IV. 22.

[l] *Strumas hæc*] Collectiones omnes, οἰδήματα, ea apposita discuti auctor est Diosc. loc. cit.

[m] *Scelus herbariorum*] Herbarii sunt qui medicas herbas legunt, venduntque. Firmicus VIII. 13. 'Herbarios faciet, qui scilicet herbas solerti arte collectas ad medelam laborantium servent.' Græci ῥιζοτόμους et βοτανολόγους vocant. Alias *herbarius* etiam veneficum sonat. Vide Du-Cangium in Glossario.

[n] *Credo, ut vitia*] Eruentes, inquit, colligentesque eam herbam, si dicant, cujus hominis causa eximant, prodesse ægro tum creduntur: quid igitur existimandum est aliud velle eos, dum infodiunt rursus eodem loco, ubi parum mercedis tulisse se credunt, quam rebellare iterum ac recrudescere eos morbos, quos ante sanaverint? Horum verborum quis esset sensus, aut quo illa pertinerent, negabat Salmasius se percipere, in Præexercit. ad Plinium, pag. 44. Plinius, de batrachio herba, XXV.

Saliuncæ radix in vino decocta sistit vomitiones, corroborat stomachum.

LXXXIV. Polio[1] Musæus[o] et Hesiodus perungi jubent dignationis gloriæque[2] avidos: polium tractari, coli: polium contra[p] serpentes substerni, uri, potari:[q] in vino decoqui recens, vel aridum, illinique. Splenicis[3][r] propinant ex aceto: morbo regio[s] in vino: et hydropicis[t] incipientibus in vino decoctum. Vulneribus[u] quoque sic[4] illinunt. Secundas mulierum, partusque emortuos pellit:[5] item dolores corporis. Vesicas inanit: et epiphoris illinitur. Nec magis alia herba convenit medicamento, quod alexipharmacon[v] vocant. Stomacho tamen[w] inutile esse, caputque eo impleri, et abortum fieri poto, aliqui negant. Ad[6] religionem addunt, ubi inventum sit, protinus adalligandum[7] contra oculorum suffusiones, cavendumque ne terram attingat. Hi et folia ejus thymo similia tradunt, nisi quod molliora sunt, et lanatiore canitie. Cum ruta

CAP. LXXXIV. 1 *Pollio* Chiffl.—2 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *dignationis gratia gloriæque* Gronov. et vulgg. Mox codd. Dalec. et Chiffl. *avidis polium tractari, coli, &c.* codd. Harduini, *avidos: polium tractari, coli:* Gronov. et vulgg. *avidos polium tractare, colere.*—3 'Ita bene cod. Reg. 2. et Editio princeps.' *Brotier.* Reg. Hard. 1. *substernituri, &c.* Harduin. Miller. Bipont. et Franz. *substerni, uri, vel portari. In vino, &c.* Salmas. *substerni, suffiri, potari in vino, decoqui recens vel aridum, illinique, &c.* Gronov. et vulgg. ante Harduin. *substernitur vel portatur. Medici in vino decoquunt . . . illinuntque, vel spleneticis.* Cod. Dalec. *substerni vel potari,* cet. ut in Gronov.—4 Vox *sic* deest in cod. Dalec.—5 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *emortuos expellit* Vet. Dalec. *mortuos pellit* Chiffl. *emortuos repellit* Gronov. et vulgg.—6 *Et* Chiffl.—7 Idem codex *alligandum.*—8 'Ita codd. Regg.' *Bro-*

NOTÆ

109. 'Credunt ea rursus sata, rebellare, quæ curaverint, vitia: quo scelere et plantagine utuntur.'

[o] *Polio Musæus*] Vide quæ diximus cap. 21.

[p] *Polium contra*] Vide Notas et Emend. num. 17.

[q] *Potari* [*potari*] Vide Notas et Emend. num. 18.

[r] *Splenicis*] Diosc. III. 124.

[s] *Morbo regio*] Diosc. loc. cit.

[t] *Et hydropicis*] Diosc. loc. cit.

[u] *Vulneribus*] Diosc. loc. cit.

[v] *Alexipharmacon*] 'Αλεξιφάρμακον, *remedium adversus venena*, amuletum contra veneficia.

[w] *Stomacho tamen*] Prodesse certe stomachicis polion cum melle tritum, auctor est Marcellus c. 20. p. 139. Contra Diosc. loc. cit. et male stomachum habere, et ciere capitis dolorem scribit.

sylvestri, et si teratur ex aqua cœlesti, aspidas mitigare dicitur: et non secus atque cyanus astringit[8] et cohibet vulnera, prohibetque serpere.

LXXXV. Holochrysos[1] medetur stranguriæ in vino pota, et oculorum epiphoris illita. Cum fæce vero vini cremata et polenta, lichenas emendat. Chrysocomes[x] radix calfacit, et stringit.[2] Datur potui[y] ad jocinerum vitia: item pulmonum: vulvæ dolores in aqua mulsa decocta. Ciet menstrua: et si cruda detur, hydropicorum aquam.

LXXXVI. Melissophyllo sive melittæna[1 a] si perunguntur alvearia, non fugient apes. Nullo enim magis gaudent flore. Copia istius[2 b] examina facillime continentur. Idem præsentissimum[c] est contra ictus earum vesparumque, et similium, sicut araneorum:[3] item scorpionum. Item contra vulvarum[4 d] strangulationes, addito nitro. Contra tormina, e vino. Folia ejus[e] strumis illinuntur, et sedis vitiis, cum sale. Decoctæ succus[f] fœminas purgat, et inflammationes[5] discutit, et ulcera sanat. Articularios[g] morbos

tier. *cytinus astringit* edd. ante Brotier.

CAP. LXXXV. 1 *Elichrysos* margo edd. Dalec. et Gronov. e Diosc.—2 Vet. Dalec. *et adstringit*.

CAP. LXXXVI. 1 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. ita quoque Diosc. *melittide* Gronov. et vulgg.—2 *Scopis ejus* Chiffl. —3 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *vesparumque et araneorum* Gronov. et vulgg.—4 Margo edd. Dalec. et Gronov. *fungorum*,

NOTÆ

[x] *Chrysocomes*] Diosc. quoque, IV. 55. Δύναμιν δὲ ἔχει θερμαντικὴν καὶ στυπτικὴν ἡ ῥίζα.

[y] *Datur potui*] Diosc. loc. cit. tum istud, tum cetera chrysocomes remedia totidem verbis affert.

[a] *Sive melittæna*] Vide Notas et Emend. num. 19.

[b] *Copia istius*] Respicit illud Maronis Georg. IV. 63. 'Huc tu jussos asperge sapores, Trita meliphylla, et cerinthæ ignobile gramen : Ipsæ consident medicatis sedibus: ipsæ Intima more suo sese in cunabula condent.'

[c] *Idem præsentissimum*] Diosc. III. 118.

[d] *Item contra vulvarum*] Vide Notas et Emend. num. 20.

[e] *Folia ejus*] Diosc. loc. cit. Καταπλασσόμενα δὲ (φύλλα) σὺν ἁλσί, διαφορεῖ χοιράδας.

[f] *Decoctæ succus*] Καὶ τὸ ἀφέψημα δὲ αὐτῶν .... πρὸς ἐμμήνων ἀγωγὴν εὐθετεῖ. Diosc. loc. cit.

[g] *Articularios*] Hoc folia præstare cum sale imposita Diosc. ait loco cit. et contra canis rabidi morsus eadem cum vino pota prodesse.

sedat, canisque morsus. Prodest dysentericis[h] veteribus, et cœliacis, et orthopnoicis, lienibus, ulceribus thoracis. Caligines oculorum succo cum melle inungi eximium habetur.

LXXXVII. Melilotos quoque oculis medetur cum luteo ovi,[i] aut lini[1] semine. Maxillarum quoque dolores lenit; et capitis[j] cum rosaceo: item aurium[k] e passo, quæque in manibus intumescant, vel erumpant.[2] Stomachi dolores[l] in vino decocta, vel cruda tritaque. Idem effectus[m] et ad vulvas.[3] Testes vero,[n] et sedem prociduam, quæque ibi sint vitia, recens ex aqua decocta, vel ex passo. Adjecto rosaceo illinitur ad carcinomata.[4] Defervescit in vino dulci. Peculiariter[o] et contra meliceridas efficax.

LXXXVIII. (XXI.) Trifolium scio[p] credi prævalere contra serpentium ictus et scorpionum, ex vino aut posca, seminis granis viginti potis: vel foliis, et tota herba decocta; serpentesque nunquam in trifolio aspici. Præterea celebratis[1] auctoribus, contra omnia venena pro antidoto sufficere XXV.[2] grana ejus, quod minyanthes[q] ex eo ap-

e Diosc.—5 Ita codd. Harduini, Vet. Dalec. et Chiffl. *cum sale decocta. Succus fœminas purgat, et inflationes* Gronov. et al. vett.

CAP. LXXXVII. 1 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *cum lacte, aut cum lini* Gronov. et edd. vett.—2 'Ita cod. Reg. 1. In cod. Reg. 2. *rumpant*, quod forte melius.' *Brotier.* *intumescunt, vel erumpunt* edd. vett. Gronov. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *intumescant, vel rumpant* Chiffl.—3 Vet. Dalec. *est ad vulvas.*—4 Cod. Dalec. *vitia. Recenti, &c. passo, adjecto rosaceo: Illinuntur carcinomata.*

CAP. LXXXVIII. 1 Vet. Dalec. *a celebratis.*—2 Chiffl. *XXXV.* Mox, *quod*

NOTÆ

h *Prodest dysentericis*] Diosc. loc. cit.

i *Cum luteo ovi*] Vide Notas et Emend. num. 21.

j *Et capitis*] Diosc. III. 48. Καὶ κεφαλαλγίαν πραΰνει ἐμβρεχόμενος μετ' ὄξους καὶ ῥοδίνου.

k *Item aurium*] Diosc. loc. cit.

l *Stomachi dolores*] Diosc. loc. cit.

m *Idem effectus*] Diosc. loc. cit.

n *Testes vero*] Diosc. loc. cit.

o *Peculiariter*] Diosc. loc. cit. Θεραπεύει καὶ μελικηρίδας, κ. τ. λ.

p *Trifolium scio*] Vide auctorem libri de Simp. Med. tomo XIII. operum Galeni, pag. 1002. Dioscoridem quoque, III. 123. Et quæ de trifolio acuto refert Scribonius Largus Compos. 163.

q *Minyanthes*] Μινυανθὲς Galeno, de Fac. Simp. Med. lib. VIII. p. 236. qui quæ sit ejusce vocis originatio

pellavimus, tradi. Multa alia præterea in remediis ejus ascribi. Sed me contra sententias eorum gravissimi viri auctoritas movet. Sophocles enim poëta venenatum id dicit. Simus quoque[r] e medicis,[3] decocti aut contriti succum infusum corpori, easdem uredines[s] facere, quas si percussis a serpente imponatur. Ergo non aliter utendum eo, quam contra venena, censuerim.[4] Fortassis enim et his venenis inter se contraria sit natura, sicut multis aliis. Item animadverto, semen ejus, cujus minima sint folia, utile esse ad custodiendam mulierum cutis gratiam, in facie illitum.

LXXXIX. Thymum colligi oportet in flore, et in umbra siccari. Duo autem sunt genera ejus: candidum, radice lignosa, in collibus nascens, quod et præfertur: alterum nigrius, florisque nigri.[a] Utraque oculorum[b] claritati multum conferre existimantur, et in cibo, et in medicamentis. Item diutinæ tussi: in ecligmate[1] faciles exscreationes facere cum aceto et sale.[c] Sanguinem concrescere[d] non pati e melle: longas faucium distillationes extra illita cum



menianthes appellavimus Vet. Dalec.—3 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. et recentt. *Scimus quoque medicus* edd. vett. et Gronov. *S. q. ex melicis* cod. Dalec. Mox, Chiffl. *uredines facere quasi percussis;* cod. Dalec. *ægritudines facere quasi percussis.*—4 Cod. Dalec. *censuerunt.*

Cap. LXXXIX. 1 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *diutina tussi in ecligmate* Vet. Dalec. *diutinæ tussi ecligmate* Gronov. et vulgg. Mox, Vet. Dalec. *facere. Cum aceto et sale sang. concr. non patitur. Et melle longas, &c. extenuat.*

NOTÆ

nescire se fatetur. Forte a minuendo dolore: ἄνθος enim *florem*, μινύω, *minuere* Græce sonat.

[r] *Simus quoque*] A quo Simonianum trifolium appellatum videri possit. Simo Galenus astipulatur, de theriaca ad Pisonem, c. 4. p. 935.

[s] *Easdem uredines*] Eosdem pruritus.

[a] *Florisque nigri*] Hoc est, purpurascentis, πορφυρίζοντος, ut ait Diosc. III. 44. atque adeo in nigredinem vergentis, ut violæ.

[b] *Utraque oculorum*] Dioscor. loc. cit. 'Αμβλυωποῦντας ἐσθιόμενον σὺν τροφῇ ὠφελεῖ. *Hebetiore oculorum acie præditis in cibo confert.* Sic etiam Plinius Valer. IV. 35. de utroque thymo.

[c] *Cum aceto et sale*] Cum melle, Dioscor. loc. cit. Cum vino Marcellus Empir. cap. 17. p. 23.

[d] *Sanguinem concrescere*] Dioscor. loc. cit. Καταπλασθὲν μετ' ὄξους αἵματος θρόμβους διαλύει.

sinapi, extenuare: item stomachi[e] et ventris vitia. Modice his tamen utendum est, quoniam excalfaciunt, quamvis sistunt alvum: quæ si exulcerata sit, denarii pondus in sextarium aceti et mellis addi oportet. Item si lateris[2] dolor sit, aut inter scapulas, aut in thorace. Præcordiis medentur ex aceto cum melle: quæ potio datur et in alienatione[3] mentis, ac melancholicis. Datur et comitialibus,[f] quos correptos olfactus excitat thymi. Aiunt et dormire eos oportere in molli thymo. Prodest[g] et orthopnoicis, et anhelatoribus,[4] mulierumque mensibus retardatis. Vel si emortui[h] sint in utero partus, decoctum in aqua ad tertias. Et[5] viris vero contra inflationes cum melle et aceto. Et si venter turgeat, testesve, aut si vesicæ[6] dolor[i] exigat. E vino tumores et impetus[j] tollit impositum. Item cum aceto callum et verrucas.[k] Coxendicibus[l] imponitur, cum vino: articulariis morbis,[7] et luxatis, tritum ac lanæ inspersum ex oleo. Dant et potionem articulariis morbis trium obolorum pondere in tribus aceti et mellis.[8] Et in fastidio, tritum cum sale.

—2 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *si lateralis* edd. vett. et Gronov.—3 Chiffl. *elationem*.—4 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *et anhelationi* Gronov. et vulgg. Mox, *retardatis vel si, &c.* margo edd. Dalec. et Gronov.—5 *Et* deest in cod. Dalec.—6 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *urgeat, testesve, aut si vesicæ* Chiffl. *tumeat, testesve, aut vesicæ* Vet. Dalec. *turgeat, testesve, aut vesicæ* Gronov. et vulgg.—7 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Coxendicibus imponitur, et articularibus morbis* edd. vett. et Gronov.

NOTÆ

[e] *Item stomachi*] Quoniam cum sale et aceto potum, vim habet pituitam per alvum detrahendi, inquit Diosc. loc. cit.

[f] *Datur et comitialibus*] Scribonius Largus Compos. Med. cap. 2. num. 15. 'Ad recentem comitialem morbum cito proficit: ad veterem tardius: Thymi albi X. P. III. ex aceti cyathis tribus, et mellis boni pondo unica: ut dilutum jejunus bibat per dies XLV.'

[g] *Prodest*] Diosc. III. 44. et Galenus de Fac. Simp. Med. lib. VI. pag. 178.

[h] *Vel si emortui*] Diosc. et Galenus locis citatis. Plinius Valer. IV. 35. 'Emortuos partus extrahit.'

[i] *Aut si vesicæ dolor*] Urinam ciere thymum produnt Diosc. et Galenus loc. cit.

[j] *Et impetus*] Quæ Græci ἐπιφορὰς appellant, de quibus XX. 26.

[k] *Item cum aceto... verrucas*] Et hæc pariter Diosc. loc. cit.

[l] *Coxendicibus*] Diosc. loc. cit. Ka

XC. Hemerocalles [m] pallidum e viridi et molle folium habet, radice odorata atque bulbosa: [1] quæ cum melle [n] imposita ventri, aquas [2] pellit, et sanguinem etiam inutilem. Folia epiphoris [o] oculorum, mammarumque post partum doloribus illinuntur.

XCI. Helenium ab Helena, ut diximus,[p] natum,[1] favere creditur formæ: cutem mulierum in facie reliquoque corpore nutrire incorruptam. Præterea putant usu ejus quandam gratiam iis [2] veneremque conciliari. Attribuunt et hilaritatis effectum eidem potæ in vino, eumque quem habuerit nepenthes illud prædicatum ab Homero,[q] quo tristitia omnis aboleatur.[3] Est autem succi prædulcis.[r] Prodest et orthopnoicis radix ejus in aqua jejunis pota. Est autem

Mox, Chiffl. *oleo: ambustis cum adipe suillo. Dant.*—8 Vet. Dalec. *tribus aceti cyathis et melle;* Chiffl. *tribus cyathis aceti, et mellis.*

CAP. XC. 1 Cod. Dalec. *radice odoratam atque bulbosam.*—2 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *aquam* Gronov. et vulgg.

CAP. XCI. 1 Vet. Dalec. *ab Helenæ, ut diximus, lacrymis natum:* et sic supra cap. 33. hujus libri.—2 Chiffl. *ita gratiam his.*—3 Ita codd. Harduini et Vet. Dalec. item edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *quod eo tristitia o. aboleretur* al. vett. ap. Dalec. *quod, &c.* Gronov. et vulgg.

NOTÆ

ἰσχιαδικοῖς μετ' οἴνου καὶ ἀλφίτων ἐπιτεθὲν ἁρμόζει.

[m] *Hemerocalles*] Iisdem fere verbis describitur a Dioscor. III. 137. 'Ημεροκαλλὶς φύλλα ἔχει καὶ καυλὸν ὅμοια κρίνῳ, χλωρὰ δὲ ὥσπερ πράσα. *Caulem ac folia lilii habet, porri instar virentia.* Lilium est rubrum miniatum seu Byzantinum Clusii Hist. Rarior. Plant. lib. II. pag. 131. Est et in horto Eystetensi, ibi Hemerocallis Chalcedonica appellata. Vidimus in Horto Regio.

[n] *Quæ cum melle*] Cum melle lana subdita in pesso adhiberi Diosc. præcipit, loc. cit. Ῥίζα λεία ποθεῖσα, καὶ σὺν μέλιτι ἐν ἐρίῳ προστεθεῖσα, πεσσός ἐστιν ὑδραγωγὸς καὶ αἱμαγωγός.

[o] *Folia epiphoris*] Diosc. loc. cit.

[p] *Ut diximus*] Cap. 33.

[q] *Ab Homero*] Odyss. Δ. 221. Αὐτίκ' ἄρ' εἰς οἶνον βάλε φάρμακον, ἔνθεν ἔπινον Νηπενθές τ' ἄχολόν τε κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων. Esse vero nepenthes quam subsecuta ætas buglosson vocavit, nos borraginem, Plutarchus innuit, Sympos. Quæst. I. 1. p. 614. Nos plane affirmamus, vel eo ducti argumento, quod vis buglosso plane par ascribitur a summis viris, ut dicturi sumus XXV. 40. Nam in vinum dejecta animi voluptates auget, atque ex ea re vocatur et εὐφρόσυνον.

[r] *Est autem succi prædulcis*] Helenium scilicet. Quare et nectaream appellavere alii, et ex ea vinum nectarites concinnatum olim, ut Plinius superius annotavit XIV. 19.

candida intus et dulcis. Bibitur et contra serpentium ictus ex vino. Mures quoque contrita dicitur necare.

XCII. Abrotonum[a] duorum traditur generum, campestre ac montanum: hoc fœminam, illud marem intelligi volumus. Amaritudo[b] absinthii in utroque. Siculum laudatissimum, dein Galaticum. Usus et foliis,[c] sed major semini ad excalfaciendum: ideo nervis utile, tussi, orthopnœæ,[1] [d] convulsis, ruptis, lumbis, urinæ angustiis. Datur bibendum manualibus fasciculis[e] decoctis ad tertias partes. Ex his quaternis cyathis bibitur. Datur et semen tusum in aqua drachmæ pondere. Prodest et vulvæ.[f] Concoquit[g] panos cum farina hordeacea, et oculorum inflammationibus illinitur, cum cotoneo malo cocto.[2] Serpentes[h] fugat. Contra ictus earum bibitur cum vino, illiniturque. Efficacissimum contra ea, quorum veneno tremores et frigus accidunt, ut scorpionum[3] et phalangiorum: et contra venena alia pota prodest, et quoquo modo algentibus,[i] et ad extrahenda ea, quæ inhærent[4] corporibus. Pellit[j] et interaneorum mala. Ramo ejus, si subjiciatur

CAP. XCII. 1 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *Usus est et foliis .... orthopnoicis* Gronov. et vulgg.—2 Ita codd. Harduini et Vet. Dalec. *inflammationi i. cotoneo malo cocto* Chiffl. *i. illinitur, cotoneo malo concocto* Gronov. et al. vett.—3 Chiffl. *et scorpionum*.—4 Idem codex, *inhæreant*.

NOTÆ

[a] *Abrotonum*] Scholiastes Nicandri, in Theriac. p. 9. Τοῦ ἀβροτόνου δύο γένη εἰσί· τὸ μὲν κηπεύσιμον, τὸ δὲ ὀρεινόν. Diosc. III. 29. duo genera pariter agnoscit, marem, fœminamque: illud Galaticum, istud vero Siculum.

[b] *Amaritudo*] Fœminæ quidem hanc inesse Diosc. prodidit, loc. cit.

[c] *Usus et foliis*] Diosc. loc. cit. et Galenus de Fac. Simp. Med. VI. 1. p. 145.

[d] *Orthopnœæ*] His quoque morbis reliquis mederi abrotonum Diosc. admonet loc. cit.

[e] *Manualibus fasciculis*] Qui manum impleant.

[f] *Prodest et vulvæ*] Mensibus commorantibus, ἐμμήνων ἐπισχέσει, Dioscor. loc. cit.

[g] *Concoquit*] Diosc. loc. cit. et Galenus totidem verbis de Fac. Simp. Med. lib. VI. p. 146.

[h] *Serpentes*] De serpentibus, phalangiis, ac venenis, eadem tradit Diosc. loc. cit. post Nicandrum in Theriac. p. 7.

[i] *Et quoquo modo algentibus*] Etiam periodicis febrium rigoribus, inquit Galenus de Facult. Simp. Med. lib. VI. pag. 145.

[j] *Pellit*] Galenus loc. cit. ἕλμινθας ἀναιρεῖ. Item Ælianus Hist. Anim. IX. 33.

pulvino, Venerem stimulari aiunt: efficacissimamque esse herbam contra omnia veneficia, quibus coitus inhibeatur.

XCIII. (XXII.) Leucanthemum suspiriosis medetur, duabus partibus aceti permixtum. Sampsuchum [k] sive amaracum, in Cypro laudatissimum et odoratissimum, scorpionibus adversatur, ex aceto ac sale illitum. Menstruis quoque multum confert impositum.[l] Minor est eidem poto vis. Cohibet [m] et oculorum epiphoras cum polenta. Succus decocti [n] tormina discutit. Et urinis [o] et hydropicis utile.[1] Movet et aridum sternutamenta. Fit ex eo [p] et oleum,[2] quod sampsuchinum vocatur aut amaracinum, ad excalfaciendos [q] molliendosque [3] nervos: et vulvas calfacit.[4] Folia [r] sugillatis [5] cum melle, et luxatis cum cera prosunt.

XCIV. (XXIII.) Anemonas coronarias tantum diximus:[a] nunc reddemus et medicas. Sunt qui phrenion [b] vocent.[1] Duo ejus genera:[c] sylvestris prima, altera in cultis nascens; utraque sabulosis. Hujus [2] plures [d] species. Aut enim

CAP. XCIII. 1 Vet. Dalec. *utilis.*—2 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *ex eo oleum* Gronov. et vulgg.—3 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *emolliendosque* Gronov. et al. vett.—4 Verbum *calfacit* deest in cod. Dalec.—5 *Folia suggillatis* Reg. Brot. 2. et Editio princeps. *Et folia sugillatis* Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz. *Et folio suggillatis* Gronov. et al. vett.

CAP. XCIV. 1 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *phænion vocent* Vet. Dalec. *fremian vocent* Chiffl. *phenion vocent* Gronov. et vulgg. Mox, *altera cultis*, omissa præpositione, Chiffl.—2 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Har-

NOTÆ

[k] *Sampsuchum*] Diosc. III. 47. totidem verbis.

[l] *Menstruis . . . impositum*] In pesso subditum, ἐν προσθέτῳ. Dioscor. loc. cit.

[m] *Cohibet*] Diosc. loc. cit.

[n] *Succus decocti*] Diosc. loc. cit.

[o] *Et urinis*] Diosc. loc. cit.

[p] *Fit ex eo*] Seorsim ac diversis capitibus de amaracino oleo, et sampsuchino Dioscorides egit: ac de isto quidem, c. 58. de illo, c. 68. libri primi: non quod amaracum a sampsucho differre velit: sed quod unguenta ea concinnandi modos tradat geminos: quos ut confectionis genere, sic et appellatione secerni voluit.

[q] *Ad excalfaciendos*] Diosc. I. 68.

[r] *Folia*] Hæc totidem fere verbis Diosc. III. 47.

[a] *Anemonas . . . diximus*] Cap. 38.

[b] *Sunt qui phrenion*] Vide Notas et Emend. num. 22.

[c] *Duo ejus genera*] Eadem leges pariter apud Dioscor. II. 207. Ἀνεμώνη δισσὴ, ἡ μὲν ἀγρία, ἡ δὲ ἥμερος. Re-

phœniceum florem habet, quæ et copiosissima est: aut purpureum, aut lacteum. Harum trium folia apio[3] [e] similia sunt. Nec temere semipedem altitudine excedunt, cacumine asparagi.[f] Flos nunquam [g] se aperit, nisi vento spirante: unde et nomen accepere.[4] Sylvestri amplitudo [h] major, latioribusque foliis, flore phœniceo.[5] Hanc, errore [i] ducti, argemonem [j] putant multi: alii rursus papaver, quod rhœan [k] appellavimus.[6] Sed distinctio [l] magna, quod utraque hæc postea floret.[7] Nec aut succum illarum anemonæ reddunt, aut calyces habent, nec nisi [8] asparagi cacumen. Prosunt anemonæ [m] capitis doloribus et inflammationibus, vulvis mulierum, lacti quoque. Et menstrua [n]

duin. 1. 2. 3. et recentt. *Hujusque* edd. vett. et Gronov.—3 Margo edd. Dalec. et Gronov. *coriandro*, e Diosc.—4 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *accepit* Gronov. et vulgg.—5 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *latiora folia, flos phœniceus* Vet. Dalec. *latioribus foliis, flore phœniceo* edd. vett. et Gronov.—6 Chiffl. *vocavimus*.—7 Chiffl. *utraque est*

NOTÆ

centiores herbarii centum amplius genera norunt, ut diximus c. 38.

[d] *Hujus plures*] Sativæ scilicet. Diosc. loc. cit. *Καὶ τῆς ἡμέρου ἡ μέν τις φοινικὰ φέρει τὰ ἄνθη· ἡ δὲ ὑπόλευκα ἢ γαλακτίζοντα, ἢ πορφυρᾶ.*

[e] *Harum trium folia apio*] Coriandro, quod eodem ferme recidit, Diosc. loc. cit. et Oribasius lib. XI. p. 190. Sed sunt tamen apio, quam coriandro, propiora.

[f] *Cacumine asparagi*] Nec calyces habent anemonæ, nec capita, seu vascula: sed cacumen instar asparagorum est. *Οὔτε κωδίαν ἔχουσιν, ἀλλ' οἱονεὶ ἀσπαράγου ἄκρον.* Dioscor. loc. cit. Vide iconem anemones primæ apud Dodon. p. 431.

[g] *Flos nunquam*] At nostræ etiam tranquillo sese aperiunt. Verius forsan nomen iis inditum, quod facile flos vento decutitur. Hesychius: *Ἀνεμώνη .... πᾶν φυτὸν ταχέως ὑπὸ ἀνέμων φθειρόμενον.*

[h] *Sylvestri amplitudo*] Diosc. hæc totidem verbis, II. 207.

[i] *Hanc, errore*] Totidem verbis Diosc. et Oribasius locis cit.

[j] *Argemonem*] Hanc depictam vide apud Lobelium in Observat. p. 144. Est et in horto Regio. Similis fere papaveri rhœadi. Ceteras ejus notas disce a Diosc. III. 208. Plinioque ipso XXV. 56.

[k] *Quod rhœan*] Lib. XIX. c. 53.

[l] *Sed distinctio*] Eadem discrimina afferunt auctores mox appellati. Quod et argemone et rhœas papaver serius florent: nec croceum, ut argemone, dum caulis conciditur, nec candidum, ut papaver, succum reddit, &c.

[m] *Prosunt anemonæ*] Radicis succo naribus infuso valere Dioscorides ait, loc. cit. ad purgandum caput: folia cum ptisana decocta, et in cibo sumta, fœcunditatem lactis præstare. Habet hæc etiam Galenus de Facult. Simp. Med. lib. VI. p. 157.

[n] *Et menstrua*] Diosc. loc. cit.

cient cum ptisana sumtæ, aut vellere appositæ. Radix[o] commanducata pituitam trahit, dentes sanat: decocta oculorum[p] epiphoras, et cicatrices. Magi[9] multum quidem iis tribuere, quamprimum aspiciatur eo anno tolli jubentes: dicique, colligi eam tertianis et quartanis remedio. Postea alligari florem panno roseo, et in umbra asservari, ita cum opus sit adalligari.[10] Quæ ex his phœniceum florem habet, radice contrita, cuicumque animalium imposita, ulcus facit septica vi.[11] [q] Et ideo[r] expurgandis ulceribus adhibetur.

XCV. (XXIV.) Œnanthe herba[s] nascitur in petris, folio pastinacæ, radice magna, numerosa. Caulis ejus et folia cum melle ac vino nigro pota, facilitatem pariendi præstant, secundasque purgant. Tussim e melle tollunt: urinam cient. Radix et vesicæ vitiis medetur.

XCVI. (XXV.) Heliochrysum,[a] quod alii chrysanthemon vocant,[1] ramulos habet candidos, folia subalbida, abrotono similia: ad Solis repercussum, aureæ lucis in orbem veluti corymbis dependentibus,[2] qui nunquam marcescunt:

postea florens.—8 Vet. Dalec. *sed quasi.*—9 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *oculorum epiphoras. Magi* Gronov. et edd. vett. Mox, Vet. Dalec. *quidam in trib. quam primum aspiciunt;* alii vett. ap. Dalec. *cum primum aspiciuntur.*—10 Vet. Dalec. *alligari.*—11 Chiffl. *ulcerum facit styptica vi;* cod. ap. Laet etiam *styptica vi.*

CAP. XCVI. 1 *Helichrysum, alii chrysanthum vocant* Chiffl. *alii amaranthum vocant* margo edd. Dalec. et Gronov. e Diosc.—2 Vet. Dalec.

NOTÆ

[o] *Radix*] Diosc. et Galenus locis citatis.

[p] *Decocta oculorum*] Decocta in passo, ἐν γλυκεῖ. Diosc. loc. cit. De cicatricibus Galenus loc. cit. οὐλὰς λεπτύνει. Has voculas, *et cicatrices*, ex Mss. addidimus.

[q] *Septica vi*] Σηπτικὴ δύναμις, *vis putrefaciendi*. Celsus VII. 21. 'Medicamenta, quæ sic exedunt, ne erodant, σηπτικὰ Græci vocant.'

[r] *Et ideo*] Galenus loc. cit.

[s] *Œnanthe herba*] Filipendula Dodonæi, pag. 56. Œnanthe staphylini folio, Joan. Bauhini tom. III. p. 191. Dioscor. lib. III. cap. 135. Οἰνάνθη ... τὰ μὲν φύλλα ἔχει ὥσπερ σταφυλῖνος, κ. τ. λ. De forma œnanthes, ac viribus ejusdem, paria prorsus cum Plinio tradit. Radicem ad stranguriam adhibet Apuleius LIV. 1.

[a] *Heliochrysum*] De quo jam superius cap. 38. Diosc. iisdem fere verbis, IV. 57. Ἑλίχρυσον, οἱ δὲ χρυσάνθεμον, οἱ δὲ καὶ τοῦτο ἀμάραντον καλοῦσιν, ᾧ καὶ τὰ εἴδωλα στεφανοῦσι· ῥαβδίον λευκὸν, χλωρὸν .... φύλλα στενὰ ἐκ διαστημάτων ἔχον πρὸς τὰ τοῦ ἀβροτόνου· κόμην κυκλοτερῆ, χρυσοφανῆ, σκιάδιον περιφερὲς, ὥσπερ κορύμβους ξηροὺς, κ. τ. λ.

qua de causa Deos coronant illo, quod diligentissime servavit Ptolemæus rex Ægypti. Nascitur in frutectis.[b] Ciet urinas[c] e vino pota, et menses. Duritias et inflammationes discutit. Ambustis[d] cum melle imponitur. Contra serpentium[e] ictus, et lumborum[f] vitia bibitur. Sanguinem[g] concretum ventris aut vesicæ[3] absumit cum mulso. Folia ejus trita trium obolorum[4] pondere sistunt profluvia mulierum[h] in vino albo. Vestes tuetur[i] odore non ineleganti.

XCVII. (XXVI.) Hyacinthus[j] in Gallia maxime[1] provenit. Hoc ibi fuco[k] hysginum tinguunt.[2] Radix est bul-

corymbis ad solis repercussum veluti aureæ lucis in orbem dependentibus.—3 Dalec. *ventris ac vesicæ.*—4 *Folia ejus trium obolorum* Gronov. et vulgg. *trita* ex codd. suis et Chiffl. restituit Harduin. quem secuti sunt recentt.

Cap. XCVII. 1 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. et recentt. *eximie* edd. vett. et Gronov.—2 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Hoc ibi loco hygi-*

NOTÆ

[b] *Nascitur in frutectis*] Dioscor. loc. cit. *Φύεται δὲ ἐν τραχέσι καὶ χαραδρώδεσι τόποις, in asperis et salebrosis.* Interpres Oribasii lib. XI. p. 196. 'in asperis et aquosis convallibus.'

[c] *Ciet urinas*] Diosc. loc. cit.

[d] *Ambustis*] Theophr. Hist. IX. 21. *Καὶ πρὸς τὰ πυρίκαυστα, καταπλάσαντες καὶ μίξαντες μέλιτι.*

[e] *Contra serpentium*] Theophr. loc. cit. *Χρῶνται δὲ αὐτῷ πρὸς τὰ δακετὰ ἐν οἴνῳ. Usus illius ad serpentium morsus e vino.* Diosc. quoque loc. cit.

[f] *Et lumborum*] Diosc. loc. cit.

[g] *Sanguinem*] Hæc iisdem verbis Diosc. loc. cit.

[h] *Profluvia mulierum*] Diosc. loc. cit. *Ἴσχει δὲ καὶ κατάῤῥουν, ὅσον τριώβολον νήστει δοθεῖσα ἐν κράματι οἴνου λευκοῦ. Sistit et destillationes, trium obolorum pondere jejunis potui data in vino albodi luto.* Alios secutus auctores Plinius videtur, aut *κατάῤῥουν* perperam pro *mulierum profluvio* accepisse, cum ea vox *destillationem pituitæ*, et *catarrhum* significet.

[i] *Vestes tuetur*] Vestibus interponi ait Dioscor. loc. cit. ut eas a teredinum injuriis tueatur.

[j] *Hyacinthus*] Hyacinthus iste, vacciniumve Gallicum, quo hysginum vel purpura inficitur, gladiolus est, et hyacinthus, ut verbis Columellæ utar, IX. 4. cœlestis nominis, hoc est, qui et iris vocatur, ut ex Palladio liquet, I. 37. nec tamen iris est, de qua diximus c. 19. quæ radix medicinæ tantum et unguentis nascitur, non tingendis lanis: sed quam Galli Glaiutum vocant, quasi gladiolum, *du Glaieul.* Ita Anguillara par. IX. pag. 153. quos alii deinde secuti sunt. Decepti vero errore omnes, qui nihil irin ab hyacintho differre censent. Hyacinthi porro Gallici tractationem Plinius nunc attingit obiter, ubi de vulgari tantum hyacintho agendum ex proposito videbatur, quod, ut ipse admonuit, XX. 45. sæpe contexenda sunt ea, quæ sunt ex eodem nomine pendentia.

[k] *Hoc ibi fuco*] Vide Notas et E-

bacea,[1] mangonicis venalitiis[3] [m] pulchre nota: quæ e vino dulci [n] illita, pubertatem coërcet, et non patitur erumpere. Torminibus et araneorum [o] morsibus resistit. Urinam impellit. Contra serpentes [p] et scorpiones, morbumque[4] regium,[q] semen ejus cum abrotono[5] datur.

XCVIII. Lychnis quoque [r] flammea illa adversus serpentes, scorpiones, crabrones,[1] similiaque bibitur e vino semine[2] trito. Sylvestris eadem stomacho inutilis. Alvum [s] solvit. Ad detrahendam [t] bilem efficacissima duabus drachmis. Scorpionibus [u] adeo contraria,[3] ut omnino visa ea torpescant. Radicem ejus Asiani boliten vocant:[4] qua alligata oculo, albugines tolli dicuntur.

num tingunt Chiffl. unde quidam, *Hoc ibi locorum hysginum tingunt*. Gronov. et al. ante Harduin. *Hoc ibi pro cocco hysginum tingitur*.—3 Vet. Dalec. *mangoniis venalitiorum*.—4 Chiffl. *morborumque*.—5 Margo edd. Dalec. et Gronov. *cum vino*, e Diosc.

CAP. XCVIII. 1 Margo edd. Dalec. et Gronov. *et scorpiones, et crabrones*. —2 Chiffl. *bibitur lini semine;* unde quidam, *bibitur cum lini semine*.—3 *Se. tam contraria* Chiffl.—4 *Radicem e. A. b. vocant* desunt in Chiffl.

NOTÆ

mend. num. 28. Hysginum porro colos est affinis coccineo.

[1] *Radix est bulbacea*] Hyacinthi nimirum alterius, seu vulgaris, atque Italici, ut diximus XVI. 31. mancipiis sati. Lilium purpureum tertium Dodonæi videtur esse, pag. 199. quam ille sententiam idoneis stabilit argumentis. Dioscorides Plinio suffragatur, IV. 63. Ὑάκινθος φύλλα ἔχει ὅμοια βολβῷ . . . . ῥίζαν καὶ αὐτὴν ἐμφερῆ βολβῷ. Et Galenus de Fac. Simp. Med. lib. VIII. pag. 237. Ὑακίνθου ἡ μὲν ῥίζα βολβοειδής.

[m] *Mangonicis venalitiis*] Ita Mss. omnes. Venalitii sunt venditores, teste Nonio cap. 2. num. 919. testimonio ipsius Ciceronis in eam rem adducto. Mangonici venditores erant negotiatores mancipiorum, qui pueros puellasque, quo facilius vendi possent, artificio quodam componere, atque horum ætatem tegere pubertate coërcita solebant, ut vendibiliores essent.

[n] *Quæ e vino dulci*] Diosc. IV. 63. de radice hyacinthi: ἥτις σὺν οἴνῳ καταπλασθεῖσα λευκῷ (vel γλυκεῖ) ἐπὶ παίδων, ἀνήβους τηρεῖν πεπίστευται. Galenus loc. cit. ἐν οἴνῳ tantum.

[o] *Araneorum*] Phalangiorum. Diosc. φαλαγγιοδήκτους ὠφελεῖ.

[p] *Contra serpentes*] Diosc. loc. citato.

[q] *Morbumque regium*] Diosc. et Galenus abrotonum non asciscunt: sed id solum, ἰκτερικοῖς δίδοται σὺν οἴνῳ.

[r] *Lychnis quoque*] De qua cap. 10. Habet eadem Diosc. III. 114.

[s] *Alvum*] Diosc. III. 115.

[t] *Ad detrahendam*] Per alvum scilicet, κατὰ κοιλίαν, Diosc. loc. cit.

[u] *Scorpionibus*] Diosc. loc. cit. post Nicandrum in Theriac. pag. 64. cujus et Scholiasten vide, pag. 41.

XCIX. (XXVII.) Et vincapervinca, sive chamædaphne,[1] arida tusa hydropicis datur in aqua, cochlearis mensura,[2] celerrimeque reddunt aquam. Eadem decocta in cinere sparsa vino, tumores siccat. Auribus succo medetur. Alvinis[v] imposita multum prodesse dicitur.

C. Rusci radix[a] decocta, bibitur alternis diebus in calculorum valetudine, et tortuosiore[b] urina, vel cruenta. Radicem pridie erui oportet, postero mane[1] decoqui: ex eo sextarium[2] vini cyathis duobus misceri. Sunt qui et crudam radicem tritam ex aqua bibant: et in totum ad virilia,[3][c] cauliculis ejus ex aceto[4] tritis, nihil utilius putant.

CI. Batis quoque[d] alvum mollit. Illinitur podagricis cruda et contusa.[1] Acinon[e] et coronarum causa et ciborum Ægyptii serunt. Eademque erat, quæ ocimum, nisi hirsutior ramis ac foliis esset, et admodum odorata. Ciet menses[2][f] et urinas.

CII. (XXVIII.) Colocasia[g] Glaucias acria corporis leniri putavit, et stomachum juvari.



CAP. XCIX. 1 Margo edd. Dalec. et Gronov. *sive daphnoeides, o Diosc.*—2 Ita codd. Reg. Brot. 2. et Chiffl. *cochleari mensura* edd. ante Harduin.

CAP. C. 1 'Ita cod. Reg. 2. et Editio princeps.' *Brotier. postremo mane* edd. vett. Gronov. Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—2 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *et decocti sextarium* Vet. Dalec. *ex ea sextarium* Gronov. et vulgg. *et ex eo sextarium* Chiffl.—3 Vet. Dalec. *ad urinam difficilem.*—4 Ita codd. Harduini et Chiffl. *ejus in vino et aceto* Gronov. et vulgg.

CAP. CI. 1 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *tosta et contusa* Gronov. et al. vett.—2 *Ciet et menses* Chiffl.

NOTÆ

[v] *Alvinis*] Quibus alvus est fluida.

[a] *Rusci radix*] Hoc iterum Plinius libro sequente, cap. 83. ubi de oxymyrsine, quæ nihil a rusco differt.

[b] *Tortuosiore*] Hoc est, ut ipsemet interpretatur, XXIII. 83. difficili urina, præcipue crassa: hoc est, turbidiori: atque adeo hominem torquenti, dum veluti tortuosa exit. Diosc. IV. 146. simpliciter *στραγγουρίαν* dixit.

[c] *Ad virilia*] Ad virilium morbos. Diosc. loc. cit. *ad urinam.*

[d] *Batis quoque*] Hæc rursum dicentur, XXV. 50.

[e] *Acinon*] Dioscor. III. 50. Ἄκινος, ἢ ἄκονος . . . . . *πόα στεφανωματικὴ, παραπλησία ὠκίμῳ, δασυτέρα δὲ καὶ εὐώδης· παρ' ἐνίοις δὲ καὶ κηπεύεται.* Quid sit Dioscoridis *ἄκινος* nescire se fatetur Anguillara par. XII. pag. 206. Videtur esse ocimum sylvestre pictum a Dodonæo pag. 279.

[f] *Ciet menses*] Contra Diosc. loc. cit. *ἴστησι, sistit.*

CIII. (XXIX.) Anthalii, quod Ægyptii edunt, nullum alium reperi usum. Sed est herba[h] anthyllion, quam alii anthyllum[1] vocant, duorum generum, foliis[2] et ramis[i] lenticulæ similis, palmi altitudine, sabulosis[j] apricis nascens, subsalsa gustanti. Altera chamæpityi[k] similis, brevior et hirsutior, purpurei floris, odore gravis, in saxosis nascens. Prior vulvis[l] aptissima, ex rosaceo[3] ac lacte imposita,[m] et vulneribus. Bibitur[n] in stranguria, reniumque arenis,[4] tribus drachmis. Altera[o] bibitur in duritia vulvarum, et in torminibus, et in comitiali morbo, cum melle et aceto, quatuor drachmis.

CIV. (XXX.) Parthenium,[p] alii leucanthes, alii amnacum[1] vocant. Celsus apud nos,[q] perdicium, et muralem.[r] Nas-

CAP. CIII. 1 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Est et herba a. q. a. anticellion* Gronov. et vulgg. *anthyllis, quam alii anthyllion* alii ap. Dalec.—2 *Altera foliis* Dalec. Mox, Chiffl. *palmæ altitudine.* Deinde, pro *sabulosis*, margo edd. Dalec. et Gronov. *subsalsis*, e Diosc.—3 Gronov. *et ex rosaceo.*—4 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *renumque doloribus* edd. vett. et Gronov. *renumque anseris* Chiffl. unde quidam, *renumque ulceribus.* Mox, *quatuor drachmis* margo edd. Dalec. et Gronov. e Diosc. *drachmis. Bibitur item in, &c.* Vet. Dalec.

CAP. CIV. 1 Ita Harduin. 1. 2. 3. et Edd. recentt. sic etiam Chiffl. *leucanthemum, alii amaracum* margo edd. Dalec. et Gronov. e Diosc. *leu-*

NOTÆ

[g] *Colocasia*] Diosc. II. 128. ad cœliacos, dysentericosque commendat: additque vim habere εὐστόμαχον.

[h] *Sed est herba*] Diosc. in Nothis, pag. 460. Ἀνθυλλὶς, οἱ δὲ ἄνθυλλον, οἱ δὲ λευκάνθεμον.

[i] *Foliis et ramis*] Hæc prior anthyllis descripta a Diosc. iisdem verbis III. 153. ἡ μὲν γὰρ φακῷ παραπλήσια φύλλα ἔχει, κ. τ. λ. Delineata a Dodonæo, pag. 542.

[j] *Sabulosis*] Diosc. loc. cit. Ἐν ὑφάμμοις τόποις, καὶ εὐηλίοις, γευομένῳ ὕφαλμος.

[k] *Altera chamæpityi*] Sic Diosc. totidem verbis loc. cit. Galenus quoque, de Fac. Simp. Med. lib. VI. pag. 157. et interpres Oribasii, fol. 190. Est anthyllis chamæpityides minor Lobelii, in Observ. pag. 208. scite admodum ibi delineata. Fruticat in aridis arvorum marginibus juxta Montem Pessulanum.

[l] *Prior vulvis*] Diosc. totidem fere verbis ioc. cit.

[m] *Imposita*] Diosc. in pesso subdita, προστιθέμεναι.

[n] *Bibitur*] Diosc. loc. cit. Sed quatuor drachmis bibi jubet.

[o] *Altera*] Diosc. et Galenus locis cit.

[p] *Parthenium*] Posterior ætas Matricariam appellavit, *Matricaire, ou Marone.* Delineatur a Dodonæo, pag. 35. a Matthiolo, in Diosc. lib. III. pag. 907. Vide Notas et Emend. num. 24.

[q] *Celsus apud nos*] Lib. II. cap. 33.

citur in hortorum sepibus, flore albo,[s] odore mali,[t] sapore amaro. Ad insidendum,[u] decoctum [2] in duritia vulvarum, et inflammationibus. Sicca cum melle, et aceto imposita,[3] [v] bilem detrahit atram. Ob hoc contra vertigines utilis, et calculosis.[w] Illinitur [x] et sacro igni: item strumis, cum axungia inveterata. Magi contra tertianas sinistra manu evelli eam jubent, dicique cujus causa vellatur, nec respicere. Dein ejus folium ægri linguæ subjicere, ut mox in cyatho aquæ devoretur.

CV. (XXXI.) Trychno,[a] quam quidam strychnon [1] scripsere, utinam nec coronarii [b] in Ægypto uterentur, quos in-

canthen, *alii tamnacum* Gronov. et vulgg.—2 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *muralium* . . . *decoctæ* Gronov. et vulgg. *muralium* . . . *odore malo* . . . *decoquitur* Vet. Dalec. ‘ *Odore mali*] Ita quidem libri omnes scripti et editi. Melius tamen videtur, *odore malo*, ut habet Dioscorides.’ *Brotier*.—3 Margo edd. Dalec. et Gronov. *pota*, e Diosc.

CAP. CV. 1 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et

NOTÆ

‘ Herba muralis,’ inquit, ‘ (parthenium, vel perdicium appellant,) reprimit ac refrigerat.’ Et parthenium istud sane refrigerandi ac reprimendi habere vim insitam, haud obscure Dioscorides innuit, qui erysipelatis et inflammationibus imponi jubet. Quamobrem immerito carpitur hoc loco a Barbaro Dalecampioque Plinius, perinde ac si parthenium istud cum altero cognomine confuderit.

[r] *Et muralem*] Sic Mss. Reg. et Chiffl. non *muralium*. Ita etiam Celsus loc. cit.

[s] *Flore albo*] Diosc. *ἄνθη λευκὰ κύκλῳ*. Et vero a candore floris *λευκανθὲς* quoque ei nomen fuit.

[t] *Odore mali*] Ita libri omnes. An *odore malo?* Nam Diosc. loc. cit *ὀσμῇ ὑπόβρομον*, Oribasii interpres lib. XII. fol. 210. *odore subviroso*.

[u] *Ad insidendum*] Ad insidendum valet decoctum, in vulvarum duritiis et inflammationibus: *τὸ δὲ ἀφέψημα αὐτῆς, ἐγκάθισμα ὑστέρας ἐσκληρυμένης καὶ φλεγμαινούσης ἐστίν*. Diosc. loc. cit.

[v] *Sicca . . . . imposita*] Ita libri omnes. Sed Dioscoridem si unum audimus, *pota* legendum, non *imposita*. *Δύναται δὴ ξηρὰ σὺν ὀξυμέλιτι ἢ σὺν ἁλσὶ ποθεῖσα . . . . . φλέγμα καὶ χολὴν ἄγειν κάτω*. Diosc. loc. cit.

[w] *Et calculosis*] Diosc. loc. cit.

[x] *Illinitur*] Diosc. loc. cit.

[a] *Trychno*] Ita Galenus de Fac. Simp. Med. lib. VIII. pag. 237. *Τρύχνον, ἔνιοι δὲ μετὰ τοῦ σίγμα στρύχνον ὀνομάζουσιν*. Solanum Latini vocant, teste Plinio XXVII. 108. ex Celso. Hortense hoc prius a Dodonæo depingitur, pag. 451. Gallis, *Morelle*: Oribasio, in Ms. cod. lib. II. *Τρύχνον τὸ ἐδώδιμον, καὶ ἐν τοῖς κήποις φυόμενον*. Cælio Aureliano II. ‘ Uva lupina.’

[b] *Nec coronarii*] Alterum certe genus, quod halicacabum dicitur, adhiberi solitum in coronas, auctor est Galenus de Fac. Simp. Med. lib. VIII. pag. 237. post. Diosc. IV. 72.

vitat hederæ foliorum[2] [c] similitudo, in duobus ejus generibus. Quorum alterum,[d] cui acini[3] coccinei, granosi in folliculis,[4] halicacabum vocant, alii callion. Nostri autem vesicariam,[e] quoniam[5] vesicæ et calculis prosit. Frutex est surculosus verius, quam herba: folliculis magnis, latisque,[6] et turbinatis, grandi intus acino, qui maturescit Novembri mense. Tertio[7] [f] folia sunt ocimi, minime diligenter demonstrando,[8] remedia, non venena, tractantibus:[9] quippe insaniam facit, parvo quoque succo. Quanquam et Græci auctores in jocum vertere. Drachmæ enim pondere lusum pudoris[g] gigni dixerunt,[10] species vanas imaginesque conspicuas obversari demonstrantes. Duplicatum hunc modum, legitimam insaniam facere. Quicquid vero adjiciatur ponderi, repræsentari mortem.[h] Hoc est vene-

recentt. *Strychno, q. q. trychnon* Gronov. et al. vett.—2 'Ita bene cod. Reg. 2. et Editio princeps.' *Brotier.* Ita quoque Chiffl. *incitat ederæ florum* Gronov. et al. vett. *incitat florum* Harduin. 1. 2. 3. Miller. Bipont. et Franz.—3 *Præter illa tertium, cui acini* Vet. Dalec.—4 'Ita optime cod. Reg. 2. acini enim ejus granosi sunt in folliculis.' *Brotier. granosi folliculi* edd. ante Harduin.—5 Chiffl. *quod.*—6 Chiffl. *laxisque.*—7 '*Thryo. Thryon* ἕτερον vocat Theophrastus.' *Dalec.* Mox, pro *ocimi*, Chiffl. *acimi*; unde quidam *acini.*—8 Gronov. et al. ante Harduin. *demonstranda.*—9 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *tractanti* Gronov. et vulgg.—10 Chiffl. *lusum cigni dixerunt*, expuncto *pudoris.*—11 Vet. Dalec. *appellavere,*

NOTÆ

[c] *Hederæ foliorum* [*florum*] Mss. Reg. Colb. et Chiffl. *ederæ foliorum*, verius.

[d] *Quorum alterum*] Secundum hoc solani genus, πυῤῥὸν ἔχον τὸν καρπὸν, ἐοικότα ῥαγὶ σταφύλης μετὰ τὸ σχῆμα, καὶ τὸ μέγεθος, inquit Galenus loc. cit. Theophr. Hist. IX. 12. καρπὸν dixit ἐρυθρότερον κόκκου. Diosc. IV. 72. Ἔστι δὲ καὶ ἕτερον στρύχνον ὃ ἁλικάκαβον καλοῦσιν, κ. τ. λ. Et in Nothis: ἁλικάκαβον, οἱ δὲ καλλιάδα. Cratevas apud Diosc. IV. 75. καλέαν vocat.

[e] *Vesicariam*] Quemadmodum Græci φυσαλίδα vocant, quoniam intra folliculos orbiculatos vesicæ similes fructum, sive grana, includit, καρπὸν ἐν θυλακίοις περιφέρεσιν ὅμοιον φύσσαις ἔχει. Diosc. loc. cit. Officinæ Mauritanos secutæ *Alcaquengi* vocant, alii *Baguenaudes.*

[f] *Tertio*] Tertio solani generi, quod Græci θρύον vocant. Diosc. IV. 74. Στρύχνον μανικὸν, ὃ ἔνιοι περισσὸν, οἱ δὲ θρύον ἐκάλεσαν. Τούτου τὸ μὲν φύλλον παραπλήσιόν ἐστιν εὐζώμῳ, &c. *Huic folium erucæ proximum, &c.* Solanum letale Dodonæi, pag. 458. Italis *Belladona.*

[g] *Lusum pudoris*] Hoc verborum ambitu vanas imagines notat, quibus exercere se Venerem somniant ii qui drachmæ pondere solanum letale biberint. Tamen in Mss. vox *pudoris* abest.

[h] *Repræsentari mortem*] Galenus de Fac. Simp. Med. lib. VI. pag. 168.

num, quod innocentissimi auctores simpliciter dorycnion[i] appellavere, ab eo, quod cuspides[11] in præliis tinguerentur illo passim nascente. Qui parcius insectabantur,[12] [j] manicon cognominavere: qui nequiter occultabant, erythron, aut neurada: ut nonnulli,[k] perisson: cavendi causa[13] curiosius dicendum.

Quin et alterum[l] genus, quod halicacabon[14] vocant, soporiferum est, atque etiam opio velocius[m] ad mortem: ab aliis morion, ab aliis moly appellatum. Laudatum vero a Diocle et Evenore, Timaristo quidem etiam carmine, mira oblivione innocentiæ:[n] quippe præsentaneum remedium, ad dentium mobiles firmandos, si collucrentur[o] halicacabo in vino: exceptionem addidere,[15] ne diutius id fieret: delirationem enim gigni. En demonstrandâ remedia, quorum medicina majoris mali periculum afferat. Commen-

quod eo cuspides. Mox *in prælis* Chiffl.—12 Gronov. et al. ante Harduin. *qui p. spectaverant* Chiffl. *qui p. inspectabant:* et mox, *manicon nominavere.* —13 Ita codd. Harduini, cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *neurida...ne cavendi quidem causa* Gronov. et vulgg. *neurada...in cavendi causa* Chiffl.—14 Margo edd. Dalec. et Gronov. *quod et halica.* e Diosc. —15 Ita Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *halicacabo uni exceptionem addidere* Gronov. et al. vett.—16 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *gigni eo. Nec de-*

NOTÆ

et lib. VIII. pag. 237. si quatuor drachmæ bibantur.

[i] *Dorycnion*] Sic Apuleius cap. 22. 'Alii strychnon manicon, alii dorycnion, alii cacabon, Itali Apollinarem' vocant. Diosc. quoque, in Alexiph. in præf. pag. 401. et cap. 6. *Στρυχνὸν μανικὸν, ὃ καὶ δορύκνιον καλοῦσιν.* Galenus denique, *κατὰ τόπους*, x. 3. pag. 687. *Στρύχνου, οἱ δὲ δορυκνίου ῥίζης.* Græcis *δόρυ cuspis* est, et *lancea.*

[j] *Qui parcius insectabantur*] Vide Notas et Emend. num. 25.

[k] *Ut nonnulli*] Sic Diosc. IV. 74. *περισσόν.* Sic enim legendum, non *πέρσιον.*

[l] *Quin et alterum*] Soporiferum ab halicacabo discernit Dioscorides IV. 73. quanquam et ipsi soporifero halicacabi quoque appellationem inditam fatetur.

[m] *Opio velocius*] Diosc. contra, loco cit. vim somnificam habere prodidit, opio mitiorem.

[n] *Mira oblivione innocentiæ*] Obliti hi videntur innocentiæ, quam præ se ferre Medici debent, cum tam periculosam herbam laudarint. Innocentia enim Medici est, non monstrare, nedum laudare, quod majore discrimine adhibetur. Sic paulo ante innocentissimos appellat auctores eos, qui vel nomine ipso absterruere legentes ab ejus usu.

[o] *Si collucrentur*] Vide Notas et Emend. num. 26.

datur ergo in cibis[17] tertium genus, licet præferatur hortensium saporibus.[18] Et nihil esse corporis malorum, cui non salutare sit strychnos, Xenocrates prædicat.[19] Non tamen auxilia eorum tanti sunt, ut vel profutura de iis commemorare fas putem, præsertim tanta copia innoxiorum medicaminum. Halicacabi radicem bibunt, qui sunt vaticinandi callentes,[20] quod furere ad confirmandas superstitiones aspici se volunt. Remedio est (id enim libentius retulerim) aqua copiosa mulsa calida potui data. Nec[21] illud præteribo, aspidum naturæ halicacabum in tantum adversam, ut radice ejus propius admota soporetur illa sopore enecans vis earum. Ergo trita ex oleo percussis auxiliatur.

CVI. (XXXII.) Corchorum[p] Alexandrini cibi herba est, convolutis foliis ad similitudinem mori, præcordiis (ut ferunt) utilis, alopeciisque, et lentigini. Boum quoque scabiem celerrime sanari ea invenio: apud Nicandrum[q] quidem et serpentium morsus, antequam floreat.

CVII. Nec de cnico[r] sive atractylide verbosius dici par esset, Ægyptia herba, ni magnum contra venenata[s] anima-

monstranda edd. vett. et Gronov.—17 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *Commendatur et in cibis* Gronov. et vulgg.—18 Ita ex codd. Harduinus et recentt. *hortensis saporibus* Gronov. et vulgg. *hortensis sapor* Vet. Dalec. *hortensis sapore* al. vett. ap. Dalec.—19 *Et nil sit corp. mal. cui non salutare stry. Xen. prædicet* Chiffl. Mox, '*ut id pictura nos de his* Chiffl. Leg. *ut ideo plura de iis.*' Dalec.—20 'Chiffl. *valiginare gallentes;* unde quidam, *qui vaticinari callentes.*' Dalec. 'In codd. Regg. 2. 5. et Editione principe, *qui vaticinare gallantes.* Unde forte melius emendaretur, *qui vaticinari callent.*' Brotier.—21 Chiffl. *calida potu. Nec.* Mox, pro *præteribo*, Harduin. 1. *probo*, mendose; quod tamen retinuit Miller. id vero correxerunt Bipont. et Franz.

NOTÆ

[p] *Corchorum*] Corchoron appellant Cratevas, Theophrastus, et Nicander, quam Dioscorides Anagallidem, inquit Anguillara par. v. p. 92. Ἀναγαλλὶς gemina apud Diosc. II. 209. Pingitur a Dodonæo pag. 32. Folia esse ad similitudinem ocimi scribit Theophr. Hist. VII. 7. sed mori dixeris, an ocimi, parum interest.

[q] *Apud Nicandrum*] Is in Theriacis, p. 44. ubi adversus serpentes laudat Κόρχορον ἠμυόεντα. De eo parœmia vulgata, tum apud Suidam, tum apud Schol. Nicandri, Κόρχορον ἐν λαχάνοις, *etiam corchorus inter olera*, quod vile olus haberetur.

[r] *Nec de cnico*] Sylvestri scilicet, de qua c. 53.

[s] *Contra venenata*] Contra scorpionum ictus. Diosc. III. 107.

lia præberet auxilium: item adversus fungos. Constat[t] a scorpione percussos, quamdiu teneant eam herbam, non sentire cruciatum.

CVIII. (XXXIII.) Et persolutam[1][u] Ægyptus in hortis serit, coronarum gratia. Duo genera ejus, fœmina ac mas. Utraque subdita Venerem inhiberi, virorum maxime, tradunt.

CIX. (XXXIV.) Et quoniam in mensuris quoque ac ponderibus crebro Græcis nominibus utendum est, interpretationem eorum semel in hoc loco ponemus. Drachma Attica[a] (fere enim[b] Attica observatione medici utuntur) denarii argentei habet pondus. Eademque sex[1][c] obolos pondere efficit. Obolus X. chalcos.[d] Cyathus pendet

CAP. CVIII. 1 *Et prosolutam* Vet. Dalec.
CAP. CIX. 1 Ita codd. Harduini et Chiffl. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et

NOTÆ

[t] *Constat*] Diosc. loc. cit.

[u] *Et persolutam*] Peregrina hæc, et ignota.

[a] *Drachma Attica*] Transcripsit hoc caput de mensuris Plinius alter Valer. in Præf. Operis. Sic etiam Galenus de Compos. Medic. *κατὰ τόπους*, lib. VIII. cap. 3. p. 573. *Πρόδηλον, ὅτι δραχμὴν λέγομεν νῦν ἐν τοῖς τοιούτοις ἅπασιν, ὅπερ Ῥωμαῖοι δηνάριον ὀνομάζουσιν.* Celsus ad Natalem, Epistola præfixa operi Marcelli Empirici: 'Græci Medici pondera medicamentorum ad drachmas redigunt: quæ quia ad denarium conveniunt, (octoginta enim quatuor in libram incurrunt,) pro nota Græcæ drachmæ notam denarii posui, et ad ejus pondus drachmas redegi.' Scribonius Largus ad Callistum: 'Erit nota denarii unius pro Græca drachma: æque enim in libra denarii LXXXIV. apud nos, quot drachmæ apud Græcos incurrunt.' Ceteris, qui plurimi sunt, appellandis supersedeo. Est autem denarius apud Romanos, nummus argenteus, quales in Cimeliis vulgo visuntur, seu Consulum, ævi, seu Imperatorum. Quaternos ex his denarios fere nummus noster argenteus in Gallia complectitur, qui triginta assibus æreis permutatur.

[b] *Fere enim*] Caute *fere* addidit: nam et Urbis Romæ ponderibus interdum usi, ut Andromachus Medicus Neronis, ipso referente Galeno *κατὰ τόπους*, VI. 6. p. 499.

[c] *Eademque sex*] Dioscorides tomo XIII. operum Galeni, pag. 984. *Ἡ δὲ δραχμὴ, ἡ καὶ ὁλκὴ λεγομένη, ἄγει γράμματα τρία, τουτέστιν ὀβόλους στ'.* Suidas: *Δραχμὴ, ἓξ ὀβόλων.* Cleopatra, apud Galenum, tom. cit. p. 981. *Ἡ δραχμὴ ἔχει ὀβόλους στ'.* Et apud Marcellum Empiricum Victoriati pondus, seu denarii dimidii, trium esse obolorum dicitur, c. 9. p. 78.

[d] *Obolus X. chalcos*] Pauciores alii, ut video, chalcos in obolo uno computant. Diodorus apud Suidam, tantum sex: *ὁ δὲ ὀβολὸς χαλκῶν ς'.* Octo, Cleopatra loc. cit. *Ὀβολὸς ἔχει*

drachmas[a] x.[e] Cum acetabuli[f] mensura dicitur, significat heminæ quartam partem, id est, drachmas xv. Mna, quam[g] nostri minam vocant, pendet[3] drachmas Atticas centum.

recentt. *Eadem sex* Gronov. et vulgg.—2 Ita codd. Harduini et Dalec. cum edd. Harduin. 1. 2. 3. et recentt. *pendet per se drachmas* Gronov. et al. vett. —3 Dalec. *pendit.*

NOTÆ

χαλκοῦς ξ'. Plinius decem: ut in drachma chalci omnino sint sexaginta, quas ipse denariorum sexagesimas vocat, xxix. 11. et alibi.

[e] *Cyathus . . . drachmas X.*] Cyathi mensuram, inquit, drachmarum decem pondere Medici definiunt: acetabuli, quindecim: quicumque demum is liquor fuerit, qui ad pondus exigeretur. Isidorus Orig. xvi. 25. 'Cyathi pondus decem drachmis appenditur.' Fannius: 'At cotyle cyathos bis ternos una receptat. Sed de abaco nobis id pondus sæpe notatur: Bis quinæ hunc faciunt drachmæ: si appendere velles. Oxybaphum fiet, si quinque addantur ad istas.' Demetrius Alabaldus, de minutiis, cap. de Mensuris, inter Authores Linguæ Lat. p. 1527. 'Cyathi vero pondus,' inquit, 'fere drachmæ decem, sicut oxybaphi quindecim.' E Græcia item, Cleopatra, loc. cit. Ὁ κύαθος ἔχει δραχμὰς ι'.

[f] *Cum acetabuli*] Græci ὀξύβαφον vocant, quasi proprie ita dictum fuerit vasculum infundendo aceto comparatum, in quod intingerent cibum sumentes. De liquorum eo pondere, quod acetabulum caperet, suffragantur Plinio, præter Fannium ac Demetrium proxime appellatos, Heras Medicus, apud Galenum κατὰ γένη, v. 6. p. 786. ubi cotylen, quam Plinius heminam vocat, drachmas omnino ait sexagenas efficere, si appendantur, ὡς ξ' δραχμὰς ἑλκούσης τῆς κοτύλης· καὶ γὰρ ἕλκει ἥγε Ἀττικὴ, θ' οὐγγιῶν οὖσα τῶν Ἰταλικῶν. Cleopatra, loc. cit. Ἡ κοτύλη, μέτρῳ μὲν ἔχει κυάθους ϛ'. σταθμῷ δὲ < ξ', ℥ο ζ', καὶ σ'' . . . . τὸ ὀξύβαφον, ἔχει μέτρῳ μὲν κοτύλης τέταρτον, κύαθον α' σ''. σταθμῷ δὲ < ιε'. *Cotyle sive hemina, mensura quidem habet cyathos sex, pondere vero drachmas 60. sive uncias septem et semis . . . . Acetabulum habet mensura quidem heminæ quartam partem, cyathum unum et semis: pondere vero drachmas XV.*

[g] *Mna, quam*] Hæc Cleopatræ pariter Medica definitio est, mnæ pondus intelligi in medicamentis, ubi sunt Atticæ drachmæ centum: Ἡ Ἀττικὴ μνᾶ ἔχει οὐγκίας ιβ' σ''. < ρ'. *Mina Attica habet uncias duodecim et semis, drachmas centum.* Nec vero una semper apud Medicos locis omnibus temporibusque minæ æstimatio: ex iis enim, inquit Galenus κατὰ γένη, v. 3. p. 778. qui minam in drachmas secant, alii centum, alii etiam plurium drachmarum esse confirmant: quia et unciam plerique septem drachmas et semissem valere malunt, alii septem duntaxat: octo reliqui: Ἀλλὰ τῶν εἰς δραχμὰς ἀναγόντων τὴν μνᾶν, εἰσιν οἳ φασιν ἑκατὸν εἶναι δραχμῶν τὴν μνᾶν, ἔνιοι πλειόνων· ἐπειδὰν καὶ τὴν οὐγγίαν οἱ πλεῖστοι μὲν ἑπτὰ καὶ ἡμίσεως δραχμῶν εἶναί φασιν· ἔνιοι δὲ ζ' μόνον· ἕτεροι δὲ η'.

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD LIBRUM XXI.

NATURALIS HISTORIÆ

C. PLINII SECUNDI.

1. Cap. i. *Tenuioribus utebantur antiqui, stroppos appellantes: unde nata strophiola*] Sic *stroppos* priore loco exhibent Mss. Reg. Colb. Chiffl. &c. non, ut editi, *strophia*. Et vero Festus: 'Stroppus est,' inquit, 'ut Atteius Philologus existimat, quod Græce στρόφιον vocatur, et quod sacerdotes pro insigni habent in capite. Quidam coronam esse dicunt, aut quod pro corona insigne in caput imponatur, quale sit strophium. Itaque apud Faliscos diem festum esse, qui vocatur Strupearia, quia coronati ambulent,' &c. Alio longe significatu, 'strophium dactylicum' Prudentius cecinit, Hym. iii. ante cibum, vs. 26. 'Sperne, Camœna, leves hederas, Cingere tempora queis solita es: Sertaque mystico dactylico Texere docta liga strophio, Laude Dei redimita comas.' 'Dactylicum strophium' vocat carminis genus, quod Grammatici dactylicum, a dactylo pede, quo fere constat, appellarunt. Sic idem Hymno tertio, περὶ στεφάνων, vs. 208. 'Ast ego serta choro in medio Texta feram pede dactylico.' Strophium vero pro carmine usurpavit, quod στροφὴ Græcis, ut ᾠδὴ, *carmen* est, quo Deorum laudes continentur.

2. Ibid. *Serta, a serendo serviæ appellabantur*] Ita Mss. omnes proxime appellati. Forte rectius tamen, *a serendo serieve*. Nam et a *sero*, hoc est, necto, *series* dicta est. Rationem etymi Tertullianus subindicat, de Corona Mil. c. 5. 'Coronam si forte fascem existimas florum per seriem comprehensorum.' Et quoniam hic Tertulliani mentio incidit, juvat obiter alterum ejus locum afferre, quem Rigaltius et perperam edidit, et præpostere intellexit: libro nimirum de idololatria, c. 10. 'Floræ scholæ coronandæ:' ubi Rigaltius: 'Floralibus scilicet, Floræ sacris.' Sed quid ad Floram referri hæc opus est? Lege *Flore scholæ coronandæ:* nam ad eum modo morem alludit, quem Plinius c. 8. libri hujus significat, cum ait coronas Larium publicorum privatorumque honorem quondam fuisse.

3. Cap. x. *Nec odore nec specie probabilis est, quæ Græca appellatur a nostris, a Græcis lychnis*] Minus commode prius legebatur, *Nec odore nec specie probabilem, et quæ Græca, &c.*

oratione nec satis apte cohærente, nec quæ similitudinem veri ullam habeat. Quis enim centifoliam rosam, de qua proxime antea sermo, ad quam prior sententiæ hujus pars referebatur olim, si minus odore, at specie saltem, quodcumque demum genus illud rosæ sit, negaverit esse commendabilem probabilemque?

4. Cap. xvi. *Hæc sunt tantum*] Sic Mss. omnes, Reg. Colb. &c. Libri vero editi, *Nec hæc sunt tantum*. Salmasius in Solinum, p. 1068. *nexui tantum:* quasi sententia sit, combretum nexui tantum esse, id est, ad corollas necti. Id vero nec aures Latinæ ac teretes ferunt, et Scriptoris menti planissime adversatur. Nam in medicinis præterea quem usum id habeat, ipse inferius admonet, c. 77. non igitur tantum in coronas utile.

5. Cap. xvii. *Gaudet calcari, et atteri, pereundoque melius provenit*] In Mss. Reg. 1. &c. *et atteri pedoque melius*. Forte, *et atteri pede, quo melius provenit*. Sic Theophr. Hist. vi. 6. unde hæc manarunt: Φιλεῖ δὲ καὶ πατεῖσθαι, καὶ γίνεται καλλίω κατατριβομένης τῷ πάτῳ τῆς ῥίζης. At in Reg. 2. tamen, *pereundoque*, hoc est, dum perire videtur. Quare nihil moveo. Ut ut est, quod veteres illi de croci natura cultuque tradunt, magnopere discrepat a consuetudine nostri temporis, curaque, quam nunc in eo tuendo rustici homines adhibent. Illi namque loca ubi sererent, eligebant pressa vestigiis hominum: arbitrabanturque, quanto magis solum tereretur, tanto melius provenire. Nunc vero nihil tam inimicum putant, quam pedibus terram eam calcari, summoque studio inde et belluas et homines arcent.

6. Cap. xix. *Cilicium maxime laudatur, atque e Septemtrionalibus. Saliunca folio, &c.*] Ita Mss. Reg. Colb. &c. non, ut editi, *atque septemtrionale*, quanquam eodem ferme recidente sententia. Salmasius in Solin. pag. 1066. interpunctionem mutat, in hunc modum, *Atque e septemtrionalibus saliunca, &c.* Non intellexit iridem præcipue commendari, quæ in partibus Illyridis, quæ magis vergerent ad septemtriones, oriretur, a Theophrasto scilicet, Hist. ix. 7. Ἶρις δὲ ἀρίστη ἐν Ἰλλυρίοις .... ἐν τῇ ἀνακεχωρηκυίᾳ, κειμένῃ δὲ μᾶλλον πρὸς Ἄρκτον.

7. Cap. xxii. *Rubentem in cocco, qui a rosis migrante gratia, idem trahitur suspectu et in purpuras Tyrias, dibaphasque, ac Laconicas. Alium in amethysto, qui a viola, et ipse in purpureum, &c.*] Misere affectus ad hunc diem locus hic fuit. Sic enim libri editi: *Unum in cocco, qui in rosis micat. Gratius nihil traditur aspectu: et in purpuras .... Alium in amethysto, qui in viola, et ipse in purpureum.* Libri melioris notæ: Reg. 1. *In cocco, qui a rosis migrante gratia nihil traditur suspectu et in purpuras .... amethystum qui viola et ipse in purpureum.* Reg. 2. et Pintiani codex: *ut rubentem in cocco, qui a rosis migrante gratia nihil trahitur suspectu, et in purpuras .... amethystum, qui a viola, et ipse in purpureum, &c.* Sic etiam Vossianus, teste Gronovio. Atque hæc sane sincerior lectio visa nobis est, tutiorque conjecturis semita, si voculam unam exceperis, *nihil*, cujus vice *idem* idcirco rescripsimus, quod cetera percommode congruant, uti ex interpretatione nostra perspicuum est. Nihil fere attinet hic commemorare, quam varie hunc locum viri fama insignes emendare conati fuerint: ne tamen aliquid vel negligenter prætermisisse, aut maligne tacuisse videamur, id etiam referre operæ pretium ducimus. Itaque Pintianus ita legebat: *unum in cocco, qui rursus migrante gratia trahitur in species. In purpuras, &c.* Salmasius, in Tertull. de Pallio, pag. 138. *In cocco, qui a rosis micat, et gratius nihil: suspectu trahitur et in purpuras Tyrias, dibaphasque, ac Laconicas. Amethystum, qui in viola, et ipse in pur-*

pureum, &c. Idem in Solinum, p. 273. libri, ut ait, melioris auctoritate: *Ut rubentem in cocco, qui a rosis, nigrante gratia: hic trahitur suspectu et in purpuras, &c.* Gronovius, Notis in aliquot Plinii libros: *Ut rubentem in cocco, qui rosis nigrante gratia,* (vel, *micante nigritia*) *nihil cedit, suspectus et in purpura Tyria, dibaphaque, ac Laconica: amethystum, qui violæ, et ipse in purpura, eaque quam ianthinam appellavimus, &c.* Hæc vero qui sine præjudicata opinione cum libris conditivis fidei probatæ contulerit, accedere nos propius ad veteris scripturæ vestigia, non inficias, ut remur, ierit. Retineri certe oportere illud, *nigrante gratia*, indicant ista liquido, *a rosis*, et *a viola*. *Trahitur* quoque, non *traditur*, legi sincere, admonet istud, *in purpuras Tyrias, &c.* et quod mox sequitur de amethysto, *et ipse in purpureum, quemque ianthinum,* quæ libri omnes pertinaciter defendunt.

8. Cap. xxxiv. *Seritur autem semine melius, quam radice*] Hic censoria nota Plinium Dalecampius perstringit, post Ruellium, lib. ii. pag. 498. et post utrumque Salmasius, in Præf. pag. 99. falsos secuti Theophrasti codices, cum ex optimis editionibus Aldina et Basil. plane consentiant Theophrastea Plinianis. Sic enim ille scripsit, Hist. vi. 7. Ἀβρότονον δὲ μᾶλλον ἀπὸ σπέρματος βλαστάνει, ἢ ἀπὸ ῥίζης, καὶ παρασπάδος· χαλεπῶς δὲ καὶ ἀπὸ σπέρματος, προμοσχευόμενον ἐν ὀστράκοις, κ. τ. λ.

9. Ibid. *Rutæ vice fruticant*] Sic Mss. Reg. Colb. Th. Chiffl. In editis perperam, *ritu vitis*. Theophr. loc. cit. unde hæc Pliniana manarunt: Ἐμβιῶσαν δὲ καὶ αὐξηθὲν, μέγα καὶ ἰσχυρὸν, καὶ δενδρῶδες γίνεται ὥσπερ τὸ πήγανον.

10. Cap. xxxix. *Sequitur œnanthe, melianthum, &c.*] Quisquis demum flos ille sit melleus, quem melianthum ex ea re vocat, sinceram hanc lectionem esse hujus loci tum libri omnes pertinacissime clamant, tum res ipsa admonet. Nam et hoc loco et in Indice, Mss. Reg. Colb. Th. *melianthum* legunt: et quod ex Theophrasto scribi *melanion* malunt, abhorret id a consuetudine Plinii, qui violam nigram purpuream dixisset, uti λευκόϊον *violam albam* proxime ante reddidit: nec res ipsa μέλαν ἴον, seu *violam purpuream*, hoc loco appellari patitur, post narcissum liliumque: quam fere ante reliquos flores prodire Martio mense, vere ineunte, et Plinius paulo ante docuit, et omnes norunt: unde Martiæ violæ nomen ei vulgus adjudicat.

11. Cap. lx. *Caule foliato est et crepis et lotos*] Sic restituimus ex Mss. Reg. Colb. Th. aliorumque fide, qua neglecta libri editi perperam habent, *et crepis et apate*. Quin et in Indice hujus libri, ex iisdem exemplaribus legitur, *crepis, lotos*. Denique Theophr. Hist. vii. 9. qui nunc, ut sæpe alias, Plinio præit, ἐπικαυλόφυλλα, inquit, κρηπὶς, λωτὸς, κ. τ. λ. Quanquam sunt qui πικρὶς ibi literis permutatis legi, quam κρηπὶς, malunt.

12. Cap. lxiv. *Et intra seminat*] Prius legebatur, *intra se germinat*, invitis libris omnibus primitivis, Reg. Colb. Th. Chiffl. quos secuti sumus: astipulante præsertim scripturæ veteri Theophrasto, hoc ipso loco quem ob oculos Plinius haud dubie habuit, Hist. vii. 14. ubi de lappa agit: Ἐν τούτῳ γὰρ ἐγγίνεται τῷ τραχεῖ τὸ ἄνθος οὐ προϊὸν, οὐδὲ ἐκφαῖνον, ἀλλ' ἐν ἑαυτῷ πεττόμενον, καὶ σπερμογονοῦν· ὥστε παρόμοιον εἶναι τὸ συμβαῖνον, ὥσπερ ἐπὶ τῶν γαλέων .... ἐκεῖνά τε γὰρ ἐν ἑαυτοῖς ᾠοτοκήσαντα ζωογονεῖ, κ. τ. λ. *Nascitur enim flos in eo ipso hirsuto et aspero, non exiens, neque evidens, sed intus maturescens, et semen pariens: ut illi simile sit, quod in mustelis evenit: quæ ubi intra se ova pepererunt, mox gignunt animalia, &c.*

13. Cap. lxx. *Tertia Theræo*] Ita rescripsimus admonitu codicis Reg.

2. in quo *Thereon* legitur, suffragante imprimis Dioscoride, qui I. 4. cyperum pariter laudat, qui e Cycladibus insulis petitur, ἀπὸ τῶν Κυκλάδων νήσων, in quibus est Thera, ut in Geographicis libris docuimus. Prius *Thraciæ* legebatur.

14. Ibid. *Vulvas aperit pota*] Quærit Pellicerius in Notis Mss. an potius, *vulvas aperit fotu?* Nam Diosc. I. 4. de cypero: Ταῖς παρὰ μήτραν δὲ καταψύξεσι καὶ μύξεσι πυριωμένη ἁρμόζει, ἄγουσα ἔμμηνα. *Vulvæ perfrigerationibus et obstructionibus fotu accommodatur, mensesque evocat.* Sed nihil movendum Plinius ipse admonet, subjungens statim, 'Largiori tanta vis, ut expellat eas:' quæ de largiore potu haud dubie accipienda sunt.

15. Cap. LXXII. *Opisthotonicis cum resina arida imponitur excalfactoria. Et rosa astringit, refrigerat*] Prius legebatur, *arida imponitur. Excalfactoria et rosa uteros astringit, refrigerat.* Insulse: nam si excalfactoria rosa est, qui tantam vim refrigerandi habeat? Deinde vox *uteros* abest a Mss. At calefaciendi vim resinis omnibus inesse Galenus admonet de Fac. Simp. Med. VIII. 17. p. 224. Ῥητῖναι πᾶσαι ξηραίνουσι καὶ θερμαίνουσι. Rosæ vero refrigerant et astringunt sane, ut Diosc. quoque vidit, I. 130. et filii ceteri Medicorum agnoscunt: Ῥόδα ψύχει καὶ στύφει. Quare apposite Plinius dixit, *Et rosa astringit, refrigerat*, quemadmodum juncus odoratus scilicet, de quo proxime antea sermo fuit, quem ipse idcirco bilem et sanguinem rejicientibus esse utilem prodit. Diosc. I. 16. leviter ac modice astringere, ad sanguinis rejectiones esse salutarem, radice etiam magis astrictoria, et ad stomachi fastidia utili: Δύναμιν δὲ ἔχει .... ὑποστύφουσαν μετρίως .... χρήσιμον πρὸς αἱμάτων ἀναγωγὰς .... Ἡ δὲ ῥίζα στυπτικωτέρα, διὸ καὶ τοῖς ἀσσώδεσι στομάχοις δίδοται, κ. τ. λ.

16. Cap. LXXVII. *Bacchar .... perpressam vocant*] Sic Reg. 2. Th. et Chiffl. Sic ipse Plinius XXVI. 55. Sic Dioscor. in Nothis, pag. 441. etsi ibi bacchar, errore haud levi, non secernatur ab asaro: Ἄσαρον, οἱ δὲ νάρδος ἀγρία ...Ῥωμαῖοι περπρεσὰμ, οἱ δὲ βάκχαρ. In aliis codd. *perpensam* legitur.

17. Cap. LXXXIV. *Polium contra serpentes*] Hoc ipsum de tripolio narrat Dioscorides. Unde Salmasius, in Solin. pag. 1067. effici vult habitam a Plinio magno errore herbam eandem, πόλιον ac τριπόλιον. Salmasio præivit Nic. Leonicenus. Sed aberravere ii a vero longissime, dum unius Dioscoridis vestigiis insistunt: quem liquet eorum abductum errore, quos Plinius admonet XXVI. 22. cum polio tripolium confudisse. Nam de polio hæc accipienda esse, præter Plinium docet, Dioscoride Plinioque multo vetustior, Nicander in Theriac. pag. 4. ubi ea recenset, quæ vel instrata serpentes abigant: Ἢ σύ γ' ὑποστορέσαιο λύγον πολυανθέα κόψας, Ἢ πόλιον βαρύοδμον. Ubi Gorræus interpres: *Viticis aut longæ sectis molire cubile Caudicibus, poliive olidis insternere ramis.* Scholiastes ad eum locum, pag. 8. Τὸ πόλιον εἶδος βοτάνης βαρύοσμον, κ. τ. λ.

18. Ibid. *Substerni, uri, vel portari*] In editis hactenus, *substernitur, vel portatur.* In Reg. 1. *substerniturí portari.* In Reg. 2. *substerni, uri, potari*, lectione sane haud pœnitenda. Nam Diosc. III. 124. polii decoctum epotum ait venenatorum morsibus succurrere: ac mox, substrato eo suffitoque abigi bestias venenatas.

19. Cap. LXXXVI. *Melissophyllo, sive melittæna*] Sic Reg. 1. 2. Thuan. Chiffl. non, ut editi, *sive melittide.* Sic Diosc. III. 118. Μελισσόφυλλον, ὃ ἔνιοι μελίτταιναν καλοῦσιν. Et Nicander, in Theriac. pag. 89. Τὴν ἤτοι μελίφυλλον ἐπικλείουσι βοτῆρες, Οἱ δὲ μελίτταιναν· τῆς γὰρ περὶ φύλλα μέλισσαι Ὀδμῇ θελγόμεναι μέλιτος ῥοιζηδὸν ἵενται. *Agrestes meliphyllon eam dixere bubul-*

ci, *Sive melittænam, quod captæ mellis odore Stridere apes circum soleant, et sidere ramis.* Hesychio, Μελίταινα, πόα τις, ἣν ἔνιοι μελιττέναν, ἄλλοι μελισσόφυλλον.

20. Ibid. *Item contra vulvarum strangulationes, addito nitro*] Ita Mss. omnes, editique libri. Tamen Saracenus in Notis ad Dioscoridem, Plinianam orationem emendatione egere putat, ac *fungorum* potius quam *vulvarum* legi oportere. Dioscorides enim, III. 118. ubi de melissophyllo: Βοηθεῖ, inquit, καὶ τοῖς ὑπὸ μυκήτων πνιγομένοις σὺν νίτρῳ τὰ φύλλα πινόμενα, καὶ στροφουμένοις. *Folia quoque addito nitro bibita iis auxiliantur, qui a fungis strangulantur, necnon et torminosis.* Strangulari autem eos qui fungos ederint, vel ex ipso Dioscoride notum est in Alexiph. cap. 23. Corrigendum igitur ex Dioscoride Plinium pronuntiat. Cur, quæso, magis quam ex Plinio Dioscoridem, cujus vitiata fœde exemplaria norunt eruditi? An non fieri perfacile potuit, ut pro ὑπὸ μητρῶν, ab erudito aliquo ὑπὸ μυκήτων scriberetur? Aut si strangulationi quæ a fungis oritur, mederi hæc herba potest, cur non eadem et strangulationi ei opituletur, quæ a conversione vulvæ proficiscitur?

21. CAP. LXXXVII. *Melilotos.... cum luteo ovi, aut lini semine*] Prius legebatur, *cum lacte, aut cum lini semine.* At Reg. 1. *cum luteo.* Reg. 2. *cum luteo cui ante lini semine.* Quæ certissima sinceræ scripturæ vestigia. Adde Diosc. III. 48. de meliloto: Δύναμιν ἔχει μαλακτικὴν πάσης φλεγμονῆς, μάλιστα δὲ περὶ ὀφθαλμοὺς ... ἐνίοτε δὲ μετ' ᾠοῦ λεκίθου, ἢ λινοσπέρμου. Melilotum ad caligines, obscuritates, et suffusiones oculorum commendat pariter Theod. Priscian. I. 10. de Oculorum Causis.

22. CAP. XCIV. *Sunt qui phrenion vocent*] Φρένιον. Sic sane in Indice. Et Mss. Reg. Th. Chiffl. *fremion* habent. Vera tamen lectio φαίνιον videtur. Nam Theocriti Scholiastes, ad Idyll. V. 92. Σωσίβιος, inquit, τὰς ἀνεμώνας παρὰ Λάκωσι φαινίδας καλεῖσθαί φησι. A splendore fortassis et coloris venustate, ἀπὸ τοῦ φαίνεσθαι.

23. CAP. XCVII. *Hoc ibi fuco hysginum tingunt*] Parmensis editio, ceteræque ante Hermolaum, atque adeo libri omnes manu exarati, Reg. Colb. Chiffl. Th. *Hoc ibi loco hysginum tingunt.* Reposuit Hermolaus, *Hoc ibi pro cocco hysginum tingitur.* Nos certiore conjectura, *Hoc ibi fuco hysginum tingunt.* Sic roseo fuco tinctam purpuram Catullus dixit in Argonaut.


24. CAP. CIV. *Parthenium, alii leucanthes, alii amnacum*] Sic Mss. omnes, etiam in Indice: non, ut editi, *tamnacum.* Quanquam verius utrobique forsan, *amaracum.* Nam Diosc. III. 155. Παρθένιον, οἱ δὲ ἀμάρακον, οἱ δὲ λευκάνθεμον. Sic etiam interpres Oribasii lib. XII. fol. 210.

25. CAP. CV. *Qui parcius insectabantur, manicon cognominavere*] Libri hactenus editi, post Hermolaum, *qui parcius spectaverant.* Prius in edit. Parm. *spectabatur.* At in Reg. 2. cod. *inspectabantur*, unde nos, extrita literula, *insectabantur* rescripsimus. Tria fuisse nomina ejus herbæ ait: primum, quod innocentissimi scriptores indiderint, dorycnion, qui infamare eam voluere, et quantum in ipsis erat, cavere, ne cui noceret. Alterum, quod ii qui parcius insectabantur, et subesse tamen in ejus usu quiddam periculi admonebant, insaniam videlicet: manicon igitur appellarunt. Postremum est, quod ab iis impositum, qui nequiter occultabant, et virus ejus nosci appellato ejus nomine nolebant: quare erythron illi, aut neurada dixere.

26. Ibid. *Si colluerentur halicacabo in vino. Exceptionem addidere, &c.*] Prius legebatur: *Si colluerentur: halicacabo uni exceptionem addidere.* Plane contra Dioclis, Evenoris, ac Tima-

risti sententiam, quos Plinius laudat auctores: ad eam enim medicinam halicacabum adeo non excepere ii, ut inprimis potius commendarent: quo nomine carpuntur obiter a Plinio: etsi exceptionem eam, cautionemque adderent, ne diutius in ore id teneretur. In Reg. 2. cod. legitur, *halicacabon vino*. In Colb. 3. *halicacabon vino*. At Diosc. plane rem decidit, IV. 73. ubi succum halicacabi decoctum in vino opitulari dentibus ait, si contineatur ore: *ἐναφεψηθεὶς δὲ οἴνῳ καὶ διακρατούμενος, ὀδονταλγίαις ἀρήγει.* Ut ex vino Dioscorides, sic ex aceto adhiberi jubet Archigenes apud Galenum, *κατὰ τόπους*, v. 5. pag. 474. et 475.






VE RI
TAS

P. PAPINII STATII

OPERA OMNIA

EX EDITIONE BIPONTINA

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICE LOCUPLETISSIMO

ACCURATE RECENSITA.



VOLUMEN QUARTUM.

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1824.

SYLVARUM LIB. V.

Omnibus affectibus, &c.] Mutilata est epistola, et supra dimidium vetustate amissa. Nam cum Sylvarum omnium, quæ singulis libris continentur, mentionem facere soleat, in hac primæ tantum argumentum legitur. *Domit.* Unde P. Scriver. monet præfationem Abascantium non totius lib. v. sed Primæ esse Silvæ.

CARM. I. 3 *Solatia grata marito*] *Concipere solatia*, mire dixit pro ἀγαλματοφορεῖν. ut tacite alludat ad etymon ἀγάλματος. Siquidem est ἄγαλμα πᾶν ἐφ' ᾧ τις ἀγάλλεται, *Res, donum, signum quo sibi quisque placet*: unde pro oblectatione et consolatione accipitur. Idem seq. Sylva: 'Animo fortes castrorum concipe curas.' Corn. Gallus: 'Concipiunt geminum flagrantia corda dolorem.' *Morell.*

6 *Phidiaca vel nata manu, &c.*] Idem Propertius Apelleæ tabulæ signum Phidiacum subjunxit. *Nata*] Martial. 'Formata cœlo Phidiaco.' Ciceroni, 'Generata species ex ære.' In Carm. de II. Cons. 'Tum species ex ære vetus generataque Nattæ Concidit, et Divum simulacra peremit.' *Reddare*] Picta vel ficta, non ut Alcestis Orco revocata ab Hercule reddita est Admeto dolenti, qui stupens ait apud Euripidem: Ὦ φιλτάτης γυναικὸς ὄμμα καὶ δέμας, Ἔχω σ' ἀέλπτως οὔποτ' ὄψεσθαι δοκῶν. Ut interpretor: *O conjugis charissimæ oculi membraque, Tu redderis spem præter omnem mihi viro.* Idem.

15 *Condere sepulchro*] Carmina enim omnibus monumentis perenniora. Horat. 'Exegi monumentum ære perennius, Regalique situ Pyramidum altius.' *Barth.*

16 *Sera quidem tanto struitur medicina dolori*] Tritum Græcis Heroicum adagium, Ἀρχὴν ἰᾶσθαι πολὺ λῷον, ἢ τελευτήν. *Principiis obsta, &c.* A. Seneca ad Martiam: 'Cupissem primis temporibus ad istam curationem accedere. Lenire medicinæ fuisset: oriens adhuc restinguenda mali vis: vehementius contra inveterata pugnandum est.' *Morell.*

22 *Injustos*] Audax veterum impietas et capitalis. Quadrigarius apud Gellium: 'Hoc maxime,' inquit, 'cernitur Deorum iniquitas, quod optimum quemque non sinunt inter nos perennare.' Is Christiane refellitur a Lipsio de Constant. lib. I. *Cruceus.*

28 *Eumenidumque, &c.*] Etiamsi ipsos Eumenidum angues placare possent. de 'anguibus' primum ab Æschylo Eumenidum comis adjectis, ad Claudianum. *Barth.*

33 *Genitrix Sipyleia*] In aliis omnibus codicibus *genetrix sipellea* extat confuso carmine et sensu, ut ex hac una obscuritate multis deinceps carminibus tenebræ oborirentur. Nos *Sipyleia* emendavimus: ut Nioben intelligas quæ ex Sipylo urbe Mæoniæ fuit versa in saxum ob dolorem amissorum filiorum adhuc lacrymas emittens. Cum hac prima mortali concubuit Jupiter, ut refert Diodorus: Semele ultima. *Domit.*

34 *Titonida mœsti*] De Auroræ Tithoni conjugis luctu ob Memnonem filium ab Achille cæsum, Transformator Met. XIII. poëta, 'Luctibus est intenta suis Aurora, piasque Nunc quoque dat lacrymas, et toto rorat in Orbe.' Uterque vates leporem quærit in παρονομασίᾳ 'roris' et 'Auroræ.' quasi 'ros Eous,' Auroræ sit fletus. Philostratus in Tab. Memnonis, Ἠὼς ἐπὶ τῷ παιδὶ πενθοῦσα κατηφῆ

ποιεῖ τὸν ἥλιον. Ex Q. Calabro. Paralip. B. *Ἠὼς δ' ἐστονάχησε καλυψαμένη νεφέεσσι. Nubibus implicita ingemuit Tithonis opacis.* Morellus.

36 *Mater Achilleis, &c.*] Hiemes pro undis maris, ut sæpe alibi: has vero Thetis filii busto affricabat, quippe Nereis salis æquore madida, ut de Venere anadyomene canit Ausonius. *Cruceus.*

37 *Macte animi*] Quasi diceret cum Pedone Albin. ad Liv. 'Et quisquam leges audet tibi dicere flendi? Et quisquam lacrymas temperat ore tuas?' *Morell.*

45 *Nuptumque prior*] Nuptum in accusandi casu pro nuptiis posuit. Prior, inquit, nuptias passa est Priscilla, alteri enim marito juncta fuerat, post cujus excessum nupsit Abascantio. Nubere non modo feminæ dicuntur, sed et viri. Juven. Sat. II. 'Quid quæris? nubit amicus.' *Cruceus.*

51 *Laudentur proavis*] Et hi versus mendis impediti inexplicabiles erant: nam ubi scribendum est *laudentur proavis*, legebatur *laudentur proavi*. Nos ita castigavimus, ut dicat: Aliæ, quæ carent laudibus animi, laudentur a bonis corporis et fortunæ, ut a nobilitate majorum aut a forma: tu vero, Priscilla, laudaberis a me a moribus et bonis animi, quæ una vera laus est. *Domit.*

52 *Falsoque potentes*] Aristoteles in Politicis, l. IV. cap. 8. *Σχεδὸν παρὰ τοῖς πλείστοις οἱ εὔποροι τῶν καλῶν κἀγαθῶν δοκοῦσι κατέχειν χώραν.* Horatius I. Epistol. 1. 'Hos solos aiunt sapere et bene vivere, quorum Conspicitur nitidis fundata pecunia villis.' Quare non incommode Q. Ennius 'opulentos' interpretatur, quos Euripides dixit *δοκοῦντας, potentes, nobiles, probatos.* Tametsi A. Gellio l. XI. cap. 4. non videatur satisfacere sententiæ Euripidis. *Falso*] Quia potens, *κρατῶν, δοκῶν, nobilis, εὐγενὴς,* nemo vere est, a quo virtus absit. *Morell.*

58 *Fraternus adulter*] Nota historia ex tragœdia: nam Thyestes Meropem Atrei fratris uxorem precio corruptam compressit, suscepitque eo concubitu Tantalum quem sibi apposuit Atreus. *Domitius.* Vide Fabulam apud Higinum cap. 258. *Dulichii proci*] Penelopes.

63 *Vitam impendere famæ*] Hoc monent Socraticæ chartæ, et Satyra: 'Summum crede nefas, animam præferre pudori; Et propter vitam, vivendi perdere causas.' *Morell.* Vide et Marquard. Freher. lib. de Fama cap. 209.

69 *Melius*] Dii, inquit, melius fecerunt, quod non in adversis, sed in secundis fidem tuam in virum probasti. *Domit.*

73 *Advolveris aris*] Plurimi jam istam advolutionem tam ad aras, quam ad limina et januas templorum, pro caris hominibus adnotarunt. Vide nos ad Claud. et Comm. Joh. Passerat. ad Prop. lib. III. Eleg. 17. *Genium Domini*] De Genio dominorum Imperatorum vide not. Desid. Heraldi ad Tertulliani Apolog. cap. 29. Passerat. ad Propert. lib. IV. Eleg. 9. Cæsar. Bulinger. lib. I. de imperatore c. 6. Nos ad Rutil. Numatianum lib. I. Itiner. vs. 327. *Barth.*

78 *Digna evolvere*] Catull. in Coma: 'Non, si me infestis discerpant sidera dictis, Condita quin veri pectoris evoluam.' *Sobria corda*] *Πινυτὰς φρένας. Σώφρονος καὶ σωφροσύνης* notatio ab Aristotele tradita Moral. ad Nic. lib. IV. *παρὰ τὸ σώζειν τὴν φρόνησιν, Sobriis cordibus* congruit. *Morell.*

83 *Jubatis humeris*] Fortissimis, a jubatis leonibus epitheton; nam leonum generositas juba spectatur, ut ait Plinius. Primusque Sylla centum jubatorum pugnam edidit in prætura. *Domit.*

87 *Romulei mandata ducis*] Ne Pitho quidem mihi persuadeat officium magistri Epistolarum hic descri-

bi, tametsi fuit magnæ dignationis, sed amplius quoddam munus et cura numerosior, ut verbis poëtæ utar, haud dubie exprimitur, cujus nomen exquirendum est. Hoc autem duplex, Antiquum et novum, Antiquum nomen Cura annuli. Colligo ex Justino in extremo lib. XLIII. scribente Trogum fuisse sub C. Cæsare magistrum epistolarum et legationum, et habuisse annuli curam: quas dignitates videtur Statius Abascantio item tribuere. Novum autem illius officii nomen est Cancellarius Latinis, Græcis logotheta, nam hæc duo non distinguit Nicetas lib. VII. de rebus Man. *Cruceus.*

89 *Binominis Istri*] Eodem epitheto usus Silius: nam Ister ex monte Arnobe in Germania ortus immenso aquarum auctu per multas regiones defertur, appellaturque Danubius: cum Istriam attingit, Ister dicitur, sexaginta amnibus receptis septem ostiis in mare erumpit: ut Ephorus tradit, quinque tantum. *Domitius.*

94 *Præterea*] Est præterea, inquit, cura Abascantii pandere, et monere Imperatorem cum ordines militares distribuit, quis sit idoneus centurio, quis idoneus præfectus cohortis aut tribunus militum, aut equitum magister. *Domit.*

95 *Pandere quis centum*] Nihil ineptius interpretibus, qui centurionem, præfectum cohortis, tribunum et magistrum equitum describi putant. Quis enim centurionem 'equitem' dixit, utcunque equos in agmine haberent. Quis dein centurionem ductorem 'centuplum manipulorum?' Interim cum ipse quoque hærerem, consului τὴν ὑπέρμεγαν Salmasium, qui me nunquam nisi aliquid doctum a se dimisit. Is tum statim respondebat mihi de equitum legionariorum præfecto primum, de alariorum ultimum versum intelligendum esse. Sed manebat in vocibus difficultas. Postero die cum ad eum revisissem, eandem fere conjecturam utrique in mentem venisse deprehendi. Scribe: *quis centum valeat frenare maniplis Intermissus equos.* vel, *Intermixtus. Frenare centum equos* est centum equites ducere. Vide Veget. lib. II. c. 1. et 6. Hanc militarem dignitatem designat Statius. *Qui centum equos frenabat Intermixtus maniplis*, h. e. qui centum equitibus præerat in coborte milliaria. *Eques* tamen manere potest, ut sit hypallage, *frenat centum eques* pro equites. Ut enim præfectus meret equo, ita etiam turmæ. Vide *Gronov. Diatrib. cap.* 47.

97 *Præstantior ordo*] Duo genera tribunorum in legione: quidam laticlavii, alii angusticlavii. De priori genere hic Statius, et lapidum veterum inscriptiones. De posteriori Suetonius in Othone, ubi vocat Suetonium Lenem tertiæ decimæ legionis tribunum angusticlavium. Turneb. Advers. lib. I. et Lips. de Militia Dial. lib. II. cap. 9. *Cruceus.*

101 *Non plura interprete*] Abascantium, ob numerosas vel innumeras in sacra Augustaque domo curas, confert Mercurio, qui ab Homero celebratur Διὸς υἱὸς διάκτορος, Jovis internuncius interpresque Deorum, et χρυσόῤῥαπις, ἔχων ῥάβδον μετὰ χερσὶ Καλὴν, χρυσείην; 'Virga levem coërcens Aurea turbam.' *Morell.*

105 *Quæque tuas laurus*] Nam cum Domitianus L. Antonium bellum moventem in superiore Germania oppressisset, ipso quo dimicatum est die statuam Imperatoris Romæ aquila circumplexa pennis clangores lætissimos edidit: pauloque post rumore quodam adeo vulgatum est, Antonium occisum esse, ut plerique caput ejus apportatum quoque contenderent. Hæc inquit Papinius: Fama, quæ solet esse nuncia rerum Domitiani, non velocius nunciat res novas ex toto orbe quam Abascantius. *Domit. Cursu*] Malim *curru*, quod vulgatum est. De 'curru Fa-

mæ' alibi, et sic doctissimus olim amicus noster Marquardus Freherus de Fama lib. I. cap. 4. Intelligit vero hic veram rem Papinius, eique hunc locum recte jam ante nos adaptavit præstantissimus Casaub. ad Sueton. p. 310. *Barth.*

110 *Vicisti gaudia, &c.*] Stupenda supinitas Bernartii, qui hic notat: ritu Romano. Juvenalis: 'gremio jacuit nova nupta mariti.' Apuleius: 'Accumbebat summum torum maritus Psychen suam gremio suo complexus.' Statius narrat, quo die Abascantius in domum imperatoriam adscitus magnosque honores adeptus esset, epulo celebrato, Priscillam Cæsaris genibus advolutam ei gratias pro marito egisse. Bernartius observat sponsas nuptiali cœna in gremio mariti jacuisse. Par σύγκρισις ad illud in Epithal. Stellæ: 'et nostra poterat considere concha.' Pertinet huc, inquit, illud Horatii: 'ut trabe Cypria Myrtoum pavidus nauta secet mare.' Hæc indicasse sufficit. *Gron. Diatr. cap.* 47.

113 *Vertice Aonio*] Parnassi. Nam Aones populi eum tenuerunt, ut scribit Strab. Non sic, non sic, inquit, lætari solet is qui princeps sacerdotum deligitur vel a Phœbo vel a Baccho, ut Abascantius gavisus est eo munere ab Imperatore sibi delegato. *Domit.*

114 *Quem pater arcani præfecit*] De oraculi Delphici præfecto intellige. Nam 'arcanos antri hiatus,' hic appellat locum cui Pythonissa vaticinans insidebat, et spiritum fatidicum nudato ventre hauriebat, unde etiam *Ventriloqua* dicta fuit. Isidorus in Glossis: 'Ventriloqui, præcantatores.' Quocirca errat eruditus juvenis, qui nuper apud Isidorum erasa littera, 'Ventiloqui,' quasi a 'ventis' dicti sint, substituere conatus est. Nam *Ventriloqui* Græcis sunt ἐγγαστριμάντεις et ἐγγαστρίμυθοι, qui scilicet, ut dixi, ventre aperto, vaticinandi vim recipiebant. *Gevartius.*

115 *Cui jus venerabile*] Id est, cui Bacchus tribuit jus et principatum suorum sacerdotum: nam antea in omnibus codicibus ita legebatur, *primi cujus venerabile thyrsi*: sed, ut puto, cuivis legendum est eo sensu quem explicavimus. *Domit.*

116 *Attonitæ catervæ*] Ebriæ et Bacchi numine afflatæ: *mutata quies*, sic vocat virtuti addictum et tranquillum animum, vid. Barth. Advers. l. 96.

121 *Ipsa dapes modicas, &c.*] De Domit. Ὀλιγοδειπνίᾳ, ξηροφαγίᾳ ἐν μεταδείπνοις, sine arte cœna, et modica in ampulla potiuncula, Suetonius cap. 22. Flaccus ad Pis. de Chori officio: 'Ille dapes laudet mensæ brevis.' Claud. 'Inventis utere cibis.' B. Ambros. Serm. in Fer. II. post Dom. 2. Quadr. 'Fames amica virginitatis est, inimica lasciviæ: saturitas castitatem prodigit, nutrit illecebras.' *Exemplum herile*] Principis παράδειγμα, quanti sit ponderis ad censuram morum, apud εὐζήλους, non Διονυσοκόλακας κακοζήλους, Diodorus Sic. lib. XIV. rite declarat. Et Tiberius Nero in literis ad Senatum de coërcitione profusarum cupedinum, apud Tacitum Ann. III. et Claudian. de IV. Cons. Hon. *Herile*] Ἀρχικὸν, βασιλικὸν, δεσποτικόν. Aristot. Politic. I. *Herus*, quasi ἔρως ἢ ἔρος, de quo dici potest: Εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς. *Morell.*

127 *Per Arctos, &c.*] De expeditione quam Domitianus necessario suscepit in Sarmatas, legione cum legato simul cæsa, utque de iis lauream modo Capitolino Jovi retulerit, Sueton. cap. 6. De iisdem Dionys. Afer. vs. 653. Ἐθνέα Σαυροματέων Ἐσθλὸν Ἐυαλίου γένος Ἄρεος. *Idem.*

130 *Si castra darent*] Si lex militiæ permitteret; nam non licebat mulieri castra ingredi. Inde illa indignatio Virgiliana: 'sequiturque (nefas) Ægyptia conjunx.' Idem innuit Propertius: et Titus Mutius damnatus

est quoniam uxor Calvisii mala cupidine visendi situm castrorum habitu militari ingressa est, stuprumque cum eo commisit. *Domit.*

181 *Latus intercludere*] Id est, tueri objectu sui corporis et armorum. De Amazonibus et earum 'peltis' omnia sunt nota: vide Xenoph. passim. Ælianus, ἡ πέλτη μικρά τις ἀσπιδίσκη καὶ κούφη, *Pelta clypeolus levis, ut parmula.* Morell.

184 *Sudoribus hastæ*] Quam et ipsam gestabat Abascantius. Vel certe proximus aderat eam gestanti Cæsari. Illud potius puto. Magnam autem dicit, ne qua in parte Heroibus priscis minorem eum efferret. Ita in Theb. XII. 'Quercum Marathonida' Theseo tradit, cujus etiam umbram non tulerunt in acie hostes. Ita de Achillis hasta turres quatiente Horat. *Barth.*

186 *Mæsta*] Nunc est tempus sumere serta comis meis ex cupresso. *Damnata*] Quæ dicata est Plutoni, cum sim temperaturus carmen funebre et Plutonium. Plinius: 'Cupressus Diti sacra, et ideo funebri signo ad domos posita.' *Domit.*

140 *Torvo quam non, &c.*] *Hæc*, Invidia, quam domum et familiam *lumine torvo*, truci obtutu, acutis oculis non *figat*, penetret, designet ad ruinam? Huic βλοσυρώπιδι, apud μεταμορφωτὴν, 'Pallor in ore sedet, macies in corpore toto, Nusquam recta acies.' ὑπόδρα ἰδοῦσα Homerice. A Luciano in Calumniæ Tab. Φθόνος pingitur ὠχρὸς καὶ ἄμορφος, ὀξὺ δεδορκὼς, καὶ ἐοικὼς τοῖς ἐκ νόσου μακρᾶς κατεσκληκόσι. *Morell.*

141 *Sæva dextra*] Funesta, φθονερᾷ, φονίᾳ· quia φθόνος φόνον gignit. *Perturbet gaudia*] Quippe cujus 'livent rubigine dentes,' &c. *Idem.*

163 *Et pectore terget Limina*] Interpretatur hæc vir doctus ad Martial. de votis, quæ in templorum postibus assignarentur. Sed exegesis est, et unum dicunt hæc duo 'signare fores' et 'limina tergere.' Theb. IX. 'Pictasque fores et frigida vultu Saxa terunt.' *Gronovius in Diatr.*

168 *Clausa barathro*] Ubi istud βαράθρον? an juxta tumulum, in sanguineo cavo? ibi enim Hercules Euripidis mortem excipere insidiis tentat; ut Alcestin eripiat. *Morell.*

170 *Novissimus horror*] Ms. Senensis *error* habet, idque cum judicio probatum Eu. Swartio, erudito viro, in Analectis. Virg. de Dido: 'oculisque errantibus alto Quæsivit cœlo lucem.' Stat. 'ille oculis extremo errore solutis Labitur.' Vide Gronov. Diatr. c. 47.

174 *Immotas obversa genas*] Rigidis genis, et pendulis malis. Pers. 'dissutis undique malis.' Tibullus 'genas percisas' tribuit Manibus. Idem Hippocrat. de labiis solutis, pendentibus, rigidis: θανατῶδες δὲ καὶ χείλεα ἀπολυόμενα, καὶ κρεμάμενα, καὶ ψυχρὰ, καὶ ἔκλευκα. *Morell.*

181 *Salvo ordine*] Scilicet naturæ. Nam cum essem senior, debui mori ante te. *Domit.*

182 *Potiora longa senecta*] Nam vidi plura et lætiora quam quævis aliæ quæ ad extremam senectam pervenissent. *Idem.*

182 *Vidi altæ propius*] Cognovi te in dies gratiorem charioremque Imperatori esse, et majore apud eum gratia pollere. *Altæ dextræ*] Majestas Imperat. ὑψίχειρ· ut 'longæ manus' Nasoni: 'An nescis longas Regibus esse manus?' Hac vero χειροκρατίᾳ non semper significatur χειροδίκης, ut apud Hesiod. et Ovid. 'cui rigido jus dicitur ense.' Sed etiam ὕπατος καὶ χειροδίκαιος. Eustath. ὁ πρὸ τῶν χειρῶν οἷον φέρων τὸ δίκαιον, 'cui justa potensque manus:' mox, 'genius potens.' *Morell.*

185 *Non in te fatis, &c.*] Nulla jam tibi fata, nulli Dii, nulla nocebit invidia, consumtæ enim omnium eorum vires sunt in hac tanta plaga, quam tibi per interitum meum intulerunt.

Ego omnia infortunia tua mecum aufero. Ita recte interpretamur cum Gevartio, apud quem vide hæc latius Elect. lib. III. p. 115. *Barth.*

188 *Nunc quod cupis ipse videri, &c.*] Verba ex testamento Priscillæ sunt, fidei mariti committentis, ut statuam Cæsaris in Capitolio collocandam curaret, ex auri pondo centum: adulatio Cæsarum ævo frequentissima. Lapis vetus in Hispaniis:

PIETATI. AVG.
L. LVCRETIVS. FVLVIANVS. FLAMEN
COL. IMMVNIVM. PROVINTIAE
BAETIC. PONTIF. PERPETVVS
DOMVS. AVG. T. P. I. EX. ARG. P.

Meminere etiam frequenter Jurisconsulti nostri. ab hac mente igitur Papinius, sed pessime ab imperitis acceptus, uti quilibet perspicit, nisi qui parum sapiat, aut videat: tu viros doctos audi (quibus suffragatur vetus) rescribentes: 'et quod cupis ipse juberi.' *Bernart.*

202 *Conjuge*] Eurydice, Orphei uxor. Nota fabula. Fuit item Eurydice Clymeni filia uxor Nestoris, quæ ei peperit septem filios et unicam filiam. Denique Eurydice, de qua hæc Pherecydes scribit: Ἀκρίσιος γαμεῖ Εὐρυδίκην τὴν Λακεδαίμονος, τῶν δὲ γίνεται Δανάη· χρωμένῳ περὶ ἄρσενος παιδὸς, ἔχρησεν ὁ θεὸς, κ. τ. λ. Et Eurydice mater Hæmonis, qui ad tumulum Antigones se necavit, ut scribit Apollodorus. *Domit.*

205 *Ille etiam certe, &c.*] Scribendum, *certæ*, id est haud ambiguæ. Alludit fabulam Admeti et Alcestidis. Nempe cum non dubium esset, utrum ipsi, an uxori vita deserenda esset. Sic Mart. 'Tu melius certæ meruisti pignore vitæ, Ut tibi non esset morte probandus amor.' *Gron. Diatr.*

213 *Palæstini, &c.*] Bis peccat hic Gevartius. Primo dum Palæstinos et Hebræos liquores pro eodem usurpari putat, nempe pro balsamo, qui tamen nisi apud Statium distinguuntur, inanis repetitio admittatur necesse est. Itaque Palæstinos liquores interpretor Syriacos, puta manna, quem rorem Syriacum vocari observavit Petrus Crinitus, et Brodæus in Miscell. Palæstina autem Syria olim dicta Plin. lib. v. cap. 12. et hinc Palæstinus Syrus Tibullo dicitur lib. I. Hebræos vero liquores expono balsamum, quod Hebræis Judæisque peculiare, teste Plin. lib. XII. cap. 5. et id gratulor venisse in mentem Gevartio. Syrios odores ad funera adhibitos testis Propertius lib. II. Eleg. 13. Nec modo manna sed et malobathrum per Palæstinos liquores licebit exponere, qui frutex in Syria nascitur: ex eo unguenta fieri odorata præter Horatium testis Dioscorides lib. I. cap. 10. et Plin. l. XII. cap. 26. Aptum est servandis cadaveribus, cum sit calidum et siccum, ut inquit Avicenna. *Cruc.* *Palæstini*] Lege: *Palæstinis simul Hebræique liquores.* Usu particulæ, quo Tacit. Ann. VI. 'Appius Silanus Scauro Mamerco simul ac Sabino Calvisio.' Ann. III. 'et quindecimviri septemviris simul.' Et sic Salisb. primaque Veneta. Sequenti versu lege et distingue: *Cinyreaque germina. At altis Ipsa toris.* Gronov.

214 *Coryciæque comæ*] Corycus urbs Cilissa, ubi 'spica Cilissa' frequens: ut Crocus vocatur ab Amerino poëta, lib. IV. 'Terque lavet nostras spica Cilissa comas.' Et a Peligno Fast. I. 'Cernis odoratis ut luceat ignibus æther, Et sonet accensis spica Cilissa focis.' *Cynarea germina*] Κακογραφία. Scribendum, *Cinyreia;* vel *Cinareia*, si laudetur Lat. mutatio τοῦ Υ ψιλοῦ in A. quomodo calix fit a κύλιξ, de quo monuimus in hunc vers. ex horto Columellæ, lib. X. vs. 172. 'Et lacrymas imitata tuas Cinyreia virgo.' De Myrrhæ incestu cum patre Cinyra, vel Thoante, Assyriorum Rege, ejusque in arborem μεταμορφώσει, Apollodorus lib. III. Κατοικτείραντες αὐτὴν εἰς δένδρον μετήλλαξαν, ὃ καλοῦσι

Χρίστιν. *Morell.*

220 *Illam tranquillo, &c.*] Sic Flor. Rom. Venet. Cod. Conspecta mariti pietate, defunctam quidem lugendam non arbitrati sunt, quæ felix et sic plorata marito: eam ergo felicem vocabant, atque optato fine ad quietem pervenisse ei gratulabantur: in mariti tamen gratiam luxere: seu ipsum, ejus vicem doluerunt, qui tam beata conjuge viduatus esset, non defunctæ. Seneca ad Polybium: 'Non recuso quicquid lacrimarum fortunæ meæ superfuit, tuæ fundere.' Ita enim legendum ex opt. codd. Mss. *Gronov. Diatr. c.* 47.

223 *Ponit gemitus*] Nam sacerdotes Cybeles, gestantes Deæ statuam, et digladiantes inter se furore, ad Almonem usque fluvium progrediebantur extra portam Capenam, ita repræsentantes Deæ luctum cum flevit Atyn: illicque lotis cultris et deposito furore ad templum redibant. Deponit igitur illic gemitus Cybele, quoniam ejus sacerdotes cum illuc pervenerunt, lachrymas et furorem ponunt. *Domit.*

227 *Ardoremque Rogi*] An quia 'ardor' perstringit oculos qui augent dolorem? Atqui 'odor alienus' et 'nidor' nares ferit, et opplet, ait Varro de R. R. lib. III. c. 4. An igitur palato doctorum sapiet τὸ *Nidoremque rogi?* Morell. *Ardoremque rogi*] Ms. Flor. Rom. Venetaque edd. *Clamoremque rogi,* quod pulcherrimum est, ipsiusque Papinii. Nec aliud est, quam quod Virg. notat: 'mœsta supremum voce ciemus.' *Gronov. Diatr. Beato Composuit*] Beatus est dives. Componi mortui dicuntur, cum in feretro seu lecto funebri collocantur. Horat. I. Sat. 9. 'Omnes composui felices, nunc ego resto.' Et quoniam cadaver ita disponebatur, ut pedes ejus januam, qua efferendum erat, spectarent, ideo Scaliger in Festum, et Lipsius Elect. I. componere apud Persium explicant, collocare et in janua ponere mortuum pedibus in publicum conversis, quod Græci προτίθεσθαι vocant. Sed profecto illius verbi significatio simplicior est, nec aliud involvit quam positionem in lecto, vel etiam sepulturam. *Cruceus.*

228 *Nil longior ætas*] Hæc vatis præsagia certa fuere: 'nec edax abolere vetustas' hoc Priscillæ conditorium potuit per 1400. ferme annorum seriem. Siquidem eodem monumento Viæ Appiæ condita et siccata membris integris inventa memoratur sub Sixto IV. Pont. Max. A. S. CIↃ CCCCLXXI. *Morell.*

230 *Tantas*] Reliquias marmoreo monumento conditas dicit. De 'Sepimentis monumentorum' pulchre Is. Casaub. ad Suet. Ner. c. 33. illustrato hoc loco. Quæ omnia reposuit Joh. Kirchmannus Funer. lib. III. cap. 17. *Barth.*

232 *Hoc ære Ceres*] Dearum effigies vultu Priscillæ insignitas dicit, ex consuetudine ejus ævi. De qua multis alio loco. *Gnossis*] Dianam dicit in Creta venari solitam. *Idem.*

236 *Mensæque parantur*] Ad sepulcra res divina fiebat, sacro parentali, quo nomine mensæ in sepulchris ponebantur et Græco et Romano more, ut Cicero de Legibus, et plerique Græci auctores tradidere. Possis referre et ad Silicernium, sive cœnam funebrem quæ nono funeris die ad sepulchra dabatur. Tacitus Annal. VI. 'novemdialem eam cœnam dixisset.' Papinius quo singularem Abascantii amorem notaret, non nono solum die, sed quotidie funebrem cœnam et epulum in ejus honorem datum narrat, qui honor sane non vulgaris. *Bernart.*

245 *In eodem*] Parva phaselus in eodem æquore sibi partem, ut et immensi Austri, sibi vindicat. Nihil hic neque difficile neque absonum. Accedo tamen Gevartianæ correctioni: *it eodem parva phaselus Æquore;* quæ

concinniorem sententiam facit. Navem vero 'Alexandrinam' præ cæteris nominat ob molem et frequentiam earum, quodque privilegiis etiam conspicuæ fuerunt, ut indicat Seneca Epist. 79. *Barth.*

249 *Ne Cerbereos Priscilla, &c.*] Propert. lib. III. El. 17. 'Exoranda Canis tria sunt latrantia colla: Suadenda est torvi publica cymba senis.' *Morell.*

256 *Tristes aperire tenebras*] Miror judicium docti viri, qui contrarium ex mente Papinii esse ait, rescribitque: *tristes operire tenebras.* Quid enim clarius, quam densas tenebras, quæ sua umbra claudunt, et obtegunt ea, quibus obducuntur, *aperiri* dici? Quæ et 'spissæ' et 'discuti' alibi dicuntur. Vide *Gronov. Diatr. cap.* 48.

257 *Elysios animæ prasternere flores*] Τὸ *prasternere,* jam olim hic repositum in cod. Adr. Turn. *præspargere* et *jacere.* Liv. lib. XXXIII. hunc morem flores, corollas, lemniscos spargendi in honoratissimos viros, stabilit hoc scripto: 'Omnes tendere ad Imperatorem Rom. ut ruente turba in unum adire, contingere dextram cupientium, coronas lemniscosque jacientium, haud procul periculo fuerit.' His etiam mortui aspersi. Vide Sueton. in August. 'Conditorium et corpus Alexandri M. prolatum e penetrali, corona aurea imposita ac floribus aspersis, veneratus est.' Virgil. Æneid. VI. *Morell.*

258 *Ubi supplice dextra*] Apollodorus Bibl. lib. II. narrat Theseum Pirithoumque, viso apud Inferos Hercule, 'supplices manus' ei porrexisse, bona spe, virtute illius, ad vitam redeundi. *Morell.*

CARM. II. 1 *Saltus Tegetis*] Agrum Tarquiniensem intelligit: nam in Etruria in agro Tarquiniensi sulco ab aratore altius impresso, Tages puerili specie extitit, cœpitque affari aratorem. Ille vero terrore concussus, clamans totam concivit Etruriam: quæ uno conventu Tagem loquentem audivit. Sermo autem fuit exceptus et scriptus libris Etruscorum, habitusque est pro aruspicina. Inde enim aruspicina sumpsit artem et initium. *Domit.*

5 *Ægeas hiemes, &c.*] Proverbium de sævo et periculoso mari. Artemidorus, Onirocrit. lib. II. c. 12. Καὶ τὸ φοβερώτατον πέλαγος Αἰγεῖον λέγεται. Peculiare de hoc caput est apud Constantinum Porphyrogenetem lib. I. Thematum. *Barth.*

7 *Atque oculis longo querar aëre vinci*] Non dubium apud intelligentes judices erit, veram esse scriptam lectionem: *atque oculos.* Bernart. Sic et Lindenbrog. ad h. l. et Meurs. ad Arnob. pag. 48. Vide et Boxhorn. Epist. quadam ad Joh. Fred. Gronov.

10 *Gaudia*] Uda gaudio lumina; per ὀξύμωρον. Oculi gaudio delibuti lachrymantur. Andromache Virgiliana subito Æneæ occursu, lætitia: 'Diriguit visu in medio,...lachrymasque effudit.' *Morell.*

11 *Etiamne optanda propinquant*] Perstat in eodem ὀξυμώρῳ ἀλληγορικῷ. 'Rudimenta militiæ,' quia 'clara,' etiam 'optanda,' quippe quæ parentes et amici ὄπτεσθαι, *spectare*, percupiunt, qua vero 'Periculosæ plena res est aleæ.' *Tristia*, ut 'honores onerosi.' Pindarus etiam, 'optatæ virtutis' tristes adjungit comites, laborem, sumptum, periculum: Αἰεὶ ἀμφ' ἀρεταῖσι πόνος δαπάνα τε μάρναται πρὸς Ἔργον κινδύνῳ κεκαλυμμένον. *Id.*

14 *Mentem sua non capit ætas*] Eleganter. *Ætas sua* est hominis illius, qui eam mentem habet, mentem ejusdem puta non capit. Sapientia et animus istius pueri major annis est. Vide *Gronov. Diatr. cap.* 48.

18 *Trabe, ac remis*] Corruptissime, nec ullo sensu. Nam eum nec ex plebe fuisse vult, neque etiam equestris tantum conditionis, sed patriciæ: equites vero trabeatos fuisse docuere Critici. Legendum ergo ex

Ms. *trabeaque Remi.* Vid. Lips. in Annal. III. et Demster. ad Rosin. Antiq. l. I. c. 1. et l. X. Turneb. Advers. lib. XII. c. 6. *Nec paupere clavo*] Id est, filius alicujus militis manipularis: nam caligæ habitus sunt manipularium. Hæ autem clavis figebantur: unde clavi caligarii a Plinio dicuntur, et nos illic exposuimus, ostenderet tot milia clavorum. *Domit.*

24 *Emeritos parentes*] Qui alebantur publice ob plurimas in juventute promeritas palmas. *Barth.*

28 *Primaque*] Lunatis calceis, id est, habentibus speciem mediæ lunæ, utebantur nobiles. Vel quod id esset indicium animas aliquando habitaturas in circulo lunæ, quod nonnulli putarunt, ut Castor tradit. Vel quod indicium esset fragilitatis humanæ. Vel quod sit parendum magistratibus, quemadmodum luna subsequitur splendorem solis, et inde lucet, ut in commentariis Juven. recitavimus ex quæstionibus Plutarchi. Vel quod Arcades, qui se a luna oriundos dicebant, talibus uterentur calceis, quos imitabantur Romani qui se ab Evandro Arcade oriundos arbitrabantur. *Domit.*

29 *Tyrios ex more, &c.*] Tyrios sinus et tunicam potentem ἐκ παραλλήλου dixit; nihil enim significat nisi tunicam laticlavi purpuream, quam ait Crispinum puerum sumpsisse una cum petriciis lunatisque calceis, ex more. Quæ duo postrema verba confirmare videntur Marsilii sententiam negantis opus fuisse liberis Senatorum indulgentia principis ad jus Laticlavi obtinendum. Vide Sueton. c. 38. Augusto et Casaub. ibi. *Cruceus.*

32 *Protinus ingrediens*] Hinc conjicere est Vectium Bolanum Crispini parentem ὁμήλικα, *coævum*, prope fuisse Neronis, qui vix septendecim annos egressus erat, auctore Tacito XIII. Annal. cum per bona initia Domitium Corbulonem retinendæ Armeniæ præposuit. *Morell.*

35 *Corbulo*] Armenia cum sub Tyridate rege a Nerone deficeret, per Domitium Corbulonem in ditionem venit. *Domit.* Conf. Tacit.

43 *Metari Bolanus agros*] 'Metari,' dividere suis finibus et metis, proprium castrorum verbum. Vegetius: 'Metatores qui præcedentes locum castris idoneum eligunt.' Tertullianus metaphora scita adversus Valentinianos: 'Inferius illum metatur medietatem Achamoth.' Idem de Pallio: 'Nostra certe metatio (quod clausis vel in totum Homericis oculis liquet) totum versiforme est.' *Bernart.* *Aperire malignas, &c.*] Hoc non alienum est a 'collucatione:' sed 'collucare' proprie veteres Romani dicebant, ramos profanæ sylvæ lumini viæque officientes decidere. Sophocl. ξύλα θραῦσαι. *Malignas*] Obscuras, angustas. Maro Æneid. VI. 'Quale per incertam Lunam sub luce maligna Est iter in sylvis.' *Vepres*, sentes, βάτοι. *Morell.*

48 *Sic Phryges*] Jason cum 18. navibus ad Trojam navigavit comite Hercule; vicitque Laomedontem. Ut vero Homerus tradit, Hercules illac navigavit, quoniam cum liberasset Hesionem filiam Laomedontis expositam monstro, pater equos quos promiserat et puellam non dabat. gubernator navis fuit Oicleus filius Amphiarai. Misit legatos ex littore Oicleum et Telamonem ad Laomedontem: utrumque detrusit in carcerem Laomedon. Priamus Laomedontis filius patri consuluit ut servaret promissa. quod cum negaret, duos enses attulit Telamoni; qui effracto carcere ad littus ad Herculem accurrit, injuriamque narravit. Exarsit bellum, occubuit Oicleus. Telamon primus muros ascendit: propterea post victoriam ab Hercule coronatus est, et donatus Hesione puella. Quamvis, inquit Papinius, Hercules illic pugnaret, tamen Phryges etiam time-

bant Telamonem. Ita et hostes non solum Corbulonem, sed etiam Bolanum timebant. *Arma Nemeæa*] Pellem leonis Nemeæi intelligit, qua indutus erat Hercules: ita enim emendandum censuerim, quamvis mendose in omnibus codicibus legatur: *Vectita viderent Arma.* Domitius.

52 *Cognata ministret, &c.*] Eruditus Bernartius: 'Spurium hoc et spurcum,' inquit, 'literula adjecta depurat vetus: *Laus animo.*' Ergo sequens connexio, *atque*, elidatur necesse est, aut ruet a culmine versus hoc sibilo tanquam ariete percussus. Quid si hoc loquendi genus nec spurium nec spurcum fuerit? quandoquidem τὸ *cognata* in numero multitudinis ad *exempla domestica* refertur: συγγενῆ ἔργα ἢ παραδείγματα: quæ vera laus paterna suppeditat et subjicit animo liberorum. *Morell.*

57 *Sortito rexerit anno*] Proconsules enim sorte in provincias mittebantur. Dixi alibi. Allusit Tertullianus aureolo de Præscript. adversus Hæret. libro: 'Huic sortito obtigisse semen Abrahæ, atque ideo hunc de terra Ægypti filios Israël in terram Chanaan transtulisse.' *Bernart.*

65 *Prolem sine præside linquens*] Sequor hic veterem scripturam ut veritatis vindicem, et orbitatis indicem. 'Præsidis nomen generale est, eoque et Proconsules et Legati Cæsaris, et omnes Provincias regentes, licet Senatores sint, Præsides appellantur.' Macer J. C. l. I. D. de Off. Præs. Sed et lato significatu, Paterfamil. Præses familiæ, Dominus domus. Homerus: θεμιστεύει δὲ ἕκαστος Παίδων ἠδ' ἀλόχων. *Præsidet hic et natis atque uxoribus unus.* Morell.

67 *Albenti amictu*] Puram togam intelligit, quæ initio juventæ dabatur, quod cum ex aliis monumentis, tum ex Ciceronis verbis agnoscas; ubi ait se cogitasse de toga pura tradenda Ciceroni filio. *Domitius.*

74 *Luxuriæ confine tenens*] Nihili lectio. Prorsus scriptum Papinio *confine timens*, ne illo videlicet tam vicino vitio mergeretur. Exemplo illius Maroniani: 'Arctos Oceani metuentes æquore tingi.' Nihil verius, quam sic scripsisse Papinium. Sed et simpliciter melior est ista scriptura, quæ ipsis confiniis abstinuisse dicit Crispinum, cum qui semel ea ipsa tangat, perraro non capiatur a fœdo illo monstro. Nitorem pro splendore vitæ, luxuriæ non cedente, neque avaritia victo, supra non semel posuit. *Barth.*

75 *Dispensata*] Quam pro jure suo unicuique tuorum domesticorum distribuis. *Domit.*

76 *Miseræque ignoscere matri*] Non bene hic Domitius. Claudenda post τὸ *matri* periodus, et mens hæc est: omnes numeros pietatis, Crispine, implevisti: prout unius cujusque persona ordoque requirebat, erga illum grassatus es. Sic fratrem quidem æquævum anteponebas; patrem venerabaris; infelici autem matri ignoscebas. Hei mihi! hic fatum domus vestræ matris mentione facta animum meum ulcerat pungitque: tibine illa temperare manu sua venenum sustinuit? &c. Ita abrupta et præcisa hæc oratio, ut magnam perturbationem figuret: in qua exprimenda divinus plane Statius noster. 'Admonere' non protrita notione dicitur, quicquid aliquo cum aculeo teloque in memoriam redit, et, ut Tullius ait, 'animum memoria refricat.' *Gronov. Diatr. c.* 49.

81 *Infestare juvat Manes*] Hoc impietatis arguit Hom. Οὐχ' ὁσίον φθιμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι. *Infestare nefas, Manes vexare sepultos.* Seneca Epig. VI. 'Stringere in extinctum tela cruenta caput.' *Precatu*] Imprecatione dira: ita Græcis, ἀρὰ pro κατάρα, et εὔχεσθαι *precari*, pro ἐπεύχεσθαι, *imprecari.* Philoctetes Sophocleus, Ὄλοιο· σοὶ γὰρ πολλάκις τοῦτ' ηὐξάμην. Ovid. de Philoct. 'Laërti-

adæque precaris Quod meruit.' Ceterum quis non animadvertat hæc consulto et composito dicta esse a poëta, ut Crispini pietatem insigniorem redderet, et viam pararet ad gravissimam prosopopœiam? *Morell.*

86 *Nec primo in limine*] Quisquis Deus, inquit, nos curat, et conatus scelerum non reprimit, videtur excitare ad scelus. *Domit.*

88 *Excidat illa dies ævo, &c.*] Papinianus lib. XV. D. de Condit. Inst. 'Quæ facta,' inquit, 'lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, et contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est.' Ulpianus: 'Semper heredis interest, defuncti existimationem purgare.' lib. I. §. 6. D. de Injur. et Famos. lib. *Morell.*

96 *Amnem*] Letheum, ut obliviscaris mater commissi sceleris cujus conscientia te cruciat. *Domit.*

97 *Sic crescunt crimina*] Interpellat laudes Crispini: dum enim, inquit, te laudo, majus crimen matris fit. Nam quo tu præstantior es, eo illa ostenditur sævior fuisse quod potuerit parare venenum. *Domitius.*

102 *Et castum vibraret Julia fulmen*] Legem Juliam de Adulteriis Augustum tulisse, expeditum: pœna quæ fuerit, adhuc hodie quærunt viri docti: capitalem fuisse plerique credunt, Relegationem tantum nonnulli. Adi Lipsium nostrum ad Taciti Annal. IV. cujus scrinia non compilo. Consule et Rævardum nostrum lib. IV. cap. 6. Cæterum ut ad Papinium revertamur, legem Juliam, quod noster hic notat, pravis moribus pene abolitam, initio principatus Domitianus restituit. *Bernart.*

103 *Tu quanquam non ante*] Qui neque usu satis poteras, et in foro, judiciis ac legibus parum exercitatus eras, nec dum aggressus controversias explicare forenses. *Οὔπω εἰδὼς ἀγορέων*, ut Phœnix de alumno suo Heroë loquitur. Cicero pro P. Quinto, in Exord. *Morell.*

108 *Dardaniusve, senes*] Sic scribendum, et habent etiam codices Aldini. Per 'Dardanium senem' Albæ Reges ab Ænea oriundos intelligit. Ut multis retro seculis nihil tale contigisse sententia sit. *Strage fori*] Reis hinc inde corruentibus. *Barth.*

115 *Tendentem cursus*] Scio alibi Statium scribere: 'Obliquant tenduntque vias.' Sed mihi milvinam oggessit, quod habent Rom. et Veneta editiones: *Pendentem cursus.* Quo aurigatur et Ms. Medicæus, qui *Prendentem* habet; quod possit videri dictum, ut 'carpere viam,' 'carpere gyrum' Maroni. Sed isto modo Statius reliquit. Ita egit equum Crispinus, ut non equitare, sed volare, non campo vehi, sed supra pendere videretur. Claudianus Paneg. in IV. Cons. Honorii: 'Vix comites alæ, vix te suspensa sequantur Agmina.' 'Pendere cursus' genus loquendi Græcis et Latinis usitatissimum, pro pendere in cursibus, vel pendentem facere cursus. *Gron. Diatr.*

120 *Flagrabat Elisam*] Dura locutio: sententiam videmus esse hanc: Incendebat Elisam ut similem puerum ex Ænea gignere cuperet. Ipsa ante mortem clamat: 'si quis mihi parvulus aula Luderet Æneas, qui te tantum ore referret.' *Barth.*

121 *Gyro leviore*] Vide an sit potius, *breviore.* Cæsar de Bello Gall. lib. IV. 'In declivi ac præcipiti loco incitatos equos sustinere, ex brevi moderari ac flectere.' Tibullus lib. I. 'et angustis quod equum compescit habenis.' Ad Messallam: 'curvo brevius contendere gyro.' Ovidius in Epist. Phædræ: 'Sive ferocis equi luctantia colla recurvas, Exiguo flexos miror in orbe pedes.' *Gronov.*

123 *Ogygio*] Thebano. Varro in re rustica: Thebæ ante cataclysmon Ogygis conditæ. Ogygia vero insula est quam tenuit Calypso in mari Ionio, Lacinio promontorio propinqua. Par-

thenopæum autem designat, quem vexasse metas Arcadas dixit: nam et ipse fuit Athalantæ Arcadis filius. *Ogygio in pulvere*] Circa mœnia Thebana: nam ad Thebas cum aliis ducibus pugnavit formosissimus, ut scribit Diodorus. *Domitius.*

129 *Flectere Castor equos*] Versus hi jamdiu negotium exhibuere viris doctis. Tiliobroga in Parisiens. editione rescripsit: *Flectet Castor equos, humeris quatet arma Quirinus.* Quæ lectio plane inepta est, imo solœcissat. Quis uspiam *quatet*, pro *quatiet* legit? Itaque vulgata lectio illius versus sollicitanda non erat. Sed quod sequitur, quinam sunt illi *Nubigeri clypei?* Interpretes intelligunt 'clypeos albos et candidos,' in quibus nihil depictum, de quibus Virgil. Æneid. IX. 'Ense levis nudo, parmaque inglorius alba.' Sed suspicetur aliquis, ideo potius dictos *Nubigeros*, quod nubes in iis depictæ erant, quemadmodum Tydeus apud Æschylum in clypeo suo depictum præfert cœlum stellatum, cum Luna medium umbonem occupante. Vel 'cœruleos' fortasse clypeos innuit Poëta, qui color celeberrimus olim in clypeis. Vide Comment. Guidi Pancirolí, in Notit. utriusque Imper. cap. 37. et 39. Sensu patet nubes esse 'cœruleas.' Sed quid ἀεροβατοῦμεν? Certissima est magni Heinsii emendatio, qui *Nubigenas clypeos* legit, totumque locum sic scribendum, et distinguendum censet: *humeris quatere arma Quirinus, Qui tibi tam tenero permisit plaudere collo Nubigenas clypeos, &c.* *Qui*, id est ipse Romulus seu Quirinus, quem ait tradidisse Crispino ancilia gestanda. Vult autem Crispinum fuisse Salium. Nobilium vero filios in Saliorum fuisse numero, et ancilia gestasse collo ac movisse, tritum est. Et Statius infra Epiced. Patris, ait illum docuisse Salios, quo pacto id deberet fieri. 'arma probare Monstrasti Saliis.' Cum vero ait, Quirinum illi dedisse clypeos; significat Crispinum hunc fuisse Salium Quirinalem sive Agonensem. *Nubigenæ clypei*, sunt clypei διοπετεῖς, ut a Dionysio et Plutarcho vocantur. 'Clypei cœligenæ,' generati in nubibus, nempe 'Ancilia.' Virgil. 'Lapsa ancilia cœlo.' *Gevart.*

137 *Ister septenus*] Septem ostiorum. Alii sex tradiderunt, Narcustoma, Callistoma, Pseudostoma, Boriostoma, Spireostoma; et Peucem fabulæ finxerunt nupsisse Istro, a quo alluitur insula non procul ab ostio Peuce. *Domit.*

138 *An Solymum cinerem*] Syriæne et Palæstinæ provinciam adibis? Solyma οὐδετέρως Straboni, Eustathio, Stephano. *Solymum cinerem κατ' ἀντονομασίαν* dicit, pro monimentis excidii urbis Hierosolym. expugnatæ et dirutæ a Tito Vespas. cum bellum Judaicum profligavit. Val. Flacc. 'Solymum pulverem' pro eodem usurpavit. De 'Palmeto' in Hierochuntis planitie montibus θεατροειδῶς circumdata, Strabo ibid. Ὁ φοινικὼν τοιοῦτος, ἔχων τὸν καρυωτὸν φοίνικα ἐνταῦθα μόνον, πλὴν τοῦ Βαβυλωνίου, καὶ τοῦ ἐπέκεινα πρὸς τὴν ἕω. Josephus Hist. non uno loco. Diodorus Sic. lib. XIX. Plin. lib. v. c. 12. *Idumes*] Solino Idumæa a Casio monte incipit, Palmis opima. *Morell.*

150 *Qualiter in Teucros victricia, &c.*] Nonne novum istud et ἄκυρον loquendi genus? an ferendus tam insolens Appositionis modus? Tolerabilius utique ac dilucidius legeretur, *Ignoti P. P. n. Achillis:* hoc tamen etiam 'serpit humi,' et rythmus ferit aures, ac vox inculcata *parentis*. Lubetne igitur legere mecum hoc modo? *Qualiter in Teucros victricia bella paranti Ignotum Pyrrho Phœnix narrabat Achillem.* Meridie certe non lucebit, cui hic non liquebit. Neoptolemum sane Trojani belli scripto-

res asserunt, 'Res Agamemnonias victriciaque arma sequutum.' *Morell.*

158 *Durabis quascunque vias*] Propositi tenax, perges eodem pede, ubique locorum et gentium, 'et sole sub omni:' ut in Soteriis præcinit: *πᾶσαν ἐπ' αἶαν*. *Idem.*

160 *Quæstus solitos*] Vel solita lucra: nam Papinius exercitatione poëmatum victum quærebat. Inde illud Juvenalis: 'Haud tamen invideas vati, quem pulpita pascunt.' Vel si ego conquerar mortem Achillis recitando. *Domit.* *Questus*] Lege: *cœtus solitos si, &c.* Vide Plinii Epist. de recitationibus. Sueton. Octav. 85. *Gron.*

164 *Venies melior*] Major, valentior, augustior, honoratior. Homerus *μακρότερος καὶ πάσσων* Iliad. Β. Odyss. Θ. *Καί μιν μακρότερον καὶ πάσσονα θῆκεν ἰδέσθαι.* *τὸ κρεῖττον* Platoni de Rep. I. ad auctoritatem, dignitatem et vires refertur: ut *κάῤῥον*: *Ἄμμες δέ γ' ἐσσόμεσθα πουλὺ κάῤῥονες.* *Præstantiores erimus olim cæteris.* Morell.

166 *Cingetque superbis*] Nemo non videt quam durum sit *τὸ dabit* retrahi ad *perferre*, cum sit interpositum *cinget.* Sal. *cingitque.* Lege *cingique superbis.* Gron.

172 *Dicebam certe: vatum non irrita currunt auguria*] Hæc *ἀναφορὰ ἐπιφωνηματικὴ* ad illud Hom. spectat, *Ὡς ἔπος, ὡς ἔργον.* *Dicta probat res.* Morell.

174 *Et Ausonii committit, &c.*] Honorem notat, de quo Dio lib. LXVII. 'Parthenius cubicularius ejus, licet ab eo magno honore ferendi gladii affectus esset.' *Bernart.*

177 *Germanicus ensem*] Putant nonnulli primam Crispini militiam significari in quam a Domitiano fuerat nuper ascriptus, et cingulo dignitatis, nimirum ense honestatus, quo spectant illa verba: 'Quique aquilas tibi nunc et castra recludit.' Ita sentit Bulengerus in suo Imperatore, sed excutient seriem orationis et altius in mentem poëtæ penetranti alia interpretatio facile succurret. Ait enim Statius Crispinum a Domitiano jam inter numeros relatum, cum sedecim annos nondum impleverit, unde ampliorem ejusdem principis indulgentiam et incrementum honoris illi ominatur, addens non irrita esse vatum auguria. Durabis, inquit, quascunque vias, vallumque subibis, forsan et latus Imperatorium subibis cinctus, ita enim verba illa expono: quique aquilas et castra tibi nunc recludit, i. e. qui militare permittit, idem ad omnes dignitatum gradus evehet. Mox, quasi hoc poëticum augurium firmarit eventus, subdit: Sed quis nuntius ab Albano Domitiani secessu tibi venit? scilicet novum tibi honorem mandat ille mortalis Deus, et fides vaticinio meo non defuit. Vade ergo, Crispine, tantisque donis suffice. Felix es, cui primum ensem tradit Imperator, id est suum et Imperatorium gladium. *Cruceus.*

CARM. III. 1 *Malas vires*] Id est, lacrymas. *Malus*, indigne felix, indigne durabilis exponitur a Scholiaste Antiquo Thebaid. quod optime et huic loco convenit. *Barth.*

5 *Coritia umbra*] Id est Parnassia: nam in Parnasso multa loca sunt præcipua sanctitate veneratione digna: e quibus Coritium est Nympharum antrum eodem quo Cilitium nomine. Plinius præterea ita describit: 'Thebis, quæ Corsicæ cognominatæ sunt juxta Heliconem.' *Domit.*

6 *Ismariis collibus*] Parnassiis: nam Ismarii, i. e. Thraces, Musis Helicona consecrarunt, ut scribit Strabo, et repetit Pausanias. *Idem.*

16 *Fulta caput*] Reclinato in mutam citharam capite. Habitu ex canentis, lugentis. Vidimus tale quid in monumentis antiquis depictum. *Barth.*

18 *Sublato carmine*] Cessante Orpheo, quem alii a mulieribus Ciconum necatum dicunt: alii fulminatum ob

tradita mysteria: alii mortua uxore Euridice extinctum ad Avernum Thesprotidis. *Domit.*

24 *Primum animum*] Eleganter dixit *primum animum*, pro redeuntem a stupore, quo adhuc nimius dolor mentem ejus obnubilaverat; quod alibi illustrabimus. Credebam autem 'lumen siccum' intellexisse interpretes, quod exaruerat cineribus haustis, quorum paulo ante mentio: cum opportune falsum errorem video Bernartium, qui hæc explicat ex illo: 'non verba in funere primo,' 'non lacrimas habet,' et similibus. Sed immemor erat mox sequi: 'sumas gemitus et vulnera nati, Et lacrimas, rari quas nunquam habuere parentes.' *Gronov. Diatr.*

26 *Ordior acclivis tumulo*] Quidni potius a Statio scriptum *acclinis*, pro 'acclinatus?' ut in proxima Sylvula ad Somnum, 'terris maria acclinata quiescunt:' prona, ut somno accubantia. et in Sylv. ult. 'Acclinis tumulo.' Quare in veterib. etiam Glossis, ubi legitur 'Acclivis,' reponendum 'Acclinis,' ut congruat τῷ προσκεκλιμένος. *Morell.*

41 *Hic ego*] Ita conjunge: *Hic ego inserui te*, id est sepelivi te in Albano. *Sicanii*] Nam crocum principatum obtinet Cilicium ex Corico: alterum Lycium ex Olympo: tertium Centuripinum ex Sicilia: nonnulli secundum locum Phlegræo dederunt. Strabo Siculi etiam meminit, et nos in Juvenalem repetimus. *Domit.*

44 *Cum laude loci*] Nam locus sepultura tua nobilis est: quod autem antecedit, *nam Sicanii*, per interpositionem legendum usque ad, *decerpsit aristas*. Non esset tibi gratius si urerentur odoramenta rogis tuis, quam quod in nostro agro sepultus es. *Idem.*

46 *Cari quas nunquam*] Male Gevartii editio, *cari*. male quoque conjectat Morellus, *rari quas unquam*. Grandius multo Noster, *rari nunquam*. Rari parentes, propter scelus hominum, et quia pietas oblita viros, habuerunt veras lacrimas a natis: sed et illi pauci, qui habuerunt, non tamen tantas tamque acerbas, quantas ego tibi refero. Vide *Gron. Diatr. cap.* 49.

47 *Atque utinam fortuna dares mihi Manibus aras*] Hoc in fortuna regia Nicoclis laudat Isocrates, quod patris sui Evagoræ monumentum ornaret: Οὐ μόνον τῷ πλήθει καὶ τῷ κάλλει τῶν ἐπιφερομένων· ἀλλὰ καὶ χοροῖς, καὶ μουσικῇ, καὶ γυμνικοῖς ἀγῶσιν, κ. τ. λ. Sic apud Virg. Æneas et socii: 'aramque Sepulchri Congerere arboribus, cœloque educere certant,' &c. *Morell.*

49 *Scopulos Cyclopum*] In Sicilia visebantur Cyclopum antra eximiæ magnitudinis. Septem fuerunt e Sicilia accersiti a Prœto ad Tirynthem urbem muniendam: appellatique sunt γαστερόχειρες, id est manibus victum ventri quærentes. Horum cognomina habent etiam speluncæ ad Naupliam. *Dom.*

52 *Œbalio disco*] Spartano; de disco multa etiam qui Gymnasticen et Agonistica scripserunt.

55 *Fossa*] Loca ad equorum cursum comparata et effossa.

57 *Rite*] Id est, statuto die, annis redeuntibus. *Frondentia præmia*] Coronæ.

60 *Orpheæ leges*] De non respiciendo. Vide quæ Theod. Sitzmannus attulit ad Boët. Consolat. lib. III. Carm. 12.

63 *Torvo Maroni*] Id est, inimitabili. Vid. Passerat. ad Prop. lib. II. El. 24. et Barth. Advers. lib. CVIII. cap. 14.

68 *Liceat modo) itura maritum*] Indubitatam hanc correctionem esse putant viri docti; ego, pace illorum, intempestivam. *Moritura in maritum* est moriens se jactura, impositura in maritum, vel moritura super maritum. Nihil magis Statianum. Est autem ea vis particulæ *in* pro super. Nam quod hic dicit, id explicat ita

in lib. VI. 'Lacerasque super procumbere nati Relliquias ardet.' Eod. libro: 'Pectoris attritu sua frangit in ossa Leonem.' Libro V. 'Mactare in tumulos,' pro, super tumulos. *Gronov. Diatr. c.* 49.

72 *Nec pietas injusta dedit*] Prolepsis hic. Dicat aliquis: nec naturam, nec pietatem hoc fato patris mei injustam fuisse in dolentem, aut juvenem aut filium rapiendo. Natura nunc non ostendit 'se injustam,' non præbuit iniquam, quia non turbato ordine mortalitatis senem juvenis, patrem filius lugeo. *Pietas* proprie obsequium in parentes, et horum vicissim in liberos caritas, omneque officium, quod sanguinis propinquitas exigit. *Pietas* ergo *injusta* est, 'injustam se dat,' hoc est proprie, occasionem exercendi officii sui indigne obtrudit; vel, exemplum sui dat infelix, cum pater filium luget; cum exigitur et præstatur a patre, qui filio superstes est contra votorum ordinem. Natura et pietas injustas se dant, cum pie quis luget injustum funus, 'male judicantibus fatis,' ut habet vetus inscriptio. *Gronov. Diatr.*

74 *Marathonia virgo*] Ab exemplo probat majorem dolorem esse amittere patrem quam filium. Nam Erigone cum provenisset ad cadaver patris Icarii, quem agrestes interfecerant, præ dolore laqueo se suspendit. Mæra canis interfecto domino ad Erigonem domum venerat, eamque latratu et gemitu excitavit ut se sequeretur, perduxitque ad patrem: puella mortua, canis quoque spiritu ei parentavit. Andromache vero, cujus filium Astynactem Ulyxes ex turri dejecit, non modo præ dolore non se interfecit ut Erigone amisso patre: sed etiam ad secundas processit nuptias; nam nupsit Pyrrho Achillis filio. Major igitur dolor Erigones quam Andromaches fuit. *Domit.*

82 *Tyrrhenæ volucres*] Sirenes intelligit. Quæ, ut putat Plinius, sedem habuerunt in promontorio juxta Surentum maris Tyrrheni. *Idem.*

87 *Phrygium silicem*] Dolorem Hecubes versæ in saxum. *Idem.*

88 *Fissa buxo*] Quis, inquit, non cecinit Palladem abjecisse tibiam? quasi dicat, hæc omnia fabulose ab aliis cantata sunt in funeribus per comparationes vel similitudines. Ego autem aliter patrem deflebo: atque ita citat pietatem et justitiam et poëtas, Heroicos primum, tum lyricos et septem sapientes: deinde tragicos, demum elegos. *Idem.*

92 *Honor Aonios seno, &c.*] Ita scribendum ex Rom. Venet. edd. quam secutus est Lindenbrog. Duo magni viri, amici nostri, varie illud *ducere campos* mutabant, quod negabant Latine dici. Alter *ducere cantus* scribebat; alter, *Audinos seno pede dicere cantus*, vel *ducere*, vel *cludere*. Quibus omnibus nihil opus. *Ducere* est duces esse, ut chorum ducere. *Ducere campos Aonios* est ducentes, scilicet vatum choros, versari in campis, duces esse vatum, primarios principes in campis Aoniis. Ut et metonymia possit videri: 'Campi' nempe, pro qui in campis; quod est simplicius. Grande et cothurnatum heroicum opus est, genusque Poëseos supra omnia maximum. Quare qui tali opere se Phœbo approbat, is 'Aonios campos ducit,' dux est in campis Aoniis. Qui honor præclarissimus. Ideo *honor* scripsit Papinius, non *labor*. Gronov. Diatr. c. 50.

94 *Cura lyræ nomenque, &c.*] Docti viri, qui locum hunc tetigerunt, acceperunt testudinem pro ipsa lyra, cum Statius eam ut partem posuerit. Perinde ac si 'plectra' aut 'chordas' aut 'fides' aut 'pectinem' dixisset, quæ et ipsæ partes interdum totius significationem habent. Hæc ergo mens horum verborum est: quibus testudine, quæ pars lyræ est, et ad hunc usum primum ab Arcade Mercurio accommodata; vel testudine,

qualem paravit Arcas Mercurius, carmen dimensis lyra, quæ ex testudine facta est, fecit, ut Lyrici sint inde appellati. *Gronov. Diatr.*

98 *Et quis dulce*] Et quibus gratum fuit. *Temnare*] Temperare. *Vires*] Heroici carminis. *Lasciva Thalia*] Elegiaco carmine. *Domit.*

99 *Gressu truncare*] Id est diminuere uno pede. *Senones versus*] Sex pedum. *Hereos*] Id est heroicos. *Idem.*

105 *Crinemque afflato monte*] Quanquam *δύω κοσμήτορε λαῶν* J. Lipsius et alter *πολυθρύλλητον τῶν Μουσῶν ἀνθρήνιον* corrigere h. l. cœperint, tamen verum est Poëtam scripsisse, ut vulgo legitur. Jubet Parthenopen, divam præsidem Neapolitanæ urbis et regionis, tumulo parentis crines imponere. Fingit autem ipsam Deam Parthenopen inhabitare ceu sacram sibi sedem montem Vesevum: ut plerumque loca inaccessa Deorum esse putabantur, et religione etiam, etsi alias invia, septa erant. Pomponius Mela lib. III. 'Ultra hunc sinum mons altus (ut Græci vocant) *θεῶν ὄχημα*, perpetuis ignibus flagrat,' et quæ sequuntur. Tum Parthenopes caput dicitur merito, quod altissimum in Neapolitano districtu est; id est mons Vesevus, qui ignes ejectabat. Porro 'crines' ignium flammæ frequenter dicuntur. *Gronov. in Diatr.*

107 *Munichiæ arces*] In aliis omnibus codicibus mendose scriptum est *Monichiæ artes;* quod nec sensus nec ratio ferre potest; nec ulla etiam ficta fabula suadebit. Legatur igitur nostra emendatione: *Munichiæ arces:* quod Athenas significat. Nam Munichia tumulus Athenis curvus, ingressum habens angusto ore, cui ternæ subjacent portæ; quondam muro vallata, complectens Pireum: unde arces Munichiæ Atticæ dictæ sunt. Hoc ait Papinius: Nec Athenis, nec Cyrene, nec Lacedæmone virum præstantiorem unquam natum esse patre suo: nam ex his tribus locis præstantissimi viri extiterunt. *Domitius.*

109 *Si tu stirpe vetus*] In aliis codicibus mendose scriptum est *vetas;* sed tu lege *vetus;* nam alloquitur Parthenopen, et ait: Si tu jaceres tui generis et conditorum memoria oblitterata vetustate, certe unus pater meus civis tuus indicabat te Græcam esse civitatem sua Græcarum literarum eruditione. *Idem. Famaque obscura jaceres*] Ven. et Sal. *famæque obscura jaceres.* Liv. XLII. 'Incognitum famæ aperuerint armis orbem terrarum.' *Gronov.*

122 *Aonidum, pueroque*] Quasi Musæ et Apollo inter *γενεθλίους θεοὺς* Præstitesve Deos censerentur: licet quatuor tantum ex doctrina Ægyptiorum numerentur a Macrobio *Δαίμων, Τύχη, Ἔρως, Ἀνάγκη. Genius, Fortuna, Amor, Necessitas.* Morell.

124 *Nec simplex, &c.*] Ita sequentia scribenda, id est, non simplex et unicum tibi patriæ decus est; sed origo natalis in ambiguo certamine geminæ terræ pendet, inter anceps certamen duarum urbium, Neapolis puta et Selles, ventilatur. *in ambiguo* habet Rom. et Ven. editio; quod miror fugisse oculos studiosissimi Lindenbrogii. Semel hoc indicasse sufficiat, veterem codicem, cujus variantes ille edidit, non alium quam Romanum nostrum esse. Ne imposterum docti viri errent, et Ms. illum putent, etsi scriptis æquandum. Sed vir summus, gravioribus studiis implicatus, et hanc operam in typographi gratiam præstans, aliquando indiligentius eò usus est. *Degente* recte discerpsit Cruceus. *Graius Magister* inepte dicitur Palinurus, qui Phrygius erat. Sed 'gratum' dixit Papinius, sive Æneæ, sive Teucris, sive ipsi puppi. *Gronov. Diatrib.*

122 *Alit victos immanis, &c.*] Id est,

qui pro re magna certant, etiam si vincuntur, falsa afferentes: tamen aluntur gloria quod in re magna victi sint. Ita multi certant ut te civem habeant, non putantes sibi fore contumeliosum, si victi fuerint in tam præclaro certamine. *Domit.*

135 *Laudum festina*] Elegantissime emendavit, vir summus doctrina, judicio, ingenio, J. Lipsius, *laudum festinus*, et verissime, ita 'festinus voti' Theb. vi. 74. *Barth.*

141 *Sit pronum, &c.*] Longe alia Papinii sententia est, quam Domitius putat. Dicat sane aliquis, pronum esse, facile esse sub domesticis judicibus coronas mereri: quid vero habebit invidia, quo admordeat Achaicas victorias tuas? Nam hoc ait, per ludos Græciæ magna decora patrem suum obtinuisse. *Pronum*, nam hæc vox non intellecta bono homini, est facile, promptum. Statius alibi: 'cognoscere pronum.' *Gron. Diatr. cap.* 56.

143 *Athamantea*] Id est, corona ex ludis Isthmicis: quæ ex pinu dabatur. Athamanteam dicit, quoniam Isthmici ludi instituti erant pro Melicerte filio Athamantis; ex sententia Pausaniæ frondes abstuli. *Domit.*

151 *Senex Siculus*] Hieron quidem Siculus de re rustica scripsit, ut auctor est Varro; sed hic de Theocrito intelligit, qui Syracusanus fuit. Bœo tamen scribit eum fuisse Smyrnæum ex Phosse, in suo genere admirabilis. *Idem.*

152 *Pindaricæ vox, &c.*] Flexa vox lyræ dicitur propter strophas et antistrophas Lyricorum. Vide Turneb. Advers. lib. I. *Leucade Sappho*] Vid. eund. lib. x. cap. 2. *Cruceus.*

153 *Alcman*] Lyricus poëta qui claruit 38. Olympiade, et amatorios cantus primus invenit. Adi Suidam et Ælianum de Varia Historia. *Bernart.*

154 *Stesichorus*] Lyricus poëta Siculus: Horatius 'Stesichorique graves Camœnæ.' *Idem.*

157 *Carmina Battiadæ*] Callimachum intelligit: de quo multa scripsimus in Ibyn Ovidii, testimonio etiam Strabonis. Duo autem fuerunt Callimachi: alter Batti filius et Mesatinæ, Cyrenæus grammaticus, discipulus Hermocratis, uxorem habuit Euphrasi Syracusani filiam. Hujus sororis filius junior Callimachus alter fuit, qui versus de insulis scripsit, poëmata omni genere carminis. *Domitius. Lycophron*] Sophoclis Grammatici, adoptione Lyci Rhegini historici, filius, inter septem poëtas, qui Pleiades dicebantur a numero stellarum Philadelpho Ptolomæo, receptus. Consule Suidam. *Bernart.*

158 *Sophronaque implicitum*] Non possumus de hoc judicare. Nemo tamen aliorum auctorum tale quid de hoc Mimographo scripsit, quod sciam. *Tenuis Corinnæ*] A carminum quadam subtilitate; unde et 'Muscam Lyricam' dictam aiunt, quod forte allusit Papinius. Pulcherrimam forma mulierem, icone teste, tradit fuisse Pausanias lib. IX. *Barth.*

163 *Jugera Dauni*] Rutulos intelligit qui Ardeam tenuerunt: et Silius eos appellat 'Dauniam pubem.' Nam Daunus fuit pater Turni, qui Rutulis imperavit. *Domit.*

164 *Veneri plorata domus*] Lavinium intelligit, ubi erat ædes Veneris communis nomini Latino, ut scribit Strabo, magna populorum celebritate plorata. Nam Numicus fluvius proximus est, in quo Æneas filius est submersus, cum tribus annis imperasset, conserto prælio adversus Rutulos. *Neglectaque tellus Alcidæ*] Eum tractum Campaniæ intelligit, qui est inter Misenum et Puteolos, terra continenti. Nam illac traducturus boves Hercules terram continentem neglexit, structo aggere in exteriore pelago *Idem.*

170 *Qua mediis alte, &c.*] De calidis Baiarum balneis palam accipien-

dus locus, quem et illustrat Dio lib. XLVIII. Bebot. in Apophor. lib. II. c. 11. *Cruceus.*

175 *Quamvis decepto, &c.*] Male hic Domitius. Est in fabulis Apollinem ambiisse noctem Sibyllæ Cumææ : et dum sperat, præcorrumpere illam tentasse, data optione, cujuscunque rei vellet. Illam apprehenso cumulo pulveris tot annos petivisse, quot corpora ille haberet manipulus. Quo potitam non tamen facilem fuisse Phœbo, sed æternam juventam sub mercede virginei pudoris respuisse. Ita deceptus Phœbus, neque tamen irrita hæc vates, hoc est, non credita, χρησμοὺς ἀπιστουμένους ᾄδουσα, uti Cassandra, cui hæc pœna decepto Phœbo est injuncta. Narratio illa exstat Ovid. Met. XIV. quam et allusit noster in Via Domitiana : 'Vel quantos ego Delium poposci.' Itaque verba illa : *Quamvis decepto vates non irrita Phœbo*, simplex periphrasis sunt Sibyllæ, nec fingenda hic febricolosa illa et pædagogica apodosis cum Domitio. *Gronov. Diatr. cap.* 56.

178 *Dardanius facis, &c.*] Pontificem περιφράζεται, cui cura et magisterium Vestalium, et his cura sacri ignis et inextincti, quem per facem opertam intelligit, idemque Silv. I. tacitam facem. *Cruceus.*

179 *Diomedei furti*] 'Palladium Trojanum,' quod furto quondam Troja abstulerant Diomedes et Ulysses. Fabula inconstans, tamen notissima. *Barth.*

180 *Et inde sacrum didicit puer, &c.*] Loco animam agenti aquam jamdudum affudit Lipsius noster: *et inde sacrum didicit puer: arma probare Monstrasti Saliis.* Sensus : Tu o pater Pontificem, cui cura Vestalium, docuisti suos ritus, tu Salios, tu Quindecimviros, tu Lupercos instituisti : quos omnes περιφραστικῶς describit. *Bernart.*

182 *Cui Chalcidicum*] Id est, inter quindecim viros, qui legunt carmen Sibyllinum, sunt etiam discipuli tui, ut ita conjungas : Et formidavit tua verba, id est, a te doctus est puer olim : cui nunc fas est volvere carmen Chalcidicum. *Et cui est, &c.*] Id est, qui habet caput cinctum filo laneo. *Phrygii*] Nam Æneas Phrygius caput operire inter sacrificandum instituit : unde mos manavit ut Flamines filo laneo caput cingerent. *Domit.*

195 *Civilis Erinnys*] Furor belli civilis. Hæc tamen Dea est quæ bello præest, ut Pallas, quod Pausanias apud Homerum observavit. *Idem.*

197 *Prælia Phlegræa*] Id est, tam impia quam fuerunt gigantea, quæ commissa sunt ad Phlegram. Erant enim in Deos. *Idem.*

198 *Latiæ sensere cohortes*] Rom. Venetusque codex : *sumsere cohortes.* Optime. 'Sumere furias,' ut 'sumere bellum.' Florus : 'nec temere sumptus, ut barbaris, impetus.' Ovidius : 'pugnæque assumit amorem.' Sic 'ruere in furias.' Virgil. Georg. III. *Gron. Diatr.*

199 *Rogus deorum*] Mendosi codd. habent *duorum:* nos *Deorum* legimus. Nam Dii Capitolini eo incendio tanquam rogo ardebant, videbanturque captivi Vitellianorum. *Domit.*

202 *Captivaque numina defles*] Idem Ms. Flor. a Lindenbrogio collatus : *flumina.* Sed Ven. et Salisb. *captivaque fulmina defles.* Quod verum videtur. Ob Jovem, qui Capitolii primarius incola. *Gron.*

205 *Vesuvina incendia*] Cantaturus fuerat Senior Papinius, cum ipsum montem, videt velut funditus erutum, ad cœlum a Jove elevatum, projectum in Campaniæ urbes et campos. Poëtica rei amplificatio. *Barth.*

221 *Qui genuit pater*] Id est, pater cum spectet filium pugnantem in Olympia, plus animo ferit adversarium filii, quam filius cæstibus et armis. Et cum filius cæditur, majorem animo dolorem vulneris illius

sentit pater, quam filius corpore. Hujus pietatis exemplum quoque refertur a Pausania: cum Demilus ex Caristo Eubœæ filium Glaucum arantem uno pugni ictu vomerem indidisse aratro conspexisset, admiratus illius robur, eum produxit in Olympiam. ubi cum arte adversarii eluderetur, pater spectans clamavit, τὴν ἀπ' ἀρότρου, id est, vulnus *ab aratro*; monens filium, ut tam fortiter percuteret adversarium pugno, quam olim indiderat vomerem aratro. Quod ille audiens, tanto surrexit robore, ut et tunc vicerit, et postea sæpe. *Domit.*

222 *Spectator Aletes, &c.*] Corruptissimi hujus loci restitutio debetur quoque Cl. Salmasio, cujus monitu scribimus: *spectator athletes Ipse magis.* Alii, inquit, attendunt pugnantes: sed ille spectator, qui genuit, magis athleta est ipse quam spectator: ita haurit oculis, quod certantium proprie est, atque haurire sibi videtur pulverem illum, quem excitant pugnantes: ita, quod athletarum ipsorum, qui in arena sunt, votum est, cupit exspirare corona prensa, coronato funere contentus est. De ejusmodi autem faventis spectatoris motu vivum exemplum apud Thucydidem est lib. v. *Gron. Diatr. c.* 57.

225 *Hei mihi quod tantum*] Dolet quod vivo patre semel tantum fuerit coronatus in sacris Cereris Eleusinæ Neapoli: nam Cereri solita illic celebrari sacra ante dixit: 'Tuque Actæa Ceres;' et quod non affuerit cum coronatus est a Domitiano in Albano, atque ea caruerit lætitia. *Domit.*

226 *Chalcidicæ Cerealia, &c.*] Aristides in Eleus. scribit primum agonem gymnicum Eleusine inventum, cujus præmium victori fuere fruges. Per dona igitur Cerealia coronæ Chalcidicæ expone præmia ejusmodi, quæ tulit Statius in agone Neapolitano. Nisi malis verba hæc referre ad ludos Cereris Neapoli institutos, de quibus in Sylva ad Menecratem. *Cruceus.*

228 *Per me serta tulisses*] Nam putasses coronam mihi donatam a Cæsare tuam esse. Ante, ad Cæsarem: 'Palladio tua me manus induit auro.' Nam quod excusat quod in certamine Capitolino fuerit victus, quod antea fassus est: 'tunc cum Capitolia nostræ Inficiata lyræ:' excusatio est quod tunc erat occupatus audiendis antiquis auctoribus et poëtis ex patre: nam doctrinam colligebat ut componeret Thebaidem suam. Qua occupatione factum est ut non bene cecinerit laudes Jovis Capitolini; atque ita Thebais, cujus causa erat occupatus, visa est invidere Jovi Capitolino, quando non permisit ut illius laudes bene caneret. *Domit.*

232 *Cum dulce parentis*] Potuit scripsisse: *Nam quid me mixta quercus non pressit oliva, Et fugit speratus honos? cum luce parentis Irrita Tarpeii canerem? Te nostra magistro Thebais urgebat priscorum exordia vatum. Luce parentis Tarpeii*, die, qui festus erat Jovi Capitolino, quoque agon ei committebatur. *Irrita canerem*] Quia, ut ait ad uxorem, 'Capitolia nostræ Inficiata lyræ.' *Urgebat* autem Salmasius, non *urgebant*; ut foret sensus: Cur enim tam infelix fui, quam dicam fuisse caussam, ut in agone Capitolino victus non exhilarare te potuerim hac quoque palma occupata? Quæ sequuntur, nihil huc pertinent: sed pergit enarrare pietatem et officia parentis erga se, quo adjutore, Thebaida contexendo, trita illa veteribus vatibus orbita incesserit, argumentum tot antiquis poëtis tractatum tentaverit. *Gronov.*

241 *Sejungere matrem*] Indicium, inquit, est tui amoris erga uxorem, quod ea incubat jam diu tumulo tuo, nec eam possum sejungere et abducere. Inemendati codices habent, *subjungere*; sed nullus est sensus. *Domit.*

244 *At Pharios aliæ*] Codices mendosi scripti sunt, *At Pharios alii*: sed

nos legimus *aliæ;* ut sensus sit: Nulla est quæ possit contendere cum matre mea de pietate: te enim vera pietate luget, et vera est pietas virum defunctum lugere; aliæ vero mulieres volunt videri piæ, lugendo in sacris Isidis aut Cybeles. *Colunt Pharios dolores*] Lugent in sacris Isidis Pharisæ et numinis Ægyptii. *Idem.*

245 *Mygdonios*] Id est, Phrygios in sacris Cybeles. *Plorant*] In sacris Isidis deflent Osiridem necatum qui præsentabatur in sacris Cybeles: Atyn, qui abscidit genitalia, quorum neuter ad eas pertinet. *Idem.*

251 *Vindex cura Deum*] Quæ hæc *vindex cura Deum?* Utrum ἀποτρόπαιος, et quæ patrem Statium ab incursibus fortunæ propter probitatem suam vindicaret, an quæ Deos vindicaret ab invidia omissæ curæ rerum humanarum? Alterutrum credo finxisse sibi interpretes. Sed verior scriptio remansit in editione Romana et Veneta: *Index cura Deum.* Gravius etiam peccarunt librarii, qui duo hemistichia transposuerunt. Scripserat enim Statius: *His tibi pro meritis nulloque e vulnere tristem Index cura Deum famam laudesque benignas Concessit.* Et famam nullo e vulnere tristem, et laudes benignas concessit tibi probans eos cura Deum. Quam clara nunc omnia, quam pulchra! at quam inepta vulgata erat! Cum bonis bene esset, malis male, dicebant 'esse Deos:' et hi qui discrimen illud pro meritis suis persentiscerent, quasi testimonio erant et esse Deos et nostri curam habere. *Gron. in Diatr.*

253 *Non nimius*] Nec, inquit, immature discessisti, nec decrepitus; nam sexagesimum quintum annum expleveras. *Domit.*

263 *Gavisaque novit*] Quæ stultitia sermonis, *gavisaque novit?* Ocius scribe, ut poëta olim, *gavisaque vovit.* Quæ lamenta tuli. Duo parentum summa vota, superstites liberos relinquere, et ab iisdem pie lugeri. *Gron. Diatr. c.* 59.

268 *Danaas umbras*] Noctem Doricam, qua spoliabant et concremabant Ilium Græci. Vise Virgil. Q. Smyrnæum, Tryphiodorum. *Barth.*

270 *Infernæ Dianæ*] Sibylla Æneam coram Proserpina stitit. De 'inferna Diana,' quæ eadem Proserpina et Luna, Prudent. 'Denique cum Luna est,' &c. *Idem.*

272 *Si Thessalicis, &c.*] Corruptissima hæc sunt et fere desperata. Scribe: *si Thessalicis Admetus in oris, Si lasciva retro Phylaceia rettulit umbram.* Ex *silva una,* fecimus *Si lasciva,* non sane distorta apicum mutatione, et sensu exigente. *Phylaceia* est ipsa Laodamia quam 'lascivam' vocat, quippe cujus amor et desiderium conjugialia gaudia nimis reminiscebatur. Viderat minister Acasti Laodamiam in thalamo simulacrum Protesilai amplexantem atque osculantem: sed sinistra interpretatione adulterio fieri ea putans, Acasto patri indicavit. Qui cum venisset, et irrupisset in thalamos, vidit effigiem Protesilai. Illa, *retro rettulit umbram,* et de Admeto et de Phylaceia seu Laodamia sunt intelligenda. Si Admetus Thessalus, si lasciva Phylaceia, quæ propter amplexum et oscula maritum desiderabat, impetraverunt, ut Umbra retro remitteretur, quæ invidia est, meam vel tuam chelyn idem sperare? *Gronov. in Diatr.*

282 *Supremis ripis*] Id est, ad ora ripæ ut te trajiciat: inde tamen si es rediturus ad me, veni per eam portam, quæ mittit vera insomnia; id est, corneam. Allusio ad carmen Virgilianum. *Domit.*

288 *Qua porta malignum*] Ita legendum ejecta vocula *in,* quam contra omnem rationem intruserunt editiones duæ Parisienses. de duabus his 'somniorum portis,' vana et vera emittentibus, Virgil. Homerum secutus, Auson. Cupid. Crucifixo. Vid. Passerat. ad Prop. lib. IV. El. 7. ubi

'malignum' hoc seu vanum ebur enarratur. *Barth.*

289 *Somnique in imagine monstra, Quæ solitus*] Id est doce me per somnium quæ solebas docere vivus. Nam et Numa sic sacra persuasit consulens Egeriam, et Scipio Jovem Capitolinum alloquebatur. In mendosis antem codicibus ita legitur: *somni quæ in imagine monstrat.* Domit.

292 *Scipio*] Oppius et Julius Hyginus scribunt, quod Gellius tradit, Scipionem Aphricanum solitum venire in Capitolium ante diluculum: et canes qui in alios solebant sævire, eo veniente quievisse, eumque jubere solitum, ut aperiretur cella Jovis Capitolini. Inde manavit hæc opinio de qua scribit Papinius, quod cum Jove loqueretur, ut etiam Sylla, qui præcipue Apollinem coluit, quod ejus numinis colloquio frui putabatur. Praxiteles sane ex ære Apollinem puberem fecit subrepenti lacertæ cominus insidiantem. *Idem.*

Carm. iv. 7 *Septima Phœbe*] Prop. lib. ii. Eleg. 20. 'Septima jam plenæ deducitur orbita lunæ,' id est, septima nox. Luna enim pro nocte sæpius apud Poëtas. Nec aliter fortasse sunt 'amica silentia lunæ' apud Virg. Æneid. ii. in quibus tantum acumen ostentarunt viri docti. *Cruceus.*

8 *Totidem Œtææ*] Locus hic varie sollicitatus est ab Interpretibus. Domitius, diphthongo priori mutata, legit *Æthææ*, et intelligit solem orientem, quia 'Æthon' unus ex equis Solis Ovidio. Alii, *Æthonis* malunt: sed frustraneæ et vanæ hæ conjecturæ. Nam Poëta hic *Œtæas Lampades* appellat stellas, quæ in Œta monte videntur oriri, quod accidit iis populis qui Œtam ab ortu habent. Ita Catullus Carm. Nuptial. stellas 'Œtæos ignes' dixit: 'Nimirum Œtæos ostendit Noctifer ignes.' Et Seneca Hercule furente: 'Jam cœruleis evectus equis, Titan summum prospicit Œtam.' *Gevart.*

12 *Tantum statione*] Melius scribas *tamen in statione. Tenebat*] Id est, aperta sustinebat, ne clauderet. Sed id tamen alternatim fiebat, dimidia parte oculorum vigilante, dimidia dormiente. Ego autem quo pacto duobus his meis continuæ vigiliæ sufficiam? *Barth.*

13 *Corpore toto*] Quod totum oculeum fuit, ut elegantissime loquitur Plautus. *Idem.*

14 *At nunc heus aliquis*] Olere mendum videtur, nec dubitarim reponere: *At nunc, heu, aliquis.* Bernart.

16 *Totas infundere pennas*] Concinnior, meliorque scriptura, quam Advers. lib. xviii. c. 17. proposuimus: *te totis infundere pennis.* De 'pennis amoris' paria ad hunc aliorum loca notant ad Propert. lib. i. Eleg. 3. Beroald. pag. 581. Passerat. p. 158. Levin. p. 53. *Barth.*

18 *Me tange cacumine virgæ*] Virgam somno Papinius, Virgil. ramum, alii cornu, ut alibi Noster in Theb. ii. Vid. Turneb. lib. xxi. c. 4. *Cruceus.*

19 *Suspenso poplite*] Etiamsi me non attingas, sit, aura saltem supervolantis fac me afflet, ut vel parum quietis hauriam. *Barth.*

Carm. v. 1 *Neque enim verbis solennibus ulla, &c.*] Ita scribendum monnerunt nos eruditissimi viri P. Scriverius et I. Isacius Pontanus. Observandum autem artificium Papinii, quod in gravissimo luctu suspendit versum illo, *Incipiam nunc*, quasi singultu interstinguat. C. Barthius pro *ulla* rescribit *ultra.* Sed non ejurat omnem bonam copiam poëta; verum se hoc tempore quicquam solennibus verbis hilarique cantu orsurum negat. Retinendum igitur *ulla.* Gronov. Diatr. c. 60.

2 *Nunc Castaliæ vocalibus*] Nunquam capies locum, nisi detrahas litterulam, quæ a sequenti voce adhæsit, et pro *nec*, legas: *ne Castaliæ vocalibus undis, &c.* Veretur ne Phœbo gravis et molestus sit, si solennibus

verbis illum invocet. 'Vocales' vero 'undas' dixit, ut supra Epithal. Stellæ: 'Et de Pieriis vocalem fontibus undam.' Eo quod nimirum epota vocem et carmina largiretur. *Gevart.*

4 *Orgia*] Sacra, Ceremonias, Cultum divinitatis. Bene hæc explicat Passerat. Præf. in Propert. lib. IV. p. 818. *Barth.*

17 *Et ardentes restrinxit lacte favillas*] In aliis codicibus extat *papillas.* nos *favillas* legimus; nam ardentes cum papillis non convenit. Præterea loquitur de muliere, quæ filium adhuc lactentem vidit in rogo mortuum; alludensque ad morem quo cineres spargebantur vino, ut ante diximus testimonio Homeri et Virg. *Domit.*

21 *Alterno mecum clamore*] Hoc habebant pro summo solatio, et ita se Meliorem Atedium consolari velle autumat Papinius noster, pari modo vernam suum desideratissimum plangentem II. Silv. I. a vs. 20. ut in aliis Epicediis. *Barth.*

22 *Et te natura pudebit*] Pudebit te, inquit, o natura, quoniam ego qui non sum natura pater hujus, plus lugebo quam ea quæ mater est infantis, vel qui juvenem gemit. *Domit.*

46 *Nimirum cum vestra domus; ego, &c.*] Locus, fœde laceratus, ideoque male intellectus adhuc. Primum scribendum ex Romana Venetaque, quas optimo judicio secutus est Fr. Lindenbrogius, urbis patriæ grande incrementum: *cum vestra domans ego funera mæstos Increpito.* Qua pœne phrasi epicedio in Glauciam: 'ægrumque dolorem Libertate doma.' Mox, *Verum erat*, interpretatur Domitius: quod scilicet dicebatis, nullum carmen satis esse ad lacrimas reprimendas. At Statius invitat amicos, ut pro solatiis, quæ ipse canere illis solitus erat, vicem reddant, carminaque suppeditent. *Verùm erat*, subjicit; id est, æquum erat, meruerам sane. idque ob duas causas, tum ut sævas grates exsolverent, tum quia ipsius vires absumptæ, et copia canendi nulla. *Gron. Diatr. cap.* 61.

51 *Reperit*] Quod caneret dulce sibi. Ignosce, inquit, puer: malum et vulgare carmen composui in tuo funere; dolore enim obruor. Atqui puto ne Orpheum quidem ipsum bene cecinisse cum flevit Eurydicem; sed emisisse qualecumque potuit carmen sibi dulce, id est, ad leniendum dolorem suum. *Domit.*

56 *Busta Lini*] Filii sui. Vide, quæ de non uno Lino notavit, illustrando Papinio nostro, Jacobus Nicolaus Loënsis Miscell. lib. X. c. 8. Orpheum et Apollinem Linum deflentem pariter jungit Ovid. in Tibulli Epicedio. *Barth.*

67 *Delicias*] Nugatur hoc loco Interpres, qui pro *Delicias*, *Æedituas* legit, quod de 'picis' intelligendum docet, ineptissime. Romani enim pueros Ægyptios, de quibus hic Poëta, *Delicias* suas appellabant. Plutarchus in Antonio. Noster Epiced. Glauciæ: 'Tu modo Deliciæ, dulces modo pectore curæ.' Coma Earini: 'cessere priores Deliciæ, famulumque greges.' Plura passim exempla occurrunt. Hi vero pueri variis jocis et argutiis studebant, quibus dominos sibi conciliabant. Hinc Noster illos hic *loquaces* appellat. *Gevart.*

68 *Linguaque simul*] Hæc lectio ex Aldina propagata est. Domitii codices et editio: *lingua simium salibusque.* T. Demsterus gratulatur sibi de correctione amplissimi viri, qui scribebat, *lingua Samium*, ad Rosini lib. V. Sed duplex hic error est: primum quod *Samium* accepit pro acuto, magistro Nonio; cujus in hac voce explicanda ineptias aperuit vir incomparabilis ad Hist. Augustam: deinde quod Ciceronem de Samiorum dicacitate testimonium perhibuisse putavit: Nec sane Niliacæ ple-

bis vernilitas Samio acumine indigebat. Scribe: *lingua simili salibusque protervum*. Describit puerum pantomimum, quem *protervum lingua simili* dicit, qua nimirum sensus sermonemque aliorum comœdice refert. *Lingua simili protervus* dicitur actionis mimicæ peritus, qui eos affectus verbis imponat, ut non aliter loqui videatur, quam illi, quos agit, locuti essent: *salibus protervus* significat argumentum in dictis, vernaculum, subdolæ et fucatæ vernilitatis. *Gron. Diatr. cap.* 61.

69 *Tellure cadentem*] Hoc est, Recens natum e solo sustuli, et Natalem ejus scripsi. Ita sup. in Epithalamio Stellæ: 'tellure cadentem Excepi fovique sinu.' Et Theb. I. 'De Matre cadentem fovisti gremio.' Quibus in locis doctus Interpres priscum morem infantes *νεογόνους* in terram deponendi fuse et scite docet. Quæ stabilit Nonius in 'Pilumno,' et 'Picumno,' ex Varrone de Vita Pop. Rom. 'Natus si erat vitalis ac sublatus ab obstetrice, statuebatur in terra.' B. Antistes Dionysius plane ἱεροπρεπῶς dixit: *εἰσδέχεσθαι τὰ βρέφη, κατὰ τὸν ἱερὸν τρόπον, excipere infantes ritu sacro*, post *θεογενεσίαν* quod munus pium est *θεῖον πατρὸς καὶ σωτηρίας ἱερᾶς ἀναδόχου, divini parentis et Salutis sponsoris*. Morell.

79 *Quo sospite natos Non cupii*] In aliis codicibus mendose legitur, *quo sospite natos Concupii*. Nos vero *Non cupii* legimus; ut dicat, te sospite non desiderabam alios filios; tu enim unus satis eras, et te solo adoptivo eram contentus. *Domit.*

THEBAIDOS LIB. I.

THEBAIS] Bellorum omnium quæ inter Græcos priscis temporibus fuere, si Trojanum excipias, celeberrimum semper habitum Thebanum illud, inter Œdipi filios, mirabili nescio magis, an miserabili exitu gestum, ante Christi natalem annis circiter M. CC. XXXVI. ante primam Olympiadem CCCC. LVII. ante Urbem conditam CCCC. LXXXI. Fugitivam certe ejus memoriam retrahere conati præstantissimi quique viri, qua inter Græcos, qua Latinos. Ipse Poëta Princeps in hac cura, testis Pausanias, qui signate Bœoticis: Ἐποιήθη δὲ ἐς τὸν πόλεμον τοῦτον καὶ ἔπη Θηβαΐς· τὰ δὲ ἔπη ταῦτα Καλαῖνος ἀφικόμενος αὐτῶν ἐς μνήμην, ἔφησεν Ὅμηρον τὸν ποιήσαντα εἶναι. Καλαίνῳ δὲ πολλοί τε καὶ ἄξιοι λόγου κατὰ ταυτὰ ἔγνωσαν. Ἐγὼ δὲ τὴν ποίησιν ταύτην μετά γε Ἰλιάδα καὶ τὰ ἔπη τὰ ἐς Ὀδυσσέα ἐπαινῶ μάλιστα. *Et hoc quidem bellum adversus Thebas versibus perscriptum. Eorum versuum Calenus mentionem faciens, ab Homero factos censet, cui multi, et ii non ignobiles autores, assentiuntur. Ego certe poësim illam secundum Homeri Iliadem et Odysseam plurimi facio.* Operam etiam, et quidem largam, heroico versu contulit Antimachus: cui rei fidem facit vel unus Athenæus, qui ejus Thebaidem compluries citat, et ille idem Pausanias, qui in Arcadicis ex ea Arionem Adrasti describit, versibus suo loco transcribendis. Nec defuere officio Latini. Ponticus sane cum laude sudavit in hoc circo: author mihi affirmandi Propertius, apud quem lego: 'Dum tibi Cadmeæ dicuntur, Pontice, Thebæ, Armaque fraternæ tristia militiæ; Atque (ita sim felix) primo contendis Homero, Sint modo fata tuis mollia carminibus, Nos, ut consuemus,' &c. Attium quoque Tragœdum admovisse manum, videre licet ex veterum scriptorum reliquiis; et fractis quasi membris quæ apud Nonium. Et hi quidem quasi Primipili inter eos, qui caliginem quam huic bello objicere potuisset temporis injuria, ingenii radiis dispellere voluerunt; sed hoc tantum: nihil enim ex Musæo hoc ædificio reliquum præter rudera, quæ nihilominus, ut ruta et cæsa ex avita hereditate, haud immerito doctos delectant. Extant tamen adhuc et ad nos pervenere, (liceat huc alludere,) Hastatorum quorundam et Principum scripta, signate Æschyli Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις, quam elegantissime, stylo ad veteres Tragicos Latinos quam proxime accedente, vulgavit Q. Sept. Florens Christianus. Teritur etiam omnium manibus ignoti Poëtæ, sed alti, Dii boni! et magni, Thebais: vulgus eam Senecæ Juniori tribuit; at non ego: nec ullus ex iis, fidenter dico, 'queis esse Corculis datum est:' non meridie clarior lux quam principem hanc locum inter Latinas, atque haud scio an etiam Græcas Tragœdias tenere; qui eam cum sociis in veri judicii trutina componet, pepo non homo, nisi ab altiore suspicetur aura: strictim interim rem tangit, et ea quæ ex illa habemus initium vix adumbrant, adeo non finem. Quo magis debemus Papinii nostri scriptis, in quibus feliciter præstatur utrumque, maculas cum plures, sæculi illius elegantia, quo litteras scire barbaries erat, excusorum denique negligentia, contraxisse video: sed et in iis eluendis non inutiliter laborasse me 'sperat quidem animus, quo eveniat Diis in manu est.' Tu fave

benivole Lector, et donec melius quid alius adferat, fruere his nostris. Ego initio facem tibi præferam satis claram, et ex Diodori Siculi Hist. IV. libro caput adscribam : potiorem Statiani argumenti partem, summamque totius operis carptim et quasi saltuatim complectens.

'Laius Thebanorum rex ducta uxore Jocasta Creontis filia, cum diu improlis esset, consuluit oraculum de liberorum procreatione. Responsum dante Pythia, ipsi non conducere prolem habere, (nam qui ex eo proditurus esset filius patrem occideret, et domum omnem infortuniis impleret,) neglecto oraculo, genuit nihilominus filium, et infantem exposuit, trajiciens pedes ejus ferro. Unde et Œdipus postea cognominatus est. Sumptum puerum famuli exponere quidem noluerunt, dederunt autem Polybi uxori, quæ non poterat gignere liberos. Deinde cum puer jam vir factus esset, Deum de infante exposito consulere statuit Laius. Œdipus quoque a quodam de expositione certior factus, et ipse Pythiam qui veri parentes forent, rogatum proficiscebatur. Cum ambo apud Phocidem invicem obviam facti essent, Laiusque illum via decedere superbius jussisset, Œdipus ira percitus Laium occidit inscius parentem esse. Eo tempore fabulantur Sphingem beluam biformem venisse Thebas : proposuisseque ænigma si quis solveret : ac multos ab ea imperitos solvendi interemptos : solventi præmium Jocastæ connubium, et Thebanorum regnum propositum esse. nullus excepto Œdipo ænigma solvere potuit. Id erat ejusmodi a Sphinge propositum : 'Quid esset idem bipes, tripes, quadrupes?' Cæteris addubitantibus, Œdipus ait hominem esse, qui infans quadrupes esset, auctus ætate bipes, jam senior factus tripes, ut qui baculo ob imbecillitatem sustentaretur. Tum Sphinx juxta oraculum seipsam ex loco excelso præcipitavit. Œdipus matrem ignotam uxorem sumpsit, quatuorque ex ea genuit liberos, duos filios, Etheoclem et Polynicen, duas vero filias, Antigonem et Ismenem. Filii cum ad ætatem venissent, domestica impietate cognita, Œdipum coëgerunt ob dedecus non egredi domum. Ipsi sumpto regno invicem pacti sunt ut singuli alternis annis imperarent. Etheocli, quia major esset, primus imperii annus cederet. Is acto anno renuit regnum tradere. Polynices vero ex fœdere id petiit, nec impetrato Argos ad Adrastum regem confugit. Hoc tempore Tydeum aiunt Œnei filium cum in Calydone Alcastum, Licotheumque nepotes occidisset, ex Ætholia et ipsum aufugisse Argos. His duobus Adrastus benigne susceptis, quodam responso motus utrique filias uxores junxit, Polynici Argiam, Deiphylem Tydeo. Adolescentes cum a rege probarentur, magnaque eorum virtutis exspectatio esset, is gratificans ambos in patriam promisit se reducturum : verum cum censeret primum debere Polynicem restitui, ad Etheoclem misit Tydeum, de reditu acturum : aiuntque eum quinquaginta viros, quos Etheocles in insidiis posuerat, omnes interfecisse, et præter opinionem salvum rediisse. Adrastum, cum hæc audisset, ea quæ ad bellum spectarent præparasse : adscivit autem ad belli societatem Capaneum, Hippomedontem, Parthenopæum Atalantæ Schœneidos filium. Suadebant amici Polynicis, ut ad bellum Amphiaraus vates duceretur. At is cum ex scientia vaticinandi prævideret, si ei bello afforet se periturum, idque propterea recusaret, ferunt Polynicem aureum torquem a Minerva Harmoniæ datum, Amphiarai uxori, quo belli societatem viro persuaderet, donasse. Eo tempore Amphiaraus Adrastusque de regno dissidentes pepigerunt ad Eriphy-

lem Amphiarai conjugem, Adrasti autem sororem, omne dissensionum judicium referre. Illa pro Adrasto sententiam tulit, adjiciens ut belli Thebis inferendi socius Amphiaraus adjutorque esset. Amphiaraus existimans se ab uxore proditum, consensit ad bellum ire, sed Alcmeoni filio mandata dedit, ut post suum obitum Eriphylem perimeret. Quod patris mandatum postea executus, facinoris conscientia in insaniam versus est. Adrastus, Polynices, ac Tydeus, ad bellum ituri, quatuor elegerunt duces, Amphiaraum, Capaneum, Hippomedonta, et Parthenopæum. Qui omnes cum magno exercitu adversus Thebas profecti sunt. Post deinde Etheocles et Polynices sese mutuo interfecerunt: Capaneus magno impetu scalis murum ascendens mortem oppetiit. Amphiaraus in terræ hiatum cum curru delatus, nunquam postea visus est. Eodem modo reliqui duces omnes, præter Adrastum, multique præterea mortales occubuerunt, quorum sepeliendorum facultas a Thebanis cum denegata esset, insepultos relinquens Adrastus, Argos rediit. Ceterum cum nullus eos sepelire auderet, soli Athenienses, qui ceteros benignitate anteibant, omnes qui in Cadmea ceciderant, sepeliverunt.'

Hæc de belli hujus causa, progressu, ac fine, tradidit Diodorus: cujus sententiam Pausanias non solum labefactare, sed qua Homeri testimonio, qua rationibus evertere conatur: verba ejus hæc sunt in Bœoticis: 'Laius autem cum regnum teneret, et uxorem haberet Jocastam, oraculum ei redditum Delphis a filio, si quis ei ex Jocasta nasceretur, interitum sibi imminere: quare recens natum Œdipum exposuit. At ille cum adolevisset, et patrem occidit, et matrem ipsam uxorem duxit: filios vero ex ea nullos omnino genuisse ego arbitror: testimonio mihi sunt qui in Odyssea leguntur Homeri versus: 'Vidi etiam Œdipodis matrem formosam Epicastem, Quæ fœdo imprudens temeravit crimine vitam, Gnati juncta toro: genitorem occiderat ille, Mox facinus visum est superis abolere nefandum.'

Qui enim ejus flagitii fama statim potuisset aboleri, si quatuor fuissent ex Jocasta liberi suscepti? verum Eurygenæa illos Hyperphantis filia peperit: quod is qui carmina illa condidit, quæ Œdipodia nominant, declarat. Onasias etiam Platæensibus, tristem demisso vultu, ob filiorum dimicationem pinxit Eurygenæam. Polynices, vivente adhuc et imperante Œdipo, Thebis discessit, ne diris, quibus ipsos pater devoverat, esset obnoxius. Cum autem Argos confugisset et jam filiam ei nuptum dedisset Adrastus, Etheoclis fratris accersitu, post Œdipi mortem Thebas reversus est. Orto vero cum fratre dissidio, iterum exulavit, fretusque soceri opibus, dum regnum conatur recipere, exercitum quidem perdidit; congressi vero ex provocatione singulari certamine fratres, ambo mutuis confecti vulneribus ceciderunt.'

Ita Pausanias, ita Diodorus: a quibus rursus in Οἰδίπους Suidas, sive ille quem more suo exscribit, in diversam plane abiit sententiam: in nonnullis cum utroque conveniens, in pluribus ex diametro dissentiens: adeo ut extra limitem extraque oleas, quod dicitur, non iturum me crediderim, si et Historiolam quam ille tradit etiam huc transcripsero. Est autem talis: 'Laius Thebanorum rex uxorem habuit Jocastem, ex qua nata ei proles Œdipus. Eo nato oraculum pater accepit, quod propriæ matri puer ille misceretur. Et jussit eum abjici in montem, et ligna circumplecti pedes. Quem cum invenisset agricola nomine Melobus, educavit, et Œdipoda dixit, quia tumefactos haberet pedes a ligno quod appella-

tur 'Cuspus.' Vir autem factus latrocinia exercuit. Quo tempore ea quæ Sphinx dicitur apparuit, mulier deformis et ferina. Abjecto enim viro, et manu congregata, et loco occupato difficili aditu, prætereuntes necabat. Œdipus igitur grave aliquid meditans, socium se dedit ejus latrocinio, et tempore idoneo quale voluerat observato, hasta eam interemit et qui cum ipsa. At Thebani admirati appellarunt eum regem. Laius igitur indignatus, bellum iis intulit, et lapide percussus in caput interiit. Jocasta autem metuens a regno excidere, induxit Œdipodem, et declaravit regem, et facta est ejus uxor, ignara quod mater esset. Habuit ex ea filios duos Etheoclea et Polynicen. Ac postea cum didicisset Jocasta filium suum esse, indicium fecit Œdipodi: qui audiens clavos accepit, eosque defigens in oculis, obiit, relinquens regnum duobus filiis, qui imperarunt circiter annum: et tum inimicitia suborta, invicem bellarunt. Et premebatur ab Etheocle Polynices, qui Argos abiens duxit filiam regis Adrasti, et copiis factis adversus Thebas, ibi singulari certamine congressus Etheocli, occidit eum, et ipse ab eo occisus. Socii autem domuitionem fecerunt.'

Hæc illi. Quis verius? non ego id dicam; tantum moneo, a Diodoro Sophoclem, Euripidem, Lysimachum Alexandrinum, Senecam Juniorem, nobilem etiam illum auctorem Thebaidos, scriptorum denique omne vulgus stare: plane ut ex formula Senatoria, 'hæc pars adhuc major esse videatur,' præsertim accedente non Pedario Senatore, sed Consulari Papinio nostro. *Bernart.*

1 *Fraternas acies alternaque, &c.*] Quia pacti erant fratres ut mutuis annis regnarent, et sibi invicem succederent. *Profanis*] Quia per eos violata sunt jura naturæ: et bene *profanis*, quia nefas erat germanos odia retinere; ergo execrabilibus, contra naturam sumptis. *Lactant.*

2 *Decertata*] Nemo interpretum vim hujus verbi percepit. *Decertata* enim perdita atque amissa concertando dicit. Et ita Glossographus priscus: 'certata, certando amissa: neuter enim tenuit quod uterque alteri invidit. Quia quod propter illi fratricidium fecerunt, id post eos habuit Creon.' *Barth.* *Sontesque*] Vel propter bella præsentia, vel propter Œdipoden, qui cum matre concubuit. *Lactant.*

3 *Unde jubetis*] Quia multa sunt principia Thebanæ historiæ, unde possimus inchoare narrationem. *Id.*

5 *Sidonios raptus*] Europam dicit, quam Juppiter rapuit et vitiavit. *Et inexorabile pactum*] Jusserat enim Cadmo filio suo Agenor, quem ad requirendam filiam Europam miserat, ut non nisi inventa sorore rediret ad patrem. *Idem.*

7 *Trepidum si*] Quia Cadmus Europam quærens venit ad ea loca, in quibus post Thebæ constructæ sunt, ubi invento dracone qui Matri consecratus erat, et eo perempto dentes draconis sevit: unde terrigenæ nati sunt, qui se mutuis vulneribus peremerunt: ergo *Martis operti*, id est, pugnæ terrigenarum latentis. *Idem.*

10 *Jusserat Amphion*] Hic filius Jovis fuit, ut alii dicunt, Mercurii, cujus lyra accepta canens muros Thebanos dicitur construxisse: ut ejus cantu spontanea se saxa muris imponerent. *Idem.* *Tyrios accedere*] Sic omnes Mss. et scio, quo defendas, lib. IX. 'Tyrios melior venit annus in agros:' et lib. XII. 'Tyrios juga perdere montes.' 'Tyria' proprie Statio Thebana, et ab urbe potest communicari cum circumjectis, quæ in ditione Thebanorum. Hic tamen malim *Tyriis*, ut ad *muros* referatur. Rectius quippe dices Thebanis muris accedere saxa, quam saxa Thebana accedere muris: etsi eadem

saxa alio loco bene possis dicere Thebana. *Gronov.*

11 *Unde graves*] Pentheus aspernabatur Liberi patris mysteria: iratus ergo ei furorem matri immisit, quæ armata furore Pentheum filium necavit. Et bene dixit *cognata*; Agave enim Semele, Autonoë, Ino sorores fuerunt Thebanæ. *Lactant.*

12 *Quod sævæ Junonis*] Juno, dum videret a Jove Semelem diligi, in aniculam versa decoratam, dolum meditans Semeles limen ingressa est, cui ita locuta est: Si te, ut perhibent, integre amat Jupiter, hoc ab eo impetra, ut talis ad te veniat, qualis Junoni solet videri; quæ inducta Jovem rogavit: qui cum negaret et diceret aspectum Dei nullo modo posse ferre mortalem, tandem promisit tali se habitu ad eam esse venturum, quali ad Junonem consuevit: qui cum venisset cum fulmine, Semele sustinere non potuit et obiit. Juppiter vero aperto ejus velocissime utero Liberum patrem aperto femori abdidisse dicitur, ut expletis novem mensibus legitime nasceretur. *Cui sumpserit, &c.*] Leucothoë, quæ Ino, Liberi patris nutrix fuisse dicitur. Hujus marito Athamanti talem furorem Juno immisit, ut filios suos vellet occidere, sperans quod Liberum patrem invenire posset, et simili sorte perimeret. Qui Athamas unum filium suum Learchum arcu vel sagittis extinxit. Leucothoë vero ubi maritum suum furere conspexit, cum Palæmone filio se dedit in mare, quæ postmodum in marinam deam conversa est, et vocatur Mater Matuta, filius ejus Deus Portumnus. *Idem.*

17 *Confusa domus*] Quia idem filius et maritus: eadem mater et uxor: iidem filii qui nepotes. *Idem.*

19 *Bisque jugo*] Per fluvium gentem Gallorum bis a Vespasiano victam ostendit. *Idem.*

22 *Bella Jovis*] Capitolium intelligit: quod cum Flavio Sabino, Quinto Actio Consule, aliisque Vespasiano stantibus contra Vitellianos occupavit Domitianus. Consule Tac. Hist. III. Sueton. Domitiano. *Bernart.* *Bella Jovis: Tuque o Latiæ*] Nectuntur minime congruentia. Scribe: *Bella Jovis, teque, o Latiæ.* Omnes virtutes tuas, omnem magnitudinem, omnia decora: scilicet, nondum ausum sperare. Tibullus: 'Te, Messala, canam.' Horatius: 'Quis Martem tunica tectum adamantina Digne scripserit? aut pulvere Troico Nigrum Merionem?' *Gronov.* *Decus addite*] Titum Domitianum filium Vespasiani dicit. *Lactant.*

24 *Licet arctior*] Quamvis densentur astra, dum spatiosus tibi locus paretur in cœlo: licet omnes stellæ se contrahant, ut tibi locum faciant, quem volueris: licet sol velit te magis implere diei curricula quam se et tibi cedat officium suum: aut tecum Juppiter æqua parte cœlum partiri desideret: tamen melius tibi erit terra regnare quam cœlo: et sis terræ vel maris dominus, et superis cœleste dones imperium. *Idem.*

26 *Hiulci fulminis*] Quia fulmen quicquid hiare facit. *Expers*] Quia fulmine caret. *Idem.*

27 *Licet ignipedum*] Sol licet tibi cedat suam potestatem, et tradat tibi currus suos. *Idem.*

28 *Radiantem crinibus*] Circulum in quo sol suos cursus explet: quia veluti arcus videtur, quod sol ab oriente nascens usque in occidentalem partem desinit. *Idem.*

31 *Sidera dones*] Hoc explicant, præ nostro imperio ipsum cœlum contemnas. Sed *sidera dones* est Deos facias, numina in sidera mittas, ut loquitur Manilius. Patri, fratri, gnato id se decus dedisse postulabat Domitianus. Martial. l. IX. Ep. 104. 'Templa Deis, mores populis, dedit, otia ferro, Astra suis, cœlo sidera, serta Jovi.' Vide Gron. *Observ. l.* 2. *cap.* 23.

33 *Nunc tendo chelyn*] Memini Virgilii in Æneid. IX. 'numerosque intendere nervis :' sed hic legendum : *tento*, quod est proludo, meditor, experior. Ovidius Met. v. 'Calliope querulas prætentat pollice chordas, Atque hæc percussis subjungit carmina nervis.' Lib. x. 'Ut satis impulsas tentavit pollice chordas.' Tacitus Ann. XIV. 'Postremo ipse scenam inscendit, multa cura tentans citharam et præmeditans.' Græcis *πειράζειν*. Apollonius de Orpheo : *'Ανασχόμενος κίθαριν πείραζεν ἀοιδῆς.* Scholiastes : *πείραζεν ἀντὶ τοῦ ἥρμοττεν.* Alibi dicit 'experiri.' Achill. I. 'Elicit extremo chelyn et solantia curas Fila movet, leviterque expertus pollice chordas Dat puero.' Ubi Schol. in membranis : 'moderatus et prætentatus tactu pollicis et impressione.' *Gronov.*

34 *Aonia*] Thebana, ab Aone Rege filio Neptuni : vel a monte Bœotiæ. Nam ipsa est Aonia, quæ et Bœotia, quæ et Thebe. *Et geminis*] Sc. Etheoclis et Polynicis. *Lactant.*

37 *Et egestas*] Evacuatas, populis expoliatas. *Alternis mortibus*] Thebanorum et Argivorum. *Civitates*] Vel Thebas vel Argos. *Idem.*

38 *Dirce*] Fons Thebanus. vid. ad Horat. l. II. Od. 2.

40 *Ismenon*] Fluvius est. *Lactant.*

41 *Immodicum iræ*] Ob morsum ante mortem occisi hosti caput. Quod facinus, ut immane est, toto sparsim opere traducitur. Locutionem illustravit Mariangelus Accursius Diatribis ad Ausonium. *Barth.*

42 *Laurigeri*] Hoc est Amphiarai. Lyncæi et Hypermnestræ filium dicit, qui hiatu terræ, dum curru dimicaret, absumptus est : quem laurigerum dixit, eo quod Apollinis esset antistes. *Lactant.*

44 *Hippomedon*] Nesimachi et Nasicæ filius, qui dum in Hismeneta fluvio dimicaret, exstinctus est. *Idem.*

45 *Alio Capaneus horrore*] Bene *alio horrore*, majore impetu dictionis : ut ipse alibi de Capaneo : 'gravioraque tela mereri.' Capaneus ut alii putant Hippotæ et Astimoniæ filius. *Lactant.*

46 *Dextra*] Parricidæ benemerita quæ vindicavit. *Idem.*

47 *Merserat*] Absconderat pudorem. *Idem.*

49 *Illum indulgentem*] Operam dantem, ut Virg. 'indulgent vino.' *Idem.*

51 *Circumvolat alis sæva dies animi*] Lux conscientiæ atque furiarum ; nam quamvis cæcus esset, facinora sua conscientia arguente cernebat. *Idem.*

55 *Pulsat inane solum*] Lactantius inania tartara interpretatur. Bernartius cum applausu Joh. Barclaii, quod sit sine anima. Sed *inane solum* sunt vacui oculorum loci. *Solum*, quodvis cujusvis rei fundamentum. Cicero in Bruto : 'Solum quidem, inquit ille, et quasi fundamentum oratoris vides, locutionem Latinam et emendatam.' Virgil. in Æneid. VII. de orbibus crusti vel placentæ quadris : 'adorea liba per herbas Subjiciunt epulis,' &c. Et 'cereale solum pomis agrestibus augent.' Ubi Servius : 'Solum omne dicitur, quod aliquid sustinet. Unde de mari supra ait : vastis tremit ictibus ærea puppis, Subtrahiturque solum. Sic nunc paniceas mensas, id est, epularum sustentaculum, solum vocavit.' Ovidius in Met. I. 'Astra tenent cœleste solum.' Decentius multo quam Sidonius 'cœli pavimentum sidera' dixit. Quare temeraria et ridicula est hominis docti inter cæteras similes reprehensio, vitio vertentis Ovidio hoc vocabulum, quod *solum* brutorum pedibus calcetur, Advers. lib. LVIII. 10. Doctior Apuleius qui imitatus est in Floridis : 'Aquila enimvero, evecta alis istud spatium, quæ pluitur et ningitur, ultra quod cacumen nec fulmini nec fulguri locus est,

in ipso, ut ita dixerim, solo ætheris et fastigio hiemis.' Labeo l. LXV. D. de Adqu. Rer. Dom. 'Insula, quæ non ipsi alveo fluminis cohæret, sed virgultis, aut alia qualibet levi materia ita sustinetur in flumine, ut solum ejus non tangat.' Palladius in Augusto Tit. VIII. 'Mundum vas æneum vel plumbeum interius unctum inversum ponatur in solo ipsius fossionis.' *Gron.*

56 *Angustaque Tartara*] Tantam ait copiam ingruere sceleratorum ad manes mortalium, ut ipsa loca pœnis non sufficiant. Non confirmat hic locus Horatianam, perperam vulgo placentem, 'exilem domum,' cum utique ibi 'exsilii' scribendum sit, ut primi nos animadvertimus. Sed de eo loco plenius alibi. *Barth.*

58 *Quam video*] Pene oxymoron: quid enim cæcus videt? sed tenebras se videre credit. Nihil enim apud superos cernere, hoc est revera Stygem videre. *Lactant.*

59 *Perversaque vota*] Id est mala quæ opto compleri, quia pater filiis imprecabatur: nam ipsi sunt secunda, quæ sunt adversa fœlicibus. *Id.*

60 *Si bene quid*] Se increpat, condemnat oracula, quia non contentus generis falsitate, responsa contempsit. nam ei causa divinationis fuit occasio parricidii. *Idem.*

61 *Trajectum vulnere plantas*] Responderat oraculum Laio, quod a filio suo posset occidi. Unde natum Œdipum jussit projici transfixis cruribus. *Idem.*

62 *Cyrrhæa*] Ista enim civitas juxta Parnasum montem est, qui in duo juga dividitur, in Heliconem et Cytheronem. *Bicorni*] Bicipiti Parnaso. *Idem.*

64 *Polybo*] Corinthiorum hic rex, maritus Meropes, quæ Œdipum, a Phorba pastore regio inventum et ad se delatum, pro filio educavit. *Bernart.* *Trifidæque in Phocidos arce*] Quis unquam legit Laium occisum in arce? aut in ædificio ingenti, quod hic e Pausania fabricant Bernartius et Barclaius? Via fuit publica, sed angustior. Ergo recte Mss. *trifidæque in Phocidos arcto.* Apollodorus: Κόρινθον μὲν ἀπέλιπεν· ἐφ' ἅρματος δὲ διὰ τῆς Φωκίδος φερόμενος συνετύγχανε κατά τινα στενὴν ὁδὸν ἐφ' ἅρματος ὀχουμένῳ Λαΐῳ. Sidonius de Cyro: 'Cæsis millibus ante cum ducentis In vallis Scythicæ coactus arctum Orbatæ ad Tomyris veniret utrem.' Sic autem et legit Lactantius ad lib. VII. vs. 344. 'Phocida quæ civitas tres habet vias, quæ se post multa spatia in unam jungunt plateam: ut ipse in primo: 'trifidæque in Phocidos arcto Longævum implicui regem.'' *Gron.*

66 *Sphingos*] Si Sphingos videor solvisse ambages o furia, ut bene de te merito parricidæ tuo incestum præmium dares. Dicta Sphinx, quod ita stringeret homines suis quæstionibus, ut se expedire non possent. Sphinx monstrum erat alas et ungues habens in similitudinem harpyiarum, quod insidens scopulo viæ immineuti, insolubilia ænigmata transeuntibus proponebat, quæ cum solvere non possent, ex improviso veniens alis et unguibus ad se in rupem trahebat. Cujus locutionis ambages Œdipodes sua calliditate solvit: quod factum beneficio furiæ imputat. *Lactant.*

69 *Connubium*] Concubitum matris. *Idem.*

70 *Sæpe tuli*] 'Pertuli' aut 'protuli' notat scriptus Glossographus esse intelligendum. Malignam voluntatem suam Furiæ probare nititur, quæ talis fuisse intelligatur, ut inire voluerit matrem etiam cognitam, unde ait *natosque tibi, &c.* Etsi ignara enim sceleris mens, furiis tamen incestis acta fuit, ut ista sonant. *Nox* concubitum sonat, ut sæpe penes Plautum: 'cadum vini et tuam Noctem.' *Barth.*

71 *Mox avidus pœnæ digitis cædentibus, &c.*] Id est festinavi edere de

me ipse supplicium, ne ulterius tanta scelera cœlarem: nam cum cæderent digiti, pœnæ magis quam mortis avidus, pronus incubui. nam desiderasse mortem hoc fuerat fugisse supplicium. *Lact.* *Avidus pœnæ*] 'In matre reliquisse oculos' dicitur, quia suspensam eam inveniens dirupit restim, seque cadaveri injectum exoculavit. Vide Sophocl. vs. 1290. *Barth.*

74 *Regnisque carentem*] Recte, ut in ipso limine videtur: at si penitus introspicias, unius litterulæ vitio inquinatum locum densam sententiæ noctem facere videbis: cujus tenebras nunquam dispelles, nisi, ut ex libris manuscriptis reposui, legas: *Orbum visu, regnisque parentem, &c.* Liberi mei, inquit, neque dirigere voluerunt, neque solari me patrem privatum visu et regno, quin potius cæcitati et miseriis meis superbi insultant. *Bernart.*

81 *Et totos in pœnam*] Hoc est prosequere genus meum omne usque ad nepotes. Notandum sane quod *totos* pro omnibus dixit. *Lactant.*

82 *Indue quod madidum*] Indue liberis meis diadema, quod ego Laio abripui cruore pollutum. *Idem.*

84 *Media fratres*] Signum est discordiæ. *Idem.*

85 *Dissiliant*] Multi *Dissentiant* legunt. Est autem sensus: Aut ipsi filii germanitatem suam ferro dissipent, aut ipsa germanitas ferro dissipetur. *Tartarei regina*] Tartarus est profunditas Inferorum. Barathrum vero squaloris altitudo: dicit autem hoc fac ut tantum scelus filii audeant, quod optet etiam pater cæcus videre. *Idem.*

87 *Pignora nosces*] Quos ad facinora scelerum tam pronos invenies, ut meos filios esse non dubites. *Idem.*

90 *Resolutaque vertice*] 'Ad fomentum veneni,' Glossator manuscriptus. Optime. Crines enim furiarum maxime erant serpentes, ut apud Poëtarum filios omnes. *Barth.*

93 *Discedit inane*] Discedunt umbræ quæ solidis corporibus carent. *Lactantius.*

94 *Et occursus dominæ pavet*] Scripti omnes, *occursus*. Præfat. III. Silv. 'et hanc audaciam stili nostri frequenter expaveas.' *Gronov.*

95 *Caligantes*] Obscuros campos illa petit in quibus est turba animarum. *Lactantius.*

96 *Tenariæ limen*] Malea promontorium est Laconiæ, in cujus radicibus locum quendam profundum Tænarum vocant, in quo dicitur esse aditus Inferorum. *Idem.*

98 *Procul arduus Atlas*] Longe est enim nimis occasus a Thessalia, in quo Atlas est positus. Atlas Japeti filius et Clymenes, cum hospitio non susciperet Perseum Jovis et Danaës filium, qui a Polydecte rege missus fuerat ad Medusam Gorgona occidendam (quam Minerva monstrante Perseus interfecit) rediens cum ab Atlante Libyæ finibus prohiberetur, monstrato Gorgonis capite, in montem eum mutavit: qui posteaquam furiam vidit, territus est. *Idem.*

99 *Et dubia*] Ad timorem retulit furiæ venientis, quam dubiam metus fecerat: et deest prope. *Idem.*

103 *Centum illi astantes*] Subdititia hæc, quid enim τὸ *astantes?* cassa palearum si examines, legendum vero ut in calamo exaratis: *centum illi stantes.* Tisiphonæ serpentinum capillitium tribui a Poëtis tam notum, ut ridiculum foret exempla adferre: decore itaque noster vult, serpentes hos, non languidos, sed stantes, et erectos, cinxisse commotæ Tisiphones caput, præcipue *Cerastes* genus serpentis, e cujus corpore (Plinio auctore) cornicula eminent sæpe quadrigemina, et quod (Pausania teste), quo ferme modo gradiuntur cancri, in obliquum repit. *Bernart.*

106 *Athracia*] Athracies qui fuit Thessaliæ, pater Hippocratiæ, quam Perithous duxit uxorem, qui primus

artem magicam apud Thraciam constituit: ergo *Athracie* est magica scientia. *Rubet arte labor*] Hoc est qualis color est lunæ deficientis arte magica. *Lactant.* *Rubet arte color*] Et hic locus glossemate fœdatus. vetus scriptura et editio princeps agnoscunt: *Athracia rubet arte labor*, quod retinendum est omnino. Tangit signate veterum errorem, qui Lunam magico carmine cælo devocari, ruboreque præ verecundia suffundi crediderc, adeoque ne veneficarum verba exaudire posset, æris tinnitu obstrepebant. Plutarchus in Paulo Æmilio. *Bernart.* Sed videtur mendosus Lactantius. Lege: 'Atrax princeps fuit Thessaliæ, pater Hippocrateæ.' Atrax rex urbem constituit penes Thessaliam, unde ea tota *Atracia* dicta. *Bart.*

108 *Morbique famesque*] Quasi in pestilentia nulla sit mortis discretio. Trium vero furiarum tres memorat potestates, sitis, morbi, famisque. *Lactant.*

109 *Riget*] Est dura. *Horrida*] Sordida, ut Virgilius, 'Palla succincta cruenta.' *Idem.*

110 *Redeunt in Pectora nodi*] Amictum significat; ut idem Maro, 'Horridus ex humeris nodo dependet amictus.' *Redeunt*] Ad duplicationem rettulit alterius nodi. *Idem.*

111 *Atropos*] Ut ostenderet justitiam Furiarum ministerio, et Fatorum decreto compleri, et Proserpinæ voluntate. *Novat*] Novas retexendo facit. *Idem.*

114 *Citæron*] Mons Baccho sacer. *Lactant.*

115 *Crine virenti*] Venenato, sive anguibus texto. quem dicunt sibilare. *Idem.*

117 *Pelopeiaque regna*] Peloponesum dicit et Argos. *Idem.*

118 *Et asper Eurotas*] Asper quod bello acres procreet viros: vel propter μαστίγωσιν, quibus virtuti est in sacris cædi verberibus, sine corporis motu. Eurotas autem fluvius est Laconiæ. *Idem.*

119 *Dubiamque jugo*] Dubiam dixit Œtem, quia inter Thessaliam et Thraciam hic mons interjacet: ut cujus esse videatur incertum sit. *Lactant.*

120 *Fluctibus geminis obstitit*] Id est Cenchrei, Siletei, inter quos angusto tractu in mare terra porrigitur, quam Isthmon poëta significat: hujus contrarius Porthmos, quod Latine fretum dicitur, inter vicinas terras angustum mare. *Lactant.*

121 *Ipsa suum genitrix*] Leucothoën dicit: et bene ipsam eligit hoc loco ponere, quia jam malum didicerat furiarum, et iracunde dictum *pressit.* et a Thebanis numinibus non recessit, quæ veluti præscia magis metuunt patriæ quam furiarum sonitus perhorrescunt. Et mire dicendo *pressit* affectionem maternam explicuit. *Idem.*

127 *Parens odii metus*] Pulcherrima gnome, pessimæ prolis Odii pessimam matrem Metum indicans: quo nihil verius cortina Phœbi unquam protulit. Metuimus enim potentiores ob injurias inferendas, ulcisci cupimus ob illatas. Eleganter Poëta vetus: 'Quem metuunt oderunt: Quem quisque odit periisse expetit.' *Bernart.*

130 *Discordia*] In collegio namque duorum regum vix discordia abest, si unius regni simul jura gubernent. Nam semper alter veretur ne se spreto alter singulariter eligatur. Hæc enim inter Pompeium et Julium Cæsarem civile bellum movit: et hoc est quod sequitur. *Sociisque comes*] Ut Lucan. 'Nulla fides regni sociis, omnisque potestas Impatiens consortis erit.' *Lactant.* *Sociisque comes discordia regnis*] Potest ferri: mallem tamen, *regni;* ut Lucan. canit: 'Nulla fides regni sociis,' &c. *Gron.*

139 *Exilio mutare ducem*] Ut altero regnante alter esset extra urbem in exilio constitutus, et completo anno rediret ad regnum, et cui successum

fuerat iret in exilium, rediturus anno completo. *Jure maligno*] Iniqua commutatione fœlicitatem imperii exilii infœlicitate commutant. *Idem.*

141 *Hæres*] Successor. Quia in omne jus decedentis successor veniebat, ut legitimus hæres. Instit. de Hæred. Qualit. et Differ. Sic Claudianus de Eutropio: 'Rufini castratus prosilit hæres.' *Barth.*

143 *Nec in regem*] Licet esse iniqua ista divisio, tamen ad secundum regem pervenire non potuit: quia expleto anno cum Polynices repeteret regnum, regnante Etheocle mota sunt bella. *Lact.*

145 *Aut late Graiis*] In hoc versu de marmore agit, quod ex Græcia ad columnas conficiendas, et domus suas ornandas Romani petere consuerant, quod *alte* fulcire vult atria, altis videlicet columnis. Juvenalis: 'Græcis longeque petitis Marmoribus, vincens Fortunæ, aut Herculis ædem.' In seq. versu more suo Græcis tribuit morem Romanis usitatum, qui talis, quod clientes ad potentiorum atria mane confluere solent, salutandi gratia. Virgilius: 'Mane salutantum totis vomit ædibus undam.' *Bernart.*

147 *Impacatis regum*] Quibus suspectus dormiat Imperator, habens circa atria semper armatos; et est sensus: Non regum somnis impacatis pila vigilantia erant, sc. ad custodiam regum: pro ipsis qui vigilant: dixit metonymicῶs per id quod continet, id quod continetur. *Lactant.*

149 *Nec cura mero committere*] Nondum eis luxuria suaserat pocula habere gemmata: ut Virg. 'ut gemma bibat et Sarrano dormiat ostro.' *Committere* autem mire dictum est, quasi ad periculum: quæ possent frangi inter trepidantes ministros, et semigraves vino convivas. *Idem.*

151 *De paupere regna*] Propter Eteoclen et Polynicen, qui civilia bella gesserunt: dicit regnum non esse idoneum, propter quod fratres odia suscitaverunt. Exequitur potentissima regna varia descriptione. *Idem.*

152 *Dumque uter*] Bœotiam dicit Cadmi, qui a patre pulsus peracto exilio condidit Thebas. *Non altus ovaret*] *Altus* magnus; et est ordo: Dum ambigitur uter fratrum ovaret in solio Tyrii exulis, hoc est Cadmi. *Non altus*] Quia modicum erat regnum. *Idem.*

154 *Periit jus, fasque bonumque*] *Jus* legum est; quia unus læsit fœdus: *fas* hominum; quia fratres contra se arma sumpserunt: *bonum* quia usque ad interitum pugnaverunt. *Idem.*

155 *Et vitæ mortisque pudor*] Quia mutuis periere vulneribus, et cremati sunt rogorum discrepantibus flammis. *Quo tenditis iras*] Apostrophe ad fratres. *Idem.*

156 *Quid si peteretur crimine tanto*] Dicit non oportuisse a fratribus arma sumi, nec si ideo pugnaretur, ut unus orbis imperium possideret: vel si cœli possessio peteretur. *Idem.*

160 *Avius*] Utique sol avius, quasi sine via: quia ab hac mundi parte semotus. *Lactant.*

162 *Convectentur opes*] Non si unus possideat opes Phrygias et Tyrias. *Opes* autem 'Tyrias' dixit, ut ostenderet Tyrios semper divites fuisse, secundum Virgilium dicentem: 'Portantur avari Pigmalionis opes.' *Idem.*

164 *Jam sorte cadebat*] Magnum mendum dum tollere conatur, fecit Bernartius. Utrum credidit, 'cadere dilatum sorte,' esse, sorte differri, an 'sorte cadere' dici, ut 'causa cadere?' Utrovis tamen modo 'ceciderat' erat dicendum. Nobis nuspiam, nisi *carebat*, inventum: sensusque ejus; Polynicen, dilato honore in proximum annum, sorte regnandi caruisse, quia evenerat illa Etheocli. In contrarium apud Tacitum Annal. III. 56. 'Servius Maluginensis postulavit, ut Asiæ sortem haberet.' Ita enim leg.

non 'Asiam sorte.' Ut eodem libro supra: 'sorte Asiæ depellendum:' et infra, 'sors Asiæ in eum, qui Consularium Maluginensi proximus erat, conlata.' *Gronov.*

166 *Solus in aula*] Non vere solus: sed quia is pro turba est homo, qui aliis est odio solus. *Lactant.*

168 *Par stare caput*] Id est tui consortem diadematis. *Idem.*

169 *Plebis, &c.*] Echionem virtutis ergo Cadmus sibi generum adscivit. Pausanias libro IX. Is pater fuit Penthei, fabulis notissimi. Nonnus lib. XLIV. Ovidius Met. III. Unus superstes ex quinque dentibus Draconis prosatis, Ovid. *Barth.*

170 *Et qui mox populis, &c.*] Absque lectione veteri esset, poteramus vulgatam retinere: sed dum membranas consului et editionem principem, præsto legendum esse: *et qui mox populis venturus amatur*. acuta sententia vulgi levitatem perstrinxit, quod plerumque, Salustio judice: 'Ingenio mobili seditiosum atque discordiosum, cupidum novarum rerum, quieti et otio adversum.' Malignum denique quiddam et querulum imbibit in imperantes, et ut lepide ille ait: 'magis regis filium amat quam regem.' *Bernart.*

171 *Humili veneno*] Id est, maledictionis carpere meliores. *Lactant.*

173 *Hancne Ogygiis*] Ogyges, ut Var. docet in libris de gente Populi Ro. rex fuit Thebanorum, sub quo primum diluvium factum est, longe antequam illud, quod sub Deucalione factum esse narratur: aut certe ab Ogygio uno terrigena, Thebanorum primo rege, a quo Thebani antiquas res Ogygias nominabant; qui primus eis imperavit. *Idem.*

174 *Totiens mutare*] Quia vicissim placuerat imperare. Illi inquit ut imperent vices mutant, nos servitia non mutamus. *Idem.*

176 *Partiti versant*] Id est, sub Imperio et ditione habent. *Manuque f.*] Id est contemptibilem. Nam fortuna solet facere reges et exules. Isti fecerunt ut circa reges et exules ea fortuna servetur, ut ex illorum voluntate constitutum sit, quando debeant exilium petere, quando ad imperium remeare: itaque in illis fortuna, quæ semper solet esse dubia, non habet potestatem: quippe cum de futuris certi sint, et ipsi regunt fata populi, dum excluserunt fortunam. *Idem.*

177 *Semperne*] Quia semper dux erat multandus exilio: et licet sit gravis omnis servitus, gravior tamen est quæ subjacet indignis. *Vicissim*] Rerum mutabilitate, aut vice serviendi. *Idem.*

179 *Sociis*] Propter Harmoniam, quæ fuit Martis et Veneris filia. *Idem.*

180 *Sedit*] Placuit. *Idem.*

181 *Ex quo Sidonii*] Non Sidonius juvencus, sed Sidonium pondus. De Sidone enim fuit Europa quam pater Agenor Cadmo inquirendam mandavit. Ille cum penetrasset mare Carpatium, id est Ægyptium; cum nec sororem reperire potuisset, secundum præcepta patris in exilio remansit, et duce Apolline pervenit ad Thebas Bœotiæ: quas Hyanteas vocant, a nympha quæ illic colitur: vel eo quod illic draco fuerit interfectus, cujus sevit dentes. *Idem.*

186 *Cernis ut*] 'Verba plebis esse de novi Regis insolentia amoto consorte regni,' recte notat Glossographus Priscus. 'Erectus' superbum denotat a statura fastu excelsiorem affectante. 'Rectus,' nullibi inflexus, qui habitus insolentium hominum. *Barthius.*

190 *Affatu bonus*] 'Erat' subaudimus. Ubique jam hoc queritur, quod nemo succedit, cum superius vices gemeret servitutis: et dicit Etheoclem quondam circa rogantes fuisse clementem, quæ laus imperatoris est maxima: quæ omnia dicit esse conversa, quia successor exclusus est, qui

justitiam pateretur, et esset in sermone comis. *Lactantius.*

196 *Hic imperat, ille*] Id est, imperat Etheocles, quia fidem fregit: minatur Polynices, quia amisit imperium; et necesse est populis Thebanorum, sub unius imperio, duorum timere sævitiam. *Idem.*

197 *Rapidi super*] Concilium Deorum describit: *rapidi* autem *cæli*, i. e. volubilis. *Idem.*

199 *Interiore polo*] Id est secretiore: sive medio ab ortu et occasu conventuris numinibus spatiorum esset æqua distantia: quasi ad quoddam cæli secretum numinum ordo conveniat. *Hinc omnia juxta*] Ut ostendat ad eum cœli locum numina convenisse, cui juxta sunt omnia; id est, unde sic videantur omnia, tanquam juxta: ergo medium cæli locum dixit. *Idem.*

200 *Primæque occiduæque*] Orientis occasusque loca describit. *Effusa*] Patens. *Sub omni die*] Id est, sub omni cælo. *Idem.*

201 *Arduus*] Id est, Juppiter. *Idem.*

204 *Cælicolæ veniam*] Id est, donec Juppiter protensa manu hortaretur veniam sedendi. 'Venia sæpe' (hæc adde ex observatione C. Barthii hunc locum Lactantii ex veteri Exemplari restituentis) 'est beneficium.' Virgil. 'Orantes veniam.' *Idem.*

206 *Semideum*] Quia in inferioribus zonis degunt, vel qui nec mortales, nec superi sunt. *Summis cognati*] Secundum Lucretium, qui dicit ex udore terræ nebulas oriri, ex nebulis nubes, ex nubibus pluvias; ex quibus amnes augentur. Virg. 'cælo gratissimus amnis.' *Idem.*

208 *Aurea templa*] Sic manu exaratus etiam ille longe præstantissimus codex; nec quicquam mutari nos patimur. Vide Varr. initio lib. VI. de Ling. Lat. *Mixta majestate*] Tot numinum majestate conveniente et placida conventione congruente. *Barth.*

213 *Vocem fata sequuntur*] Eximie, si quicquam in hoc opere; damnat enim diserte impiam quorundam Stoicorum doctrinam, trigis fati Deum ipsum subjicientem, cum ille liberrimus omnium rerum auctor et actor transcendat cum libuit, et rumpat implexa illa agmina et volumina fati; nec fatum ipsum aliud sit, non ex Papinii nostri solum, sed magni Augustini mente, 'quam sanctio et velut vox divinæ mentis.' *Bernart.*

214 *Terrarum delicta*] Queritur Juppiter de hominum peccatis, quos dicit superasse se malis; nam fortiores illos dicit esse ad committenda peccata, quam se ad vindicandum: et commemorat quæ mala commiserint. *Lactant.*

217 *Jam pridem Cyclopum*] Hyperbole: dixerat uti fulminibus non libere; addidit augmentum, ut dicat deesse fulmina. Cyclopes enim fatigati sunt suggerendo fulmina; ergo hoc tædet. *Idem.*

218 *Æoliis incudibus*] Æoliæ insulæ Vulcani domicilium et officina creditæ, unde et nomen Vulcaniarum habuerunt, teste Plinio lib. III. cap. 8. De flammis inde eructantibus tanta copia, ut uni earum tres Crateres sint, vide ex Polybio et aliis, Strabonem lib. VI. Pomponius Mela lib. II. cap. 7. 'Septem insulæ quas Æoli appellant, Osteodes, Lipara, Didyme, Phœnicusa, Ericusa, Hiera, et Strongyle, ut Ætna perpetuo flagrant igne.' Hinc 'incudes Vulcani' eo collocat Papin. quasi ignis desit ad fabricanda fulmina. *Barth.*

219 *Atque ideo tuleram*] Deest, patienter: ut mundum Phaëton incendio concremaret. *Lactant.*

222 *Nil actum*] Neque illud profuit ad emendationem humani generis. Neptunus enim impulsu cuspidis coëgit excedere fluctus littorum legem, et universas terras obruere. Dicit ergo Juppiter, nil emendationi humani generis profuisse supplicia, cum nihilominus peccare non desinant. *Idem.*

224 *Nunc geminas*] Duas familias significat, Thebanorum et Argivorum, quorum se originem dicit existere: Argivorum a Perseo; Perseus autem Jovis et Danaës filius fuit: Thebanorum per Cadmum, qui per Epaphum originem ducit a Jove. *Idem.*

226 *Aonias fluit*] Aones Bœotiæ gens indigena, quam cum vicisset advena Cadmus, recepit in gratiam, Phœnicibusque mistas patria loca colere permisit. Eustath. in Dionys. vers. 473. Ἄονες ἔθνος βάρβαρον οἰκῆσάν ποτε ἐν Βοιωτίᾳ. Thebas Cadmeam cum inferiore oppido jungentes civitatem primum totam vocavere Antiopæ filii, a Nympha Thebe ducta appellatione, cognata ipsis, filia Promethei. Auctor Pausanias l. IX. *Fluit hic*] Sc. sanguis. *Barth.*

227 *Imposta manet*] Hæret mihi, ut ingenue loquar, aqua in sententia hujus loci, et in τὸ *imposta* mendum latere suspicor, quod sine ope melioris codicis liquido divinare non potui: scio qua notione poëtæ accipiant 'imposta,' 'deposta,' 'supposta,' 'exposta,' et similia, sed quid ad hanc sententiam? Buslidianus codex *imposta movet*; unde nihil adhuc elicio: viderint acutiores. *Bernart.*

229 *Gaudia matrum*] Aut propter Agaven, quæ parricidio suo insana gaudebat: aut propter Jocastam, quæ cum filio læta concubuit. *Lactant.*

230 *Erroresque*] Athamantis sc. qui furiata mente cum Learchum filium jugularet, leonem se putavit occidere. *Et reticenda Deorum*] Amphibolon: aut quæ homines in Deos commiserunt: aut quæ Dei irrogavere mortalibus. Si hominum in Deos, hæc sunt: quia prætulit se in pulchritudine Niobe Latonæ, Pentheus Libero, Semele Junoni. Vel propter Tantalum; qui volens Deorum mentes inquirere, Pelopem filium suum Diis posuit epulandum. *Idem.*

235 *Monstro*] Nomine usus pro adverbio: id est, *monstro* pro monstruose: quia revocavit semina in ortus suos. *Idem.*

237 *Projecitque diem*] Induxit sibi cæcitatem, ut cito vindicta sequeretur. *Idem.*

238 *Sine more*] Injuste, sine exemplo. *Idem.*

239 *Calcavere*] Insultavere cæcitati patris. *Rata vota*] Sensu vocis regentem. *Idem.*

244 *Adrastus socer*] Qui pro genero Polynice pugnavit: atqui adhuc non erat socer, sed quia deus est, futura prædicit. *Adjuncta* pro adjungenda: nondum enim adjuncta erant. *Sinistris*] Infensis numinibus et contrariis: quia morituri sunt. *Idem.*

246 *Neque arcano*] Reddit causas cur etiam Argivos velit evertere: scilicet propter Tantali scelus, qui decipere se credidit Deos, quando epulandum his apposuit filium: vel quod epulando cum diis secreta eorum mortalibus prodidit: ob quod facinus dignas apud Inferos pœnas solvit. *Idem.*

247 *Periit injuria*] Duplex hic litteræ productæ ratio, ob incisionem versus alia, alia privilegio ei proprio, quod jam olim notatum memini Ang. Politiano summo paucisque comparabili viro. Sic lib. II. vs. 478. 'Te Meleagre subit, ibi demum cuspide lata.' *Barth.*

251 *Scis semper*] Quia Juno semper favet Argivis. *Lactant.*

252 *Cyclopum*] Aut quas Cyclopes fecerunt, aut magni ac miri operis: nam quicquid magnitudine sua nobile est, Cyclopum manu dicitur fabricatum. *Idem.*

Magnique Phoroneos] Inachi hic filius, quem fabulantur cum Cephisso, Asterione, et Inacho arbitrum inter Neptunum et Junonem de regione disceptantes electum, litem secundum Junonem dedisse: posteaque dispersos antea homines in unius civita-

tis jus compulisse, eo successu, ut ab Argo, ejus ex filia nepote, integra regio nomen acceperit. Consule Pausan. Corinthiacis. *Bernart.*

254 *Custodem Phariæ*] Bene prius *somno*. Nam homo qui centum habebat oculos nisi somno oppressus occidi non poterat. Argum ergo describit, quem Mercurius dicitur occidisse. *Lactant.*

255 *Septis et turribus*] Acrisius pater Danaës, qui oraculum accepit causam mortis sibi futuram, quia ex filia nasceretur. * Sed Juppiter conversus in imbrem aureum vitiavit Danaën, ex quo coitu Perseus natus dicitur, qui Acrisium objecto Gorgonis capite convertit in saxum. *Idem.*

256 *Mentitis ignosco*] Id est, non irascor illi civitati, ubi mutatus adulteria commisisti: cum aliis enim majestate dissimulata concumbis, ad Semelen vero professus numen intrasti. *Idem.*

258 *Et mea fulmina torques*] Id est, insignia matrimonii mei, quæ debui sola sentire: vel mihi soli nota, et mihi tantum obnoxia. *Mea fulmina*] Physicum est: nam simplici ratione si intelligis, uxorem respicis. Cæterum fulmen esse sine aëre non potest, quia ipse aër Juno est; etenim si non fuerint nubes aëre collisæ, fulmen nullum est. *Idem.*

261 *Et Samon et veteres*] Samos, et Mycenæ, atque Spartæ, Græciæ civitates, Junoni sacratæ sunt. Samos enim chara Junoni: hæc enim prima Junonis nuptias vidisse dicitur. Ideo chara insula, attestante etiam Virgilio: 'Posthabita coluisse Samo.' Spartam vero dixit Laconiæ civitatem regionis. *Lactant.*

262 *Sanguine festo*] Victima sacrificiorum. *Idem.*

263 *Thuris Eoi*] Id est Sabæi. *Id.*

265 *Coptos*] Civitas Mareotica Ægypti, in qua Io versa in Isidem colitur: cujus sacris sistro celebratis Nilus exæstuat. *Idem.* *Ærisoni lugentia*] Tenebricosæ fabulæ lucem dat Pausanias Bœoticis: 'His consimilia de Phœnice quodam homine audivi: Ægyptios Isidi festos dies celebrare, qua anni parte lugeri ab ea Osirin dicunt: ac per illos sane dies incipere Nilum excrescere, quo fit ut incolarum turba dictitet, augeri Nilum atque impleri, lateque ex eo arva irrigari Isidis lacrymis.' Apte ad posteriorem partem: at cur *ærisoni?* propter sistra, quorum frequens in Isidis sacris usus. Erat autem sistrum, ut in marmoribus antiquis videre est, crepitaculum, cujus per angustam laminam in modum baltei recurvatam trajectæ medio paucæ ungulæ, crispante brachio tergeminos ictus, reddunt argutum sonum. *Bernart.*

271 *Subterlabitur unda*] Fabulam tangit. Nam dicunt Alpheum fluvium Elidis et Pisarum, quæ sunt civitates Arcadiæ, ad Arethusam nympham Siciliæ per occultos maris meatus venire. ideoque dicit; *fluctivaga præterlabitur unda.* Alii autem dicunt quod Arethusa venatrix fuit, quæ cum se in flumine Alpheo post laborem ablueret, ab eo adamata est: et diu fugiens, Deorum miseratione in fontem mutata, ad Siciliam per secretos meatus venit, quam Alpheus dicitur persequi usque in Siciliam: quod Virg. exequens ait: 'Et tandem velox positis Arethusa sagittis.' Ideoque Juno precatur Jovem, ut si placeat sibi emendare sæcula, retro, id est a sedibus illis, incipiat, parcens interim Argivis. *Lactantius.*

273 *Arcades hic tua, &c.*] In optimo Exemplari est, *nefandis*. Jovis autem Licei templum in Arcadia dicit, ubi sacrificabantur pueri. Vid. August. de Civit. Divin. lib. XVIII. 'Nefasta' aut 'nefanda loco' dicit, quia eo loci homines mutari in lupos credebantur, ut ex Plinio notant Augustini duo Scholiastæ Ludovicus Vives et Leonardus Coquæus. Idem Tem-

plum qui intrassent, necabantur. *Barthius.*

275 *Hæmo dignius*] Id est, equi, qui digni erant stabulari in Thracia, ubi equi Diomedis erant, qui humana carne pascebantur. Notandum autem, quia equos illos, quibus provocabantur proci ad curule certamen, poëta *pecus* vocat, quod est generale nomen omnium animalium, effigie humana carentium: quos equos dicit Juno digniores esse ad stabulandum in Hæmo, monte frigidissimo Thraciæ, quam in præfatis locis. *Lactant.*

278 *Placet Ida nocens*] *Montem* prius speciatim, mox totam *insulam* dicit, quæ gloriata Jovis sepulchro. Res multis scriptoribus testata non vacat jucunditate legentis, si conferantur loca. Vide Callimach. et Scholiasten *εἰς Δία*. Lactant. l. I. c. 11. et alios. *Barth.*

282 *Melius generos*] Polynicen, propter patris incestum; et Tydeum, qui fratrem suum Toxeum occiderat. *Lactant.*

288 *Ausuramque Dionem*] Veneris matrem dicit sollicitam futuram propter Hermionem, Veneris et Martis filiam, Cadmi uxorem. *Idem.*

291 *Obtestor mansuram*] Sonum carminis etiam hic corruptum correctoribus dicas. Clare enim primæ notæ membranæ referunt: *Mansurum obtestor, &c.* Quod utique ob non intellectam syllabæ rationem exscriptorum vulgus mutavit. 'Mansurus' æternum designat. *Barth.*

298 *Lege Herebi*] Quia dicuntur inhumatorum animæ multis errare temporibus. Virgil. 'Centum errant annos.' *Lactant.*

299 *Tumentem*] Jactantem se exilio, propter cognationem Adrasti: et hoc quasi Deus ad Deum dicit; nam futura sunt hæc. *Idem.*

304 *Summa pedum*] Petasum dixit, et alatum calciamentum Mercurii. Virgil. 'Pedibus talaria nectit Aurea.' *Idem.*

305 *Obnubitque comas*] Ordo est: Obnubitque comas galero, et temperat astra: quasi uniuscujusque Dei caput astrum sit. Legitur *obnubit*, obscurat: ne nudo capite descedens, terras fulgore percuteret; et *temperat*. Vel quia benefica stella Mercurii maleficarum temperat flammas: vel certe occulte nobis exponit quinque plagas cœli ex istis constare syderibus, Saturni, Jovis, Martis, Mercurii, Veneris. Saturni frigida est stella, id est, nocens; ut 'Frigida Saturni,' &c. Martis calida. Mercurii frigida. Jovis et Veneris temperata: ergo quia per mediam zonam volabat, Jovis et Veneris vicina sydera frigido transitu temperabat. *Galero*] Pileo. *Idem.*

309 *Tenuique exceptus*] Tenui aura, qua mortales fruuntur: ut Virg. 'auras vitales carpis.' Nam aër crassior in æthere. *Inhorruit* autem, quia ab aëre calido in aërem frigidum descendit: alii *inhorruit* ad stridorem referunt alarum. *Idem.*

310 *Raptim per inane*] Lectio hæc a libris scriptis est: ita enim legendum, non ut vulgati: *raptus per inane*. Scio te scire *τὸ inane* hic pro aëre sumi, uti frequentius, qua apud Nostrum, qua alios. Parcam scribere exempla; sunt enim quingenta in promptu. *Bernart.*

311 *Designat nubila gyro*] Quasi more avium, ut volatus ipsius videretur esse descensus in gyrum: sive *gyrum* Irim dicit. Transitus enim nubium necesse est ut levem concitet rorem. Nubilum autem ex transitu nubium fit, et astrorum motu. Sol vero cum adversam tetigerit radiis nubem aquosam irim facit: nam ipsa est transitus Deorum. *Lactant.* *Designat*] Omnino scribendum cum perfecte bonis membranis *dissignat*. Id est, scindit et semita quadam notabili ea transit. Idem omnino dicit Claud. Papinii perpetuus imitator, Consul. Olyb. et Panegyr. in Tert.

Cons. Honorii, &c. *Barth.*

313 *Furtim deserta pererrat*] Lips. et Busl. *furto deserta:* quod recipere mihi religio non foret, cum sciam scriptores ita passim locutos. Noster lib. III. 'Heu quantus furto cruor.' Idem lib. IX. 'Ausus erat furto dextram injectare Leonteus,' &c. *Bernart.*

314 *Male debita regna*] Non indebita, ut *malesana*, sed *male debita* dixit, quæ esset præliorum incommodis petiturus: aut certe male concipit animo regna sibi debita, quæ sciebat germanum nunquam redditurum sponte. *Lactant.*

315 *Signis cunctantibus*] Tarde procedentibus: ad desiderium retulit spem gerentis. *Idem.*

317 *Cura virum*] Recursans: ad cogitationem ejus retulit, non ad diem. *Idem.*

319 *Hæc ævum cupiat pro luce*] Id est, pro illo die, quo cupit se videre regnantem, libenter totius vitæ suæ efferret tempora. *Idem.*

320 *Queritur ceu tarda fugæ*] Descriptio hominis anxii: nunc superbiam secum regnantis reputat fratris, modo votis erigitur in spiritu regio. *Idem.* Sed omissum est aliquid in textu Lact. ad rem plenius proponendam, quod explere licet ex enarratore nostro, 'putat fratris, modo se in illius locum erigit in spiritu regio.' *Barth.*

321 *Et sedisse superbum*] Sine suspicione mendi, absque libris veteribus esset: qui pereleganter *et sedisse superbus Dejecto tunc fratre putat;* purus putus hellenismus: *superbus*, pro *superbum*, genus loquendi venustum; usitatum optimis scriptoribus, sed quod remotum ab usu vulgi imperitos offenderat: Virg. 'Sensit medios delapsus in hostes.' *Bern.*

324 *Inachias*] Sine præpositione, 'ad Inachias' urbes: ut 'Inachiis sese referebat ab Argis.' *Danaeiaque arva*] Campi, id est, agricolæ. Danaus et Egyptus fratres fuerunt, Beli filii. Danao fuit virilis sexus quinquaginta numerus filiorum, e diverso Egypto par numerus filiarum. Voluit ergo Danaus fratris filias liberis suis matrimonio sociare: et Egyptus oraculo cognoverat quod generi sui manibus interiret. Jussit ergo filiabus ut sponsos occiderent. Sola Hypermnestra, dum cæteræ facinus perpetrassent, Linceo pepercit. *Lactant.*

325 *Et caligantes*] De Atreo et Thyeste notissima historia, quod unus alterius liberos epulas fecit, quo aspectu sol dicitur refugisse: unde *abrupto sole* dixit, subducto lumine, et a cursu suo revocato. *Idem.*

327 *Seu sors illa viæ*] Hoc est, illud iter aut furor suasit, aut casus, aut fatum. *Idem.*

328 *Furoribus antra*] In quibus Liber pater colitur ululatu Baccharum: descriptio itineris illius. *Idem.*

329 *Bacchæo sanguine colles*] Sanguine, quem perempto Pentheo Agave mater effudit. Cytheronem significat, ubi se Bacchæ secant in honorem Liberi. *Idem.*

330 *Qua molle sedens*] Paulatim tumores collium in planum relaxans. *Molle* pro molliter: ubi in campum effunditur nimis extensum. *Idem.*

331 *Lassum*] Utique fluctibus cæsum: vel quia in hanc partem devexus amiserit in excelsa vires crescendi. *Idem.*

333 *Infames Scyrone*] Respicit saxa quæ Moluridi petræ adjacent; infamia et scelerata dicta, quod cum ea accoleret Scyron, latro famosus, inde quoscunque nactus esset hospites in mare detruderet: eos vero adnatans marina testudo (bellua magnitudine solum et pedibus, quos tales habet, quales vituli marini, terrestri dissimilis) conficere dicebatur: ut Pausanias Atticis refert: quem sequitur Plutarchus Theseo, dicens hunc eundem latronem a Theseo de eodem saxo præcipitatum. Megarenses ta-

men defendere Scyronem, neque latronem fuisse, neque flagitiosum, imo latronum vindicem: nec a Theseo tanquam latronem, sed cum Eleusina cepit, veluti hostem interfectum. Consule utrumque si placet. *Bernart.* *Scylleaque rura*] Megaram significat civitatem, in qua Nisus regnasse dicitur, crinem purpureum atque fatalem habens, quem dormienti patri Scylla filia secuit: nam ut Virgil. utrumque monstraret, ait: 'Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo.' *Lactant.*

335 *In mediis audit duo*] Isthmum Corinthiacum intelligit, qui mari utrimque alluitur: duobus etenim ejus latera promontoriis terminantur, Cenchreis et Lechæo, quæ res interiorem regionem continentem facit. *Bernartius.*

336 *Per emeriti*] A re militari: quasi et sol diei militare videatur. *Emeriti*] Occidentis. *Confinia*] Bene dixit: quia juxta ipsum oritur. Quomodo 'emeritos' dicimus simili labore donatos, sic 'emeritus' sol occidens dicitur post laborem, cui noctis astra succedunt. *Lactantius.*

337 *Titanis*] Luna. *Mundo subjecta*] Id est, superjecta. Virgil. 'et corpora saltu Subjiciunt in equos.' *Idem.*

338 *Tenuaverat aëra*] Bene tenuaverat: quia diei aër crassior est, tenuis noctis. *Idem.*

339 *Avaris*] Indefessis; avarus enim animus difficile fatigatur. *Idem.*

342 *Sed nec puniceo*] Hic vult Poëta monstrare serenum diem non contigisse Polynici. Nec enim ulla serenitatis signa præmiserat solis occasus. *Puniceo* ergo sereno dixit. *Idem.*

346 *Subtexit nox*] Pluviæ præsagium occulte more suo ingerit: nam nebulæ ima petentes, serenitatem; altum, imbres designant. Virg. 'At nebulæ magis ima petunt, campoque recumbunt.' *Bernart.*

347 *Percussa sonant*] Hæc est vera lectio firmata etiam præstantissimo omnium Codice. Intelligit autem ab Æolo ventorum speluncas percussas, ut erumpere ipsi possint, quod priusquam fiat, elegantissime oris rauci hiemem præcedere dicit, horrorem nimirum illum, qui effundendum imbrem et tempestatem immanem præcedere solet. *Barth.*

352 *Quos asper hiatu*] Physicam rationem secutus est. Nam si primo auster pluvias facit, mox sequitur Boreas, qui easdem aut in nivem, aut in grandinem mutat. Unde Ovid. 'Utque ferunt imbres gelidis concrescere ventis:' id est, congelari. *Lactant.*

354 *Fulgura*] Coruscationes enim quasi ruptis nubibus tremunt: *fulgura* a fulgore dicta sunt. *Rumpitur æther*] Quasi ex collisione nubium. *Idem.*

357 *Inachus*] Fluvius regionis Argivæ. *Erasinus*] Fluvius in Septentrione. *Idem.*

358 *Calcandaque flumina*] Si in his fluminibus, quæ ante aquæ penuria calcabantur, hoc est pedibus transire poterant, riparum aggestiones opponeres, quo minus effunderentur, nullam faceres moram. *Idem.*

359 *Refusa*] Commota. *Idem.*

360 *Lerna*] Palus est apud Argos, in qua hydram superasse Hercules dicitur. Ait ergo in hoc stagno tantam vim undarum fuisse, ut iterum venis scatere videretur. Notandum autem quod *veteri* dixerit, cum omne nomen generis neutri, quod in *us* exit, nunquam nisi E littera terminetur: ut 'pecus, pecore.' *Idem.*

363 *Æstiva*] Stabula ferarum intelligit Lutatius, ab illis pecorum, quæ hoc nomine censentur. Adspexit autem locum Maronis, Georgico III. 'sed tota æstiva repente Spemque gregemque simul, totamque ab origine gentem.' Servius: 'Loca posuit pro animalibus. Æstiva autem sunt loca umbrosa, in quibus per æstatem

pecora vitant Solis calorem. Statius: 'umbrosi patuere æstiva Lycæi.'' In optimis membranis Glossographus: *Æstiva*] Umbracula nemorum. Claudianus, Bello Get. 'Ingenti clangore grues æstiva relinquunt Thracia.' Id est, nidos æstivos illuc collocantes. *Barth.*

364 *Fugientia*] Dilabentia. *Lactant.*

365 *Nubigenas*] Qui pluviis augentur. *Idem.*

366 *Aura pavens*] Auditu timens. *Id.*

367 *Non segnius amens*] Id est, non segnior. *Idem.*

368 *Per nigra silentia*] Terribilia. ut Virgil. 'Nunc ipsa silentia terrent.' *Idem.*

369 *Haurit iter*] Consumit. *Undique frater*] Aut cujus solius timet insidias: aut cujus invidet regno. *Haurit* ergo, accipit: id est, terribile iter oculis, auribus, et omni percipit sensu, et ubique sic terretur tanquam ubique sit frater: ut est, 'Quicquid increpuerit Catilinam timeri aut videri.' *Idem.*

370 *Hyberno ponto*] Id est tempestivo; ut Virg. 'emissam hyemem.' Id est, tempestatem. *Idem.*

371 *Temo piger*] 'Pigrum temonem' septentrionem dixit, qui nunquam mergitur. *Idem.*

372 *Malignis*] Latentibus sive dubiis. Virgil. 'sub luce maligna.' *Idem.*

376 *Talis opaca*] Id est qualis nauta, timens tantum sine ulla segnitie, vir fortis ingressum iter emetiebatur. *Idem.*

377 *Vasto metuenda*] Umbo Latinis, Varrone teste, quod Græcis ἄμβωνες. Græci autem ἄμβωνες vocant, quicquid extumidum est et prominet. Hinc scriptores a parte quæ in clypeo Romano instar dimidiati ovi eminebat, συνεκδοχικῶς, 'umbonem' pro clypeo ponunt: uti hoc loco Papinius noster, et l. IX. 'tentate umbone redissent.' *Bernart.*

378 *Excutiens stabula*] Id est, sylvas: nunc clypeo ferarum lustra discutit, nunc pectoris impulsu stabula. *Lactantius.*

379 *Dat stimulos animo*] Id est, nimium timendo non timet, sic enim tunc timent, dum non timent. *Vis mœsta timoris*] Est tristitia: huic loco congruit illud Virg. 'Una salus victis nullam sperare salutem.' *Idem.*

380 *Donec ab Inachiis*] Argivis, ab Inacho fluvio: ut Virg. 'Ecce autem Inachiis sese referebat ab Argis:' dicit tamdiu errasse Polynicen, quamdiu de Inachiis tectis, i. e. de Argiva civitate victis tenebris lux emicuisset: de civitatis arce, quæ Laryssa nominatur. Non nos autem debet confundere, quod et Thessaliæ civitas Laryssa dicitur, a qua et Laryssæus Achilles: hæc enim, quam nunc commemorat, arx est civitatis Argivæ, quæ Laryssa dicitur. *Idem.*

381 *Devexa in mœnia*] Quasi imaginem lucis accipere debeat: ut Virg. 'Devexo interea propior fit vesper Olympo.' *Devexa*] In latere montis posita. *Idem.*

382 *Laryssæus apex*] Arx civitatis Argivæ. *Ille spe concitus omni*] Id est, ad illam partem, unde posteaquam lumen emicuisse videt, desiit timere. *Idem.*

383 *Celsæ Junonia, &c.*] Nihil hic sani vetustate nimia corrasæ et in frustilla dependentes membranæ. Prosymnam urbem cum Strabone agnoscit Lutatius, regionem faciunt Pausanias et Stephanus, ut ad Geographum notatum maximo Casaubono. Litem decidere debemus, ut ex Papinio utramque asseramus: si enim μοῖρα τοῦ Ἄργους, secundum Stephanum, utique Regionis pars, aut æstimetur, *Argos* enim et regionem et illam nobilem civitatem notat, et ita 'celsam' dixit Papinius hic, et lib. IV. ubi civitatem Argivorum Lutatius iterum appellat. *Barth.*

384 *Hinc Herculeo vapore*] Ad dextrum latus Lernæ stagna Herculeo vapore signata, quasi infamia dimissa. Si veram quæramus historiam, Lerna palus fuit, quæ cum frequenter siccaretur, et denuo impleretur aquis, Hercules deprehendit venas terræ incendio posse præcludi, atque ideo posteaquam exhausit eam, ignem adhibuit: et si qua unda prorumpebat, obstruxit; nam hydram monstrum fuisse ἀπὸ τοῦ ὕδατος fabulæ nomen obtinuit. *Lactant.*

385 *Tandem reclusis*] Signum est pacificæ civitatis. *Idem.*

399 *Amphiaraë vides*] Somniorum et Aruspiciorum solertissimus interpres, adeo ut post mortem Oraculum habuerit, et divino honore sit cultus, uti multis tradit Pausanias Atticis. Apud quem etiam alia alibi vix reperiunda. Fanum ad Oropum non procul Thebis celebrat Dicæarchus in Iambis Geographicis: *εἶτ' ἔστ' Ὠρωπὸς πόλις, Καὶ τῆς θαλάττης ἀπέχον ἱερὸν οὐ πολὺ Ἔστ' Ἀμφιαράου καὶ νέως καὶ τὸ τέμενος.* Fani ejusdem in loco sepulcri, et tantæ auctoritatis oraculi ut cum Apolline Delphico et aheno Dodonæ certare potuerit, meminit Valerius Maximus lib. VIII. cap. 15. *Berthius.*

401 *Calydona relinquens*] Calydon, Pleuros, et Olenos, civitates sunt Ætoliæ, unde fuit Tydeus; atque ideo modo Calydonium, modo Pleuronium: hic autem Tydeus fratrem suum interemit. Moris autem fuit antiquis, sicut etiam Homerus dicit, ut reus homicidii exularet. Ergo Tydeus conscius parricidii dimisit paternum regnum, et casu eadem nocte iisdem confectus imbribus quibus Polynices Argos venit. *Lactant.*

406 *Subit uno tegmine*] Auferendi casum, pro dandi posuit, quod est elegantiæ priscæ. Lucillius: 'Esuriente leoni ex ore exculpere prædam.' Prop. lib. I. 'Illa meo caros donasset funere crines.' *Bernart.*

408 *Rabiem*] Litem. *Lactant.*

409 *Defendere noctem*] Prohibere injuriam tempestatis non passi sunt. *Idem.*

414 *Celsior*] 'Erectior statura, quæ major, majores etiam gradus facit.' Ita vetus enarrator, sane quam docte. Tydeum enim provectiorem temporum ordo docet. *Barth.*

415 *Sed non et viribus*] 'Animus sufficit vires Tydeo.' *Enarrator.* Melius Lutatius: 'Viribus ergo compensavit quod Natura proceritati non concessit, ut parvo corpori robur infunderet.' Non est opus quicquam immutari; Poëtica enim locutio est omnis. *set* ubique et hic optimus Liber. *Idem.*

420 *Rhiphææ*] I. e. Scythicæ. Rhyphæus mons Scythiæ, in quo semper nimiæ tempestates: ut Virg. 'Rhyphæo tunditur Euro.' *Flexoque genu*] Duplicato, quod Græci διπλοῦν vocant. *Lactant.*

421 *Pisæo*] Pisæ civitas Elidis, ubi Olympica corona est; id est, agon in honorem Olympici Jovis celebratur, finito quinquennio. *Idem.*

423 *Caveæ dissensus*] Id est favor populi dissidentis instigat ephebos, et expressit faventium studia. *Idem.*

424 *Exclusæque exspectant*] Elegantissimus Poëta, serio id agens, quod agere non videtur, respexit ad morem Græcorum, quo Olympicum agonem spectare feminis interdictum. Vide Pausaniam Eliacis priore. *Bernart.*

425 *Cupidine laudis*] Non pecunia aut præmii nimietate certabant, sed laudis avidis solius erat virtutis contentio. *Lactant.*

435 *Numerosa luce*] Cum multis lampadibus. *Idem.*

439 *Externi juvenes*] Alterius generis: ut Virg. 'Non me tibi Troja Externum tulit:' aut certe illud vult magis intelligi, tantam civium suorum metu regis esse formidinem, ut nullus audeat manu litem conserere.

Talis est ordo. Externi estis o juvenes, nam civis meus nunquam usque adeo finem liti suæ audet extendere, ut transferat in manus furorem. *Idem.*

440 *Civis in usque manus*] Qui hæc supposuerunt, vellem mihi dicerent qua fiducia id fecerint. Lipsii liber priscam et germanam lectionem ingerit, *civis inusque manus;* quod rectum est. Ita Cicero et Propertius dixere 'inante' pro 'ante;' sic 'incoram,' pro 'coram' Apuleius; 'insimul' pro 'simul' Florus et in Sylvis Papinius; 'imprope' pro 'prope' Tertullianus. *Bernart.*

445 *Generisque superbi*] Alti, nobilis, glossa manusc. eadem mox. *Barth.*

446 *Effusum cruorem*] 'Temere velut projectum, quod est signum generositatis, non parcere sanguini suo in lædendo pariter hoste.' De Tydeo notum. Polynicen nulla non pericula audacter capessentem ubique inducit Papinius. Superbiam Nemesin in clypeo pictam gerentis exagitat Eteocles apud Æschylum, et inde iracundia motus singulare cum eo certamen concipit. *Idem.*

447 *Obliqua tuentes*] Id est, invicem se juvenes male obliquis oculis intuentes. *Lactant.*

451 *Confudere sonis*] Pariter dicendo significationem turbavere verborum. *In ordine*] Non turbato sono. *Idem.*

452 *Solatia casus*] Qui fratrem occidit. *Casus,* quia parricidium ignarus admisit. Dicitur enim fortuito venationis peremisse germanum. *Id.*

453 *Monstriferæ Calydonis*] Propter aprum, qui illic monstri similis natus est ex iracundia Dianæ, qui regionem Calydoniam totam vastabat, quem postea Meleager occidit. *Acheloiaque arva*] Achelous amnis in Thessalia oriens Ætoliam præterfluit. Thetidis filius, qui primus vinum populis miscuit. *Idem.*

455 *Cœlum prohibere*] Cœlum pro nimbis posuit: id est pluviam tecto declinare. *Idem.*

457 *Molitur gressus*] Non damno hanc scripturam. Poëtarum enim est confundere tempora. Sed cur non proferam, quod magis congruum fidelissimæ membranæ subministrant, *Molitus gressum?* Barthius.

463 *Sanguis hebet*] Stupet originis victus horrore parricidii perpetrati. *Stirpe creatum Œneos*] Mars Meleagri pater. Meleager Œnei. Œneus Tydei: quamvis plerique dicant eum Marte procreatum, converso in vultum Œnei. Ordo talis. Accipies non degenerare me a patria virtute. *Lactant.*

465 *Accipies*] Senties, sive experieris. *Idem.*

466 *Ille refert*] Polynices respondet injuriis, sed incesti conscius cælavit nomen parentis. Ergo si accusabis *facti* legis, si purgas *fati.* Idem.

467 *Cunctatur*] Timet Œdipum nominare, quia frater et pater est. *Id.*

470 *Coëant animorum in pignora dextræ*] Mos hic vulgatus: at Scythis, Armeniis, et in ea ora gentibus solemne, in sanciendis privatim publiceque amicitiis et fœderibus, non dextras solum implicare, sed pollices inter se vincire, nodoque perstringere: mox ubi sanguis in artus extremos se effuderit, levi ictu cruorem elicere atque invicem lambere. Adi Tacitum Annal. XII. Lucianum in Toxari, Melam lib. II. cap. 1. Valer. Max. lib. IX. et Tertull. Apolog. *Bernart.*

475 *Extrema*] Extreme: nomen pro adverbio. *Protervo*] Quod amore Proserpinæ Inferos penetrare non timuit. *Esse* ergo pro *fuisse* dixit; et recte: nam omnia quæ nimis mala et bona sunt, pro præsentibus adscribuntur. *Extrema* ergo, quia fides extrema erat usque ad Inferos, id est quanta fide perhibent fuisse extrema. *Partitum extrema protervo Thesea Pirithoo*] Hanc talem fidem vult esse,

qualem colebat antiquitas. Quatuor namque amicitiarum exempla fuisse certissimum est, Thesei et Pirithoi, Orestis et Pyladæ, Achillis et Patrocli, Tydei et Polynicis. Theseus et Pirithous conspiraverunt filias Jovis uxores ducere, Theseus rapuit Helenam adhuc parvam: Pirithous cum filiam Jovis quæreret, et non inveniret, quia apud Inferos erat Proserpina, conjuraverunt ut descenderent pariter, qui deprehensi pœnas dederunt. Orestes post necem matris furias passus; huic Pylades tulit in calamitate solatium, cujus auxilio Furiis liberatus est. Patroclus, deside Achille causa Briseidis, armis ipsius indutus venit ad Trojam, atque ibi manu procubuit Hectoris. Tydeus vero causa Polynicis pergit ad Thebas, ibique dimicans periit. *Lactant.*

477 *Rabidam*] Id est, contra eum furentem. Nam tres esse Furiæ dicuntur Plutoni deservientes; prima Alecto, quæ impausabilis dicitur; altera Tisiphone, quasi *τούτων φωνὴ*, id est, istarum vox; tertia Megera, quasi *μεγάλη ἔρις*. Primum ergo est non pausando furiam concipere, secundum est in vocem prorumpere, tertium jurgium protelare. *Idem.*

479 *Jam faciles passi*] Nemo tam hospes in lectione Poëtarum, qui hoc non agnoscat. *Decertata*, mutuis ventorum præliis amissa velut, et tandem relicta. *Barth.*

480 *Laxatisque diu*] Non inflatis, sed huc illuc dilaxatis atque protensis in diversas partes: vel, *jam relaxatis*, jam rursum cœlo creditis, quam interpretationem insinuat glossa vetus, nec ineptam. *Idem.*

483 *Inanem leonem*] Hoc est pellem leonis: ut ipse alibi 'inanem tigridem' dicit. *Lactant.*

484 *Impexis*] Compositis aut non compositis. *Idem.*

485 *Quem per Theumesia*] Oppidum Thessaliæ, aut loca amœna a cœli temperamento dicta: aut Bœotiæ montem designat. *Illius*] Leonis scilicet quem in Theumesia Hercules occidit; nam idem duos superasse dicitur: primum Theumesium, secundum Cleonæum. Theumesus mons Bœotiæ est. Nemus mons Arcadiæ, qui etiam Cleoneus. *Idem.*

490 *Calydonis honos*] Quasi ipse aper Calydonius esset appellatus. *Idem.*

492 *Vocalibus antris*] Fatidico Apollinis specu responsa promentibus. *Id.*

494 *Obtutu*] Fixo aspectu, id est aut stupore animi, aut senectute: ut 'obtutu tenet ora soloque immobilis hæret.' *Idem.*

495 *Affore*] *Adesse*. Glossa scripta. Non ergo firma Servii regula in Æn. I. rei futuræ hoc verbum esse determinantis. Sic ipse Virgil. lib. IX. 'ingenti cæde peracta Affore cernetis' Ænean. *Barth.*

500 *Indulgens reparare*] Dixit quid syderibus præstet, quid etiam mortalibus præbeat dicit, hoc est indulgens ocium, quo animus reparatur. *Lactant.*

503 *Advehis alma fidem*] Responsa Apollinis solvis. *Veteris fati*] Præteriti responsi. *Idem.*

504 *Adsistas operi*] Ut nuptiarum beneficium compleas. *Idem.*

507 *Lustraliaque exta*] Respexit ad discrimen sacrorum, quod tale: ut inferorum et minorum deorum sacrificia lacte perfunderentur. *Bernart.*

509 *Salve prisca fides*] 'Tripos' species est lauri, tres habens radices, Apollini consecrata, propter triplicem vim divinationis; nam et sol præterita videt et præsentia cernit, et futura visurus est. Est etiam 'tripos' mensa Apollinis, corio Pythonis serpentis tecta. *Prisca*] Magna. *Obscurique recessus*] Pro voluntate Deorum aut oraculi fide latente: metonymia, per id quod efficit, id quod efficitur. *Lactant.*

510 *Deprendi fortuna Deos*] Agnovi oraculum. *Idem.*

512 *Canis*] Albis. ut Horat. 'Canis albicant pruinis.' *Idem.*

518 *Emunire thoros*] Ad morem veterum, quo receptum ut lectos cœnatorios, sub horam cœnæ, stragulis vestibus textilibus, aut purpureis, insternerent. Virgilius Æneid. I. 'Stratoque super discumbitur ostro.' *Bernart.*

527 *Siccati vulnera*] Lutatius: 'Secundum Virgilium lota aqua vulnera siccata dixit, ut 'vulnera siccabat lymfis.'' Servius ad eum locum: 'Siccabat aqua.' 'Sed et nove et Physice locutus est: nam cum aqua omnia infundantur, hic ait siccari vulnus aqua, et ratio vera est, quia fluxus sanguinis aquarum frigore continetur.' *Barth.*

536 *Terrore minus*] Id est, sine terrore. Pulchritudinem potuit dare Deæ, potestatem vero non potuit præbere mortali. Sensus talis: Quantum ad pulchritudinem Minervæ et Dianæ similes erant, quantum ad terrorem minores. *Nova deinde pudori*] Nova facies, id est, peregrinorum, visa est pudicis virginibus: quæ propter pudorem et palluerunt, et rubuerunt. *Lactant.*

538 *Hausere*] Consumpsere: quia desierunt esse purpureæ. *Verentes*] Verecundiam patientes. *Idem.*

539 *Ad sanctum*] Primo patrem, post juvenes, et item patrem aspexerunt: mores expressit erubescentium: qui, si novam viderint faciem, statim suos oculos ad notam sibi personam retorquent. *Idem.*

541 *Iasides*] Patronymicum, ab antiquis ducibus dictum, qui ante Danaum fuit, Iasi filius. Iasus et Phoroneus antiqui reges Argivorum fuere, qui primi Junoni sacrificaverunt: poposcit ergo Adrastus ex more pateram, qua assueverant Argivorum antiqui principes Diis libare. *Idem.*

543 *Cælata*] Insculpta. *Idem.*

544 *Aureus*] Perseus significatur, aureus ideo, quia in auro erat sculptus, qui volatu dicitur venisse ad interficiendum Gorgona; quod ideo fingitur, quia navigio venit. Nam hæc duo inter se reciprocantur, ut Virg. 'Velorum pandimus alas.' *Id.*

546 *Graves oculos*] Morituros: et quia omnem vim nocendi in oculis habebat, quærebat occisa sectorem, ad admirationem finxit et sensum. *Idem.*

547 *Vivo*] Fulvo; quod vivi colorem habebat, quum pallidus mortui habeat colorem; admiratur autem quod cum in vivo sit picta mors, tamen pallore torpescat. *Idem.*

548 *Hinc Phrygius venator*] Ganymedes Trocli regis et Callirhoës filius, quem Juppiter dilexit, et per aquilam rapuit, et adhibitus est ministerio Deorum, remota Hebe Junonis filia. Hinc Virgil. 'Et rapti Ganymedis honores.' *Idem.*

549 *Gargara*] Summæ partes Idæ montis, quasi Carcara, id est capitis caput: κάρη enim Græce *caput* est. *Idem.*

553 *Cælicolas*] Ad priscum libandi ritum dixit. Nihil enim in veteribus frequentius, quam in honorem Dei alicujus vini aliquid effundere, vel in mensam vel in ignem, vel terram, vel aquam, pro re præsenti. De mensa hic habes, et apud Virgilium Æneid. I. 'Dixit, et in mensa laticum libavit honorem.' De Igne, Papinius noster hoc libro: 'Fundite vina focis.' De Terra, Maro Æn. V. 'Duo rite mero libans carchesia Baccho Fundit humi.' De Mari, Ovid. Met. II. 'Isque Deos pelagi vino super æquore fuso.' *Bernart.*

554 *Pudica fronde*] Id est, lauro pulchra, propter Daphnen, quæ virgo permansit: fuit autem filia Penei, fluminis Thessaliæ, quam cum Apollo amaret, et illa fugeret, Deorum miseratione in laurum conversa est, quæ in tutela Apollinis esse dicitur. *Lactant.*

557 *Forsitan o juvenes*] Sensus talis est: Credo sanctissimi juvenes, unde nobis sint sacrorum ista solemnia, animos vestros velle cognoscere. *Id.*

560 *Exercita cladibus*] Antiquiora Thebano bello tempora fere universa ignorantur, nisi qua cladibus regionum et earum restaurationibus aut eversionibus notata sunt. Cum prima autem a diluvio hæc memoria hominum suggesserit, factum est ut primi liberatores provinciarum aut urbium divino cultu consecrati fuerint: in quorum nomina venerunt deinceps alii Opitulatores, ut tot Joves, Hercules, Apollines, &c. fuerint, quot loca Regum feliciorum auxilia senserunt. *Exercita*] Exagitata, afflicta, fatigata, concussa, agitata. Usu præter hoc genus verba Latinis amato. Vide Nonium Tract. I. Servius Æn. III. *Barth.*

564 *Terentem*] Crebris amplexibus tenuantem. *Lactant.*

565 *Castaliis*] Magnæ arbores juxta Castalium fontem sunt, qui in Bœotia esse dicitur, Musis consecratus. *Idem.*

566 *Sitiens alimenta veneno*] Quærens accipere alimenta, ut augeret venena. Veneno enim proficit, quicquid acceperit serpens bibendum: ut supra: 'Sulphureas permiserat anguibus undas.' *Idem.*

568 *Centum per jugera*] Eleganter sane, quia serpens vivus semper se implicat: nec male tamen dixeris, optimum poëtam alludere ad gestum mortuorum. Sophocles: Γέροντα μόρῳ ἐκταθῆναι. Martialis: 'Tu languore quidem subito fictoque laboras: Sed mea porrexit sportula, Paule, pedes;' id est, mortua est. *Bernart.*

570 *Crotopi*] Hic rex Argivus fuit, qui Apollinem Typhonis cæde pollutum expiavit: huic filia Psamate fuit, cum qua Apollo concubuit, de quo compressu edidit, ac mox editum partum exposuit: quod Apollo indignanter accipiens, in vindictam injuriæ suæ injecit monstrum, quod Chorœbus occidit. *Lactant.*

572 *Decore pio*] Ex natura venienti, non fucis aut cura decorato. *Nata penates*] Psamaten dicit Crotopi filiam. *Servabat*] Possidebat. *Idem.*

573 *Felix, si Delia*] Id est, felix si nunquam fuisset Apollinis perpessa concubitus. *Idem.*

575 *Ad fluminis undam*] Morem habent poëtæ, ut ex Diis genitos super fluminum ripas memorent esse conceptos, ut facilis nimirum possit esse ablutio. *Idem.*

576 *Bis quinos*] Vult poëta monstrare legitime editum partum puerperæ: auctore Virgilio; 'Matri longa decem tulerunt fastidia menses.' *Idem.*

577 *Nepotem*] Qui ex Apolline nascebatur. *Idem.*

581 *Custodi*] Hujus in historia Heleni nomen invenitur. *Lactant.* *Custodi*] Emacula apud Luctatium: 'Hellanici.' Hellanicum celeberrimum mythologum et Philologum veterem citant Plin. Cic. Donat. Higinus; Scholiastæ Apollonii, Homeri, Sophoclis, &c. ex quibus de eo nos in dubiis scriptoribus. *Barth.*

584 *Clausa arbutei*] Quasi indumenta ejus essent ex libris et arbuto. *Arbuteis* ergo pro ligneis posuit; nam arbutus tegmen non habet. *Lactant.*

586 *Pecori commune*] Ut ostenderet pecori pastorique domum esse communem. *Sed fata nec illum*] Id est, fatorum necessitas puerum vivere nec in indigno loco permisit. *Idem.*

590 *Disjicit*] Omnes libri meliores habent *Dissicit*. Id verbum jam non pauci erutum illustratumque auctoribus bonis restituerunt. Vide sis Fr. Jureti Notas ad Paullinum de Vita Martini lib. III. vers. 360. et novissime Joan. Casp. Gevartium Elect. lib. II. cap. 4. Ante notarant Lambinus ad Cælianam Ciceronis, A. Manutius Orthographia Majore, post et And. Schottus ad Claudianum Ma-

mertum lib. I. cap. 18. et alii. *Barth.*

591 *Pulsi ex animo*] Conscientiæ hæc sunt tria supplicia: verecundia, pudor, et supplicii metus. Hæc omnia mortui filii dolor exclusit. *Lactant.*

593 *Vacuumque ferens*] Id est, scissis vestibus nudaverat pectus. *Idem.*

596 *Sero memor thalami*] Bene *Sero*, quia post mortem ejus injuriam vindicavit: sive quod eam ulcisci magis voluerit, quam tueri. *Solatia*] *Solatia* pro ultione posuit. *Idem.*

599 *Æternum*] Adverbium est. *Idem.*

600 *Ferrugineam*] Nigram. Sensus est:.Ferrugineam frontem anguis discriminat, quasi a media fronte consurgat; ut quod facit vitta in crinibus fœminarum, hoc in monstri capite anguis faciat. *Idem.*

601 *Nocturno*] Quod noctu incederet; nam quasi infernum monstrum vitabat aspectum lucis. *Idem.*

602 *A stirpe recentes*] Mox natas, id est, pueriles; ut ostenderet quam rem dolor Apollinis vindicaret. *Idem.*

604 *Devesci*] Velut depascere. In optimo libro scriptum est, *Divesci.* Etiam clare inibidem scriptum *altricum a gremiis.* Barth.

607 *Posthabita*] Quibus facile est famam morte mercari; ut Virg. 'En hic est animus lucis contemtor, et istam Qui vitam bene credat emi:' quasi dicat: Qui enim vitam spernit, famam acquirit. *Lactant.*

608 *Novos*] Quos nondum vastaverat. *Idem.*

609 *In bivio*] Aditus ex illa parte et hinc patens. *Idem.*

610 *Jam unca manus vitalibus hæret*] Horum viscera lacerare jam cœperat. *Idem.*

615 *Profundo*] Insatiabili, qui semper mortuos rapit. *Idem.*

616 *Habere Jovi*] Utique Plutoni. *Visere juxta*] Quia vivo monstro cominus accedere non licebat. *Idem.*

619 *Qua*] Ad superiora respondet, id est, qua alvo. *Idem.*

620 *Pallent*] Aut propter monstrum, quia horrore sui etiam post mortem timeri cœperat: aut pallor, qui ex luctu et timore inerat hominibus, tantus fuit, ut nec post gaudia sedaretur, quæ solent immutare hominum vultus. *Idem.*

622 *Asprosque molares*] Non moveo loco controversiam, dissimulare tamen nolo, in Buslidiano codice me reperisse: *Proterere exanimos artus, scaprosque molares.* Quod non sperno. Adi Nonium in scapres. *Bernart.*

623 *Deculcare*] De alto illidere, sive deprimere. *Nequit iram*] Licentia securi aspectus satiari ira non poterat. *Lactant.*

625 *Impastæ fugistis*] Eleganter *impastæ* per hyperbolen dixit. Nec etiam esurientes abstinuistis, ne satiatæ abstinuisse crederentur. Hic ergo aut propter formam, aut propter fœtorem fugisse impastas volucres dixit. *Idem.*

629 *Arcu crudelis*] Non novum, iniquitatem Diis suis objicere gentiles. Sic 'crimina Deorum,' 'Fatorum iniquitatem,' 'Pudorem Divum,' in ore multoties habent Poëtæ, ut et alibi nobis notatum. Apollo autem sagittas habebat, quarum jactu pestilentia populos percutiebat. *Barth.*

630 *Cyclopum tecta*] Velut Cyclopum. Idonee enim omnia constructa ædificia *Cyclopæa* dixit antiquitas. *Lactant.*

631 *Incendit*] Id est, vitiavit seu polluit. *Nebularum amictu*] Aëre pestilenti. *Idem.*

632 *Mors fila sororum Ense*] Non jam pollice fila rumpuntur, sed ad sæviendum in facinus, ferro exsecantur. Tanta festinatio mortis fuerat. *Idem.*

633 *Fert manibus*] Hoc est, in urbe dominatur. *Idem.*

635 *Et in totum regnaret*] Caniculam intelligit, sidus, quod omnes

sciunt, noxium, morbos complures generans: apte itaque et decore in hac lue, toto anno dicit regnasse. Virg. 'aut Sirius ardor: Ille sitim morbosque ferens mortalibus ægris, Nascitur, et levo contristat lumine cœlum.' Ubi non abs re erit observare, 'levum lumen' pro 'pernicioso et noxio' sumi: uti hic 'levus ignis.' *Bernart.*

636 *Auctor*] Membranæ, *actor;* quomodo et Glossographus priscus. *Barth.*

637 *Juvenes qui cæde*] Id est, 'occidissent:' nove, imo antique. Jurisconsulti nostri etiam patiendi significatu sæpius usurparunt. Ulpianus l. xv. Ex quibus causis major. 'Ego autem etiam nomine ejus qui hostium potitus est.' Plautus frequentissimus est in hac phrasi. Captiv. 'major potitus hostium est.' Inibi: 'postquam meus rex est potitus hostium.' *Bernart.*

638 *Fortunate animi*] Apostrophe ad ipsum juvenem, qui pro patria optavit mori. *Lactant.*

641 *Cominus ora*] Cum ob declinandam mortem posset se Chorœbus occulere, propior tamen se Apollini furenti obtulit, de pœna securus. *Idem.*

642 *Sacras*] Vel quia numinis, cujus cultus fere cæteris omnibus sacratior: vel quia horrendum, timendumque omne 'sacrum' Latinis, imitatione etiam Græcorum. Claud. 'Fas mihi sacrarum penetralia pandere rerum.' *Barth.*

643 *Thymbræe*] Thymbræus dicitur Apollo, ab herba thymbra, quæ in templo Troados abundat. *Missus*] Humilis, dejectus, aut coactus; sed sponte huc veni, non ad supplicium, sed magis ad iracundiam tuam lacessendam. *Penates*] Pro templo posuit. *Lactant.*

644 *Mea me pietas*] Pietatem posuit, quia cives suos internecione monstri servaverat. *Virtutem*] Quia non timebat interitum: aut quia virtute monstrum occiderat. *Idem.*

646 *Nefas mortale*] Eleganter ostendit se culpa carere peccati, siquidem nil sanctum violaverit: cum constet nefas peremptum fuisse mortale. *Idem.*

647 *Sinistri*] Corrupti aëris, sive nullum habentis remedium sanitatis. *Idem.*

649 *Vilior orbi*] Cui orbis jactura vilior est: id est Diis, quibus vilius damnum sit homines perire, quam monstra. *Idem.*

653 *Lene magis cordi*] Jucundum, id est, si tibi cordi sunt monstra magis, quam homines. *Idem.* *An illud Lene magis cordi*] Scribo: *an illud, Leve, magis cordi:* ut Virgilius de Sirio: 'et levo contristat lumine cœlum.' Paullo ante: 'quis ab æthere levus Ignis.' Infra: 'Junoniaque arva Dexter ames.' Me, inquit, unum puni, et esto Divorum vel optimus. An mavis, o leve, desolare domos innocentes? *Gronov.*

655 *Lucet aër*] Ex rogis scil. *Lact.*

656 *Expectant matres*] Ut morbus civium meo finiatur interitu. *Idem.*

657 *Satis est, merui*] Hoc est, sufficit mihi, quod talibus te provocavi conviciis, ut dignus veniæ tuæ esse non debeam. *Idem.*

658 *Proinde*] Maronianum dissyllabum, lib. ix. 'Proinde tona eloquio.' Lucretius de Scipione lib. iii. 'Ossa dedit terræ proinde ac famul infimus esset.' *Barth.* *Sonoros*] Graviter sonantes. 'Sonat' enim quod leviter strepit; 'sonorat' quod graviter. *Lactant.*

659 *Insignemque animam*] Artificiosa concessio quæ habet quandam correctionem. Si insignis est non meretur ut pereat: et est apud Virgil. ista concessio, id est, 'sequere Italiam ventis:' addidit terrorem: 'pete regna per undas.' *Idem.*

660 *Pallidus*] Globum pestilentiæ, antequam moriar, discute. *Idem.*

661 *Merentes*] Bene promeritos semper respicit æqua fortuna; nam cum paratus venisset ad mortem, Apollinis favore servatus est, quia non merebatur occidi. *Idem.*

662 *Ardentem*] Sævientem. *Tenuit*] Repressit. *Reverentia*] Quia justum virum non sine pudoris sui jactura potuisset occidere. *Idem.*

663 *Summissus*] Flexus, sive misericordia inclinatus. *Honorem*] Id est, præmium donatæ vitæ, quod vir fortis, qui se saluti voverat civium, non libenter accipit. *Idem.*

665 *Stupefacti*] Virtutis tuæ mirantis audaciam. *Idem.*

666 *Exoratus*] 'Orare' est preces fundere, 'exorare' orata meruisse. Ergo poëta hoc vult intelligi, invitum Chorœbum precibus civium a mortis discessisse proposito. *Idem.*

668 *Forte invisitis aras*] Locum corruptum esse vel cæco apparet: prisca scriptura: *Has forte invisitis aras. Vos quæ progenies?* quod germanum esse mihi liquet. *Bern.*

669 *Œneus*] Tydeum dicit Œnei et Altheæ filium. *Lactant.*

670 *Parthaoniæ*] Regionis Ætoliæ, in qua Prœtus Tydei patruus regnavit. Sensus: Œneus Calydonius et Parthaoniæ tibi jura domus: et ad Polynicem versus: Tu quis sis indica, quis ad Argos veneris. *Lact.* Vide quæ de hac Lactantii explicatione Barthius in comment.

672 *Variis sermonibus ora*] Ineptissimæ ineptiæ: non certius vixisse Statium, quam eundem scripsisse, ut reposui: *quando hæc variis sermonibus hora est.* Bernart.

673 *Dejecit*] Signum verecundiæ. Erubuit Polynices propter parricidium, et matris incestum. Indoles venerandi pudoris! agnoscit crimen familiæ, erubescit ne similis judicetur. *Lactantius. Extemplo*] Optimæ membranæ sic concipiunt: *Dejecit mæstos lacrymans, &c.* Cui assentitur Danielis Codex apud Lindebrog. Sane *extemplo* illud ideo non placet, quia non superveniebat nescio Polynici ista percunctatio. Lacrymæ autem recordatione miseriarum prosiliebant vel invito. *Barth.*

680 *Mavortia Thebe*] 'Mavortiam' dixit aut propter Martis et Veneris filiam Harmionem: aut fortem significat: ut 'si patrii quid Martis habes:' aut ad terrigenas referendum est, quos constat draconis dentibus genitos, qui fuerat in tutela Martis. *Lactant.*

681 *Motus Adrastus*] Motus effectu, quo quis circa hospites suos solet moveri. *Idem.*

683 *Scimus ait*] Aut quod ipse Œdipodem aliquando susceperat: aut quod ipse ab Œdipode aliquando fuerat susceptus. *Nec sic adversum*] Non ita a nobis sol adversum volvit iter, ut ea quæ longe constituti compererint, nos finitimi nesciamus. *Id.*

685 *Arctois si quis*] 'Frigus patitur sub Arctoo climate.' Sic uterque Scholiastes priscus, Luctatius et Noster. Dura tamen est locutio, et potius *sub* quam *de* Solibus scribere debebat. In vetustissimo illo libro *desolibus* una perpetua vox clare comparet. *Si quis de Arctois Solibus horret*] Hoc est, horrido incultoque corpore atque animo est. Descriptio hæc partium mundi minime est pro æquo loquentis Adrasti. *Barth.*

690 *Erravit pietas*] In nostro etiam genere aberravit: hoc propter Tantalum dicit, sceleribus nec suos quidem caruisse majores. *Lactant.*

691 *Tu modo*] Ut non sis criminosus. *Mereare secundis*] Sensus: Enitendum tibi est, ut factis tuis non solum parentibus videare dissimilis, sed etiam illos facias innocentes. *Id.*

692 *Temone supino*] Ophiuchum significat, qui sub Ursa est; adventu enim diei incipiunt sydera septentrionis albescere. *Idem.*

694 *Servatoremque parentum*] Cum responsum accepisset Thyestes, aliter

malorum remedium invenirl non posse, nisi cum Pelopeia filia concubuisset; paruissetque responsis, natus est ex ea Ægystus, Clytemnestræ adulter, Agamemnonis parricida. *Idem.*

696 *Lyciæ Pataræa nivosis*] Lyciæ civitas est Patara, ubi Apollinem mensibus hibernis responsa dare veteres crediderunt. Auctor Servius ad illud Virgil. 'Qualis ubi hybernam Lyciam, Xantique fluenta Deserit, ac Delum maternam invisit Apollo.' *Bernart.*

698 *Castaliæ*] Ubi quondam virgo Castalia fuit, quam cum Apollo unice amaret, et vim vellet inferre, in fontem se præcipitavit. *Lactant.*

699 *Thymbræus*] Thymbra locus est Trojæ, ab herba cognominatus, quam Latine puleium dicimus: illic Admeti regis pecus pavit. *Volentem*] Bene *volentem*, ne putaretur invitus. *Idem.*

701 *Latonius umbra*] Mons Deli, cujus tantam vult esse magnitudinem, ut umbra sua Ægei maris ambitum protegat. Ipse enim Latonam susceperat cum adhuc Delos erraret; et est sensus: Si te non juvat esse in Delo, quæ instabilitate sua hospes est littorum diversorum. *Idem.*

704 *Dono cessere*] Apollinem imberbem Philosophi tradunt, eo quod ipse sit sol. Sol autem ignis est, qui nunquam senescit. Et est sensus: Dono cessere ætherei parentes genas æternum florere. *Idem.*

706 *Prænosce manus*] Quia quæcunque fata parant tu nosti, et omne futurum tibi patet. *Idem.*

707 *Placitura Jovi*] Id est, quia adhuc decreta non sunt, quæ summo Jovi displicere non potuerunt. Per 'letiferum annum,' famem, morbum, mutationemque regnorum, multa complexus est. *Idem.*

709 *Tu Phryga submittis*] Marsiam dicit, qui victus submissus est pœnæ: sive inferiorem facis. *Idem.*

710 *Tytion*] Terræ filius, Latonam Apollinis matrem amasse dicitur: sed ne sacrilegæ libidinis commento impune potiretur, ab Apolline victus est, et deductus ad tartara, cujus jecur a vulture tunditur, in æternitatem supplicii pullulantibus fibris. *Idem.*

711 *Viridis Python*] Utrumque et a colore et a viru. De 'Pythone' et 'ludis' inde 'Pythiis,' nec non carmine Apollinis victoriam celebrante, vide Eratosthenem apud Strabon. l. IX. *Barth.* *Thebanaque mater*] Nioben dicit Tantali filiam, Amphionis uxorem fœcundam, antequam Latonam sperneret. Nam cum quatuordecim mater filiorum fuisset, ingressa templum Latonæ, se prætulit illi, quæ tantummodo duos peperit. Unde Apollo iratus filios sagittis necavit. Diana autem filias: ad ultimum vero matrem. *Lactant.*

714 *Premit accubitu*] Id est, super ipsum accumbit, ne quando possit requiem capere. *Idem.*

715 *Instimulat*] Injicit illi cupiditatem: fames quidem urget ut capiat, sed comedere timore fastidit. Comesse enim non sinitur, cui fastidium irrogatur. *Idem.*

716 *O memor, &c.*] Crotopi Argis regnantis hospitium propter pulcerrimam ejus filiam Psamathen frequentavit Apollo, quam et prægnantem fecit, ut superius memoratum est. Pausaniam lege Atticis. *Barth.*

717 *Seu te roseum Titana*] Dicit Apollinem a diversis gentibus variis appellari nominibus: apud Achemenios enim 'Titan,' apud Ægyptios 'Osyris,' apud Persas, ubi in antro colitur, 'Mytra' vocatur. *Lactant.*

719 *Sub rupibus*] Persæ in spelæis coli Solem primi invenisse dicuntur: est enim in spelæo Persico habitu cum tiara, utrisque manibus bovis cornua comprimens; quæ interpretatio ad Lunam dicitur. Nam indignata sequi fratrem occurrit illi, et lumen subtexit. His autem versibus sacrorum mysteria patefecit. Sol

enim, lunam minorem potentia sua et humiliorem docens, taurum insidens cornibus torquet. Quibus dictis Statius lunam bicornem intelligi voluit, non animalia quibus vehitur. Quod autem dicitur, *torquentem cornua*, ad illud pertinet, quod simulachrum ejus fingitur reluctantis tauri cornua retentare: quo significatur lunam ab eo lumen accipere, cum cœperit ab ejus radiis segregari. *Idem.*

THEBAIDOS LIB. II.

1 *Interea gelidis*] Reditum Mercurii ab Inferis Poëta describit impeditum, quia nulla re volatus ejus adjuvari poterat crassioris poli aëre tardante. *Lactant.* *Umbris*] Jovis enim peculiaris ad Inferos nuncius Mercurius, quod ei munus assignavit, cum ab Apolline jam vaticinia et auream virgam accepisset. Apollodorus lib. III. Ζεὺς δ' αὐτὸν κήρυκα ἑαυτοῦ καὶ θεῶν ὑποχθονίων τίθησι. Mythologia Eloquentiæ eodem pertinet. *Barth.*

5 *Styx circumflua*] Remeantis numinis impediebat regressum. In primo enim libro Jupiter Mercurio ut Inferos peteret imperavit, evocaretque umbram Laii, qua innitente nepotibus furor belli increresceret. *Lactant.*

6 *Hinc objecta*] Aditum Inferorum ex omnium Elementorum concursu factis obstaculis communiri ait. ' Fœdum aërem' modo nominavit, per terram transeundum antro obscuro et inexplicabili. Objici flumina novenis ait gyris circumfluentia. Adjicit 'igneos torrentes,' ut horrenda magis non possint fieri munimenta. *Torrentum incendia*] Flumina igne decurrentia dicit, quæ in aliis locis omnes Poëtæ describunt. Vide Platonem in Phædone, ejusque expositores. *Barthius.*

10 *Primus furiarum*] Id est, Exordium furoris filii pater pertulit primus. Inflexio: per quod intelligi vult, quæ secuta sunt postea fuerunt multo pejora: Jocastæ concubitus; Œdipi cæcitas. *Lactantius.*

11 *Et media*] Caduceum ostendit insigne Mercurii, quo illi medeatur, qui nequeat ambulare. Virgilius: 'Hac animas ille evocat Orco Pallentes.' *Idem.*

12 *Steriles luci*] Apud Inferos credibile est nihil gigni, quia illæ sunt habitationes vita functorum. Et si quid gigneretur necesse esset imaginari alios inferos, quo post mortem istud recederet. *Gloss.*

15 *Lumine cassis*] Quasi nec mortuis defuit, unde posset esse invidia. Non illi defuit qui redeunti invideret. Ordo hic est: Nec livida tabes invidiæ defuit defunctis, hoc est, mortuis: non recedit a naturæ malo livor invidiæ; ut Virgilius: 'Invidia infœlix furias amnemque severum Cocyti metuet.' *Lactant.*

17 *Et ad superos* (*hinc est gravis*] Lego: *cui leva voluntas Semper et ad superos hinc est gravis exitus, ævi Insultare.* Sententia: cui pravus hic adfectus et semper, et inprimis si quando emittitur ex Inferis, ut insultet hominum malis, doleat secundis. Neque alia exeundi hinc causa. Exire autem umbras ad superos et passim faciunt Poëtæ, et credebant veteres per eas causas, quas explicat statim vs. 20. et 21. Nec alias putabant larvas, et illa, quæ dicit Appuleius ' noctium occursacula, bustorum formidamina, et sepulcrorum ter-

riculamenta.' Valerius Flaccus libro II. 385. 'Patet ollis janua leti, Atque iterum remeare licet.' Lege reliqua: nam locus est singularis in hanc rem; neque aliunde inferiæ, parentationes, et omnia placamina manium. Aliter Petitus Misc. III. 12. nam Bernartius desperat. *Gronov.* *Gravis exitus*] Quasi hoc Poëta voluerit, ut intelligamus hunc nescio quem pro morum suorum meritis occidisse: et votum ejus malæ mentis ostendit, quod esset etiam apud inferos reservatum. *Lactant.*

18 *Rebusque ægrescere*] Id est, de aliorum felicitate torqueri. Nam cum malis pasceretur alienis, prosperitate tabescebat. *Lactant.*

19 *Quoscunque vocaris*] In quæcunque obsequia vel remedia vocaris excitus. *Idem.*

28 *Omnis capitum surrexit*] Et ad ipsius canis capita referendum est, et ad serpentum, qui capita ejus cingunt; id est omnis hiatus horum capitum, quia Cerberus est: aut omnis hiatus serpentum, quibus caput ejus collaque velantur. *Lactant.*

29 *Sparsa solo turbaverat*] Id est sparsa fecerat, hypallage: et hoc irascentis est. Virg. 'Ossa super recubans.' Gigantum scilicet ossa insepultorum; fingitur enim Cerberus cadaveribus pasci. *Idem.*

31 *Ferrea tergemino*] Propter trina lumina trium capitum, quasi tot illi somnos immiserit, quot capita luminibus armarentur. *Idem.*

32 *Est locus Inachiæ*] Hæc 'Topothesia' dicitur: id est fictus locus secundum poëticam licentiam. Nam in ejusmodi descriptione, ubi veri loci facies demonstratur, 'Topographia' dicitur: ubi fictum quid venit, 'Topothesia.' *Idem.* *Tænara gentes*] Tænarum (ut et Maleum) promontorium Laconiæ, in quo templum est speluncæ persimile. Aditum inferni poëtæ dicunt, et ab Hercule Cerberum hac extractum plerique fingunt. Fabula inde originem habuit (uti est Hecatæo Milesio Pausanias in Lacon. refert) quod in illa spelunca immanis serpens lustrum habuit: qui idcirco inferorum canis dictus, quod quem morsu impetisset, veneni vi statim opprimeretur. Is serpens ab Hercule ad Euristheum pertractus. Homerus vero, qui primus Ditis canem, quem Hercules extraxisset, appellavit, neque nomen ei proprium imposuit, neque de ejus figura quicquam commentus est: posteriores Cerberum appellarunt. et cum cetera cani fecissent similem; tria dixerunt capita habere, idque communiter receptum. Hesiodus tamen in Theogonia quinquaginta Cerbero affingit. Horatius II. Od. 13. centum. *Bernart.*

36 *Fessis insiditur astris*] Super ipsum fessa astra considunt, id est per eminentiam sui sedem præstat astris, rapido cursu fatigatis. Altitudinem voluit exprimere, quasi illic astra requiem sumant. *Lactant.*

48 *Interiore sinu*] Dicit nescio in qua parte Tænarum recurvari ad vicem portus: in quo refert equos suos consuevisse stabulari Neptunum: est Hyperbaton. *Idem.* *Frangentia littora*] Si locus recte habet, *frangentia* dixit pro 'fracta,' agendi significatu pro patiendi: solens hoc optimis scriptoribus, qui frequentissime agendi verbum παθητικῶς, et patiendi, agendi significatione usurpant. Ita 'Spectatus est suem' pro 'spectavit,' Varro: 'communicati sunt,' pro 'communicaverunt.' *Bernart.*

44 *Audax*] Quidam libri sic scribunt. Mihi tamen et magis placet, et in omnium optimo codice repertum est *non audens.* Quod et Lactatius et Glossæ agnoscunt. Talia vero multa in Descriptionibus locorum hoc genus poëtæ, imprimis in Dionysio interpretato, insignis vates, Festus Avienus. *Barth.*

46 *Haurit habenas*] Hominum fidem! hunc locum quo genere defor-

marunt homines invenusti? quid enim *ungula haurire habenas?* gerræ germanæ. Libri scripti, et princeps editio: *prior haurit arenas Ungula.* Qui negat hanc lectionem recipiendam esse, is profecto 'Anticyras melior sorbere meracas,' quam ut de litteris judicet. Notum, poëtas Diis marinis currum tribuere etiam in aquis, Neptuno equos ex anteriore parte vero tales, ex posteriore pisces. Apte itaque et proprie anterioribus pedibus arenam littoris dissipare dicuntur. *Bernart.*

48 *Devius umbras Trames*] *Trames* itineris compendium. *Lactant.*

49 *Nigri Jovis*] Stygii. Hac animæ mortuorum destinantur ad Tartara. 'Devium' dixit, quod sit vivis devius trames. *Idem.*

51 *Gemitus pœnarum*] Quas apud Inferos nocentes persolvunt. *Atro*] Quia tumultus, qui fit apud Inferos, auditur in illo loco: *atro* ergo, quasi infernali. *Idem.*

52 *Vocesque manusque*] *Manus*, quod flagellis personant, dum noxios cædunt: *voces*, secundum Maronem, qui ait: 'vocat agmina sæva sororum.' *Idem.*

54 *Agricolas campis*] Quasi juxta habitantes terrore suo fugavit agricolas. *Idem.*

56 *Infernaque nubila, &c.*] Ut astrum nimirum excellenti splendore, et corpus divinæ perpetuæque lucis consors, in quo hærere nulla infernalium mortaliumque locorum obfuscatio possit. Mercurium, Solem, Apollinem, idem Numen habitum interiori considerationi docet Macr. Saturn. lib. I. c. 19. *Barth.*

58 *Per Arcturum*] Id est per septentrionem. Per Arcton enim solet volare Mercurius, quia ibi major est ventus, et citatiores facit ejus volatus. *Mediaque silentia*] Philosophi esse terram dicunt, quæ circa nostrum hoc solum circulo altiore suspensa est. Hæc autem omnia corpora gignit, utpote quæ vicina sit cælo. Poëtæ denique omnes asserunt leonem de his polis ortum, quem Hercules prostravit, ut etiam Olympus ait, quasi proximus sit terris et ultimus. De lunari autem globo apud mortalium genus cæli ratio ignoratur: leviorem perstringam, quod hoc divinum lumen animas tam de astris omnibus, quam de omni materia mundi, subtracta parte superna, excipit et decerpit, quasi lunam, quæ postea ter quinis diebus, ut collegerat, totidem refundit in fratrem. *Lactantius.*

61 *Numinis, et recto*] Translatio ad morem Romanum, quo solenne ut venienti magistratui et privati, et minor magistratus majori, assurgerent, et de via discederent. Pertinet ad hanc rem elegans Senecæ locus Epist. LXV. 'Marcum Catonem utrumque, et Lælium sapientem, et Socratem cum Platone, et Zenonem Cleantemque in animum meum sine summa dignatione recipiam? ego vero illos veneror, et tantis nominibus semper assurgo.' Explicavit accurate, uti omnia, Senatus litteratorum in hoc lustro Princeps Lipsius, Elector. I. c. 23. *Bern.*

64 *Pollutamque*] Illam tangit historiam: cum Deus scilicet Mercurius somnum caperet, quidam, cujus nomen fabulæ tenent, dormienti tetendit insidias, qui conata peregisset, nisi eum filia Palæstra excitavisset: qui, cum odio terræ migrasset ad cælum, creditus est obiisse: quo facto injuriosam meruit sepulturam. Sed melius de Laio creditur, qui cum ad Polybum hospitem Phocidis pergeret, occisus a filio est. *Despectat Phocida*] De jugo Cyrrhæ vidit bustum suum, quod fuerat in Phocide. Cyrrha Bœotiæ planities est, in quo campo Apollini lustrum datur. Phocis ergo in Bœotia est. *Idem.*

70 *Spiramina virgæ*] 'Virtus, qua tactus Laius cogebatur Jovis mandata perficere.' *Glossogr.* *Spirain a,*

lenis afflatus. De 'virgæ Mercurialis' potestate peculiarem Tractat. satis mysterioden damus in superstitionum magno Comm. *Barth.*

71 *Forte dies*] Id est, primus natalis Liberi quo fulminata est Semele, et execto utero Liber Jovis fœmori insertus est. secundus enim dies natalis Dionysii ille dicitur, quo exactis mensibus legitimi partus, Jovis est productus ex fœmore: quem diem homini scire fas non est. Qui Dithyrambus ideo dicitur, id est bis genitus. *Lactant.*

72 *Evie*] Notissimum Bacchi Epitheton. At in omnium optimo exemplari disertis literis scriptum est: *Euchie.* Id sane etiam cognomen ejus agnoscunt docti. Et in multis locis scriptorum a communiore illo hoc corruptum atque expulsum puto. Vid. Hor. II. Od. 11. *Barth.*

74 *Insomnem ludo*] Tangit iterum non dubie morem priscum, quo pervigilandi honos Deis passim tributus. Vide Lucret. l. v. *Bernart.*

78 *Æraque taurinos*] Nam tympanis, quæ sunt ex taurina pelle, plus sonant cymbala quæ sunt ex ære; acutiore enim sunt tinnitu: ut est, 'tympana vos buxusque vocant.' *Lactant.*

80 *Baccho meliore*] Non sic irato Baccho, ut cum Agave occidit filium furens: vel meliore, ut si qua deliquerit, propter diem ipse Liber ignoscat. Cythæron mons Bœotiæ, ubi Liberi patris sacra celebrantes matres Pentheum discerpserunt: nunc ergo *sanas* dicit sine furore. *Idem.*

85 *Et Ogygii*] Non fugiet vitium attentum lectorem. Mss. *ab Ogygii:* ego ausim præstare verum esse, *at Ogygii.* Thraces, inquit, in deliciis habent semianimum pecus, leonis faucibus ereptum, et haustum lactis: ubi vero vino madidi sunt, tum ad saxa et arma proruunt. *Bernart.*

89 *Nox ea*] *Talis,* excepta cum poculis, Thracum more, pugna. Nam melior illis, non cum sævo suo odore, Bacchus adfuerat. *Volucer Cyllenius*] Mira omnino res. Et jam ante Mercurium intulerat sedi suæ cœlesti. Quid enim ista sibi volunt? 'Inde per Arcturum, mediæque,' &c. An 'per sidera' petit terras inferis altiores ipsis sideribus? Nugæ. Ergo comitatur Laium, et tamen istuc abit, in suum locum? Nihil aliud ista loquuntur, quam divinitatem Numini occulte astruere voluisse Poëtam, et adesse Laio, et suo simul sideri præesse statuentem. *Barth.*

95 *Opacos Tiresiæ, &c.*] Cæcos. Cæcum Tiresiam inducit multis alibi. Lutatii verba mendosa sunt, quod visum et præstantiss. Lindenbrogio. Non verebor integra Lutatii verba ascribere, ut ea quidem redintegranda ope Apollodor. lib. III. et Scholiastæ scripti existimo: *Tiresias Everi filius*] Genere Thebanus, vates: qui fertur in fœminam versus, cum disceptantibus Jove et Junone, utrum mas an fœmina majorem sentiret coitu voluptatem, novem partibus libidinis dixit fœminam potiri, et una virum: ob quod cæcatus est a Junone. Est et alia talis fabula. In monte Cylleneo Tiresias dracones coëuntes calcasse dicitur: ob id in mulieris figuram versus, ut Ovid. refert: deinde monitus sortibus in eundem locum rediit et in figuram pristinam. Eo tempore, ut diximus, inter Jovem et Junonem fuit certatio, in quo sexu esset major libido, Tiresia judice, qui expertus fuerat utrumque sexum: cum Jovi indicasset, illa irata manus ei superjecit et excæcavit. Jupiter fecit, ut septem ætates viveret, vatesque præter ceteros mortales veracissimus haberetur. *Barth.*

108 *Novis (sic fama) superbit*] Scripti: *scit fama.* Neque aliter legit Lactantius, qui explicat: 'Fama de eo loquitur: vel, notum est quod dico omnibus.' Eodemque modo e scriptis reposuimus lib. v. 466. *scit cura*

Deum, i. e. testor Deos omnia curantes, vel siquidem curant. Ubi vitium idem vulgo. Lib. VIII. 'scit judicis urna Dictæi.' Achill. I. 'Scit Dircæus ager.' Virgilius Æn. II. 'scit triste Minervæ Sidus, et Euboicæ cautes, ultorque Caphareus.' Sic sæpe Tertullianus. In Apolog. 'Scit M. Æmilius de Deo suo Alburno.' Tale est Propertii: 'Dixerit Ascanius.' *Gronov.*

113 *Pollutus placuit*] Id est: Tydeus adversum te pactus est fœdus: pollutus autem sanguine Menalippi fratris sui, quem in venatu incautus occiderat, ut Peleus Phocum, unde rejecta post terga manu pingitur, et ille nihilominus talia cogitat, qui tales sibi quærit auctores. *Lactant.*

116 *Mittit habet, &c.*] Præeuntibus quippe libris et sententia, indubitanter lego: *mittit, habe Thebas.* Ipse Juppiter, inquit, ad te me misit, habeas, tu tibi Thebas, ejice fratrem, qui cupidine regnandi excæcatus, si tu cessaveris, te ejiciet. *Bernart.*

124 *Vulnere somnum*] *Vulnere* pro sanguine posuit: non somnum perfundere, sed Etheoclen ipsum dormientem: vulnere ergo suo, id est Laii sanguine, Etheoclen perfudit, ut eum pollutum sceleribus imbueret. *Lactant.*

129 *Horruit in maculas*] In alium sensum ac vulgus putat, *maculas* pro 'rete' posuit, uti et Varro lib. II. 'Septum totum grandibus maculis integitur, ne eo involare aquila possit, neve ex eo evolare aves.' Et Claudianus: 'Totamque virentibus iram Dispergit maculis.' Aut certo, pro 'retis plaga,' seu foramine: uti Cic. Actione in Verrem VII. 'Reticulumque ad nares sibi admovebat, tenuissimo lino, minutis maculis, plenum rosæ.' *Bernart.*

131 *Alimenta cruentis*] Ita libri cæteri. At in uno illo singularis sapientiæ libro diserte scriptum est *cruento*. Id quod concinnius esse nemo, puto, inficiabitur. Sic *profundum os* in eadem re iidem belluæ ascribit Claudianus de Raptu Proserp. lib. III. *Barth.*

134 *Mygdoniis*] Lydiis vel Phrygiis. Titonus enim Lydius fuit, maritus Auroræ. Est Mygdonia regio in finibus Asiæ, a rege Mygdono. *Lactant.*

137 *Seras flammas*] Hoc est Auroræ flammas, Lucifer serus. Sive ad comparationem dixit cæterorum syderum, quia omnibus stellis tardius occidit Lucifer. *Idem.*

138 *Advertit*] Ad eam, et contra eam vertit. *Idem.*

139 *Exit equo*] Nam verso cœlo ad adventum auroræ, cum cætera sint apud antipodas, Lucifer solus apud nos invenitur, hoc est, alienum æthera, qui est diei, quod cœlum stellis nocte concessum est: ergo Lucifer officio suo nocte non fungitur, cum eum oriri constet prope lucis adventum: hinc alieno æthere videtur exoriens. *Lactant.*

141 *Cum senior Talaonides*] Scripti meliores: *Talaionides.* Ut et lib. V. vs. 19. ubi vulgo *Talaoniades.* Talaus, Talaion, Talaionides, ut Œdipodes, Œdipodion, Œdipodionides, Iapetus, Iapetion, Iapetionides. Hom. Il. B. υἱὸς Ταλαϊονίδαο ἄνακτος. *Gronov.*

142 *Achelois*] Tydeus, ab Acheloo fluvio, qui per Ætolos fluit in Calydonem. *Lactant.*

143 *Corripuere*] Causa cur tardius Tydeus et Polynices a somno surrexerint, Adrastus vero celerius. *Idem.*

145 *Inachio*] Notanda elegantia Poëtæ, qui tres duces fluviorum cognominibus designavit; Dyrceum, Polynicen; Acheloum, Tydeum; Inachum, Adrastum. *Idem.*

150 *Arcanas aptumque*] Venerunt ad locum aptum, et secretum fabulis vel curis. Nam ideo, quod in secretis locis curæ publicæ disserantur, ad

hoc electa loca 'curias' nominavit antiquitas. *Idem.*

153 *Nox atra meis*] Non damno. Arridet tamen magis quod in Langii libro est, *nox dextra*. Bernart.

158 *Turba petat studiis*] Membranæ: *petant*. Ut lib. I. 'Plebs Argiva litant.' Lib. VI. 'Bellatrix sedere cohors.' Et, 'mox turba ruunt.' Lib. VII. 'subeunt Tegeæa juventus.' Et eodem vs. 806. 'sibi quisque cavent.' Uti quidem Mss. Achill. I. 'hilaris sedere juventus.' *Gron.*

159 *Læta fides*] Ordo: Argia et Deiphile geminæ mihi natæ pubescunt; nepotum læta fides. *Lactant.*

160 *Ne credite patri*] Ne laudare magis videretur, quam verum dicere, fidem suam voluit ipsis testibus approbare. *Idem.*

162 *Tumidi solio*] Imperio superbi; et artificiose, ne videatur hos procerum inopia generos elegisse, ait se multos repudiasse et honore præstantes. *Idem.*

164 *Et Achæa per oppida*] Nihil affectum est, modo distinguas: *viri* (*longum enumerare Pharæos Œbaliosque duces*) *et Achæa.* Et viri et matres, pro filiis nempe, optavere illas vel sponsas vel nurus, per quas genus suum propagarent. Virgilius Æneid. XI. 'Multæ illam frustra Tyrrhena per oppida matres Optavere nurum.' *Gronov.*

165 *Œneus*] Hic Tydei pater, cujus Deianira filia a multis in conjugium exoptata procis: pro qua Hercules et Achelous Ætoliæ amnis certasse dicuntur. Deianiram ergo, Œnei et Æthesiæ filiam, uno tempore in conjugium petebant Hercules et Achelous, acceptaque lege ab Œneo, ut, qui virtute superasset, Deianiram duceret, congressi, in certamine cum superaretur Achelous ab Hercule, per diversas mutatus est figuras. Œneus Tydei pater: ideo ait *tuus*. Lactant.

166 *Pisæisque*] Œnomaus Martis filius, propter Hippodamiam filiam procos suos victos curuli certamine morte afficiebat, ad reliquorum terrorem: ideo hunc 'metuendum' dixit. *Idem.*

170 *Animosque venitis*] Figura Græca est. Illi enim dicunt; 'venit doctus sapientiam.' *Idem.*

174 *Visisque inter sese*] Corruptus litterula locus sententiæ facit noctem. quam facile dispelles, si, ut reposui, legas, *visique inter sese*, nec dubium, quin Papinius ita scripserit. *Bernart.*

176 *O quam te parcum*] Ordo: O quam te parcum agitat mens matura in præconia famæ tuæ! Hoc est pudore nimio plurimum tuis laudibus detrahis. *Lactantius.*

178 *Domas*] Quæ solet alios secundis rebus extollere. Virgilius: 'Et servare modum rebus sublata secundis.' *Cui cedit Adrastus*] Quippe quo nullus potior invenitur. *Idem.*

179 *Sicyonis avitæ*] De Sicyoniis non satis conveniunt scriptores. Plerique primum in ea regione Ægileum indigenam extitisse commemorant, atque eo regnante eam Peloponnesi partem, quæ Ægilaus dicitur, nomen sumpsisse, atque illum quidem plano loco oppidum, cui Ægialeo nomen, condidisse: successione vero venisse regnum ad Lamedonem Apollinis et Chrysorthæ filium: hunc bello contra Achæos suscepto, ex Attica belli gerendi socium Sicyonem (sive Erechthei filium, ut Hesiodus voluit; sive Eupipei, uti alii) sibi assumpsisse. Data ei in matrimonium Zeuxippe filia: a quo postea jam regno adepto, et regio tota Sicyonia, et urbs quæ antea Ægialæ, fuit Sicyon nuncupata. Sicyoni Chithonophyle filia fuit, quæ ex Mercurio Polybum peperit. Hic Lysianassam filiam Talao, Biantis Argivorum regis filio, locavit: ex qua deinde natus Adrastus, qui Argis ejectus ad Polybum Sicyonem confugit, eoque mortuo regnum ipse

adiit. Consule Pausaniam Corinthiacis. *Bernart.*

184 *Lux intercisa*] Interrupta, interpolata. Marius Vict. Genes. lib. I. 'Noctem intercisæ parilem fecere tenebræ.' Intercisi dies in Vet. jure Pontificio Pompiliano, tam hominibus quam Diis dati, uti in quibus et humana negotia, et religiosa tractari fas esset opera: veluti non integros perhibeas, nec huic nec illi parti addictos, de quo post Varron. Macrob. Saturn. I. cap. 16. *Barth.*

185 *Eleæ*] Elea civitas est Œnomai, cujus crudelitatem detestatur, quod in petitores filiæ suæ Hippodamiæ crudelis extiterit. *Lactant.*

186 *Eumenidesque aliis, &c.*] Non gemerent Furiæ sub his et illis aliis Græciæ regibus. Videlicet ipsæ furiæ non satis esse indicantur tot Regulorum insaniis. Lassari dicit dæmonas malos ipsosmet tot incestis, parricidiis, cædibus, dolis, quorum tragicum theatrum fuit isto tempore Græcia. *Barth.* *Et quæ*] De quibus impietatibus et tu Thebane Polynices queri poteris. *Lactant.*

187 *Nos vero volentes*] Si vera lectio, migravit hic Papinius Grammaticorum leges: ut etiam lib. X. 'nec deest cœptis,' et lib. XI. 'deest servitio plebes:' nisi utrobique legendum putes 'desit,' quod magis probo: licet non ignorem veteres in eodem versu eandem syllabam producere et corripere interdum solere. Theocritus: Τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται. Lucretius: 'Crassaque pugnabant liquidis, et liquida crassis.' *Bernart.*

197 *Fortuna transire tua*] Sub tutela fortunæ tuæ; hoc est, junctos felicibus infelices posse adversa superare. Dicunt ergo lætari se, quod futuras ærumnas suas felicitatis ejus prosperitate valeant evitare. *Lactant.*

204 *Tumida jam*] Matura. *Idem.*

205 *Gaudia mente*] Id est, dum votis Deos exagitant, videntur parare quod gaudeant: ordo ergo, alacres Argi gaudia mente parant. *Idem.*

206 *Lycæos Partheniosque*] Montes Arcadiæ: et in Lycæo templum est Panos, in quo natus asseritur. Unde Virg. 'Panos de more Lycæi.' Famam ergo ait in hæc loca penetrasse. *Idem.*

207 *Ephyræaque rura*] Corinthiorum regioni confinia extrema posuit. Corynthus namque a mari Arcadiam, a terra Peloponnesum claudit. *Id.*

208 *Ogygias*] Thebas, non montes Ogygios, sed locum ubi Thebæ sunt constitutæ. *Idem.*

209 *Perfundit*] Rumoribus implet. *Idem.*

210 *Labdacium*] Etheoclen: patronymicum ab avo Œdipi, hujus proavo. *Idem.* *Consona nocti*] Convenientia, ut nihil a somniis discreparent. Conveniens ergo cum somno præcedentis noctis, qua a Laio in Tiresiæ effigiem mutato, Etheocles fuerat admonitus: vel ipsa fama consona præmissæ nocti, id est quæ nuper exacta est, qua Laius avus futura visus est commonere. Consona inter convenientem famam cum præmissis Laii, qui ait superius: 'dant animos socer augurio fatalis Adrastus dotalesque Argi.' *Idem.*

213 *Jam bella*] Quæ nulla tamen adhuc erant. Nemo enim sciebat cessurus esset annum suum Polynici Eteocles, an secus. Timor autem hominum facile talia comminiscitur conjecturis ex ipsa trepidatione sumptis. Pulchre Claud. 'Malus interpres rerum, metus omne trahebat Augurium pejore via.' *Barth.*

215 *Cernere avorum*] Cominus imagines avorum cernere est operæpretium. Descriptio eorum quorum statuæ in domo Adrasti fuerant constitutæ. *Lactant.*

220 *Bellator Abas*] Abantis filius Prœtus, cujus filiæ Prœtides furore immisso a Venere boves sibi sunt creditæ: quas Melampus expiavit.

Indignatusque Tonantem] Acrisius rex Argivorum fuit, qui filiam habuit nomine Danaën, quam, posteaquam est a Jove vitiata, pater intra arcam inclusam in mare præcipitavit: quæ delata ad Italiam inventa est a piscatore cum Perseo, quem illic enixa fuerat, et oblata est regi, qui eam sibi fecit uxorem, cum qua etiam Ardeam condidit. *Idem.*

221 *Nudoque ferens caput*] Vel suum altius ferens, vel illius quod occiderat monstri. *Lutat.* Ut seipsum interficeret, si ab Apolline læderetur. Sane monstri caput ferre non potuit, quia tale cadaver fuerit, ut nec aves illud tangerent, ut descripsit Noster in fin. lib. superioris. *Barth.* *Coræbus*] Hic est, qui, ne Argi pestilentia laborarent, Apollini se perimendum obtulit, et veniam meruit. *Lactant.*

222 *Torvaque*] Danaus Beli filius ex pluribus conjugibus quinquaginta filias habuit, totidemque Ægyptus frater ejus filios, qui Danaum fratrem filias suis filiis in matrimonium postulavit. Danaus responso comperit quod generi sui manibus interiret, Argos profectus est, et primum dicitur navem fecisse, cujus nomine 'Argo' dicta est navis. Ægyptus misit filios suos ad persequendum fratrem, hisque præcepit, ut aut Danaum interficerent, aut ad se non redirent, (ut Agenor filio imperaverat,) qui posteaquam venerunt Argos, cœperunt patruum oppugnare. Danaus, posteaquam vidit se resistere non posse, filias suas fratris sui filiis spopondit uxores; quæ patris jussu viros universæ suos interfecerunt, sola Hypermnestra Lynceo pepercit. *Lactant.*

228 *Pars virginibus circum*] Repetendum τὸ *virgines*. Casta aliæ matres corona cinxere virgines, aliæ undique circumfunduntur, ut nuptiarum bona commendent, et puellarum timorem eximant. *Barth.*

235 *Teneros*] Timidos, quia delectaverunt Adrastum filiarum lachrymæ: erat etiam pudoris insigne in vota trepidare. *Idem.*

237 *Asperior Phœbi*] Fratre asperior, quia illa citharæ, illa venatibus operam dedit. *Idem.*

239 *Cyntho comites*] Cynthus Deli mons est, Dianæ sacer, unde 'Cynthia' Diana dicta est. *Aracynthus*] Atticæ regionis mons, Minervæ sacer. *Idem.*

240 *Nonnunquam longa*] Non dubito quin hæc commentitia sit lectio, ac omnino rescribendum: *non unquam longa tuendo.* Et si diu intuearis, inquit, nunquam tamen discernere posses, quæ gratiosior aut pulchrior. *Bernart.*

242 *Mutatosque velit transumere*] Omnino bene optimæ membranæ, *velint.* Omissio est voculæ 'si:' si *velint.* De ambabus enim puellaribus Deabus loquitur insimul. Habuerunt eam veram scripturam et Lindebrogiani et Behotiani libri. *Barth.*

247 *Nec minus auditi*] Sensus: Nec minus auditi sunt illi, qui thure Deos placant, illis qui hostias immolarent. Victimarum enim loco sola etiam bona conscientia Diis litatur. Sicut Persius: 'Compositum jus fasque animi, sanctosque recessus Mentis, et incoctum generosum pectus honesto.' *Idem.*

248 *Fractisque obtendunt limina sylvis*] Ex more veteri, quo in omni publica privataque lætitia receptum, qua templa, qua januas ædium, ornari tam floribus quam ramis. Exempla passim obvia. Ad lucem Papinii nostri, Juvenalis Sat. VI. 'Ornatas paullo ante fores, pendentia linquit Vela domus, et adhuc virideis in limine ramos.' Catullus in Nuptiis Pelei: 'Vestibulum ut molli velatum fronde vireret.' *Bernart.*

251 *Innuptam limine*] Audi Langii scriptum librum: *innuptam lumine.* Plane id germanum est. Respicit faces nuptiales; nam paucis versibus interjectis inquit: 'Præmissasque

faces, festum nubentibus ignem, Obruit.' *Idem.*

252 *Monichiis*] Quæ Pallas non minus diligit Larissam quam Monichiam. Larissa autem oppidum Adrasti, in quo nunc nuptiæ fiunt, non illa Thessaliæ, unde Achilles dicitur natus. *Lactant.*

255 *Primosque solebant*] Vel in templo Minervæ solebant virgines nupturæ placare Deam, quæ sit fautrix virginitatis, et excusare, quod necessitate et lege naturali nubere cogebantur. *Idem.*

258 *Arcados Euhippi*] Euhippus rex Argivorum miræ felicitatis fuit, cujus clypeum qui apud Argos nobiliter rem gessisset accipiebat, ut illo per urbem incedens honestaretur. Unde proverbium apud illos, cum alicujus ignaviam irriderent, ut Callimachus ait: Ἄξιος ὢν ἐν Ἄργει ἐπ' ἀσπίδος ἐλθεῖν. Hoc nunc spolium dicit faces nuptiales extinxisse, cum careret vera ominis ratione: quia nuptias bella dirimerent. *Idem.*

263 *Audisse negant*] Ut homines suspicionem sedarent, more vulgi potentibus blandientes audisse se negant, quæ constabant gaudiis obfutura. *Idem.*

266 *Ornatus Argia geris*] Dicit non esse admirandum, quod adversum omen accideret: siquidem Argia uxor Polynicis funestum monile acceperit, quod Thebis veniens ad Argos extulerat: et repetit originem hujus muneris, quod a Vulcano Veneri fabricatum fuisse dicitur, et deinde Harmiones fuit, postremo reginarum omnium, quæ Thebis vixerunt, quas istius monilis omine dicit infeliciter deperisse. *Idem.*

267 *Harmonies*] Plerique libri turbant hoc nomen, ut et qui Papinium illustrare ausi, præter doctissimum Barclaium. Veram scripturam servat magnus et bonus ille noster. *Harmonia* est, Martis et Veneris proles, Cadmi conjux, qui conjugi monile hoc, Vulcani opus, dono dedit. *Barth.*

273 *Docti*] Quamquam majora docti sunt facere, tamen hoc laboriose fecerunt. *Lactant.*

274 *Notique Thelchines*] Hi tres fratres dicuntur fuisse invidia lividi, qui cum vicinorum agros viderent proventu fertiles, natura felices, hos sparsisse dicuntur aquis Stygiis, ut redderent infœcundos: qua culpa pœnam metuentes, solum verterunt, seque ad Cyclopas contulerunt: et est sensus: In hoc plurimus est Vulcano sudor, quamvis et Cyclopes in hoc laboraverunt, ipsique Thelchines. Thelchines ergo invidos ad hoc monile faciendum concordasse dicit ut fieret. *Idem.*

275 *Certatim*] 'Nullo operam remittente, omnibus æque occupatis, demto Vulcano, qui moderabatur opus, et ipse plurimum laborabat.' Enarrator Priscus, et Glossographus. Iste porro:

276 *Sudor*] 'Magnus labor Affectationem,' ut ipse Vulcanus opus fecisse videatur, agnoscit Servius ad Æneiden XII.

277 *Percussum adamanta*] Id est, characteribus nocentissimis sculptum. *Lactant.*

278 *Gorgoneosque*] Ita execrandum monile describit, ut huic pulchritudinem conferat atque terrorem. Nam Gorgoneos orbes posuit instar oculorum, ut ad monstri speciem stupefaceret intuentes magnitudo et pulchritudo gemmarum. *Idem.*

279 *Fulminis extremi*] Hoc est, qui perfecto fulmine superfuissent, quasi hoc perniciosiores essent. Constat enim hoc monile post fulmina fabricatum de fragmentis. *Draconum*] Id est, juvenum, vel venenosorum. *Idem.*

280 *Lucentes a fronte jubas*] Poëtas aiunt de sua illa nobilissima liberalitate jubas cristasque affinxisse draconibus, cum nullæ iis sint probatæ testimonio Jubæ Regis. Hos tamen

alii absolvunt mendaciolo, inter quos Cornificius, qui libro IV. ad Herennium 'jubatum Draconem' nescio quem ardelionem vocat, forum Romanum circumvolitantem. Sed et qui ipsi Orientalium partium loca peregrini visitaverunt cristatos dracones visos testantur, inter quos ita scripsit ante hos quadringentos annos Jacobus Vitriacus lib. I. c. 89. 'Inter omnes serpentes maximus est Draco, qui abstractus a spelunca sua quandoque sub aërem fertur. Est autem cristatus, ore parvo, et strictis arteriarum fistulis, quibus spiritum attrahit, et linguam exerit, dentibus vero non nocet.' *Barth.* *Hic flebile germen*] In Æthiopia speciosissimum pomarium Atlanti fuit, in quo nascebantur mala aurea, quæ Hesperides custodiebant, Ægle, Aretusa, Hesperie, et draco pervigil; (acceperat autem responsum ut ea quandoque ex Jove genitus raperet;) nihilominus tamen fides responsi explicata est: missusque est ab Euristeo rege Hercules Jovis filius, qui ea mala abstulit, occiso pervigili Dracone. Diximus Poëtam omnia contulisse quæ gratiam facerent et timorem: ideo etiam aurum vult infame fuisse, quo monile compositum est, ut jure confirmet malum fuisse. *Lactant.*

281 *Phryxei velleris*] Phryxus et Helle insania a Libero objecta cum in silva errarent, Nebula mater eorum dicitur venisse, et arietem vellere aureo insignitum exhibuisse: in quo prædictos filios suos jussit ascendere, et in Colchos ad regem Œtam transire, ibique arietem immolare: qui cum ex præcepto matris ascendissent, illos in pelagus detulit. Helle lapsa nomen ponto dedit. Phryxus matris præcepto parens arietem immolavit, pellemque auream Martis templo dicavit, quam Jason, Æsonis filius, cum Argonautis dicitur petiisse. Hunc Œta rex libens recepit, filiamque ei dedit uxorem. Et cum ex ea liberos suscepisset, veritus est Œta ne se regno dejiceret, quod ei responsum ex prodigiis fuerat, ut ab advena Æoli progenie mortem caveret, Phryxum interfecit. At filii ejus ratem ascenderunt, ut ad avum Athamantem transirent: quos naufragos Æson excepit. *Idem.*

283 *Quæ pessima Cæston*] Etiam vim illam mouili permiscuit, quæ vix Cæston probat: id est, cujus sit potestatis ostendit. *Cæston* enim cingulum dicitur Veneris, quo utitur ad honestas nuptias: et quando virgo Cadmo nupserat Harmione, ideo hoc junxit. Nam ad turpes nuptias Venus dicitur non venire. Ideo 'incæstum' dicitur, quod sacrato illo Veneris cingulo non fuerit vinctum. *Idem.*

285 *Atque hilari*] Id est lucido, ut possit exinde aliquid fingi lætitiæ, ut esset facile et delectabile, latenter autem nocuum. *Idem.*

286 *Non hoc Pasithea*] E Gratiis una, quam Juno pro præmio Somno pollicetur apud Homer. Iliad. Ξ. Ἀλλ' ἴθ', ἐγὼ καί τοι Χαρίτων μίαν ὁπλοτεράων Δώσω ὀπυιέμεναι, καὶ σὴν κεκλῆσθαι ἄκοιτιν Πασιθέην, ἧς αἰὲν ἱμείρεαι ἤματα πάντα. *At tibi ego e Charitum florentem ætatibus unam Connubio jungam stabili, propriamque dicabo Pasitheam, quæ omnes una tecum exigat annos.* Adscripsi Homeri versus, cum quia apte Virgilius illos imitatus est, tum quia tam varia de Gratiis veteres tradidere. Lacedæmonii Gratias duntaxat duas colebant, easque Clitam et Phænam nominabant. Hesiodus vero (sive quiscumque auctor Theogoniæ) tres agnoscit, sed Euphrosynem, Aglaiam, et Thaliam appellavit: quod etiam facit Onomacritus. Hermesinactes vero, verus Elegorum scriptor, Pitho unam de Gratiarum numero facit. Athenienses autem et ipsi duas tantum colebant, Auxo et Heyemonem. Noster Homerum secutus vi-

detur. Utcumque nonnulli argutentur ex eo quod dicat μίαν ὁπλοτεράων discrimen eum inter Gratias facere, et quasdam juniores, quasdam vetustiores agnoscere. Adi Pausaniam Bœoticis. *Bernart.*

289 *Prima fides operi*] Periculum hujus monilis fidem fecit Harmione, quæ proxime experta est. Nam in angues versa est cum marito, ob hanc causam, quod Agenoris et Agriopes filius draconem Martis, qui fontem custodiebat, occidit. Ideo vult hoc contigisse, quia nuptialibus donis hoc monile possederat. *Lactant.*

292 *Mox Semele*] Vult etiam Semelen infelicitate hujus monilis extinctam, et magis ornatus invidia a Junone, quam pellicatus inductam, ut a Jove improbe posceret, quod nefas esset corpus sustinere mortale. Optime autem Semelen improbam dixit, quod voti fuit immodica, ut Jovem vellet videre cum fulmine. *Idem.*

294 *Deorum*] Ita olim editum. At omnis scripta nostrorum aliorumque codicum lectio: *decorum Possedisse nefas.* Quæ citra controversiam omnem vera est, asserta jam olim etiam Francisco Modio Novantiq. Lect. Epist. LII. Quanquam asserere speciem alterius possis vel ex re ipsa, vel ex ipso Vate, qui pariter loquitur lib. III. vs. 641. *Barth.*

299 *Aras ante omnes*] Quia apud antiquos ante aras numinum celebrabant jura nuptiarum; et est ordo: Ante aras et epulas nuptiarum. *Lactant.*

302 *Auguriis adjuti propinquis*] *Propinquis*, sive quia auguris uxor est: vel his prodigiis quæ paulo ante clypei casu contigerant: nihil proderat, inquit, quod augurem habebat maritum; nam infausta cupit. Secundum illud Virgilii: 'Sed non auguriis potuit depellere pestem.' *Idem.*

304 *Decepta*] Prodita, quum ille lateret. Quam rem sic enarrat Higinus, cap. 73. 'Amphiaraus Œclei et Hypermnestræ, filiæ Thestii, filius, Augur, qui sciret si ad Thebas oppugnatum isset, se inde non rediturum. Itaque celavit se, conscia Eriphyle, conjuge sua, Talai filia. Adrastus autem ut eam investigaret, monile aureum ex gemmis fecit, et muneri dedit sorori suæ Eriphylæ, quæ, doni cupida, conjugem prodidit.' *Barth.*

305 *Insontes nati meruere*] Alcmæonem dicit, qui post mortem matris conversus est in furorem, patre mandante. Ut Juven. 'Nil pueri faciunt, ipsam configite matrem.' *Lactant.*

307 *Hismenius heros*] Polynices, qui a fluvio Thebano nomen accepit, quem poëta fluvium frequenter appellat. *Lactant.*

308 *Jam sua*] Eleganter *sua*, quia et apud Argos ex conjunctione regia imperabat. *Idem.*

311 *Descisse Deos*] Quasi Dii non innocentes, sed potentes et feliciores sequantur: sic a se ad fratrem esse traductos. Descisse ergo quasi ab amicitiis, ut civitas quæ ad hostes discurrit 'descire' dicitur. Ut Lucan. 'Lassa triumphis Descivit fortuna tuis.' *Idem.*

312 *Nudum latus*] Ab amicis desertum: regum enim semper latera stipatorum satellitumque corona claudebat. *Idem.*

315 *Lacrymas incluserat*] Quem ex Marone hic versum citat Lutatius, in eo non exstat: 'Inclusitque dolor lacrymas.' Nec quem proximum illi auctorem citare solet, Lucanum ei auctorem arbitror. Ineptissimum autem de Antigona Virgine intelligere hæc, quod nonnullos velle arguit glossographus noster cum ait: 'vel *ille* vel *illa*.' Iram mutuam fratrum, mutuas ejus suppressiones, mutuas insidias dolosque totum hoc Poëma loquitur. 'Iram superasse dolorem' dicit in Polynice, ne illam in lacrymas, ut Ovidius loquitur, egerere va-

leret. Talem omnino minorem Magnum, majorem fratrum, Pompeii filium inducit Lucanus, cum cædem parentis audisset, lib. IX. 'cum talia Magnus Audisset, non in gemitus lacrymasque dolorem Effudit, justaque furens pietate profatur.' *Barth.*

316 *Quos excedens hilares*] Cogitat discessu suo qui gavisi sunt, qui doluerunt, omnia inquit hæc in animo revolvebat, et fratris cultum, et quos sibi profugo gemuisse prospexerat: ergo si aliquibus potuit exilium displicere, revertentem tanto magis poterunt adjuvare. *Lactant.*

321 *Spes ubi longa*] Qua nulla gravior mortalibus cura est. Salust. 'Animo cupienti nihil satis festinatur.' Cicero; 'Eripis etiam spem, quæ sola homines in miseriis consolatur;' hanc enim curarum omnium constat esse postremam. Grave enim tormentum est spes, quæ longa expectatione differtur. *Idem.*

322 *Dyrcen*] Fontem Thebanum, per quem Bœotiam debemus accipere. Cadmi autem domos, Thebas dicimus. *Idem.*

326 *Recepto sanguine*] Id est, recepta virtute. Lucan. 'dum sanguis inerrat:' dum vix materna peregi. *Idem.*

327 *Fractæque in pectore vires*] Tentat Bernartius, *fractoque*. Sed duo Lindenbrogii, duo ex nostris optimi omnium: *fractæque in pectore quercus*. Sane pascua ponunt in silvis ac saltibus veteres. Cicero contra competitores: 'Alter pecore omni vendito et saltibus prope addictis pastores retinet.' Unde divinus Poëta in principio operis: 'et egressus silvis,' id est, pastorum saltibus, ubi se bucolica cecinisse fingit. Non mirum igitur illic obvias arbores aut affligendo aut quassando expertum esse vires suas taurum. lib. IV. 'silvas humeris et utroque refringens Pectore, montano duplex Hyleus ab antro Præcipitat.' Ovidius de apro Calydonio: 'Sternitur incursu nemus et prolapsa fragorem Silva dat.' Sed Virgilium respexit Æneid. XII. 'atque irasci in cornua tentat Arboris obnixus trunco.' *Gronov.*

333 *Senserat*] Argia dispositiones mariti senserat, primo ortu auroræ complexa virum. 'Pallorem' dixit colorem croceum: primo enim aurora cum luciferi candore pallescit, deinde fulgore rosei solis afflatur. *Lactant.*

337 *In pace sopor*] Id est, dormiens semper inquietaris curis: aut hoc dicit; quod noctu cum solent homines in quiete esse, tu pervigilas, nec admittis soporem: pacem enim hic proprie nocturnam quietem asseruit. *Lactant.*

338 *Et magnas jactantia pectora curas*] Placet omnino *latrantia*, receptum Lutetiæ a Lindenbrogio, quod et ipsi scriptis in quibusdam invenimus. Ab Ennio acceperunt: 'animus cum pectore latrat.' Lucretius: 'Nil aliud sibi naturam latrare.' Petronio: 'tabes tacitis concepta medullis Intra membra furens curis latrantibus errat.' Ubi potuissent abstinere 'hiras' suas. Noster in Glaucia: 'admoto latrant præcordia tactu.' *Gronov.*

340 *Viduaque juventa*] Id est, non propter me dico hoc, licet sim juvenilis ætatis, et licet vidua tam cito deserar a te, tantum propter tuam salutem, ne in aliquo damneris timeo. *Lactant.*

341 *Crudus amor*] Recens, immaturus, nec dum temporis longinquitate firmatus: ergo talis est ordo: Etsi necdum primis nuptiis calefactus est thorus mariti, nec temporis prolixioris accessibus fervescit; adeo pauci dies sunt, ex quo sunt nuptiæ celebratæ. *Lactant.* *Post flammea*] Hoc est, primo nuptiarum die; flammeum siquidem vestimenti genus, quod puellæ nubenti ponebatur in capite. Festus: 'Flammeo amici-

tur nubens, ominis boni caussa, quod eo assidue utebatur flaminica, id est, flaminis uxor, (an non subolet glossema?) cui non licebat facere divortium.' Juvenalis de muliere quæ a marito diverterat, Satyr. vi. 'Permutatque domos et flammea conterit.' *Bernart.*

343 *Angit amata salus*] Sic ait ut vincat: quia propter suum commodum nil suadet, sed asserit se angere causa mariti, et hoc totum quod ad cautelam mariti proficit, sibi putat acquiri. *Inermis*] Aut facultatibus quæ desunt, aut armatorum multitudine destitutus. *Lactant.*

345 *Atque illum solers*] An non rectius: *atqui?* pulcherrima gnome: ad quam respexit Seneca de Clementia lib. i. cap. 8. 'Alia conditio est eorum, qui in turba quam non excedunt latent, quorum et virtutes ut appareant, diu luctantur, et vitia tenebras habent: vestra facta (Neroni loquitur) dictaque rumor excipit, et ideo nullis magis cavendum est, qualem famam habeat, quam qui, qualemcumque meruerint, magnam habituri sunt.' *Bernart.*

347 *Nec dum consumpserat annum*] Qui nec dum cōnsumpto anno inimicus tibi atque infestus fuit, quid censes eum nunc moliturum, quippe cum deponendi eum imperii cura sollicitet? *Lactantius.*

352 *Risit Echionius*] Risit Polynices, quod objecit illi amorem alterius conjugis, more et levitate muliebri. Quoniam semper familiare uxoribus est, suspicari maritos suos aliarum mulierum illecebris detineri. Docet autem Poëta objectis falsis criminibus ridendum potius, quam dolendum. *Idem.*

366 *Merentum*] Omnes libri sic et nobis et aliis compositi. Ego tamen mendi suspectam habeo hanc vocem, si quam aliam hoc libro. Expositio Lutatiana est: 'Eorum consiliis, qui merentur imparia gubernare, dubitur mihi Regnum.' Sequentia mendosa sunt: 'Desiste,' inquit, 'de mœrore modo esse sollicita. Bene sic cœpit, quia uxor hoc se solum timere dixerat, quod pro ipso faceret.' Scribe: 'Desiste de mœrere, nolito esse sollicita.' Utcunque autem satisfacit hæc interpretatio. Conspirant huic expositioni Commentatores nostri, quorum maximus *merentum* 'Deorum' exponit. Unde aggravatur suspicio, et valde fallor aut *Deorum Consiliis* scripsit Papinius. Vel certe *meorum*, quod potius putem, ut suos etiam conjugi suæ magnos faciat. *Barth.*

367 *Fit mora consilio*] Id est, diu habito tractatu cunctati sunt, ut multum cogitantibus placeret una sententia: id est, utrum bello an legatis peteret regnum Polynices. *Lactant.*

368 *Potior cunctis*] Id est, melior omnibus sententia placuit, Etheoclis fidem legatione tentare. *Idem.*

370 *Ea munera*] Legationis officia. *Idem.*

373 *Regressus legato*] Quod legatum nefas esset interfici. *Idem.*

374 *Justæque preces*] 'Deiphile tandem concessit precibus Argiæ Sororis, ut non ipse Polynices, sed Tydeus pro eo iret, et regnum Polynici reposceret.' Hæc Scholiorum veterum. Verius est de Tydeo, quam de Deiphile hæc dici, quippe qui ambiguus animi fingatur amore Conjugis novellæ retinente, ad iter instigante Polynicis commodo. Res magni momenti non est, et rectius ceperit qui utrumque ceperit. *Barth.*

377 *Intepet Hydra vadis*] Hic enim in Lernea palude Hydram Hercules igni perdomuit, damnis capitum et vulneribus pullulantem. *Intepuit* ideo, quia cum ferro vinci non posset, vulneribus est ignis admotus: tepet ergo adhuc quasi flamma victrice. *Quamvis carmine*] Sensus: Quamvis Nemeæum leonem constet Herculis virtute prostratum, tamen prioris metu periculi interrupit pastorum timidas

cantilenas. *Lactant.*

379 *Latus Eoos*] Corynthi latus emensus est: et orientem dixit *Eoos*, occidentem *Euros*. Idem.

380 *Sisypheique sedent*] Cum inter duo maria montem positum crudeli latrocinio Sisyphus occupasset, (hac enim pœna mortalium pascebatur, homines prægravans ingenti saxo necare,) tandem ab accolis deorum lege punitus, apud inferos saxi quod volvit pœnas exolvit pondere. Portus Corinthius ex utraque parte duos habet, Sisypheum et Lecheum, quos nunc Poëta commemorat. *Irataque terræ*] Isthmon significat ubi se Ino cum Palæmone præcipitavit. Lechæum vero promontorium Corinthiorum. *Idem.*

382 *Nisum*] Megaram dixit, in qua Nisus regnavit. Quidam Nisum montem Megarensium dicunt, in quo Nisus est sepultus, quem ferunt crinem habuisse purpureum. *Idem. Et te mitis Eleusis*] Meliores, *Eleusin:* non hic modo, sed et lib. VII. vs. 411. 'pernox ululavit Eleusin.' Et lib. XII. 131. 'quamvis sibi luget Eleusin.' Et 637. 'Hos Salamin populos, illos Cerealis Eleusin.' *Gronov. Eleusis*] Oppidum est Athenis vicinum, in quo Ceres eximie colitur: unde sacra Cereris *Eleusina* vocantur. Virgil. 'Tardaque Eleusiniæ matris volventia plaustra.' *Lactant.*

383 *Theumesia*] Vel oppidum Tænarum, vel promontorium dicit: de quo se Ino cum Melicerto filio præcipitem dedit: quia Græce Palæmon, Latine Portumnus dicitur. Arva ergo Theumesia a campo ejusdem regionis Thebis vicino. *Et arces Agenoreas*] Propter Cadmum conditorem Thebarum, Agenoris filium. *Lactant.*

386 *Trans legem*] Id est, ultra anni spatia, quæ sortitus fuerat, ut primo ipse regnaret. *Idem.*

388 *Queriturque fidem*] Oratorie Etheocles in suum fratrem transtulit crimen, quod tunc demum Polynices deposcat imperium: dolet ergo quod cessantibus legatis, tam sero frater vicissitudinis fidem reposcat, quod jamdudum negare potuisset: vel quod tardius ei perpetrandi parricidii detur occasio. *Idem.*

389 *Ramus manifestat olivæ, &c.*] Non sollicitem hanc lectionem, simplicem et absolutam. Non potest tamen ab alia quam Poëtæ manu esse, quod in optimo Maximo Codice offendo: *Ramo manifestus olivæ Legatum.* Quod corruperunt balathrones librarii qui non ceperunt. De re ipsa nota omnia, vide Carolum Paschalium de Coronis lib. VI. cap. 17. *Barth.*

392 *Justis miscens tamen*] Non blanda locutus est, quæ possent persuadere, sed aspera quæ magis ad iram accenderent: et ostendit Tydeum virum fortem militiæ magis quam eloquentiæ operam tribuisse. *Lactant.*

393 *Si tibi plena*] Quia, ut supra edoctum est, hoc juraverant fratres, ut annis singulis imperium gubernarent. Ergo queritur, quod contra legem, aut sacramentum, germano negaret regnum. *Lactant.*

401 *Redierunt montibus umbræ*] Manifesta corruptio: qui enim umbræ in montibus? nugæ: valles habent umbras, montes jaciunt. Poëta princeps: 'Et jam summa procul villarum culmina fumant, Majoresque cadunt altis de montibus umbræ.' Bene itaque et proprie Lipsii scriptus liber: *redierunt vallibus umbræ.* Bernart.

417 *Sufficeret vel sola fides*] Id est, nisi fratris in me odia ex orationis tuæ furore agnoscerem, ad reddenda quæ reposcis potui fide compelli. *Qua torvus*] Id est, quanquam deest justa defensio loquendi, tamen invenitur occasio: ut in Terent. validæ propositioni lenonis quia respondere adolescens non potuit, minatus est cædem. Leno enim dixerat: 'Quid si illam ego nolo vendere, coges me?'

contra adolescens, justo argumento lenonis inclusus, calumniosa ac multum diversa respondit: 'ante ædes non fecisse erit melius hic convitium. Nam si molestus pergis esse, jam intro arripiere atque ibi usque ad necem opperiere loris.' *Lactant.* *Qua torvus*] Pronomen male convenit sententiæ. Scripti, *quam.* Scribendum: *quum torvus.* Ea particula gaudent uti veteres, ubi vulgus ponit, *quod.* Ut apud Terentium in Andria: 'Deos quæso, ut sit superstes, quandoquidem ipse est ingenio bono, Cumque huic viritus est optimæ adolescenti facere injuriam.' Heaut. 'Idque adeo miror, cum tam ineptum quicquam potuerit tibi venire in mentem.' Adelph. 'Bonus es, cum hoc existimas.' Defendimus etiam Livio. *Fides* est argumentum fidem faciens. Justin. l. IX. 'Ea primum fides inopiæ Scythicæ fuit.' *Gronov.*

418 *Septa novus*] In optimo Libro est *capta.* Sed illud est manifestum cur retineamus; cincta enim mœnia non capta subfodiunt cuniculari, quos recte hic Scholiastæ intelligunt. 'Fossores,' inquit cum nostro Lutatius, 'dicuntur in exercitu cuniculatores, qui Cuniculos faciunt per quos introgressi milites murorum fundamenta convellunt.' Dicit ergo Tydei orationem illi tempori convenire, quo ista in obsessa jam civitate fiant. *Bart.*

421 *Refugo pallentes*] *Refugo,* devio, quia dicuntur Scythæ, quos nunc Gelonos appellat, non habere aëris temperamenta, quia longe a sole submoti sunt: hi sub Septentrione degunt, ad quos vix sol pervenit, ideo *pallentes.* Lactantius.

422 *Medii reverentior*] Nihil enim magis medium est quam justitia. Considerata ergo reverentia justitiæ parcior esses alloquio. *Idem.*

425 *Sceptra fide*] Non secundum compromissam fidem, media pace, et majestate mea mihi servata poscitis regnum, sed vi et violentia pertenditis, quam a malis dictis incipitis, ut ad facta veniatis bellica; nolo ergo, ut homo iners et timidus, quicquam vobis concedere. Sed quoniam capulo manum admovetis, scitote vobis rem ferro facessendam. *Barth.*

428 *Sors justa mihi*] *Justa,* quia major natu erat: et ideo dicit se priorem regnare debuisse, quippe natu majorem: licet placitum fuisse diximus, ut vicissim imperium gubernarent, tamen sorte perfectum est, ut aliquis primus acciperet potestatem. Sed oratorie Etheocles, quoniam scit in sorte esse casum, non judicium, stringit ad hoc, ut merito accidisse videatur, non fortuito. *Lactant.*

430 *Te penes*] Ordo: Te penes est regia Inachia dono conjugis, hoc est, quam Danaë Argiva possidet. Hoc autem ideo dictum, ut doceat fratrem habere quod repetit. *Idem.*

433 *Lernamque rege*] Amymone Danai filia, dum studiose in sylva jaculo exerceretur, imprudens Satyrum percussit. Eam cum Satyrus violare vellet, illa Neptuni imploravit auxilium: quo Neptunus cum venisset, fugato Satyro ipse eam compressit, ex quo coitu natus est Nauplius; ex Nauplio Palamedes. Neptunus vero cuspide dicitur, in quo loco Amymonem compresserat, terram percussisse, unde cum aqua flueret Lernæus fons dictus est, et fluvius Amymonius. *Idem.*

442 *Socer ille senex*] Agnoscit hanc scripturam Lutatius. Quasi, inquit, superbe et indignaturus talem socerum dixit. At de Argia loquitur muliere Papinianus Eteocles, quo corrigenda sunt hæc verba. Agnoscit etiam vetustissimum illud nostrum exemplar consentientibus cæteris, et Lindebrogianis, Behotianisque. Item Editionibus Parisiensibus, Aldinis, Lugdunensibus. Solus Bernartius cum suis seorsum sapit, sectatorem

nactus Argentinensis Editionis Architectum, ut *Sacer* malint. Valeant. Contra tot testes, nos et personam Eteoclis illis opponimus, qui longe inscitius 'sacrum senem' dixerit, quam Argia Socerum. Impietatis etiam satis tyranno est, cum *ille senex*, pro infortunatissimo omnium quos terra sustinebat tum, dicitur, de patre. *Barth.* *Jam pectora vulgi*] Tertia causa validior, quare non reddat imperium, in fine est collocata, non sine aliqua specie veritatis: certatur magna cum commendationis schema; dicit enim perfidum se velle dici, dummodo suis civibus prosit. *Lactant.*

446 *Regnum breve*] Id est, brevis administratio successori imperium servare non patitur: et in primo ideo querelam populi induxit, posse ambos perdere. *Lactantius.* *Regnum breve*] Ab ore improbo probissimum dictum, cui plena cera subscripsit Romanus Imperator, apud Tacitum Hist. II. 'Difficilius,' inquiens, 'est temperare felicitati, qua te non putes diu usurum.' Quid ergo, ex usune Reipublicæ honores longos dare et diuturnos? abnuunt alii: inter quos Dio, qui libro LII. Αἱ μακρότεραι καὶ πολυχρονιώτεραι ἀρχαὶ ἐπαίρουσί τινας πολλοὺς, καὶ ἐς νεωτεροποιΐαν ἐξάγουσι. *Longiora et diuturniora imperia multos attollunt, et ad res novandas impellunt.* Qui verius? Non ego de plebe litteratorum interponam decretorium stilum. Si magni tamen honores, in Dionis sententiam videor iturus: quandoquidem Livio etiam teste: 'Libertatis magna custodia est, si magna imperia diuturna esse non sinas.' *Bernart.*

448 *Quis certa est sub te duce, &c.*] Id est, hos tibi ego ad supplicium tradam, si tamen fueris adeptus imperium, quibus certa est pœna meritorum; merentur enim supplicia quod mihi paruerint. *Lactant.*

450 *Si modo notus*] Non de nihilo hunc erga se populi prætendere Eteoclem res ipsa arguit, quod nimirum, ut eum tutarentur, sese omnes Thebani Septem contra venientibus, ut auctor Thebaidis loquitur, Regnis opposuerint. Vide Æschylum initio et alibi in Septem Thebanis. *Barth.*

451 *Reddere regna sinent*] Hæc est rei decisio, quam cum Tydeus percipit nequaquam ulterius animo linguæque imperare potest. Perculsus ergo argumentis quod et retinere, et recte atque jure retinere persuaso velle populo videat regnum, ad vim suam et minas erumpit. *Sch. Vetus.*

453 *Ingeminat, reddes*] Tydeus tantum hac invidia orationis egit, ut licet legatus esset, juste tamen mereretur occidi. *Lactant.*

455 *Amphion*] Jovis et Antiopæ filius, lyræ carminibus ad Thebanos ædificandum muros dicitur saxa duxisse. *Idem.*

457 *Diademate pulses*] Oratorie: ut felicior pœna sit mori cum dignitate, quam fraude possedit. *Idem.*

460 *Quanta Cithæron*] Montem seorsum compellatum intellige. Sed et aliquo tamen modo et ipse potest dici rotare funera, cum in collibus ejus cæsi homines ad radices cumulatim devolventur. *Vet. Schol.*

461 *Sanguineis vadis*] Toris in sanguinem versis. Vide ad illud Claudii: 'Staret, ni rapidus jussisset flumina sanguis.' *Barth.*

464 *Sed fallit origo*] Ex dissimilitudine et bonitate morum, Polynices Œdipi filius non putatur. *Lactant.*

466 *Nos poscimus annum*] Subaudi, 'sed in regna perpetua:' ut Lucan. 'Arma tenenti Omnia dat, qui justa negat.' *Idem.*

467 *Retro vociferans*] Sensus: Hæc cum egrederetur dicebat, respectans in limine. *Idem.*

469 *Evolat Œnides. Vindex*] Mss. *Œneæ.* Recte; modo aliter interpungas: *Evolat. Œneæ vindex sic illa Dianæ.* *Œneæ* est Calydoniæ. Ovid.

Met. VIII. 'et Œneos ultorem spreta per agros Misit aprum.' *Gronov.*

470 *Fulmine mala*] Propter aduncos dentes, quos more ictus fulmine prostravisset. *Lactant.*

471 *Pelopea phalanx*] Argiva quæ auxilio venerat, ut Ovid. refert: ergo Peloponesus vicina Ætholiæ. *Idem.*

473 *Ixiona*] Perithoum significare videtur, Ixionis filium. *Idem.*

474 *Meleagre*] Metathesis pro *Meleager.* Idem.

476 *Calydonius heros*] Tydeus, propria ratio. *Calydonius*] Propter patrum mores et tegumentum. *Idem.*

478 *Ramumque precantis olivæ*] Nullam spem habens Pacis, neque volens cum tam perfido Rege habere amicitiam. Ultro bellum ejus provocans. *Schol.* 'Precans oliva,' velut supplicem dicas. Quod in Tydeo noluit Papinius. Vide C. Paschalium de Coronis lib. VI. cap. 17. *Barth.*

481 *Œnidæ*] Œneus Parthaonis filius, Ætholiæ rex, cujus civitas Calydon nobilissima; ejus summam potestatem regni turbavit negligentia sacrorum. annua siquidem vota pro imperii fructibus celebrans, numen Dianæ contempsit, propter quod nimia indignatione oppressus est: ut videretur omnes placaturus, si illam solam adorasset. Ea aprum magnitudinis summæ in regionem ejus immisit, qui vastatis Calydonis terris, ab urbe gentis Calydonius appellatus est: cujus feritate Œneus fractus, edictum tale proposuit, ut dimidiam regni partem caperet, qui monstrum interemisset. Meleagri virtus periculum non expavit. Siquidem is undique juventutem collectam ad illam novi generis expeditionem vocavit, inter quos etiam Atalanta convenit, Iasi filia, summa venatrix: quæ in saltibus prima omnium prædictum aprum sagitta percussit. Postea Meleager in se venientem feram excepit, interemitque; et gratus adversus puellam futurus, quæ inter viros successu virtutis enituerat, pellem monstri illius cum capite ei dedit, ad testimonium laudis; sed munus paratum fortitudine, invidia perdidit. Plexippus namque et Agenor, Meleagri avunculi, indignati sunt sibi prælatam fuisse virginem, et eam dono spoliaverunt: qua conditione fata sibi maturavere. Id enim indignatus Meleager, consanguinitate calcata matris suæ fratrem Plexippum occidit, sibique matris affectum abstulit. Althæa siquidem dum sævit in ultionem germanorum, titionem quem habebat occultum, qui cum Meleager nasceretur in regia subito traditus fuit a Parcis, ut juvenis tam diu viveret, quoad is esset servatus, mater ignibus mersit, eumque cum filii fatis extinxit. Quæ posteaquam admissum nefas agnovit, laqueo vitam finivit. *Lactant.*

482 *Nec piger ingenio*] Id est, qui semper solers fuit et peritus scelerum, quia invidiose aggressus fuerat Etheoclen Tydeus, legatus missus a Polynice; inde jam cogitat, quemadmodum insidias præparet. *Idem.*

483 *Juvenum fidos, lectissima bello Pectora*] Meliores et plures: *Corpora.* Recte. Quorum usus a corpore et manibus, 'corpora' et 'manus' dicuntur antiquis. Ovidius Fast. III. 'totidem princeps, totidem pilanus habebat Corpora.' Livius lib. XXII. 'Transfugam sive magnæ rei proditione venientem ad hostes nihil aliud quam unum vile atque infame corpus esse.' Tacitus Hist. III. 'Ipsum Othonem comitabantur, speculatorum lecta corpora.' Libanius Βασιλ. Συνήγετο μὲν ὄγκος χρημάτων, ἠθροίζετο δὲ πλῆθος σωμάτων. Hinc et 'corpora' nonnunquam pro servis. *Gron.*

490 *O semper timidum*] Antea quam fiat de potentia adversantis, timidum post de conscientia. *Timidum scelus*] Quod nisi a timentibus non committi-

tur. Sed utrum hoc ad Etheoclem refert, qui, quia sceleratus est, Tydeum timet? an ad illos quinquaginta, quos ideo paraverat, quia timebat? denique hoc sequitur. *Exit in unum Plebs*] Quia insidiis agitur, et hoc ideo timidum, ut sit catalogus: *plebs* autem dixit, ut invidiam numeroso hoc nomine compararet. *Exit in unum*] Quia scelus commissuri pauci timebant, idcirco plures armaverat. At contra unius Tydei caput plebs jurata consurgit. *Lactant.*

492 *Crebris arietibus urbis*] Frustra excusat Bernartius Virgiliano: 'Intexunt abiete costas.' Quis non videt differentiam? Accedo igitur, licet invitis omnibus libris, Grutero, qui conjicit: *crebris arietatibus.* Nam quod contractæ tres priores syllabæ in duas tamen breves ponuntur, fecit idem in 'tenuior.' ut in Soteriis: 'Sperne coli tenuiore lyra.' Et restituimus alibi. *Gronov.*

496 *Fert via per dumos*] Hoc est, ducit via compendiosior latente calle. ut Virgilius: 'Olli per dumos qua proxima meta viarum Armati tendunt.' *Lactant.*

498 *Lecta dolis sedes*] *Sedes* locus ubi subsidere, insidere, et insidias efficere commode possent. Sic 'sedes belli' apud Lucanum lib. II. Unde et commode in hostem moveri, et ubi latere exercitus posset: 'Hæc placuit belli sedes,' &c. Sic 'sedes latronum' apud Appuleium. 'Sedes sceleratorum' apud Ciceronem pro Cluentio, de locis infernalium pœnarum. *Malignis*] Fauces malignæ, non faciles evadi laxiore aditu, quam exitu. *Aptæ malitiæ*] Gloss. et Schol. Vet. Sic 'maligna lux,' minime commoda ut debeat esse. Papin. lib. IV. 'Vacuusque silentia servat Horror, et exclusæ pallet mala Lucis imago.' *Barth.*

504 *Importuna crepido*] Feralis, luctuosa; contra campum crepido erat, id est saxum eminens. Saxum illud dicit in quo Sphinx fuit: et quærendum utrum *importuna*, execrandam dixerit; an *importuna*, non conveniens: quia ex ipso saxo insidiæ videri poterant præparatæ. *Lactant.*

505 *Hic fera quondam*] Sphinga dicit, quæ in hoc aliquando insederat saxo. *Idem.*

506 *Erecta genas*] Erectas genas habens. *Idem.*

507 *Concretis*] Solidatis et in unum redactis abundantia sanguinis: ut Virgilius: 'Concretos sanguine crines.' *Idem.*

510 *Concurrere dictis*] Non unum ænigma illi fuisse testantur auctores. Σφίγγα κελαινὴν vocat Lycophron, quod σκοτεινὴν διὰ τοὺς φόνους ἢ τὰ αἰνίγματα interpretatur Isacius Tzetzes. 'Inexplicita dicta' non inexplicabilia interpretatur glossographus. Ænigma verum prodit Pausanias: 'Traditum est,' inquit, 'Laii notham fuisse Sphingem filiam, quam Pater Oraculum, quod Delphis Cadmus acceperat, pro sua in eam benevolentia, edocuisset. Eo quidem tempore nihil aliud Reges, quam quod ex oraculo cognovissent, pro certo habere solebant. Quoties itaque de Regno esset controversia, ad Sphingem, consulendi causa, finitimi ventitabant. Fuere Laio ex pellicibus filii. Sed responsum illud Pythii Apollinis, Epicastæ tantum et liberis, quos Laius ex ea susceperat, notum aiunt fuisse. A Sphinge autem dolo fratres ita circumventos, ut ex ipsis quæreret, num datum Cadmo responsum, si Laii filii essent, cognitum haberent: quod si negassent, capite eos statim condemnabat, eo scilicet crimine, quod non essent ex ea gente, ad quam regnum, de quo disceptabant, pertineret. Venisse vero ad illam Œdipum, ex quodam somnio de Oraculo edoctum.' *Barth.*

517 *Heu simili deprensa viro*] Vel tam callido, vel tam scelerato, hoc est, crudeli parricidæ, matris marito,

qui meruit ut se sponte excæcaret: ergo hoc dixit, simili errore, pariter consecrando. *Cessantibus aliis*] Motus alarum suspendit. Volatum ergo Sphinx aliis cessantibus distulit. *Lactant.*

520 *Avidum pecus*] Quamvis avidum. *Idem.*

524 *Peritura cohors*] Illos juvenes dicit, quos Tydeus est occisurus. *Id.*

527 *Humenti palla*] Rorifera. Gl. Scripta. Locutio Sacrarum Salutis Litterarum, Dominum 'extendere cœlum et Noctem instar vestis.' Psalmo CIV. Zachariæ XII. et alibi. Esaias capite L. Ἐνδύσω τὸν οὐρανὸν σκότος, καὶ ὡς σάκκον θήσω τὸ περιβόλαιον αὐτοῦ. Quam imitatos Græcos Latinosque dicas 'noctis superventum' pallio inducto aut peplo designare. *Barth.*

530 *Cristasque videt rutilare comantes*] Mire dictum videtur, nam quomodo cristæ comantes, cum cristæ sint ipsæ comæ? repetiit eandem sententiam lib. IX. 'Interdum cristas hilaris jactare comantes.' Quo quidem loco libri scripti nihil mutant, hic vero Lipsii liber et Laurentianus uterque agnoscunt: *Galeasque videt rutilare comantes.* Ego vulgatam non sperno, nam et alibi in Virgilio legi: 'Et conum insignis galeæ cristasque comantes.' *Bernart.*

531 *Adversaque sub umbra*] Luci, quæ esse adversa venientibus videbatur. *Lactant.*

534 *Admovet ensem*] Ut sit paratus ad cædem manu tractat auxilium, id est, evaginationem parat. *Idem.*

535 *Quidve occultatis in armis*] Quid hoc rei est, inquit, tantos vos, totque numero viros in armis hic occultatos considere? Quem metuitis, quem præstolamini? Dictabat res et locus veritatem. *Vet. Scholiast.*

538 *Vasto Chronii contorta*] Scripti *Chromis*, aut *Cronii;* sed legendum est, *Chthonii.* Χθόνιος unus e Spartis sive draconigenis quinque apud Pausaniam, inde vocabulum hoc frequentatum Thebis. Et huc applicari debere didici ex cod. antiquis lib. III. 170. 'Hinc Chronium conjux.' Ubi omnes fere membranæ: 'thonium,' hoc est, 'Chthonium.' Et lib. IV. 97. 'Cernis Chroniumque Chrominque.' Ubi eædem,'Chthoniumque,'vel 'thoniumque,' significantes 'Chthoniumque.' Eadem enim tribus his locis persona memoratur. *Gronov.*

540 *Fortuna recessit*] Id est, frustratus est ejus ictus. *Lactant.*

541 *Olenii tegmen*] Olenos Ætholiæ regio est, in qua sus Calidonius dicitur interemptus, cujus exuviis Tydeus nunc tegitur et armatur. *Idem.*

542 *Super levos humeros*] Id est, super sinistri humeri partem hasta imminens, pœne vulnus invenit. *Idem.*

543 *Et viduo ligno*] Cuspide ab ea parte quæ ferro caret: ac per hoc infirmo. Metaphora a muliere, ut quæ si auxilio mariti caret infirma est, ita lignum quod non habet ferrum, unde vulnus infligat, infirmum est. *Idem.*

546 *Bella parari*] Paucos esse credidit, nec putavit quinquaginta sibi virorum fortium insidias comparari. *Idem.*

547 *Campoque erumpite*] Ne conjicite, ut cœpistis, ex insidiis tela. Prodite, non fugiam, sed pugnabo viriliter. *Ms. Scholiastes.*

549 *Neque his mora*] Ita plerique libri doctis ante nos hominibus collati, ita omnes etiam nostri, cum Capite optimo suo. Soli Lindebrogius et Cruceius inseruere voculam *in. neque in his mora.* Bernartius bonus bene conjectabat: *neque enim his mora.* Ita tamen ut non satisfaceret sibi. Si Papinii est licentia scribendi, non muto; cum tamen id credibile non sit, priorem correctionem sequor. Cum ita loquatur Virgil. Eclog. III.

'in me mora non erit ulla.' *Barth.*

551 *Hos prodire jugis*] Contra omnes libros, probo, quod ingerit Lactantius: *Hos deire jugis.* Quæ et in nostrorum optimo (a V. CL. Berneggero utendum olim accepimus) inter versus notata comparet: *deire*, 'de jugis ire.' *Gronov.*

553 *Ut clausas indagine*] Hæc comparatio ad superiora referenda est. Dicit enim sic illos aut de jugis prodiisse, aut de vallibus, quemadmodum de retibus feræ, quas in medium vox venantium et clamor expellit. Tunc enim licet scire quam multæ sint, cum terrore clamoris coactæ fuerint non latere: est ergo ordo: Sic illos excursare e latebris videt, ut clausas indagine feras vox prima in medium profert. 'Indago' autem est, cum silvam venantium corona vallat, ut feræ evadere non possint. *Lact.*

554 *Quæ sola medendi*] Id est, quæ sola via salutis est, in hostes incidentem ardua petere. *Idem.*

556 *Et abscissis*] Ordo est: Et abscissis cautibus infringens uncas manus juga dura exuperat. *Idem.*

558 *Procul tergo metus*] Prærupto et non accessibili a posteriore parte rupe. *Barth.*

563 *Adversos Lapythas*] Lapythæ gentes Thessaliæ, omnium virorum sublimes patientia, cum cæteris Diis immortalibus annua sacra conficerent, in ipsa religione genus sacrilegii commissum est: cum enim Pirithoi regis sui nuptiæ celebrarentur, et sacrificia omnibus diis facerent, Martis solius incultas aras reliquerunt, sive ignorantia, sive contemptu numinis, habetur incertum. Quæ res manifesto punita est exitu: Mars namque fecit ut adversus Centauros bellarent, a quibus victi sunt: civitas damno intellexit religionis virtutem. Unde Virgilius: 'Mars perdere gentem Immanem potuit Lapythum.' *Lactant.*

564 *Stupet obvia*] Jam a comparatione discessit, ad fatum Tydei redit. Potuit enim ambiguitas circumvenire lectorem. *Idem.*

568 *Dejecti*] Probo optimi libri scripturam: *Disjecti.* In frusta enim conquassati sunt et disparati, ossibus et armis confractis et permistis. Minime omnis hæc scena verosimiliter ficta est: Cur enim non abscessere hi longius, tanto saxo librari viso? Cur non confixerunt jaculis aut hastis scandentem tam laboriose consecuti? *Barth.*

573 *Terrigenas confessus avos*] Non tantum meliores codd. *confisus*, sed et Priscianus lib. XVIII. ubi observat et Græcis dici θαῤῥῶ τοῦτο, et θαῤῥῶ τούτῳ, addito ex Demosthene: Οὔτε Φίλιππος ἐθάῤῥει τούτοις, οὔτε σὺ τὸν Φίλιππον. *Gronov.*

575 *Pentheumque trahens*] Velut a Pentheo originem trahens generis. *Phædimus*] Phædimus nomine, nondum te propter Penthei nomen Liber habens propitium, Tydei armis occubuit. *Lactant.*

580 *Libens*] Ne videretur ab hostibus loco in quo steterat pulsus. *Idem.*

581 *Orbem*] Scutum obvolutum. Bene subdidit *orbem*; sunt enim scuta oblonge facta. *Idem.*

583 *Et vertice tegmine noto Septus*] Optimi: *tegmina nota*: optime, quasi esset septus verticem tegmine noto: sicut et 'indutus veste' et 'vestem' dicimus. Sic lib. VII. 279. Amphion 'lyram galea tauroque insignis avito,' quod habent scripti, mutarunt: 'lyra galeam:' quasi non æque recte diceretur illud et commode explicaretur insignis quod ad lyram vel per lyram, quam habet in galea. *Gronov.*

586 *Ogygidæ*] Thebani ab Ogygio terrigena. *Lactant.*

587 *Bysthonium*] Tydei ensem. Unde Tydeo Bysthonius ensis? nisi

quia Œnius Martis est filius. Primum quia vicina est Ætholia Thraciæ, aut quia Mars apud Bysthonas colitur. Ensem vero Bysthonium Thraciarum dixit, quia Bysthona gens Thraciarum est. *Idem.*

590 *Decutit*] Ab ictu depellit scuti. *Idem.*

591 *Sed ipsa In socios errare*] Scribebam de conjectura: *ipsæ In socios:* et mox: *corpora turba Involvi*, pro *Involvit:* est enim, errabant et involvebantur. Postea utrumque prius inveni expressum in scriptis. Iidem statim: *manet ille ruentum*, vel *ruentis;* non *cruentis*. Verum est: *manet ille ruentes Augustus telis;* id est, exspectat, sustinet. *Gronov.*

595 *Non aliter*] Briareum bello gigantum constat contra Jovem sensisse: sed hic *contra* sic posuit, quemadmodum Virgilius: 'Jovis cum fulmina contra me habeat.'* Contempta ab hoc etiam fulmina: videbatur enim suis sibi tantum manibus fortiter dimicare. Fabula: Terra procreavit Typhonem miræ magnitudinis, cui centum capita draconum ex humeris nata erant. Hic Jovem provocavit, ut si vellet secum de regno certaret. Quare Juppiter pectus ejus fulmine percussit: qui cum flagraret, Æthnam ei superimposuit, et ex eo dicitur ardere adhuc. Ipse etiam alio nomine Bryareus et Ægeon. De quo Virgil. 'Ægeon qualis centum cui brachia dicunt.' *Lactant.* *Geticæ Phlegræ*] Phlegra civitas Thraciæ, quam 'Pallenen' postea nominatam Eudoxus scripsit, auctore Stephano. Campi illi Gigantum pugnis celebres non alia causa in fabulam venerunt, quam quod ob fertilitatem nemo non præpotens cæteris ibi vellet habitare. Vide Strab. lib. v. Claud. in Fragmento Gigantomachiæ de Terra: 'Omnia monstrifero complebat Tartara cœtu, Invisum genitura nefas; Phlegramque retexit Tanta prole tumens, et in æthera protulit hostes.' *Barth.*

598 *Pelethroniam*] Thraciam sive Thessaliam, ut Virgilius: 'Frena Pelethronii Lapythæ.' Ipsæ enim regiones dicatæ sunt Marti. *Lactant.*

599 *At hinc lapso mutata*] Manifestum mendum: neque enim τὸ *lapso* idoneam ullam hic sententiam efficit. Tu lege indubitanter ex manuscriptis: *Lasso mutata Pyracmone.* Est hic Pyracmon, unus ex Cyclopibus, fulminis, ut poëtæ fingunt, fabricatoribus. Virgilius: 'Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro, Brontesque, Steropesque, et nudus membra Pyracmon.' Sidonius: 'spatium non Lemnius illic Ceu templum lusit Veneri, fulmenque relinquens, Hic ferrugineus fumavit sæpe Pyracmon.' *Bernart.*

600 *Obsessus*] 'Immensum' enim modo dixit. De oppugnatione hac Jovis et tandem devicto Typhœo isto sive Briareo, nomina enim ad versuum voluntatem mutant Poëtæ, multa verborum pinguedine Nonnus primis duobus Dionysiacorum libris. Is tamen ab illo monstro monstrum aliud, Neptuno, ut solita ei adscribi tradit Gellius, conficit filium, Briareum, lib. XXXIX. et XLIII. Quorum utroque loco Ægæonem Jovi in Bello Gigantæo auxiliatum canit. *Barth.*

602 *Huc illuc clypeum*] Circumspectat omnes partes, ne ab hostibus circumventus occumbat. *Lactant.*

605 *Armantque virum*] Nam ipsa tela in hostes retorquet, qui aliorum telorum impetus retunditur, cum tela impingit. Lucan. 'totæque viro dum tela ruinæ.' *Idem.* *Sæpe aspera passum*] Subolevit et hic glossema: veteres agnoscunt: *Armantque virum: sæpe aspera passus.* Quæ germana, me judice, lectio. *Bernart.*

607 *Nec mortem*] Ita fuerat vulneratus, ut mortem timere non posset. *Idem.*

609 *Minitantem bella, &c.*] Dum minitatur, ille prævenit occiditque hominem. 'Securium' et 'bipennium' arma a primis Heroibus usque Poëticis literis celebrata. Gratius in Cynegetico: 'ceciditque suis Ancæus in armis; At prædexter erat, geminisque securibus ingens.' *Barth.*

613 *Chromis*] *Chromius* et *Chromis* nomina ignota Heroicis fabulis. Unum natorum Priami, unum e septem Pterelai filiis celebrat Apollodorus. *Chromios θεοειδὴς* apud Homerum Iliad. P. *Chromis* Iliad. B. Mysorum ductor. *Chromis* puer pastoralis apud Maronem Ecl. VI. Alius Phryx perimitur a Camilla lib. XI. apud eundem. Fuit et *Chromis* unus ex Centauris. *Barth.*

617 *Impulsus*] Dicit illum furore genitum dolere: dum enim Dryope mater ejus prægnans furore bacchatur, reluctantem taurum cornibus traxit: dicit ergo, hunc non nascendi ordine procreatum, sed conatu nimio utero matris expulsum. *Lactant.*

624 *Theumesia cornus*] Thebana. Theumeson mons Thebanorum, ideo quod Tydeus Thebana hasta et spoliis hostium armatus fuerat. *Idem.*

625 *Atque illi voce repleta*] Ordo: Atque illi voce intercepta prorupto in sanguine natat repleta lingua. *Id.*

626 *Intercepta*] Ne amplius loquerentur. *Al. Scholiast.* Onomasticon Vetus; *Intercipio, ὑποτέμνομαι.* Veteres 'intercisimen' ut 'discrimen' dixisse, notat auctor maturioris Glossarii Latino-Græci, διακοπὴν interpretatus. 'Interceptum' vulgo dicebant, mortuum, conatibus suis exemtum. *Barth.*

630 *Arguerim fama*] Omnino scribendum, ut optimæ nostræ membranæ habent, conjectavitque olim Joannes Bernartius, licet libris adversantibus, *Arcuerim.* Eam lectionem agnoscunt et Scholia 'prohibuerim' et Lutat. 'privaverim' exponendo. Res est clara, nec probatione eget tam simplex veritas, etiam invitis, qui Lactantium hic culpant. *Barth.*

633 *Arctum*] Angustum. Singultibus enim angustatur latus. *Lactant.*

634 *Exhaurit*] Concavum facit, vacuat. *Vincla coërcent*] Inundatio lachrimarum galeæ vincla rumpebat. *Idem.*

635 *Multa gementi*] Cum multum gemeret a tergo percussus est, et hostili gladio corpori fratris affixus. *Idem.*

638 *Conserit*] Conjungit. *Ille oculos*] Qui prior fuerat vulneratus oculos aperuit: ut in utraque morte fratrum ambo jungerent se invicem morientes. *Idem.*

642 *Miserabile votum*] Ipsis quidem votivum erat taliter mori, amore fraterno in unam vitam unumque obitum colligatis, miserabilis tamen casus erat tantæ indolis juvenes tam atroci exitu junctos excedere. Hoc illi voverant, at erat votum miserandum. *Vet. Scholiast.*

644 *Idem ultro*] Jam ipse vult hostes insequi, a quibus ante appetebatur. *Lactant.*

645 *Vestigia retro*] Sua retro vestigia urgebat fugiendo imminente Tideo. *Idem.*

647 *Distractus*] Extensus: hic vero sub ea significatione ponendus est, ut Virgilius: 'Turbatis distractus equis.' Quamvis Cic. in Philipp. de Varronis bonis: 'Rem illam esse distractam.' Sed etiam illic ingenio legentis possumus divisam accipere. *Distractus* ergo hic ait extensis manibus, ut rogaret. *Idem.*

648 *Nitentem*] Conantem, ab eo quod est 'nitor, eris.' *Idem.*

649 *Stellis interlabentibus*] Sensus: Quæ umbræ sunt eo tempore quo stellæ labuntur. Scribendum: *quis umbræ.* Suavissime autem dictum, quia modo labuntur, modo videntur. Et 'labi' alioquin placidum siderum cursum aut incessum notat. Ut apud Maron. 'Labitur uncta vadis abies,'

Ita suavissime de iride Flacc. lib. VIII. 'Nubibus accensis similem, aut cum veste recenti Labitur ardenti Thaumantias obvia Phœbo.' *Barth.*

655 *Nihil vultum mutatus*] Nimirum, quia qui ignoscentis animum gerunt, primum frontis suæ nubilum deserenant. Lucan. 'At Cæsar facilis vultum mentemque serenus.' *Lactant.*

658 *Quid timide sequeris*] Jucunde, consolatur et terret: namque hoc pollicetur, nullos si ad bella venerint evasuros. In hac autem parte si consideres, provisum tibi est quod nunc morieris, ne graviori supplicio reserveris. *Idem.*

660 *Jam redit*] Corpore, jam revulsum telum: neque enim poterat gladium vagina recondere, nisi hoste jam perempto. *Idem.*

661 *Trieterica*] Dixerat enim ea nocte Tideum Thebas intrasse, qua Libero patri sacra celebrantur. *Lactant.* *Non hæc trieterica*] Bacchi orgia intelligit, quæ singulis trienniis celebrare mos Græciæ. Virgil. Æn. IV. 'Ubi audito stimulant trieterica Baccho Orgia.' *Bernart.*

663 *Scelerare parentes*] Id est, crudelitate sua scelestos facere: quia Bacchæ insaniunt usque adeo, ut crudelis Bacchus in illarum furore furere videatur; quia Agave homicidium nescia perpetravit: et ideo hoc Deo potius ascribitur, quam furori. *Lactant.*

664 *Nebridas*] Pelles damarum, quæ Græce νεβρίδες appellantur. Ac per hoc Baccharum indumenta significat, quibus sacrificiorum tempore uti consueverunt: ut Virgil. 'Pellibus in morem cincti.' *Idem.*

665 *Imbellem*] Ad sonitum tympani et saltationis Baccharum imbellis. *Maribusque incognita viris*] In comparatione Thebanorum. *Incognita prœlia*] Luxuriosæ saltationis, quasi hi, qui adversus se pugnaverunt, sacrorum consuetudine fuerint effœminati. *Idem.*

666 *Celenæ*] Celene Marsiæ civitas, ubi primum dicitur tibiarum usus inventus, quibus Apollinem provocare ausus est, a quo victus temeritatis suæ pœnas exolvit. Marsias enim Celeneus fuit: ut ipse infra, 'Et illustres Satyro pendente Celenæ.' *Idem.*

668 *O timidi*] Quia timidi, etiam pro paucis vos habeo. Demit illis fiduciam etiam numeri, cum audaciam demserit armorum. *Vetus Scholiast.* *Paucique*] Optimi codicis explicatio: Non magnifacere se eos indicat, et facilem etiam victoriam sibi spondere, licet vel plures essent. *Barth.*

672 *Mutatum spoliis*] Theronis sc. cujus clypeum cum perfodisset, acceperat. aut certe *Mutatum spoliis* infectum sanguine sociorum. Itaque per cruorem suum mutaverat jam colorem: ut Lucanus: 'Perdiderat vultum rabies.' *Lactantius.*

674 *Roribus*] Cruentis aspersionibus. ut Lucan. 'Sanguineis stillavit roribus arbor.' *Idem.* *Et terra morientum aspergine*] Locum hunc sanum esse, nec Catoni juranti crediderim. Veteres, cum editione principe: *et tetra morientum aspergine manant*; qua lectione nihil pote melius, nihil clarius: admisi itaque fidenter. *Bernart.*

677 *Et tabe gravata*] 'Tabes' dicitur recentis cadaveris fœtor. Lucan. 'Longusque in carcere fœtor.' et humor qui distillans cadaveribus corrumpit terram: unde Virgil. 'Et terram tabo maculant.' *Lactantius.*

680 *Tantum vacuis ferit aëra malis*] Etiam inter vorandum non destitisse iram augere ait Leonem, donec non potuit amplius masticare, sic denique malis concrepare, cum jam edere non possit, testantem animi feritatem et aviditatem, satiato jam corpore. *Vet. Sch.* *Malæ*] Dentes etiam denotant, ut apud Maron. Æn. III. 'Sed non ante datam cingetis mœnibus urbem, Quam vos dira fames,

nostræque injuria cædis Ambesas subigat malis absumere mensas.' *Barthius.*

682 *Sanguine plenus*] Sensus hic de Hom. venit: Ut tunc demum castris Dolonis Diomedes excedat, cum esset admonitus a Minerva; nam Virg. hunc sensum in Nisi et Euryali personis servavit: 'Acceleremus, ait, nam lux inimica propinquat.' *Lactant.*

685 *Caligine plenum*] Id est, nimia felicitate mentis obcæcatum. Caligine dixit, quia non prospiciebat futura pericula. *Idem.*

688 *Jam pone modum, nimiumque, &c.*] O vere Solem inter Poëtas, longe semper aciem ingenii jaculantem: imbibe, victor, nisi serio, sed sero, plorare velis. Enimvero optimi ducis officium existimandum est, posse non solum vincendi, verum etiam cedendi tempora perspicere. Ab ore aureo aureum dictum: ὅ τε ἐν πολέμῳ εὐτυχίᾳ πλεονάζων, οὐκ ἐνθύμηται θράσει ἀπίστῳ ἐπαιρόμενος. *Is qui in bello ob res secundas exsultat, non cogitat quam infida fiducia se extollat.* Ratio apud Romanæ Historiæ Principem: 'Simul parta ac sperata decora unius horæ fortuna evertere potest.' *Bernart.*

689 *Huic una fides*] Ut tantæ virtutis gloriam solus consecutus fuisse videaris. *Lactant.*

694 *Nec veritus*] Hoc dicit: Nec veritus est augur prohibere ducem, id est, Etheoclen, ne morituros tot mitteret: sed instantia morituris fata fidem auguri derogavere: ut Virgil. 'Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris.' *Idem.* *Sed fata monentem Privavere fide*] Nihil verius, nihil certius. Obnubilat siquidem, imo adimit mentem hominibus, quos punire vult, supera illa mens, et cujuscumque Deus fortunam mutare constituit, ejus consilia corrumpit. Egregie ad Papinii nostri hanc sententiam Herodotus lib. IX. Ξεῖνε, ὅ, τι δεῖ γενέσθαι ἐκ τοῦ θεοῦ, ἀμήχανον ἀποτρέψαι ἀνθρώπῳ· οὐδὲ γὰρ πιστὰ λέγουσι ἐθέλει πείθεσθαι οὐδείς. *O hospes, quod divinitus contingere debet, homo a se nulla arte dispellet: ac ne verisimilia quidem dicentibus fidem habebit.* Bernart.

700 *Circumspice muros*] Ut ad bellum repares. Ridiculum autem hoc si seriem temporum ad calculos Eusebianos velis reputare. Europa rapta ponitur circa annum mundi MMM.DCCC.LXXVII. quo, vel et sequentibus, fingamus Cadmum Thebas occupasse. Tydeus floruit cum Argonautis, ut profectum etiam scribat nonnemo, velut supra ostendimus. Argonautarum historia incidit in annum MMM.DCCCC.XXI. Ita nondum quinquaginta annis steterint hi muri, quos ævo fragiles appellat Papinius. Inertissimus ergo ædificatorum fuerit ille Phœnix, cui plurimam alioquin suæ Sapientiæ partem Græciam debere omnibus est in confesso. Paria reperies apud Chronographos alios, qui tamen ex Eusebianis fere dependent. *Barth.*

703 *In bella venimus*] Et in Romana historia hoc Porsenæ Mutius dixisse fertur, cum dextra focis imposita diceret: 'Suæ patientiæ similes viros atque virtutis a senatu plures in ejus exitium destinatos.' *Lactant.*

707 *Jam dudum oblita juventa*] Scripti: *jam longum oblita.* Recte: sic Achill. I. 'jam longum cœloque domoque gregatæ.' *Gronov.*

710 *Huic leves galeas*] In hoc consecrando secutus est Virgil. nam ille dum Marti offerret exuvias ait: 'Aptat rorantes sanguine cristas Telaque trunca virum.' *Lactant.*

715 *Ingeniumque parentis*] Bene *ingenium*, quæ de capite nata dicitur Jovis: et hoc antiqui bene figuratum esse dixerunt: ut, quia naturæ ratione prudentia omnis in capite est, Minerva, quæ sapientia Dei, nata de Jovis capite crederetur. Est vero

mysterium, quod lucis intaminata, atque armis munita virgo, de vertice Dei maximi et secreti orta dicatur. *Idem.*

716 *Horrore decoro*] Ipse quidem terror vultus pulchritudine mitigatur. Speciosus terror, pulchritudo terribilis. *Idem.*

717 *Crudescit*] Crudelior fit : zeugma ab inferioribus. *Idem.*

719 *Seu Pandionio*] Id est, Athenis. Pandion siquidem Erichthei Athenarum regis filius. Lucanus de Pallade, uti hic Noster : 'Et Pandionias quæ cuspide protegit arces.' *Bernart.*

721 *Ithone*] Civitas Bœotiæ Minervæ sacra, ut ipse ait : 'Ducit Ithoneus atque Alalchemonea Minervæ Agmina.' Bacchilides Minervam Ithoniam dicit, ab Ithone. Ergo Minervam ab oppido cognominavit, quod est in Macedonia, ubi ejus antiqua est ædes, vicina Bœotiæ, in qua regnavit Antinous, Herculis filius et Paphies. *Lactant.*

722 *Libyco Tritone*] Palus apud quam natalem Minervæ virgines celebrantes certare frequenter ludicris solebant : unde et Tritonia Pallas dicitur. Caussam expressit Apollonius Argonaut. lib. IV. 'Ηρῶσσαι Λιβύης τιμήοροι, αἵ ποτ' Ἀθήνην, Ἦμος ὅτ' ἐκ πατρὸς κεφαλῆς θόρε παμφαίνουσα, Ἀντόμεναι Τρίτωνος ἐφ' ὕδασι χυτλώσαντο. *Egregiæ Libyæ Heroinæ Pallada quondam, Cum patris e capite exiliit clarissima, parvam Laverunt Tritonis aqua sordesque puellæ.* Apollonium sequitur Poëtarum vulgus : sed Pausanias Atticis, et Herodotus Melpomene, Minervam non Jovis, sed Neptuni et Tritonidis Paludis filiam fuisse tradiderunt. Herodoti verba hæc sunt : τὴν Ἀθηναίην φασὶ Ποσειδέωνος εἶναι θυγατέρα καὶ τῆς Τριτωνίδος λίμνης. *Minervam inquiunt Neptuni fuisse filiam et Tritonidis paludis.* Bernart.

726 *Parthaonis*] Parthaon Œnei pater fuit, avus Tydei : constat Tydei genus a Marte defluere, ut idem ait. 'Marti non degenerare paterno.' Nam Meleager Martis filius fuit. *Lactant.*

727 *Pleuron*] Ætholiæ civitas prope Calydonem, Marti consecrata. Alii regionem Calydoniorum dicunt. *Martia*] Quia ibi maxime Mars colitur. *Idem.*

728 *Aurea tunc*] In media urbe ubi ædem dicavero in tantum templi altitudo tolletur, ut Ionium mare, et Echinadas insulas, Acheloumque despicias. Harum insularum Lucan. meminit, ut 'oblimat Echinadas undis :' in Acheloo enim fluvio tres insulas his nominibus natura constituit : Artemites, Agalia, Megale, Ovidii quoque carminibus celebratas. *Idem.*

734 *Arma tholis*] Omnia loca templorum, quibus aliquid figi possit, *tholos* dici recte notat Glossographus Antiquus. Qui sint *tholi* alioquin, nemo nescit ex Varrone, Servio ad Æneid. IX. aliisque Grammaticorum nepotibus. *Meo quæsita revexi Sanguine*] Nemo suspectam habuit hactenus hanc lectionem, neque libros hactenus collatos puto, qui quicquam immutarint. Patet tamen ex veterr. membranis, expressum legi *revexo*. Quæ scriptura omnino est Papinii. *Barth.*

740 *Inspectura pudorem*] *Arcanum pudorem* dicit, aut ejus simulachrum verum, id est, Palladium, quod illicitum erat cernere ; quo quidam quondam viso privatus est visu ; aut virginitatem ejus. Ergo si sic est, *inspectura* pro rimatura vel inquisitura accipitur. *Lactant.*

741 *Tu bellis, tu pace*] Bellorum potens : quod proprium est Minervæ. *Idem.*

742 *Non indignante Diana*] Semper tibi de primitiis sacrificabo, nec mihi sicut solet Diana indignabitur. Occulte historiam tangit, ubi Diana contempta in sacrificio immisit aprum, qui Calydoniam regionem vastaret. *Idem.*

THEBAIDOS LIB. III.

1 *Perfidus*] Aut quia regnum negavit, aut quia contra jus gentium legato paravit insidias. Docet enim Poëta malorum conscientiam esse pervigilem; quippe Etheocles, quamvis adhuc stellis labor superait, ut ascenso axe perveniatur ad lucem, tamen ocia non accepit. Vide Ovid. Met. II. ubi describit Invidiam: 'Pallor in ore sedet, macies in corpore toto, Nusquam recta acies, livent rubigine dentes, Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno,' &c. *Lactant.*

2 *Humentibus astris*] Astrorum exhalatio calida feriens vaporem terræ per solis absentiam, frigidam gignit rorem, unde noctem rorantem et roscidam experimur. *Schol.* Est imitatio Maronis ex Æn. IV. qui tamen cogitantius 'umbras humentes' dixit. *Barth.*

4 *Scelerisque parati*] Prima enim nostri sceleris pœna est cogitatio. ut Juvenal. 'Prima est hæc ultio, quod se Judice nemo nocens absolvitur.' Constat ergo malorum conscientiam semper esse pervigilem. *Lactant.*

8 *Animumque rependit*] Non cogitabat contra numerum tantorum unius subsistere posse virtutem. *Idem.*

9 *Num regio diversa, &c.*] Alia proficiscente Tydeo, non ea via qua ego insidiatores ire jusseram? Alia glossa: 'Tydeo et meis militibus.' Laus Tydei in eo est, quod priusquam agris solus exiret, facile suspicari potuit de periculo sibi a perfido tyranno imminente, nec minus tamen ivit. *Barth.*

10 *An sceleris data*] Id est, violatæ legationis sanctimonia: vel quod religiosum officium legati peteretur insidiis. Tertium quod suspicatur tale est: dicit quippe a finitimis civitatibus Tydeo adversus insidiantes esse subventum. *Lactant.*

13 *Et Chromis et Dorylas*] Dorylas saxo periit inter illos quos uno ictu dicit esse prostratos. Chromis inter sacra vulnere prostratus occubuit. *Idem.*

18 *Sic conserta manus*] Spuriam litteram hic adhæsisse structura orationis confirmat: legendum quippe: *Si conserta manus.* Sensus: O segnes homines, qui unum vincere nondum potuistis, si modo venistis ad manus. *Bernart.*

25 *Olenii astri*] Progressus hædorum serenus: quod sidus pluviale est in ortu, et in occasu serenum aërem facit: ut Virgil. 'Quantus ab occasu veniens pluvialibus hædis Verberat imber humum.' Sensus: Frustra navigare compulit Olenii astri purior gradus. *Lactantius.*

26 *Hyberni Jovis*] Arcadii: quod ibi fuerat capra, quæ Jovem nutriit, Amalthea. *Idem.*

27 *Inclinat Orion*] Jupiter et Neptunus cum ad Œnopionem regem in hospitium venissent, et ab eo liberaliter excepti fuissent, optionem dederunt, ut si quid vellet ab eis exposceret. Ille liberos sine conjuge postulavit: cui Neptunus et Jupiter imperarunt, ut tauri corium, quem eis immolaverat, terræ infoderet. Illi in eo urinam fecere, unde natus est Orion. Qui cum Dianæ stuprum inferre vellet, illa Terræ ope scorpionem vindicem sumpsit: quem occisum Juppiter in cœlum transtulit: simili modo et Diana vindicem suum inter sydera collocavit. Mensis ergo

Januarii tempus poëta describit, quo Orion in occasu est constitutus. *Idem.*

29 *Fert ingens*] Proprium ventorum *ferre*. Non enim aliter ferunt navigia, ubi potiti sunt, quam si quis manibus aut lacertis aliquid aliqua deportet. Senec. de Vita Beata cap. 22. 'Sic illum divitiæ exhilarant, ut navigantem secundus et ferens ventus.' *Barth.*

35 *Hyperiona ponto*] Cum primum oceano sol exit. Ex Hyperione autem Græci fabularum scriptores stulte natos esse finxerunt venerabiles Deos, Solem et Lunam, pariter et Auroram, sperantes videlicet stolidi homines suis fallaciis nativitates posse auferri ab his, qui noverunt nec mundum nec diem sine sole lunaque esse potuisse a primordiis rerum, nec tanta lumina utero fuisse gestata. Hyperiona ergo, non ut Græci fingunt Titanis filium accipiendum, sed Latina simplicitate explicandum est ambiguum Græcitatis: Hyperiona dicunt super omnia sæcula. *Lactantius.*

36 *Ima flagellatis*] Dicunt physici quod suis fixa ponderibus in aëre librata pendeat tellus, et omne grave cum pendet, si motum habeat, flagellatur: ergo terra cum in medio fuerat aëre librata motum passa est, suis flagellata ponderibus. *Idem.*

39 *Septenæque*] Portas Thebarum ostendit, quia dicitur Thebana civitas septem habere portas: unde Græcis ἑπτάπυλος dicta est. *Idem.* Vide imprimis hic Hygin. Mytholog. cap. 69. ubi nomina portarum numerata invenies.

41 *Tristis morte negata*] Heroicum animum dicit hujus viri; ignavus enim gavisus fuisset condonatam sibi vitam, qualis inter quinquaginta istos Thebanos fuit Mænætes. *Vet. Schol.*

42 *Dubiusque notari*] Tempus diei signavit et noctis, quod difficile hominis vultus ad perfectum potuisset agnosci. Sensus: Quamvis per obscurum nuncius agnosci non posset, quid tamen nunciaturus esset, manifestis agnoverant signis. *Lactantius.*

50 *Haustaque informis arena Questibus implet agros*] Respexit morem priscum; nam non Judæi solum, quod ex sacris litteris notum, sed Romani et Græci, pulvere in luctu sese adspergebant. Exempla rara apud Auctores, extant tamen. Papinius passim meminit. Lib. VI. 'sedet ipse exutus honoro Vittarum nexu genitor, squallentiaque ora Sparsus, et incultam ferali pulvere barbam.' Eodem lib. 'ipse regesta Parthenopæus humo vultumque oculosque madentes Obruit, accessit lachrymarum gratia formæ,' &c. *Bernart.*

61 *Seu quod pudet ore fateri*] Scripti omnes, *ira*, non *ore:* unde minima mutatione amicus noster, bonus ille et veteres restituere versus, et novos facere veterum similes: *pudet ire fateri.* Nec refuto, etsi blandiatur: *seu, quod rubet ira fateri.* Erubescit. Ut in Epithal. 'Cum Turno spectante rubet.' Theb. V. 'audaces rubuit mirata catervas Pallas.' Lib. XII. 'rubuit Neptunius heros Permotus lacrimis.' Sic plenius, et duplex affectus exprimitur. Alio sensu Lib. VII. 'Iræque rubentes.' Ovidius Met. VIII. 'Sæpe suum fervens oculis dabat ira ruborem.' Et hinc possis interpretari: quod irascor fateri vel indignor. 'Pudor' adeo et 'ira' sæpe communibus verbis exprimuntur, ut jam in Diatribe monuimus. *Gronov.*

63 *Vaga lumina*] Absolute stellas dicit, ut sit generaliter: aut quinque planetas Saturni, Jovis, Martis, Veneris, et Mercurii. Ceterum sol et luna non sunt stellæ, nec ex planetarum numero, sed totius mundi duces ac domini. *Lactant.*

64 *Et te mala protinus ales*] Quoniam manu sua erat periturus, ait, *mala ales*, id est, malum augurium. Quotiescunque enim ales fœminino

genere dicitur, malum portendit augurium; ut Horat. 'mala soluta navis exit alite.' Masculino autem bonum demonstrat; ut Virg. 'Namque volans fulvus Jovis ales in æthra.' *Idem.*

67 *Ignara moveri*] Quæ ab his quæ semel mortalibus statuit, moveri non possit. Ut Virg. 'Fortuna omnipotens et ineluctabile fatum.' *Idem.*

69 *Prodiga vitæ pectora*] Quemadmodum 'fortunarum prodigus' dicitur, qui patrimonium decoquit, ita et 'vitæ prodigus,' qui non terretur exitio, sed vitam prodigere vult, id est, effundere. Pectora autem dicit nil horrescentia. *Idem.*

71 *Cunctisque negatam*] Sic fecerunt ex *omnibusque*, quod in vetustis etiam reperimus, cum deberent, *ominibusque*, quod et habent optimi et erat proclive conjicere. Ex Virgilii septimo: 'Ilicet infandum cuncti contra omina bellum.' Decebat autem hoc dicere augurem, de quo præcedente libro v. 692. 'ille hæc præviderat omina doctus Aëros:' ita enim restituimus e scriptis. Hoc lib. v. 525. 'clara regione profundi Ætheros:' ubi vulgo, 'Ætheris.' Sic alibi, 'Hesperos,' 'Tityos,' et plurima ejusmodi. *Gronov.*

73 *Et consanguineo gliscis*] Non prima sua notione τὸ *gliscis* accipiendum, pro 'crescis,' sed pro 'vehementer desideras.' Papinius etiam alibi pro 'exsultat' usurpavit. lib. VIII. 'Spectat atrox hostile caput, gliscitque tepentis Lumina torva videns.' Imo pro 'sævire.' Achil. I. 'Hos ubi velle acies, et dulci gliscere ferro Dux videt.' *Bernart.*

77 *Neque enim ipse moror*] Non tanti se facere, neque dignari tyrannum vecordem sua iracundia dicit. Incaute tamen, cum jam quinquaginta animarum persecutionem indixisset, e quibus sane nolentis volentis ipsius una futura erat post excessum e vita jam proximantem. *Barth.*

79 *Non cunctator iniqui*] Quia injusta omnia poterat sine dubitatione complere. *Lactant.*

81 *Proturbare*] Ne convitia faceret in regem, aut se injuste percuteret. *Idem.*

82 *Trucis ora tyranni*] Quasi utrumque aspiciens quid esset fugiendum, quid dulcius videretur, ferrum aut tyrannus.

84 *Imperdita Tydeo*] Id est, quæ Tydeus noluisset occidere. Virgil. 'Et vos, o Graiis imperdita corpora, Teucrum.' *Idem.*

85 *Erepta fata*] In prælio paulo ante dilata. *Idem.*

87 *Te Superis, fratrique*] Ellipsis figura: deest enim, 'relinquo puniendum,' quasi festinus in vulnere orationem implere non potuerit: ut Virgil. 'Incipit effari mediaque in voce resistit.' *Idem.*

88 *Plenum capulo latus*] Mira locutio. Brevis videlicet fuerit et exiguus capulus, qui una cum gladio vulnus intraverit. Sed est, si non consideratissima, Papiniana tamen locutio. In glossatore manuscripto notatio est; 'capulo, id est, ense usque ad capulum.' Excusari tamen poterit 'capulum' pro gladio usurpans, cum 'ensem eburnum' pro eboreo capulo aut vagina ornatum posuerit Virgil. lib. XI. 'clypeumque ex ære sinistræ Alligat, atque ensem collo suspendit eburnum.' *Barth.* *Dolori pugnat*] Contra dolorem repugnat, ne putaretur sentire cum moritur. *Lactant.*

92 *Turbataque mussant Concilia*] Quam scite servitutem expressit, quæ sub Tyranno? verum sibi dici non vult, et maximum regni bonum credit, quod facta sua populus cogitur tam ferre quam laudare. Misellus! Equidem ut nunquam est obscurum quando ex veritate, quando adumbrata lætitia facta Principum celebrentur, ita invicta veritatis vis in omnium animos lumen suum emittit,

et illi ipsi qui eam opprimere nituntur, per latebras tandem quærunt. Fidem fecerit vel unus Tiberius, qui 'quoquo modo dicta' (Taciti verba sunt) 'vulgari malebat, veritatisque, cui adulatio officit, per probra saltem gnarus fieri.' Hæc crux interna, et Nemesis quæ in penetralibus hæret: at quanto gravior quæ imminet a tergo? enimvero 'Quos cogit metus Laudare, eosdem reddit inimicos metus.' Pulchra loquentes iidem in pectore prava machinantur, adulatione sibi fidem struunt, ut cum magna mercede fallant. Lubet itaque exclamare: Miser est Imperator apud quem vera reticentur. *Bernart.*

97 *Pacemque sepulchri*] Quia dixit inquietam illis fore animam, qui ferro pereunt, aut insepulti remanent. *Lactant.*

98 *Ne quicquam*] Bene *nequicquam*, quia secundum Epicurum nihil mortui sentire videntur: ut Virgilius: 'Facilis jactura sepulchri.' Quorumdam enim opinio est animas cum corporibus interire: ut Lucret. Justa hominis sepultura nihil prodest. *Idem.*

100 *Passure situm*] Oblivionis mala minime patieris. *Idem.*

102 *Sancire viam*] Viam dicit per quam, contemnendo regiam potestatem, ad libertatis insignia possimus pervenire. *Idem.*

106 *Et nemorum Dodona parens*] In Chaonia regione, quæ pars est Epiri, Dodonei Jovis templum esse dicitur, notum numinis reverentia: ubi duæ columbæ fuisse dicuntur, sedentes super duas quercus, et responsa dantes, exprimentes in mutis animalibus quid homo adorare vellet, et postea una earum transvolavit Delphos, quæ civitas est in regione Bœotiæ, juxta Parnassum montem ejusdem regionis. Ibique Delphici Apollinis oraculo opinionem paravit. Altera Hammonis Jovis templum in Africa tenuit. Dodoneum igitur fuit oraculum Jovis in Epiro, ubi de quercu columba hominibus responsa dabat. *Idem.* Videat, cui operæ Strab. lib. VII. Homer. Odyss. Ξ. Plutarch. Pyrrho et Pausan. Achaicis, Phocicis et Arcadicis. *Cyrrhæaque virgo*] Apollinis Oraculum in radicibus Parnassi montis oppido Cyrrha, a Cyrrha Nympha appellatum, cum 'Crissa' prisco nomine diceretur, et ita ab Homero vocetur: huic Circus adjacet, in quo equestres Pythiorum ludi celebrabantur. Consule Pausaniam Phocicis. *Bernart.*

109 *Elysias*] Hunc solum de Thebanis dicit Elysios promeruisse campos. Cæterum pro meritis scelerum nullam ad Elysios campos animam Thebanam pervenire. *Lactant.*

113 *Et nemus et tristis volucrum reverentia*] Aut quia mortuo exhibetur reverentia, aut quia ore prohibebantur attingere. *Idem.*

116 *Quisque suas avidi*] Ad suas quisque lachrymas, id est, quas de suis habituri sunt, et est verbum sine præpositione: ut Sall. 'radicem montis excessit.' *Idem.*

118 *Solandi studio*] Quorum licet nemo fuisset occisus, tamen solandi gratia sequebantur. *Idem.*

121 *Infames scopulos*] Aut Sphingos cædibus notos, aut quia illic a Tydeo quinquaginta confossi sunt. Ut Horatius: 'Infames scopulos Acroceraunia.' *Idem.*

124 *Accensa*] Id est, suorum cadaveribus visis. *Idem.*

126 *Luctus atrox*] Hoc totum poëtice incorporavit. *Idem.*

128 *Proclduæ*] Pæne cadentes; id est, irruentes in faciem. *Idem.*

129 *Lumina signant*] Id est, claudunt oculos mortuorum. *Idem.*

132 *Cervicibus ora reponunt*] Capita abscissa corporibus aut ex vulneribus, vel ictibus, alioquin propendentia.

133 *Vacuique in pulvere campi*] Procul ab aliis cadaveribus. *Schol. Vet.*

Res gesta descripta est supra lib. II. 682. &c. Nescio tamen cur dicantur procul a reliquis inventi, si sensus is Poëtæ. *Barth.*

134 *Magna parens juvenum*] Ibat enim ad sepulturam duorum. *Ide*] Nomen est mulieris, cujus duos filios geminos a Tydeo diximus interemptos. Ergo Græca declinatio nominativo *Ide*, hujus *Ides*. Lactant.

135 *Sublata comam*] Squalentem comam sublatam habens. *Idem.*

136 *Nec jam infelix, &c.*] Tetra facies mulieris jam non ad miseriam spectantes, sed in timorem rapiebat: sic corpus tormentis laceratum Philotæ miserationem tetro aspectu eximebat Macedonibus. Si tamen ejus exemplum est, quod memoriæ incidit. Dubito. *Barth.*

137 *Terror inest lachrymis*] Id est, præ dolore luctus cœperat esse terror. Sensus: Oblita quidem virorum fortium mater duraverat. *Lactatius.* Sed emacula ex Lindenbrogii scripto codice: 'Sexus oblita, quæ duorum virorum fortium mater diu fuerat.'

139 *Omnique in corpore plangit*] Omnia putans filiorum esse cadavera, per errorem lamentabatur per singula corpora. *Lactant.*

140 *Thessalis haud aliter*] Sic etiam in Lucan. maga videtur esse descripta, recens cadaver quærens occisi hominis. Constat enim animas eorum, qui olim defuncti fuerunt, evocari non posse. *Idem.*

141 *Cui gentile nefas*] Id est, cui proprium hoc et facile est, quia omnimodis suæ gentis est crimen, hominem revocare: ut Virgil. 'Sæpe animas imis excire sepulchris.' Ut in corpora iterum hominum redire compelleret. *Idem.*

142 *Multifida*] Multifarie fissa.

145 *Queruntur*] Id est, dolent sibi requiem tolli. *Idem.*

147 *Sub rupe*] In antro aut sub petra. Non enim peremti erant jactu saxi, sed una hasta ambo interfecti. *Schol.*

150 *Lachrymisque oculi*] Obducuntur enim oculorum visus humore lachrymarum, qui ubi profusus fuerit reddit aspectum. *Lactant.*

152 *In fine ligavit*] Memor Poëta superioris descriptionis. Ait enim: 'Fixit et in fratrem, cognataque pectora ferro Trajicit.' *Idem.*

155 *Tangere*] Æquare, contingere. *Idem.*

156 *Titulis*] Titulus est memoria bonorum factorum, qui solet superponi tumulis mortuorum. *Anteire parentes*] Nioben specialiter tangit. *Idem.*

158 *Quis steriles thalami*] Quibus thalami infœcundi. *Et non ululata Lucina*] Id est, non invocata parturientibus præ dolore. Quanto melius, inquit, cum illis agitur quæ propter sterilitatem suam non subjacent orbitati! *Idem.*

160 *Causa labor*] Mire dixit, ut liberos cum labore genuisse videatur, quos nunc cernit extinctos. Laboravi ergo ut infelix fierem. *In luce patenti*] Publice, honesto interitu, quia nocte occubuerunt, nec luce pugnantes, ubi virtus potuisset videri: alia querela, quod inglorii nocte perierunt. *Idem.*

161 *Æterna*] Quæ essent apud omnes gentes memorabilia numerandaque, qui inter paucos nec in magno prælio concidistis: aut quia nocte perempti fuistis. *Idem.*

163 *Miserandaque funera passi*] Ingenti conspiratione scripti: *numerandaque.* Nec legit aliter Lactantius, explicatque: 'qui inter paucos nec in magno prælio concidistis.' Quasi non possit et inter paucos enitescere virtus. Placet conjectura Gruteri: *mussandaque funera passi.* Quippe ut violatores juris gentium cæsi erant. Ovid. Met. III. 'Essemus miseri sine crimine, sorsque querenda, Non celanda foret.' *Gronov.*

169 *Digesta*] Id est, dispositis cadaveribus, urnisque jam condendis. *Lactant.*

170 *Clamat*] Deplorat, lamentatur. Quæ necessaria condendis jam censebant. Unde 'conclamati,' jam exurendi. *Barth.*

175 *Conscius actis*] Inter quas arbores cædem quinquaginta Thebanorum patraverat Tydeus. Conscientiam rerum multis inanimis rebus tribui, docent exemplis alibi nostræ Commentationes. Sic 'conscium ignem,' Herus Amorum. Lampadem alibi dicit Papinius lib. VI. et VIII. vs. 206.

176 *Grandior ævo*] Quo in loco Alethes ævo grandior lugentibus ante rogos suos gemitus solabatur. *Lactant.*

179 *Sæpe quidem infelix*] Hæc oratio consolationem continet, quæ constat exemplis: ut Virg. 'O passi graviora.' Dicit autem, nunquam tantam scenam infelicitatis accidisse Thebanis: et ne contra præceptum faciat, si infelicitatem carere dicat exemplo, ideo dicit unum diem posse istis cladibus comparari, quo Niobe quatuordecim filios uno momento ira numinum perdidit. Omnes enim reliquæ historiæ de Thebanorum calamitate, præcipue ex superioribus, bene jam notæ sunt. *Idem.*

182 *Unde novi fœtus*] Proprie *fœtus*, quia fœtus terræ partus est: ut Virg. 'Sic quoque mutatis requiescunt fœtibus arva.' *Idem.*

185 *Consedit*] Corruit, consumpta est. *Neque funera*] Putabat se occiso filio Learcho Athamas gloriam consecuturum, quem præ furore feram putavit. Gloriabatur ergo insana mente venationis eventu. *Idem.*

186 *De monte*] De quo Leucothea se præcipitavit in fluctum cum Palæmone. *Idem.*

188 *Hic gemitus*] Talis, qualis nunc est quinquaginta hominum clade peremptis. *Idem.*

189 *Furorem vicit*] Resipuit ad hoc solum, ut agnosceret orbitatem. *Id.*

191 *Una dies*] Prope est ut hæc infelicitas consolatione careat, si nihil unquam tale contigit: ideo subdidit exemplum: quia, ut Ovid. ait, Niobe Latonam coli vetabat, in se cupiens transferre honorem numinis, quod illam in utroque sexu liberorum fœtibus jactabat anteire se. Tantalis autem Niobe, quia Tantali fuit filia. Filii Niobes hi; Archemorus, Antehorus, Tantalus, Phædimus, Siphylos, Xenarchus, Epinites. Item filiæ; Asticratia, Pelopeia, Chloris, Cleodoxe, Ogime, Phega, Neera. *Id.*

192 *Magniloquos*] *Magniloces* optimæ membranæ. In Niobes magniloquentia pœnaque describendis seipsum vicit Ovidius, quem suspicor tamen non pauca ex Tragicis sumsisse hodie non exstantibus. *Barth.*

193 *Innumeris*] Quia innumera orbitas cinxerat matrem, ut nunc virorum fortium cæde circumvallabat orbitas civitatem. *Lactant.*

194 *Corpora tot*] Quia pro numero filiorum rogos quoque mater extruxerat. *Raperet terra*] Illa re raperet. Nam hodie quoque Niobe sic pingitur gremium conferta tot natis, dum unumquemque amplecti manibus affectat. *Idem.*

196 *Longo examine*] Id est, turba. *Idem.*

198 *Bina per ingentes*] Scite. Nam cum Thebe septem portas habuerit, ut ostendat Nioben 14. proles amisisse, dicit bina funera per singulas portas elata: sentit, ut video, cum Euripide, Ovidio, Sidonio, Seneca Tragico qui VII. filios, totidemque filias, Nioben habuisse, tradidere. Sed Homer. Iliad. ultimo, Propertius lib. II. tantum 12. fuisse. Sapho vero 19. Bachillides, et Pindarus 20. alii solum tres, testatum reliquere. Consule Agellium libro XX. cap. 61. qui dissensus et nostro aberrare manum fecit: libro siquidem

vi. non 14. uti hic, sed 12. Niobes proles agnoscit: 'quæ geminis Niobe consumpta pharetris Squallida bissenas Sypylon deduxerat urnas.' *Bernart.*

203 *Molossi*] Actæonem dicit, qui mutatus in cervum putatur, quod Dianam nudam aspexerat, et a suis dicitur canibus laniatus. *Lactant.*

205 *In subitos regina lacus*] Respexit fabulam, qua Dirce, Lyci Thebarum regis conjunx, ab Amphione et Zetho, Jovis et Antiopæ filiis, caudæ indomiti equi alligata et per terram diu rapta, tandem in sui nominis fontem conversa fingitur. *Bernart.* *Sic dura sororum*] Ideo inquit illa non fleo, quia patientius fertur, quod fato accidit. Nunc ergo quinquaginta isti regis vitio ceciderunt. Sic Cicero in Philipp. 'Multa autem impendere videntur, præter naturam et præter fatum.' Ideo et poëta describit illud fatorum fuisse, hoc non: de qua re magna quæstio est. Sed si philosophice investigemus arcana, si hæc talia tamen evenisse credamus, reperire possumus hoc magis fato factum, quod per Etheoclis insidias contigit. Quod enim deorum iracundiis extra fatum? licet enim Diis, quia ipsa fata senserunt, facere quod velint, quia humanum genus hoc vinculo ligaverunt, ut juvit suas voluntates atque licentias. Attamen si utrumque perpendas, et hoc et illud fato evenisse cognosces. Nam ut quinquaginta morerentur, per regis perfidiam contigit: et illa quæ superius facta narravit de Dyrce, de Niobe, de Pentheo, de Agave, de Actæone, etiam decreti fuisse poterimus agnoscere. Omne enim quodcunque fato moritur: ut Virgilius: 'Stat sua cuique dies.' *Lactant.*

209 *Extrema dolemus*] Sensus: Cum nondum bella commissa sint, jam timemus extrema bellorum, quæ victi pati consueverunt. *Idem.*

216 *Unde ea libertas*] Quæritis, inquit, quo vultu Alethes crimina in regem libere congerat? Videt enim sibi vitæ finem propinquum, et omne incolumitatis spacium esse translatum, et propter hoc ne moriatur ingloriua, quasi liber et constans, ut de illo hoc postea populus loquatur, optat occidi: Unde Lucanus: 'Unam spem mortis honestæ concipitis.' *Lactant.*

217 *Seræque morti*] Diu dilatæ: Vel videbatur serum ipsi per naturam mori, itaque volebat per virtutem properare ad mortem. Multi veterum sapientum summam auctoritatem ponebant in contemtu mortis. *Vet. Schol.*

221 *Bisthonas et Gethicas*] Gentes Thraciæ crudelissimæ, ob quam causam Mars esse de Thracia dicitur: ut Virg. 'Gradivumque patrem Geticis qui præsidet arvis.' *Lactant.*

223 *Fulmine cristatum*] Quod exibat de crista galeæ infinitum lumen habens; eratque galea in modum fulminis cristis ornata. *Idem.*

224 *Tristia*] Quæ quanquam essent aurea, tamen tristitia non carerent, ut esset terror in pretio. *Idem.*

226 *Æmulus*] Luci radianti par magnitudine. *Idem.*

231 *Exturbent resides frenos*] Id est, vincula legis et fœdera, quibus tenentur in pace: ut Virgil. 'Ni frenum accipere.' *Idem.*

233 *Rape cunctantes*] Excute omnia consilia et rape præcipites, quo te tua rabies præcipitat. In bello omnia vi et dolo aguntur. Ubi vis non est, ibi dolus. *Scholiast.*

246 *Arcem hanc æternam*] Inter ortum et occasum omne quod medium est, 'meridies' vocatur. Et est sedes Deorum. *Lactant.*

247 *Etiam mihi numina fontes*] Ordo: Testor Elysios fontes, qui etiam sunt mihi numina. Unde Virgil. 'Dii cujus jurare timent, et fallere numen.' *Idem.*

248 *Ipse manu Thebas*] Ut consola-

tur omnibus minatur Argivis. Constat enim timorem periculi accipere solatium, si hoc non solus quicunque patiatur. *Idem.*

260 *Vertam*] Aut in mare traham, aut diluvio conteram. *Idem.*

253 *Mortalia credas*] Sic præcepta Jovis cuncta sunt territa numina, ut crederentur mortalia. *Idem.*

262 *Jamque iter extremum*] Parte qua deficit cælum, ut Homerus : * ΠΙΕΡΙΟ ΛΟCΤΕ ΤΛCCVΝΛΙΟ ΒΕΛΟΙC ΤΕCΝCΙΟΙ· significans intervallum, quo terra separatur a cælo. Sic et 'abrupta montium' dicimus, et 'Olympi ardua.' *Idem. Quod cælum disere*] Ideo, quia apex ejus omnibus invisibilis est. Infra enim nubes sunt: ut Lucan. 'Nubes exedit Olympus.' *Idem.*

269 *Bella etiam in Thebas socero pulcherrima bella, Ipse paras*] Quis vitium non videt? Socerone Mars bella parabat? nugæ: ipse socer erat et filiam Hermionem Cadmo junxerat: quo magis miror nihil hic mutare veteres. Tu meo periculo legas licet: *Bella etiam in Thebas socer o pulcherrime, bella Ipse paras?* Bernart.

273 *Criminis hæc merces*] Adulterii scilicet: quia spreto Vulcano cum Marte concubuit. *Criminis hæc merces*] Jam nec conjugii memor est, quæ vocat crimen. Amat dolor acerbare conjugium: ut apud Virgil. hospitem appellavit Æneam Dido furore percussa: 'Cui me moribundam deseris hospes: Hoc solum nomen quoniam de conjuge restat.' *Lactant.*

274 *Lemniacæ de te meruere catenæ*] Quibus in Lemno deprehensa cum Marte vincta fuit; quamquam Veneris et Vulcani notissima fabula sit, breviter tamen exinde pauca perstringam. Postquam filiabus Solis Venus amores immisit, et singulæ exitiali morbo detentæ interiere, Vulcanus Minervæ consilio monile astu perfecit. Nam conscia factum Minerva, indicant oculi Gorgonis: quos dicit poëta in illo monili gemmis insertos. Fecit ergo monile pulcherrimum infausti ominis, quod dedit Harmione, cum Cadmo nuberet. Cujus malo omine in dracones cum marito conversa est. Deinde hoc monile Semele gestavit, quæ fulminibus Jovis assumpta est. Inde habuit Ino, quæ, a marito Athamante occiso per furorem ex filiis uno Learcho, cum alio, id est, Palæmone se præcipitavit in mare, ut mariti insequentis vitaret insaniam. Post hanc habuit Agave, et ipsa filium furore percussit. Hæ omnes filiæ Cadmi et Harmiones fuerunt. Habuit et Jocasta, quæ per errorem filio nupsit. Habuit et Argia sed Eriphilæ dedit, ut mariti proderet latebras. *Idem.*

277 *Perpetuis mihi*] Si nihil illum agere aliud velim, quam officinam mihi soli semper omnem impendere, vel Jovis fulmina omittat, et mihi inserviat, et omnes meos amasios necessariis ferrei operis rebus instruat. *Scholiast.*

280 *Tu*] Aposiopesis: ut Virg. 'Quos ego.' *Ahena*] Ærea. id est fortia. *Lactant.*

283 *Infaustisque dabat Hymenæis*] Hymenæus puer genere Atheniensis fuit. Is cum annos puerilis ætatis excederet, neque adhuc virum posset implere, ea pulchritudine præditus fuisse dicitur, ut fœminam mentiretur. Is cum unam ex civibus suis virginem nobilem adamasset, ipse mediocribus ortus parentibus, quia nuptias desperabat, quod poterat tamen, puellam extrema amoris linea diligens, satis animo solo faciebat aspectu. Cumque nobiles fœminæ cum virginibus sacra Cereris Eleusinæ celebrarent, subito adventu piratarum raptæ sunt, inter quas etiam Hymenæus: qui illo amatam fuerat subsecutus, quod puella crederetur. Cum igitur per longinqua maria prædam piratæ vexissent, ad quandam regionem tandem devoluti perveni-

unt, ibique somno oppressi ab insequentibus sunt interempti. Hymenæus relictis ibi virginibus reversus Athenas, pactus est a civibus dilectæ nuptias, si eis filias suas restituisset. Quas ubi pro voto restituit, exoptatam accepit uxorem. Quod conjugium quia felix fuerat, placuit Atheniensibus nomen nuptiis Hymenæi miscere. *Idem.*

283 *Tyrios de sanguine*] Suspecta lectio vocis *Tyrios*. In optimo exemplari vox est nihili, *Tiros*. Unde augetur vis suspicionis. Ab Adriano Behottio collati libri *Tyrio* habuere. Potest mistum genus ex Tyro, hoc est Cadmi sanguine et Thebano agro dicere. *Barth.*

286 *Jovis serie genus*] Cadmi scilicet, cujus origo hoc ordine a Jove descendit. Jovis filius Eleus, Elei Belus, Beli et Libyæ Agenor, Danaus, et Ægistus; Agenoris Cadmus; Cadmi Polydorus; Polydori Labdacius; Labdacii Laius; Laii Œdipus; Œdipi et Sinenææ Antigone, Etheocles, Polynices. *Lactantius.*

290 *Illyricas*] Ubi Cadmus fugiens infortunia Thebarum, existimans se cum loco etiam mutare fortunam, cum Harmione conjuge versi sunt in dracones in Illyrico. ut Lucan. 'Enchelïæ versi testantes funera Cadmi.' *Idem.* *Ejectat virus in herbas*] Tangit fabulam qua Harmione Veneris filia, cum Cadmo marito, in serpentem conversa fingitur. *Bernart.*

294 *Lædit in amplexu*] Stultissima lectio; quam enim gratiosum Amatorium officium, in quo *Læsio* ulla sit amati corporis? Nec Mars totus Adamante armatus sic amplecti voluerit formosissimam Venerem. In optimo lib. clare scriptum invenio, *Reddit in amplexum*. In alio est vulgata scriptura cum interpretatione: 'Quia ferrata erant brachia.' Ex qua facias: *Illigat amplexu*. Barth.

300 *Genitalia fædera Cadmi*] Lips. liber scriptus *gentilia fædera Cadmi*: probe; nam affinitatis vinculo Cadmo adstrictus Mars, uti jam diximus. *Bernart.*

302 *Prius in patrui*] Prius perdam conditionem hujus civitatis, quam aliquando mei sanguinis obliviscar. *Lactant.*

303 *Exarmatus*] Prius perdam immortalitatem, quam mei generis obliviscar. *Idem.*

304 *Supremi*] Summi: ut Terent. 'proh supreme Jupiter.' Jurejurando confirmaverat se omnium meminisse, et superest ut querenti contra Thebanos aliquid moliri, per venialem statum se excuset: dicit enim se facere, sed coactum. *Idem.*

305 *Neque enim Vulcania*] Nunquam enim ad hæc potest mitti Vulcanus. Et oportune imbecillitatem objecit mariti, ut amorem Veneris in se transferret. *Idem.*

311 *Concipe cara metus*] Id est, nolo timeas excidium Thebanorum, qui non vincentur ita, ut penitus pereant. *Idem.*

316 *Aperto*] Cœlo. *Idem.*

318 *Ira Jovis*] Fulmen. *Si quando*] Quoniam hi montes tam finguntur altissimi, ita ut inter nubes potius delitescant. *Idem.*

321 *Trisulca*] Pro quadrisulca: quia fulmen ex quatuor consistit, aqua, igni, nube, vento. *Idem.*

322 *Ditibus*] Locupletibus. Id est, fertilibus. *Idem.*

323 *Signa dare*] Ut signum det aut perituras esse fruges, aut navigantibus imminere naufragia. *Idem.*

325 *Devexa Prosymnæ*] Junonis templum notat, in Euboo monte; cujus area Prosymna dicitur, ab una ex Junonis nutricibus. Adi Pausaniam Corinthiacis. *Bernart.*

326 *Stant fulti pulvere crines*] Id est, pleni sunt. Sisennius lib. IX. 'Cœlum caligine stat.' Varro Eumenidibus: 'denique avarus Quis sanus? cui si stet terra et traditus orbis, Curando tamen ac morbo stimulatus

eodem, Ex sese ipse aliquid quærat, cogatque peculi.' Lucilius Sat. v. 'Interea stat sentibus fundus.' Pro eo quod diceres, cælum plenum est caligine, si terra plena sit, fundus plenus est sentibus. *Idem.*

328 *Rubor excitat*] Extra sua loca ducit, profert ut emineant et expressi velut videantur e capite. Laboranti capiti videmus rubore oculos testimonium dare, ut et insomniæ. *Vet. Glossæ et Scholiast.*

333 *Tumet virtus*] Omne quippe gaudium quod est nimium nostri nos immemores facit. Ideo dicit superbire virtutem: sic ut animum virtutemque transcendat. *Lactant.*

334 *Vacua*] Quod in ea solus jaceat, quasi ad gloriam suæ virtutis spectet, superato hoste pectus habere confossum: quem laus victoriæ, et victi gemitus consolatur. *Idem.*

337 *Asopon*] Fluvius est Bœotiæ. Dicit autem spacium quod inter Asopon et Argos interjacet, in bellum Tydei inflammationibus excitatum. *Idem.*

345 *Et forte verendos*] Œconomia opportuna: quippe hoc actum est occasione consilii, ne narranti Tydeo publicus deesset auditor. *Idem.*

350 *Æquum, fas*] Quia scelerati hac spe peccânt, dum sperant Deos criminum vindices non fore, unde Virgil. 'Contemptorque Deum Mezentius.' Nam sunt philosophi, qui cum videant naturæ mala necessitate res contrarias ac pessimas in mundo parari, dicunt curam humanarum rerum penitus Deos non habere, unde Virg. Epicurum secutus ait: 'Scilicet hic superis labor est, ea cura quietos Sollicitat:' aut si omnino ad Deum humanarum rerum pertinet cura, crudelis est: ut idem: 'Nec curare Deum credis mortalia quemquam.' *Idem.*

351 *Aut jura Jovis*] Quasi violatæ hospitalitatis gratia deum hospitio præsulem inviolatum esse dixisset: ut Virg. 'Juppiter, hospitibus nam te dare jura loquuntur.' *Idem.*

352 *Sauromatas avidos*] Sauromatæ ultra Pontum sunt, vicini Amazonibus. Sauromatas Sarmatas dicit, genus hominum ad omne paratissimum scelus. *Idem.*

353 *Bebryci nemoris*] Pollux cum Argonautis ad Bebryciam appulsus est, cum eum Amycus rex Bebryciorum ad cæstuum provocasset certamen (Amycus autem hanc consuetudinem semper habuit, ut insidiaretur in Bebrycio nemore, ubi siquis forte advena devolutus fuisset, ab eo cæstibus provocatus occumberet) hunc Pollux eodem certamine superatum dicitur occidisse. Hic autem Amycus Neptuni et Melies filius fuit, quem Pollucem diximus prostravisse. Cujus mortem vindicaturi cives cum Polluci instarent, Argonautæ assertuři commilitonem suum in aciem processerunt, victoriamque Bebryciorum tulerunt. Bebrycia autem Bithynia dicta est: ut Virg. ad Daretis augendum virtutis meritum, dixit: 'qui se Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat.' *Idem.*

356 *Ceu turrim validam*] Comparatio tanto bellatore digna. 'Turris' omne fortius munimentum, fortior Heros. Horatius, Achillem 'Turres Dardanas cuspide quatientem faciens,' cupresso aut pino pariter æquat. *Barth.* *Arctam compagibus urbem*] Muris valloque munitam: quia urbem dicere jactantis erat, ideo adjecit *arctam*, id est, angustam. *Lactant.*

358 *Nocte doloque viri*] Quantæ occasiones periculorum fuerint Tydeus exponit: nox, dolus, ipse inscius locus, et tam aperte vicinus. *Idem.*

360 *Vacuam*] Viris fortibus exhaustam. *Idem.*

365 *Trepidi de sedibus*] Sessum eos vocaverat, consultaturos de Republica, Rex Adrastus. Illi, tot novis rebus auditis, relictis sedibus astant trepidi. *Gloss. Ms.*

368 *Vitaque nocens*] Meliores: *vitæque nocens.* Ut lib. I. 'Fortunate animi.' Lib. IV. 'Ah miseri morum.' *Gronov.*

369 *Parabas*] Ut hujusmodi mihi parares insidias: aut certe qualis Tydeus reversus est, talis et ego ad Argos redirem. *Lactantius.*

374 *Res dextra levavit*] Nec me, inquit, tantum extollit conjugii repentina felicitas, ut nesciam quam sit durum quietos homines ad bella compellere. Hoc autem mire anticipat, ne postea ipse culpetur: alioquin nullus magis bella desiderat. Agitur quippe de ejus imperio. *Lactant.* *Nec me adeo res dextra*] Utinam omnes non a supremis labiis, sed e pectore, et ut ille ait ἐκ φρενῶν μυχοῦ, hanc sententiam usurparemus, quam belle nobiscum ageretur! vix afflavit melior quædam fortunæ aura, statim æquales, dein superiores, postremo nostras ipsi spes anteire paramus. insani, et Comici verbo 'lapide silice stultiores.' enimvero, quo 'Fortuna altius Evexit ac levavit humanas opes, Hoc se magis supprimere felices decet.' Feri et inculti homines id scivere, qui animose apud Curtium inculcant regum maximo: 'arbores magnas diu crescere, una hora extirpari.' Imbibes tu qui infida fiducia te extollis, nisi serio, sed sero plorare velis: quandoquidem non certius solem meridie lucere, quam illud Tragici: 'Sequitur superbos ultor a tergo Deus.' *Bernart.*

376 *Ullius domus*] Nolo domorum habere maledicta, si quæ fuerint viduatæ necessitate bellorum. *Lactant.*

377 *Obliquo lumine matres*] Filiorum desiderio mihi infestæ. ut Horat. 'Bellaque matribus Detestanda,' id est, quarum filii me sequantur ad bella. *Idem.*

379 *Auditus*] A me scilicet, ut obtemperans primum: hoc dicit ut intelligamus Polynicem ad Thebas ante ire voluisse, sed prohibitum se ab Adrasto queritur, ut prius legatio mitteretur. Artificiosa ergo conquestio est, quæ sic ait, ut in ultionem sui etiam nolentes ire compellat. *Idem.*

383 *Omnibus ultro*] Defectu orationis toties aperuit voluntatem. Nam dum astute repudiabat auxilia, id egit ut mereretur. *Ultro*] Bene, quia ille ingeniose noluerat, putans se ultro velle; aut *ultro* ultra accipimus: ut Virg. 'et miserescimus ultro.' *Idem.*

391 *Tantoque in sanguine*] Qui summo suo discrimine nobis tot hostes cum magna sua gloria occidit, ut merito illum gloriantem audimus. *Antiq. Schol.*

398 *Epidaurius*] Civitas in Græcia, unde Æsculapius fuisse dicitur, medicinæ artis inventor: et bene perito medico illius civitatis tribuit gloriam, a qua inventor artis ipsius dicitur sumpsisse principium. *Lactant.*

399 *Nunc velox ferro*] Non ad asperitatem retulit, sed ad bene faciendum velocitate operis, dum aliquid resecatur. *Idem.*

401 *Principia irarum*] Id est, orationis suæ libertatem, vel quæ huic ab Etheocle responsa fuerunt. *Idem.*

405 *Cui fida manu Adstupet oranti*] Ita vulgati, corrupte, ut et cæco apparet. Verum ex manuscriptis et editione principe planissime emergit severitas, *cui fida manus:* scripsisse ita Papinium non dubitabit qui rationem omnem nondum exuit aut sensum. *Bernart.*

407 *Devexo margine*] Inclinato in eam partem mundi, quæ de cœlo in oceanum mergitur; tota enim poëtica descriptio translata est de Homero. Ille enim hanc schemam in Neptuni descriptione depinxit. *Lactant.*

410 *Accurrunt Horæ*] Quasi Salia Horæ sint comites. Præterea descriptionis istius consideranda est pictura, quemadmodum diversa diversis fungantur officiis. *Idem.*

413 *Meritos*] Bene *meritos*, post laborem, s. fatigatos. *Jugales*] Equi Solis dicuntur Xanthus et Æthon: quorum nomina ponit Martial. libro octavo. Ovid. vero omnium quatuor equorum Solis nomina evidentius versibus suis demonstravit, dicens: 'Interea volucres Pyrous, Eous, et Æthon, Solis equi, quartusque Phlegon hinnitibus auras Flammiferis implent, pedibusque repagula poscunt.' *Idem.*

415 *Motusque ferarum*] Scite, quod enim in homine 'curæ,' *motus* sunt in brutis. In libris optimo aliisque alia vox est, ut censeas ex magis peregrina fuisse deturpatam *soltusque ferarum*. Nihil mutamus: τὸ *motus* quidem et Behottiani libri sollicitant. Iterum dico nihil mutandum. *Barth.*

419 *Imagine*] Occupant eum labores egregii. In somnis enim videbat ea quæ gesserat. *Lactant.*

422 *Theramnas*] Civitatis nomen est in Lycia, Apollini sacra: nec a sororis ejus religione dissentiens; ut ipse alibi, 'lassata Theramnis.' *Lactant.*

423 *Armorum tonitru ferit*] Desuper ferit, et quomodo ferit, ut non omnia pessumdederit. Fateor nunquam satis mihi probari hanc scripturam potuisse. At optime placet et vero vera est Papinii, quæ in optimo libro, *Armorum tonitru fremit*. cum nota, alios legere *furit*. Sed illud ut dixi Statii est. *Barth.*

430 *Facta infecta loqui*] Virgilius: 'Tam ficti pravique tenax, quam nuncia veri.' Omnes ergo terrores circa Martis currum fuisse poëta describit: ut Virgilius: 'Iræque insidiæque Dei comitatus aguntur.' *Lactant.*

434 *Injicit Ægæo*] Ægei fabula, patris Thesei, et apud Virgil. bene comperta est. Ex cujus nomine, quod se propter Theseum in mare præcipitaverat, id pelagus Ægæum sit appellatum. *Idem.*

438 *Tua Mycone Gyaroque revelli*] Sic quidem et apud Virgilium edunt: 'Mycone celsa Gyaroque revinxit.' Sed hic Mss. *Mycono*: est enim Μύκονος Græcis, atque inde proverbium πάνθ' ὑπὸ μίαν Μύκονον. Nec, opinor, aliter scripsit Virgilius. *Gronov.*

439 *Magnique fidem testaris alumni*] Hic enim præstitit ut ventos illa contemneret, et munere auxilii et fidei officio esset stabilis: cujus fabulæ notio apud Virgilium manifesta est. *Lactant.*

441 *Perseius heros*] Mos Poëtæ hujus est frequenter easdem personas nondum cognitis prænominibus innovare, ut nunc Adrastum significat. Perseus enim Argis regnavit, ut ipse alibi: 'Perseos alter in Argos Scinditur.' *Idem.*

443 *Generisque tumentibus angens*] Liber optimus: *angens*. An fuit *angens*? et dixit intellecto τῷ 'se,' cum et 'angor animi' dicamus? Sequenti versu meliores: *daret armis jura ferosque Gentibus incuteret stimulos*: non *novosque*. Gronovius.

452 *Amphiaraë datur*] Unus e septem ducibus hujus belli, Oiclei filius; quem tradunt rudem plane ac indoctum, cum in domo fatidica, quæ apud Phliasos est, unam noctem obdormivisset, statim divinare cœpisse. Consule Pausaniam Corinthiacis. *Bern.*

453 *Sed mente virens*] Hic Prœtidas insanientes accitus a Prœto senex purgavit. Prœtus igitur Abantis filius, rex Argivorum, inimicam felicitatis suæ habuit conjugis fœcunditatem. Tres enim sustulit filias, et ad tempus nuptiarum usque perduxit: sed incontinens virginum lingua infelicitatis edidit causas: hæ enim feruntur solemniter templum Junonis intrasse, et se prætulisse Deæ. His rebus offensa Juno in juvencas vertit puellas, et cupiditatem injecit sylvas petendi, credentes se formam induxisse vaccarum. Quod eo usque passæ sunt, donec Prœtus regni partem, si quis eas in pristinum statum mentis restituisset, proposuit habitu-

rum, et ex his conjugem. A Melampo ergo Prœtides sunt insania liberatæ: acceptamque Melampus unam ex virginibus duxit uxorem et consors regni Prœti fuit, et gener. *Lactant.* *Phœboque Melampus*] Et hic augur magni nominis. meminit inter alios Homerus Odyss. Λ. et O. Apollonius Argon. A. Theocritus Idyll. Υ. hic ille qui furentes Prœti filias veratro nigro vel albo purgasse creditur. Tu adi Strabonem lib. IX. qui de utraque Anticyra atque Elleboro agens, Grammaticorum de ea re pugnam componit. *Bernart.*

454 *Associat passus*] Id est, dedit vaticinandi scientiam; et est sensus: Dubium erat utrum Amphiarao, an Melampo pronus Apollo magis esset, vel cujus ora potius satiasset unda Cyrrhæa: hoc autem, quia nobilis uterque divinandique peritus. *Lactant.*

458 *Minitantia vena*] Divinantia exta negaverant bonum exitum futurum esse bellorum. *Idem.*

461 *Aphesanta*] Mons est Tarso Siciliæ, unde se Perseus miserat ad volandum, cum ad extinguendam Gorgonem Lybiam peteret. ἀπὸ τοῦ ἀφεῖναι Aphesanta nomen accepit. *Idem.*

463 *Temerasse*] Violasse: ut sibi vindicaret, quod homini natura non dederat. *Idem.*

464 *Pueri*] Puerili ætate nactum esse eum Equum dicit. Alii scribunt ante Perseum Bellerophontis fuisse. *Vet. Scholiast.* Pegasum navem fuisse, cujus ope multa loca adierit Perseus, suspicantur Palæphatus et Fulgentius. *Barth.*

465 *Pene secuta est*] Perseum Danaë mater: et mire temperavit sensum, et sollicitudinem caræ matris expressit. *Lactant.*

476 *Chaonias sonuisse tibi*] Epyroticas quercus dicit, in quibus sedentes columbæ sciscitatoribus futura dicebant. Virgilius: 'Atque habitæ Graiis oracula quercus.' *Aridus Hammon Invideat*] Ut Juvenal. 'Quicquid Dixerit Astrologus, credunt a fonte relatum Hammonis.' Liber cum ex India veniens in deserta et in extrema parte Libyæ teneretur, ac siti laboraret exercitus, dicitur rogasse Jovem, ut se patrem probaret. Unde ex arena subito aries apparuit, quo duce Liber aquam invenit, petitque Jovem, ut arietem in astra transferret. In eo autem loco in quo aqua fluxit templum constituit, quod Jovis Hammonis dicitur. Simulacrum autem ejus adjectis cornibus arictinis confectum est, de quo templo postea dicuntur data esse oracula. *Idem.*

478 *Niliacumque pecus*] Apin dicit taurum lunatum Isidis, qui Ægyptiis motu corporis sui et quibusdam signis futura prædicit, qui Memphis nascitur. *Idem.*

479 *Branchus*] Branchus Thessalus fuit dilectus Apollini, ut Hyacinthus, quem acriter interfectum dolens templo et sepulchro consecravit: illic Branchiades Apollo dicitur. Hic Zoamacon opinione Metrodori Perigetici condidit * ab Æthiopia usque in Libyam tria opiuata templa. *Trajanus solis in Æthiopia hoc est ter fulgentis. Quantum per ceteram terram ardet inclinare ultimo Libyæ quod Sagittario clauditur, signo esse Hammonis templum Jovis intra Æthiopas. Indi sunt enim et qui Pseudo-Æthiopæ vocantur. et Libyas ultimas esse prope Alexandriam. Branchiades, qui Jovem Branchum colunt. potest * et hæc derivatio religionum currere: quod Isthmia quæ in honorem Neptuni aguntur, finguntur Melicertia. Nam constat Melicertem ab Æthiope rege susceptum cum Bœotiam navigio Isthmos delatus esset. Nam et Archemoria in honorem Jovis celebrare volunt: credunt enim quod magnum fuerit Jovis incrementum. *Idem.*

480 *Pana Lycaonia*] De Panis fano et oraculo vide late scribentem Pausaniam Arcadicis, quem non exscri-

bo. Illud breviter et uno verbo sciat juventus, Lycaoniæ hic méntionem fieri, non Arcadiæ, quia olim magna Arcadiæ pars, seu, ut alii volunt, tota Arcadia, Lycaonia dicta fuerit. Diagon vero fluvium, a meridie in Alpheum influentem, contra Lymantum montem, Pisæum agrum ab Arcadico dividere. Unde lucém petes præcedenti versui. *Bernart.*

483 *Hic honor alitibus*] Rationem redditurus est, unde concessum sit avibus futura prædicere. Quod Virg. quasi philosophus explicat Epicureus, hic quasi Platonicus. Prima opinio est ab Hesiodo, futura prædicere, quia supernus orbis conditor chaos figuraret in semina, hanc illis potestatem concessit. *In nova semina*] Ut generatim omnia procrearent, quæ corpora, ut Epicurei testantur, inania fiunt atomorum, et mutantur, ad originem versis corporibus. Hoc physice: aiunt enim et apsin * fieri animarum in corpora; ut lectum est in Horatio: 'Nec te Pythagoræ fallunt arcana renati.' Primum enim anima ejus in Euphorbum migrasse dicitur Trojano prælio, dum de clypeo ageretur Danai de poste refixum. Secundo in Pythagoram. Tertio in pavonem. Quarto in Homerum. Quinto in Ennium poëtam. Ergo animas in quo sunt corpore eandem tenere sapientiam. Hæc autem secunda opinio est. *Lactant.*

486 *Seu purior axis*] Tertia opinio dicit aves ideo futura prædicere, quia in aëre sunt, et purissime vivunt: exinde, quia raro terris insidunt quæ sunt nefastæ. Ergo aves vera dicere illa res facit, axis purior. *Idem.*

493 *Lævusque tones*] Ad superstitionem veterum, qui auguria sinistra optima putabant, a sinendo: dextra infausta. Virgil. Æn. II. 'Vix ea fatus erat senior; subitoque fragore Intonuit lævum.' *Bernart.*

506 *Non comes obscurus tripodum*] Corvum dicit qui in tutela est Apollinis. Cur autem corvus Apollini sit dicatus hæc fabula est: Apollo, cum Coronidem gravidam fecisset, corvum ei custodem apposuit, nequis ad eam occulte temerator accederet; cum hac Lycus occulte concubuit, quem Juppiter fulmine extinxit. Ipsam Coronidem Apollo sagittis occidit, cujus mortuæ execto utero Æsculapium produxit in lucem. Unde Virgil. 'Fulmine pœnigenam Stygias detrusit ad undas.' Id est, per pœnam matris natum. Corvum autem ex albo nigrum fecit, unde lac album Homerus dicit aut in calice, aut in alio vitreo vasè missum, in sole umbram non facere. Unde lac digestum dicit. *Lactant.*

507 *Victor adest*] Corrige ex codicibus scriptis et editione principe: *Vector adest.* Tangit fabulam qua aquila fulmen ferre fingitur. Statius lib. IX. 'Utque feri vectorem fulminis albus Cum supra respexit olor.' *Bernart.* *Avis unca Minervæ*] Hujus alitis talis est fabula. Nycteus Æthiopum Rex, felix si nunquam pater fuisset, filiam habuit Nyctæam nomine, quæ, cum scelerato amore patrem diligeret, amorem suum nutrici confessa est, infandumque petivit auxilium. Ea cum mentita esset domino suo Nycteo a quadam illum extranea diligi virgine, impetravit ut filiæ suæ imprudens uteretur amplexibus. Sero illi cognitum facinus statuit vindicare. Quapropter agnitam inter ipsos amplexus filiam cum voluisset extinguere, illa Minervæ imploravit auxilium, cujus protectione periculo est erepta, versaque in avem, quæ ex conscia commissi facinoris diei fugit aspectum, et Minervæ tutelæ dicata est. Alii dicunt filiam Prœti fuisse, patrisque vim timentem aufugisse, quam Minerva mutavit in noctuam. *Lactant.*

511 *Feralia bubo*] Cum filiam suam Ceres raptam a Dite comperisset, conquesta a Jove impetravit, ut ei

filia redderetur, ita tamen si nihil apud Inferos gustavisset, et cum in eo fuisset ut matrem filia sequeretur, Ascalaphus, qui apud Inferos erat, dixit Proserpinam e pomario Ditis e mala punico gustavisse tria grana. Indignata Ceres convertit Ascalaphum in bubonem. De Proserpina vero sic ficta fabula est. Cæterum tenore philosophiæ divina anima esse signatur, quæ indicans naturæ nefariæ cogitationes * et polluens necessitate hæsit tenta infernali hoc * mundo prælibans dira vi. Qua ejus fruge, id est, cruentis epulis. Buboni autem tale studium non tam fabula, quam natura præscripsit. *Idem.*

512 *Hinc dari*] Indignatio vatis senioris in Numina, quod patiantur regnare per apertum ætherem tam diras avium cohortes, cum meliora speraverint omnia, justa, ut videbatur, causa bellum gestuari. *Vet. Schol.*

516 *Varii pater omina, &c.*] Tuli, inquit, varia omina Phœbi, ex quo omine inter reges semideos pinus duxit Thessala. Dicit autem, ex illo tempore quo cum Argonautis vectus sc. Jason Colchos petit. *Semideos reges* ait, quia filii regum omnes fuerunt, qui in illa navi impositi sunt. *Thessala pinus*] Argo, quæ in Pelio monte Thessaliæ fabricata est. Peliæ igitur Neptuni filio a sortibus præceptum erat, cum Neptuno sacrificaret, et aliquis nudo pede supervenisset, tunc ei mortem appropinquare. Is ergo cum annua sacra Neptuno faceret, Jason Æsonis filius cum venisset ad flumen, in limo unum ei calciamentum adhæsit: ille ut celerius veniret, neglexit. Cum superveniret sacrificio, Pelias aspexit, et memor sortium jussit eum arietis pellem inauratam a Colchis petere a rege Œta, qui convocata Græcorum nobilium juventute Colchos profectus est. *Lactantius.*

521 *Auditus Iasone Mopsus*] Mopsus Apollinis et Himantis filius, amicitia Jasoni fida conjunctus, divinandi peritus. Ait ergo nunc Melampus, non plus me auditus est Mopsus imminentibus cladibus cum ego futura prædicerem. In tantum enim magnus fuit Mopsus in augurandi peritia, ut post mortem ei templa dicata sint, a quorum adytis sæpe homines responsa accipiunt. *Idem.*

528 *Hac rere in imagine*] In hac imagine esse finge Thebas. Reddit causas cur pro Thebis accipi debeant cygni, quia ut Thebani muris, illi se gyro vallabant. *Idem.*

532 *Armigeras*] Significat aquilas, quæ in tutela Jovis erant. *Idem.*

533 *Concipe reges*] Finge jam, inquit, tibi Argivorum reges; septem enim reges contra Thebas conspiraverunt. *Idem.*

539 *Face solis inarsit*] Omnes aquilæ, quas pro septem ducibus interpretantur, eo genere perituræ sunt, ut ipsos duces exitium manet, ut docebimus. *Capaneus fulmine.* Inde dixit, *inarsit face*, quod ausus sit Dei contemptu arma tollere, et cum in altum sustolleret contra fas fulminatus decidit. *Idem.*

540 *Illum vestigia*] Parthenopeum significat, qui puerili ætate majora viribus suis tentando, confossus est. *Idem.*

542 *Hic hosti*] Polynicen significat, qui fratri morienti implicitus fuit. *Hunc fuga*] Adrastum dicit, qui solus evasit. *Idem.*

544 *Hic nimbo*] Hippomedontem significat fluminis perituram esse vertigine. *Hic præpete*] Tydeum dicit, qui, interfectoris sui Menalippi oblato sibi capite, cerebrum ejus dum moreretur absorbuit. *Idem.*

552 *Miseris animantibus*] Hominibus, qui fere miserrimi inter animalia super terram, cum seipsos iis rebus excruciant, quas mutare non possunt. *Vet. Scholiast.*

558 *Numerataque semina lunæ*] Si semina, propter spumam magicæ ar-

tis: si *semita*, propter obliquum circulum, quo cursus exercet: *numerata* autem, quia per numerum dierum flammarum suarum augmenta detrimentaque recipit. *Lactant.*

559 *Thessalicumque nefas*] Artem magicam dicit, quæ cadavera cogit futura prædicere. *Idem.*

560 *Scopulisque satæ*] Hujus fabulæ quod argumentum sit accipe: Jupiter cum videret humanum genus relicta innocentia vitiis se dedisse, emendaturus publicam mortalitatis pestem etiam periculo naturæ, effusione imbrium terras operuit, atque ita universum genus hominum delevit communi ruina. Habuit reverentiam pietas. Deucalion namque et Pyrrha fratres, idemque conjuges, cum illibata sanctitate meruissent numinum misericordiam, navicula vecti Delphos impositi sunt, ibique Themidis, quæ oraculo præerat, audierunt responsum, ita posse reparari humanum genus, si ossa matris post terga jactarent. Obscurata veritas errore fuit, usque dum prudentia melior oraculo fieret. Intellexerunt enim matrem terram significare, quippe rerum omnium genitricem, ossa vero lapides ejus. Unde Virgil. 'Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem.' Itaque saxa post terga jacta sunt, mirumque dictu, homines nati, atque solitudinem orbis replevit ingenium et pietas. *Idem.*

563 *Debile vulgus Scrutamur*] Inveni ubique: *nos pravum ac flebile vulgus Scrutati penitus superos.* Illud quidem frequens nostro, ut in præteritis verbum substantivum omittat quæcumque persona. Quod ostendimus ei noxæ fuisse ad Uxorem: 'ter me nitidis Albana ferentem Dona comis, sanctoque indutum Cæsaris auro Visceribus complexa tuis.' Sic enim omnes libri veteres: ubi fecerunt 'vidisti.' Sed 'complexa,' est, complexa es: ut hic *Scrutati* est, scrutati sumus. Lib. VII. 158. 'Esto, olim invitum jaculatus nubibus ignem. Credimus.' Ita membranæ, i. e. jaculatus es, vel fueris: non *jaculatum*, ut vulgo. *Gronov.*

567 *Fronte sacerdos*] Placet magis scripta lectio Lipsiani codicis, cui assentitur princeps editio: *inhonorus fronde sacerdos.* Adhæsit haud absimile mendum Appuleio, Met. II. 'Equi sudorem fronte curiose exfrico.' Nubilosa sententia: et fallit me meum augurium, an inventa veritas est? arbitror ego emaculandum: 'Equi sudorem fronde curiose effrico.' Τὸ *fronde* orationis ductus valde apprebat. Vocem 'effrico' ipse Appuleius inibi agnoscit: 'Sordium enormem eluviem effrico.' *Bernart.*

571 *Atra sede tegi*] Non admittere lucem cubilibus suis in loca tenebrosa correpere, lugentem futura pro jam factis facit, quia nempe norat, non mutari posse fatorum decreta. *Vet. Schol.*

576 *Annosaque vastant*] Id est, quæ jussa sunt implere festinant cupiditate pugnandi. *Lactant.*

583 *Horrentesque situ gladios*] Et optimi et plurimi, *Harentesque.* Nec dubitandum, quin verum sit. Intelligit enim præ rubigine non posse e vaginis educi. *Gronov.*

587 *Cortynia*] Cretensia, ut Lucan. 'Cortynia arundo tenditur in sævam,' &c. *Lactant.*

589 *Rubuere ligones*] Naturam ignis expressit, quæ facit ferrum rubescere. *Idem.*

590 *Sanctis e stirpibus*] Hic non pudebat illos de sacris lucis præfixisse lanceis hastilla. *Idem.*

597 *Contrahit*] Tanta saxa de vertice ab Encelado volvi dicit, ut mare fieri possit angustum quod Italiam a Sicilia separat: ut Lucan. 'Ne rupti repetant confinia montes.' Nam olim dicit Sall. Italiam Siciliæ junctam fuisse: sed medium spatium aut propter humilitatem abruptum est, aut propter angustiam scissum, aut

dum curvum sit facit natura mollioris Italiæ, in quam altitudo et asperitas Siciliæ æstum relidit. *Idem.*

598 *Capaneus*] Et hic unus ex septem ducibus hujus Thebani belli, Hipponoi filius, qui fulmine in oppugnatione urbis occisus fingitur. Late Statius lib. XI. et Pausanias Bœoticis. Fabulæ causam dedit, quod is primus fuerit, qui hostium muros, scalis admotis, voluit conscendere, et in ipsa oppugnatione ictu lapidis fuit oppressus. Euripides: Ἐκεῖνος (Capaneus) ἑπτὰ προσβάσεις τεκμαίρεται Πύργων, ἄνω τε καὶ κάτω τείχη μετρῶν. Vegetius lib. IV. 'Qui scalis in obsidione urbium utuntur, frequenter periculum sustinent exemplo Capanei, a quo primum scalarum propugnatio [lego, *oppugnatio*] perhibetur inventa: qui tanta mole lapidum fuit obrutus a Thebanis, ut fulminibus dicatur extinctus.' *Bernart.*

603 *Modo suaserit ira*] Quod si iratus esse posset, vitam summa facilitate contemneret. *Lactant.*

604 *Pholoë*] Mons Thessaliæ. Talis ergo erat, quales gigantes aliquando fuerunt: magnitudinem ejus ex gigantibus comparavit, et Cyclopibus, de locis quibus fuerunt notans: ut Virgilius: 'Cernimus Ætnæas.' *Idem.*

607 *Ignavia clamat*] Virgilius: 'Quæ tanta animis ignavia venit.' *Idem.*

615 *Mihi numen et ensis*] Totum hoc ex Virgiliana sede de Capaneo ponit. Ait enim ille: 'Dextra mihi Deus et telum quod missile libro.' *Idem.*

617 *Quæ tanta potestas*] Quæ illi præstatur ut futura cognoscat. *Idem.*

618 *Experiar*] Protrahendo Vatem, et eum interficiendo. *Vet. Schol.* In optimo Codice *hac*, non *huc*, legitur superiori versu. Heroicum, quod ait Homer. Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνασθαι περὶ πάτρης. Vide notata Dausqueio ad Silii lib. v. *Barth.*

619 *Tandem prorumpit adactus*] Nihil est, quod improbet membranarum: *tandem prorumpere adactus.* Intelligitur enim, ut frequentissime, hæc effatur. *Gronov.*

621 *Non equidem effreno*] Non me timor aut terror furiosi juvenis de secreto agit ad publicum, sed amor civium et cura reipublicæ. Ordo talis: Non elicior tenebris dictorum metu, et juvenis profani effero clamore commotus. *Lactant.*

623 *Alio mihi debita fato*] Jam cœpit pericula sua promere, ab exitu suo inchoans, quoniam hiatu terræ se cognovere periturum. *Idem.*

624 *Petitumque dari*] Mihi nimirum mortem. Noverat quomodo esset moriturus. Et describitur sequentibus a Statio. Qua descriptione dicunt meliorem non exstare apud Statium. *Vet. Scholiast.*

632 *Omina curæ*] Non timori sunt vobis Deorum responsa, quia improspera sunt. *Lactant.*

633 *Quid me Persei*] Aphesantem significat montem, in quo auguria captaverat: de hoc enim Perseus primum volavit, quando ad caput Gorgonis auferendum profectus est. Dicit ergo nunc Amphiaraus, si hoc facturi eratis, quod furor suadet, cur me augurandi causa sollicite misistis ad montem? *Idem.*

636 *Quæ fati exordia cunctis*] Veteres omnes præter Busl. *quæ prima*; unde prope est ut credam scribendum: *quæ priva exordia cunctis:* ut sensus sit: Quæ singularia exordia cunctis. *Priva* vetuste quæ nobis 'singularia.' Lucretius lib. III. 'Quod si forte animas extrinsecus insinuari Vermibus, et privas in corpora posse venire Credis.' Lucilius Sat. I. 'Ad cœnam adducam, et primum hisce abdomina thynni Advenientibus priva dabo.' Idem: 'Culcitulæ accedunt privæ centonibus binis.' Vellem vocem hanc restitutam Appuleio Met.

II. 'Sunt, aio, prima hujusce divinationis experimenta: nec mirum.' Cui rei hic τὸ *prima*? si attendas sententiam turbare videbis, et scripsisse Appuleium: 'Sunt, aio, priva.' *Bernart.*

641 *Divumque*] Aut propter Venerem aut Junonem: quarum altera Thebanis, altera timebat Argivis: aut omnium, quia Capaneus animos erat elaturus in cœlum. Ut Lucan. Iliacon. 'Atque Helenæ timuisse Deos.' *Lactant.*

645 *Novalia Cadmi*] Thebanos campos significat, quibus olim seminante Cadmo dentes draconis, seges nata est armatorum. Proprie ergo dixit, *novalia*, arborum loca, quæ annis singulis situ servantur ad semina jacienda. Virgilius: 'Impius hæc tam culta novalia miles habebit.' *Idem.*

647 *Ibimus*] Id est, in bellum: mire hoc vult futurorum necessitatem compleri, ne quid furori suo Capaneus assignet. *Idem.*

650 *Nonnunquam Tyrrhenus*] Reposui ex veteribus, structura orationis flagitante: *Et tua non unquam.* Mens: Ita nunquam tubam audias. Tyrrheni tubam invenerunt, et ideo dixit: Tyrrhenus clangor. *Bernart.*

652 *Natoque domoque*] Filio Alcmæone. *Gloss. Manuscr.* Fuit hoc nomine filius Amphiarao. Vide Higin. cap. 73. Fuit hic Alcmæon postea Epigonorum Thebis evertendis dux, et multa fortiter egit, habuitque fratrem Amphilochum. Vide Apollodor. lib. III.

657 *Hæc pacem serta*] Quæ Amphiaraus gerebat in capite. *Lactant.*

658 *Abstrusaque semina*] Ut sacrilegus dicit: quia quæcunque eveniunt, mundi vertigine, non numinum dispositionibus fiunt. *Idem.*

659 *Eliciunt*] Revera quicquid loqueris fatum est. Aut tuo arbitrio fata disponis. *Miseret Superum*] Totum hoc secundum Epicurum dicit poëta. Ait enim Lucret. 'Omnis enim Divum pro se natura necesse est Immortale quidem votum prece summa fruatur, Semota a nostris rebus disjunctaque longe, ... Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.' Et Virgilius: 'Scilicet is superis labor est, ea cura quietos Sollicitat.' Miseri, inquit, Dii sunt, si tuis precibus moventur, ad prædicanda futura mortalibus. *Idem.*

661 *Primus in orbe*] Negat Deos ulla alia re celebrari, nisi timore mortalium: ut Lucan. 'Quæ finxere timent.' Et Petronius Arbiter istum (Lucanum) secutus: 'primus in orbe Deos fecit timor.' Sic et Mintanor musicus: 'Deum doloris quem prima compunctio Humani finxit generis.' *Idem.*

663 *Galeis*] Poculum enim militis galea est, ut Lucan. 'Concitus ira Excussit galeam, suffecitque omnibus unda.' *Idem.*

665 *Ventisque*] Quia solent augures ventorum flatibus futura cognoscere. *Idem.*

666 *Proferre diem*] Dilationem bello dare, ut Terent. 'Saltem aliquo ad proferendum proficiscar dies.' *Idem.*

667 *Aberit clementia Phœbi*] Magis ex vero et decoro, si personam Capanei contemptoris Deorum respicias, scripta lectio: *aberit dementia Phœbi.* Nec dubium mihi fit quin Papinius ita scripserit. *Bernart.*

670 *Subtervolat astra*] Hinc inde per cœlum et usque ad astrorum sedem spargitur. *Scholiast.* Omnino eleganti expositione. Tangere enim pene dicit, et sic subtervolare. Sic *subtexere astra* dicuntur globi volucrum, demunt eorum aspectum, qui initio libri IX. Quod de fumo etiam Virgil. lib. III. 'intremere omnem Murmure Trinacriam, et cœlum subtexere fumo.' *Barth.*

672 *Flumina*] Nam Favonii flatu solutæ nives addunt fluminibus incrementa: ut Lucan. 'Aut nunc sole nives, nunc imbre solutæ Præcipitant.' *Concreto frigore*] Diffinitio ni-

vium. Quid est nix? concretum frigus. *Lactant.*

683 *Thessandrum*] Hic enim Thessandrus Sthenelusque duces, Polynicis et Capanei filii. *Lactant.* Hic Thessandrus post ad Thebas evertendas dux fuit. Lege Herois hujus res apud Pausan. Diodor. Apollod. Higin. &c.

685 *Ad Oceanum*] Quia Arctos Oceano non immergitur, positione cursus spheræ circularis. * o. i. a. d. o. a. m. o. p. a. c. e. &. * ιλοιτοον αυαντ. Sed fabulas, quæ in septentrionem sunt fictæ a Græcis contra veri propositum, edisseramus. Calysto, Lycaonis Arcadiæ regis filiam, in comitatu Dianæ Jupiter cum vidisset, in amorem ejus incidit, nactusque a reliquis segregatam nymphis in Dianam mutatus, seductamque compressit, et gravidam fecit. Cujus cum crimen crescens uterus proderet, indignata Diana comitatu suo eam repulit: quæ exactis decem mensibus enixa est parvulum, qui Arcas cognominatus est. Indignata Juno quod pellex sua ex Jove etiam mater esset, Calysto vertit in ursam. Cujus filius Arcas, cum esset in adultam productus ætatem, imprudens in matrem incidit, ursamque credens misso telo eam perimere voluit. Non sustinens Juppiter ignorantem parricidium perpetrare, statim eos inter sydera retulit. Ille Arcturus, et alio nomine Arctophylax vocatur. Illa Ἄρκτος μείζων, Latine Septentrio major appellatur. Quod signum loco* non movetur, neque mergitur. Thetis enim, uxor Oceani, nutrix Junonis fuit, quæ propter affectum nutritæ eam prohibet in Oceanum cadere: unde Virgil. 'Arctos Oceani metuentes æquore tingi.' *Lactant.*

687 *Mæsto sine conjuge*] Melius legitur in libro: *mæsta et sine conjuge.* Properans autem vocem omittit Poëta, 'dixit' scil. Omnia autem ex fastu majorum et Adrastum longe intervallo secutorum fingit Papinius, cum constet ex ipso poëta, longe aliam pauperum illorum temporum principumque fuisse rationem. *Barth.*

692 *Gemituque profundo*] Esset, suspiritu alte ducto. Meliores tamen et multi, *propinquo.* Quod videtur delicatius, insinuatque merito frangi eam et molliri, nec durare ulterius posse, cui tam vicini gemitus nihil quietis concedant. *Gronov.*

693 *Tigridis horror*] Totum Virgilianum amantis expressit affectum. Dido enim, ut Æneæ exprobraret duriciam cordis, ait: 'Sed duris genuit te cautibus horrens Caucasus.' *Lactant.*

697 *Aspice prolem*] Thessandrum dicit, qui patietur puderis ignominiam, si dicatur exulis filius. Virgil. 'Idem ego nate tuum violavi crimine nomen, Pulsus ob invidiam regno.' *Lactant.*

700 *Quem dixit Apollo*] Id est, quem oracula tibi generum per portenta dixerant. *Lactant.*

705 *Quantus amor causæ*] Suspectum mihi hic τὸ *causæ*, et profecto, si considerationis oculum propius admoveris, nullam idoneam sententiam videbis: libri non mutant: videtur tamen corrigendum, *quantus amor castæ.* Bernart.

710 *Iterum fortasse*] In altero cod. est *iterum*, id est, ne permittas eum ire, pro quo nunc supplico ut adjuvetur ejus iter. *Humenti vultu*] Et ipse lacrimans in lacrimas in vultu filiæ offendens. *Vet. Expos.*

714 *Sed mihi multa Dei*] Ordo: Sed mihi multa Dei subjiciunt animo. *Lactant.*

717 *Nata modus*] Eleganter religiosus pater sollicitæ filiæ belli pollicetur affectum. *Idem.*

719 *Dura moræ*] Nec damnum putes utiles moras. Ipsa enim tarditate bellum perficitur, ut Lucan. 'Sæpe mora melior.' *Idem.*

THEBAIDOS LIB. IV.

1 *Zephyris laxaverat*] Eleganter, quia hyeme liquentia solidantur: ut Virgil. 'Nam frigore mella Cogit hyems, eademque calor liquefacta remittit.' Item 'cæduntque securibus humida vina.' Quæ omnia resolvit verna temperies. *Annum* ergo pro parte anni, per quam hyemem poëta significat. Ut Virgil. 'Et Zephyro putris se gleba resolvit.' *Lactant.*

2 *Phœbus*] Id est, tertius annus ex emisso pacto fratrum: primus enim fuit quo imperavit Etheocles; secundus in quo conventus est a Tydeo, ut redderet regnum; quo anno itus ac reditus Tydei consumptus est; tertius a quo incipitur bellum. *Idem.*

5 *De vertice Larissæo*] Arx Argivorum, Larissa dicta a Pelasgi filia, in qua fanum Minervæ fuit, variis signis exornatum, et imprimis simulachro Jovis nobile: enimvero hic ille Jupiter qui in Priami regia sub Divo positus, et ad cujus aram, capto Ilio, Priamus confugisse, et a Pyrrho occisus scribitur: obtigit vero in divisione prædæ Sthenelo Capanei filio, et hoc ipso in loco, ab eo, in rei memoriam est dicatus. Quod ideo noto, quia simulachrum hoc duos oculos habebat, qua in parte eos homini Deus locavit, tertium vero in fronte. author Agatharcides Asiaticis, et Pausanias Corinthiacis, qui et causam reddit, dignam certe ut hic transcribatur. Verba hæc sunt: 'Habere autem tres oculos idcirco conjicere quis possit, quod communis omnium hominum sermo regnare in cælo Jovem prædicat. Sed et eum Deum, qui sub terra imperare dicitur, Homeri quidam versus Jovem nominat: 'Jupiter infernus simul et Proserpina Diva.' Æschylus quidem, Euphronis filius, ipsum maris etiam regem Jovem appellat. quare hac ductus ratione, quicumque illum fecit, tres ei oculos attribuit, unum et eundem significans Deum tribus, quas Dii tres sortiti inter se dicuntur, mundi partibus imperare.' Hæc ille, Christiana fide destitutus, Christianæ religioni convenientissima tradit. *Bernart.*

6 *Ostendit Bellona facem*] Capio Poëtæ mentem: non abs re tamen fuerit monere, occasione tam hujus arcis, quam facis, Lyncem, cum de quinquaginta Ægypti filiis unus esset necis periculo liberatus, ad Lyrceum oppidum confugisse, atque hinc face prolata, signum Hypermnestræ dedisse: ipsam etiam vicissim, a Larissa, protulisse facem, quo et se ostenderet salvam, eamque ob causam Argivos quotannis 'festum facularum' solitos celebrare. Pausanias Corinthiacis. *Idem.* *Dextraque trabalem*] Mos indicendi belli projecta sc. hasta. Vide Servium ad init. Æneid. x. *Trabalem* vero ingentem, ut *clavi trabales* tormenti genus, ingentes, quibus fixum ægre quid revelli possit. Vid. Scholiast. ad Horat. Od. I. 35.

15 *Simulat sperare*] Cum metu futuri mali sacerdos ipse palleret, populis tamen propicios Deos esse fingebat, ne animus virorum fortium minueretur; quia ne armati adversum omen accipiant, prospera pro terribilibus nunciat. *Lactant.*

19 *Triste*] Pro 'tristiter,' nomen pro adverbio. *Idem.* *Ab armis*] Id est, ab humeris et brachiis. *Armi* enim utrumque sunt simul. *Suspiranda*

domus est sua cuique flebilis familia, suspirans nempe ob obitum patrum familias. *Barth.*

20 *Suspiranda domus*] 'Domum' pro familia; *suspiranda* pro desiderabili posuit: id est, omnes armati domus suæ dulcedine tangebantur. *Lactant.*

21 *Deducere conos*] Inclinare apices galearum. *Idem.*

26 *Hæret amica manus*] In ancipiti pietas constituta, quid potius faceret ignorabat. *Idem.*

27 *Oscula turbant*] Per oscula fletus fiebat, qui turbabat oculos. *Idem.*

31 *De rupe salutant*] Vale illis dicunt, et ut bene navigent optant. Est ergo 'salutare' etiam abeuntibus vale dicere. *Idem.*

34 *Regina sonori*] Perspicue rectum: et ita in manuscriptis et editione principe reperi. Vulgati infacete; *nemoris regina sorori*. Bernart.

37 *Sublata molire lyra*] Heroicum jam ardorem innectens remissa lyra commemorat. *Lactant.*

38 *Mens hausto de*] Quia illic tu donas eloquia. *Idem.*

39 *Pondere curarum*] Sollicitudinum turba circa finem vitæ jam positus. *Idem.*

41 *Contentus ferro*] Gladio tantummodo incedebat præcinctus, aut propter senectutem, ne armis gravaretur, aut propter potestatem, quæ munimini ejus poterat sola sufficere. *Idem.*

43 *Luctatur Arion*] Equus hic Adrasti, cujus in posterum frequens fiet mentio. Poëtæ de eo varia tradidere. Nonnulli ex terra ortum asserunt. Vide Antimachi Thebaida. Alii ab ipso Neptuno procreatum volunt, et huc trahunt illud Homeri: Οὐδ' εἴκεν μετόπισθεν Ἀρίονα δῖον ἐλαύνει· Ἀδρήστου ταχὺν ἵππον, ὃς ἐκ θεόφιν γένος ἦεν. Virgilius Georg. I. pugnantes sententias componere videtur, dum ait: 'tuque o cui prima frementem Fudit equum, magno tellus percussa tridenti Neptune.' Si modo Arionem hunc intelligit, et prodiisse vult in certamine hoc cum Pallade. Noster Papinius libro VI. nihil nisi domitum a Neptuno scribit: 'Ducitur ante alios rutilæ manifestus Arion Igne jubæ. Neptunus equo (si certa priorum Fama patet) primus teneris læsisse lupatis Ora, et littoreo domitasse in pulvere fertur.' Sed de his plus satis. Tu, si otium tibi, adi Pausaniam Arcadicis. *Bernart.*

45 *Phyllus*] Arcadiæ est regio, quam Græci Phyllalian vocant, quam pecorosam ferunt, quod egregio abundet pecore, unde fuit Nestor. Hinc Persius: 'Findor, ut Arcadiæ pecuaria rudere credas.' *Idem.*

46 *Spumantem valle Charadrum*] Fluvius Achaiæ, quo (Pausania teste) quæ verno tempore potarunt pecudes, mares gignere creduntur fœtuum partem maximam. *Bernart.*

47 *Turritæ mole Cleonæ*] Media inter Corinthum et Argos urbs, a Cleone Pelopis filia, seu, ut alii volunt, Asopi filia appellata. Adjacet huic urbi Leonis Nemei, ab Hercule interfecti, specus: quare et idem Leo a Poëtis Cleonæus dicitur. Lucanus: 'Ille Cleonæi projecit terga Leonis.' Statius lib. I. 'Illius in speciem quem per Theumesia Tempe Amphitryoniades fractum juvenilibus armis Ante Cleonæi vestitur prælia monstri.' *Bernart.*

48 *Et Lacedæmonium Thyre lectura*] Historia talis est: Thyre civitas, hujus populi duo quondam bello inter se dissentientes, Lacedæmones et Argivi, et Lacedæmoniorum dux Othriades, cum ejus exercitus jam prope victor esset, tamen gravi vulnere jaceret, excepto antequam totam animam exhalaret sanguine, trophæa jussit attolli. quibus digito sanguine oblito hæc scripsit: κατὰ * aptron e prata λογιον: hoc est, quod dixit: *Lacedæmonium Thyre lectura cruorem.* Sive quia apud Lacedæmonios verbe-

rum et plagarum habebatur certamen, propter hoc dixit: *Lacedæmonium lectura cruorem.* Lactant. Vide Stobæum serm. de Fortitud. et Plut. in Parall.

49 *Transmissi ab origine reges*] Quam multi reges Drepani scopulos et Sicyonis culta serunt? Parvulum mendum omnes scriptos editosque libros infestat. Lege: *transmissi ab origine regis.* Nimirum Adrasti. Lib. II. 'Quis te solio Sicyonis avitæ Excitum infrenos componere legibus Argos Nesciat?' *Gronov.*

50 *Sicyonis*] Corinthi municipium olivis fertile. Hanc autem primum Adrastus civitatem regnando possedit, ut ipse in secundo libro testatur. *Lactant.*

51 *Langia tacenti*] Id est, quos Langia palus lambit. *Idem.*

52 *Helissos*] Fluvius Atticæ regionis. Hunc igitur ita vocant: tractum nomen a flexibus, qui fertur ex Cocyto fluvio Inferorum undarum augmenta percipere. Vel in isto dicuntur Furiæ solitæ morari. *Idem.*

57 *Seu tecta Mycenis*] Forte scripsit, *Mycenes.* Homero Σπάρτη καὶ εὐρυάγυια Μυκήνη. Silio: 'Agamemnoniam gratissima tecta Mycenen.' *Gronov.*

59 *Ephyre*] Ipsa est quæ Corinthion, quæ Dyrrachium, in qua mater Palæmonis colitur: huic templum civitas prima Ephyre dedit, quia de Scyradibus petris se Ino, uxor Athamantis, præcipitavit in mare: et cum corpus filii Melicertæ Corinthum fuisset appulsum, de habitu contemplati regis fuisse filium, humaverunt. Cui humato institutum fertur lustrale certamen, quod 'Isthmicum' vocant, ut quidam volunt. Ita est solata Ephyre matris querelas. Est autem Corinthi civitas. *Cenchreus,* portus est Corinthi. *Lactant.*

61 *Gorgoneo percussus*] Equo Pegaso, cujus ungula percussus locus fontem effudit, qui Hippocrenes dicitur. Hoc enim fonte qui labra proluerit poëta fiet: ideo *vatum conscium* dixit. Pegasus autem, Neptuni et Medusæ Gorgonis filius, volare solitus, cum venisset in montem Heliconem, qui est in Bœotia, ungula loco quem percusserat, fontem inde excussit. Hoc dicit servare vatibus carmina. *Idem.*

62 *Isthmos*] Achaiæ mons, qui Ægeum mare dividit ab Ionio. Ideo autem dixit, *Maria inclinata repellit,* quod Achaiam, in qua pater regnavit Pelops, duo maria circundant, adeo ut insulam faciant, nisi utrumque pelagus objectus Isthmos interjaceret. *Idem.*

64 *Pars gesa*] 'Gesa, hastæ viriles. Nam et fortes viros Galli gesos vocant.' Serv. ad Æneid. VIII. Suntne et 'fœmineæ hastæ?' Sed vir quandoque Heroëm notat. e Gallico apparatu vox. Claud. Stilic. II. 'cum flava repexo Gallia crine ferox, evinctaque torque decoro, Binaque Gesa tenens.' *Barth.*

66 *Neque sanguis*] Ordo: Alii robora flammis indurata pro telis habent; nam quia non ipsis unus sanguis aut origo fuit, ideo dissimilia arma gestabant. *Lactant.*

70 *Jam lassa cervice*] Veteres *jam laxa cervice,* quod non displicet. Sensus: Cervice non pingui, sed macie et pendenti pelle deformi. *Bernart.*

74 *Dyrcæus*] Gener Polynices est, de fonte Bœotiæ sic nominatus, qui ex Dyrcæo funere, cujus corpus juxta eum qui taurum traxit inventum est. Inde nomen accepit. Polynicen ergo 'Dyrcæum' appellat, propter quem ab omnibus populis prodiebatur ad bellum. *Lactantius.*

78 *Aucta fides*] In quibus est fides aucta calamitatibus, quia misericordia commoti sunt. Sive quibus præcipuum erat potentes immutare. *Idem.*

81 *Ægion Aranenque*] Scripti Codices et quidem bene *Ægion Arenenque*; Arene siquidem Messeniæ urbs,

condita ab Aphareo, filio Corphones, Persei filiæ, qui ei ab uxore sua Arena nomen imposuit, ut Pausanias Messenicis tradit. *Bernart.* *Theseia Trœzen*] Thessaliæ civitas, quam Theseiam dicit, quod Theseus Trœzenæ civitatis iter obsessum a latronibus liberum præstitisset; vel quia Theseus Æthræ filius in hac urbe natus est. *Lactant.*

84 *Debitus hospes*] Fatis vel responso Apollinis debitus. *Idem.*

86 *Theumesius leo*] Pellis leonina, quam gestaverat cum aulam Adrasti de nocte veniret. *Vet. Scholiast.* De Theumesio leone in Herculis Fabulis omnia nota. Causam gestati leonis Adrasto percontanti ipse Polynices reddit apud Higinum c. 69. Vide et Plutarchum Theseo.

94 *Integer artus*] Integros artus habens post vulnerum curationem. Dicit ergo Tydeum audito tubarum sonitu nondum curatis vulneribus, tanquam integro corpore ad bellum prodiisse, cujus arma ita ut verno tempore anguis lubricus splendore radiabant. *Lactant.*

97 *Squallentibus annis*] Quia deposita pelle dicuntur serpentes in juventutem redire: herba quædam dicitur marathros, quam cum comederint, senium deponunt ætatis. *Idem.*

103 *Meleagria Pleuron*] Civitas Bœotiæ; in qua sorores, dum fratrem flerent, in aves versæ sunt, quæ hodie 'meleagrides' vocantur. Causa enim hæc istis fletus fuit, cum Althea mater Meleagri titionem fatalem combussit, dum vindictam Pleuxippi et Agenoris quærit, quos Meleager occiderat: quo facto ipsa post tantum nefas merito laqueo gulam fregit exosa lucis. Secuta est luctum alia calamitas. Nam Meleagri germanæ in tantum fratrem fleverunt, ut Deorum misericordia in aves verterentur. *Idem.*

105 *Olenos*]. Arcadiæ civitas, in qua Jovem Amalthæa capra dicitur nutrisse, quæ in cultum Jovis Idam non provocat montem Cretæ, in quo Juppiter colitur. Contendit autem ut Jovem suum alumnum vindicet. *Idem.*

106 *Turpatus*] Palæstræ arte superatus, ut Ovid. ait. Qui verius, hunc dicunt fluvium ante invium ab Hercule in fossam deductum vires amisisse: ut Lucanus ait: 'Et scisso gurgite rivus dat pœnas majoris aquæ.' Achelous fluvius Deianiram, Œnei regis Œtholiæ filiam, in conjugium petit, eo tempore prædictam etiam Hercules postulabat, accepta lege ab Œneo ut qui virtute superasset, ipse eam acciperet: congressi in certamine cum vinceretur Achelous, mutatus est initio in juvenem, mox in draconem, tertio in fluvium, qui per Œtholiam fluens labitur in Arcadiam, ad ultimum convertit se in taurum. Hercules autem dicens se etiam tauros domuisse, cornu illius fregit, quod descendens ad Inferos Cerberum rapturus secum tulit. Illud Nymphæ omnibus bonis repleverunt, datumque est Copiæ, quæ est ministra Fortunæ. Unde in Boëtio legitur, 'copia pleno cornu.' Hoc ideo fingitur, quoniam fortuna ditissima est omnium, et divites multos facit, cum pleno cornu: quoniam sicut cornu carnem exuberat et supercrescit, ita divitiæ foris stipant hominem. In cornu etiam virtus est animalium: et fortunæ vires in divitiis sunt, quibus multos ad se pertrahit. *Idem.*

109 *Ægrescunt*] Dicitur Achelous duobus alveis fluxisse, cui Hercules unum clausit. Ideoque dicitur cornu truncatus. Hoc etiam sciens poëta aliud agens occulte tetigit dicens: *anhelantes ægrescunt pulvere ripæ.* 'Mœrentem' ergo tristem dixit. *Id.*

110 *Æratæ crates*] Ære seu ferro obductæ. *Vet. Scholiast.* Quæ mens fuit dubia tamen doctissimo etiam Lipsio de Militia Romana lib. III. cap.

6. Certe non alius quam de 'ligneis cratibus laminis ferreis obductis,' Papinio, pro illo videlicet ævo, armaturæ ad talia solidioris nondum vulgato usu. *Barth.*

116 *Major at inde*] Transitus ad Hippomedontem: magna arte et varietate sermonis primo copiæ, deinde describitur dux. *Lynce*] Fluvius Ætholiæ. *Lactant.* *Qui ripas, Lincæe, tuas*] Scripti, *Lichie*, aut *Litie*, aut *Lircie*. Scribendum, *Lyrcie*. Strabo testatur Inachum fluvium habere τὰς πηγὰς ἐκ Λυρκείου τοῦ κατὰ τὴν Κυνουρίαν ὄρους τῆς Ἀρκαδίας. Ovidius Met. I. de Io: 'jam pascua Lernæ, Consitaque arboribus Lyrcea reliquerat arva.' Inde haud dubie et huic amni nomen. Memorat et infra in eadem vicinitate Inachi: 'aret Lyrcius et ingens Inachus.' *Gronov.*

119 *Inache*] Fluvius est maximus in Græcia, cujus Io filia a Jove compressa in vaccam mutata est: ut Virgil. 'At levem clypeum sublatis cornibus Io.' *Persea humo*] Argiva, ubi Perseus regnavit: *Persea* ergo principale pro derivativo 'Perseia:' unde et longam posuit 'se.' *Lactant.*

120 *Cum Taurum aut*] Quorum ortu pluviæ immensæ funduntur: et optime tempus excepit: nam æstate in torrentem degenerat. Ideo tempus adjecit quo undarum sumit augmentum, cum signa sunt pluvialia, quæ illum movent. *Idem.*

121 *Genero tumuit*] Id est, gloriatur, quod cum ejus filia Io concubuerit Juppiter. Ergo elatus est. *Idem.*

122 *Dryopumque*] Dryopus et Icadius duo cum de finibus contenderent, Hercule judice terminos ceperunt. *Idem.*

123 *Epidauria*] Civitas Argivorum, ubi Æsculapius colitur, equorum fertilitate gratissima. *Idem.*

124 *Ætnææ Cereri*] Siculæ Proserpinæ: ostendit supradictum collem aptum vinetis esse, frugibus infœcundum. *Lactant.*

125 *Pylos Neleia*] Pylos a Neleo patre Nestoris nuncupata Neleia. *Id.*

126 *Ætate secunda*] Quia nondum militaverat Nestor, multumque ipsa novitate declaravit. Nam prima ætas triginta annorum est, secunda sexaginta. Nam Nestorem constat tertia ætate ad bellum venisse Trojanum, ideo adhuc juvenem ætate secunda dixit, quia postmodum militavit. *Idem.*

131 *Ferrea suta terunt*] Loricas notari mihi compertum: locum tamen sanum esse præstare non ausim: nulla discrepantia in libris, fateor; nec quicquam sollicito, solum moneo rectius videri: *ferrea suta tegunt*. Bernart.

136 *Illum Palladia*] Hippomedontem dicit, qui ab Athenis, id est, a Capitolio Minervæ ad bella descendit. *Lactant.*

137 *Arma pavens*] Id est, equus novus ad bellum velocitatis insignis. *Idem.*

138 *Attollit pulvere campum*] Quasi ipse campus assurgat. *Idem.*

139 *Utroque pectore*] Eleganter *utroque*, scilicet hominis et equi, quod bimembres sint, id est, humano et equino. *Idem.*

141 *Ossa vias*] Mons Thessaliæ, in quo erant Centauri. *Idem.*

142 *Peneia*] Peneus fluvius Thessaliæ: quasi tam diu timeant, donec ad amnem ille perveniat. *Idem.*

147 *Tiryntha deus*] Hercules. Juppiter mutatus in Amphitryonem concubuisse cum Alcmena Electrionis filia dicitur, in urbe Tirynthe, unde natus est Hercules, unde et Tirynthius dicitur. De qua Plautus Tragicomœdiam dixit. *Idem.*

148 *Alumni*] Nutritus enim ibi Hercules, Thebis natus. Servius ad Æneid. lib. VII. Tirynthius Hercules a 'Tirynthia civitate Argis vicina, in qua nutritus est.' Lubens in Silvis hoc nomine Herculem notat Papinius. Vide Apollod. lib. II. *Barth.*

151 *Monstrat Cyclopum ductas sudoribus*] Id est ædificatas. Cyclopes civitatis istius mœnia condiderunt, sicut asserunt Græci. *Lactant.*

153 *Innumerum bello*] Quod sint tercentum pectora, scilicet vulgus innumerum, quia tam fortes erant, ut multorum facta fortia sua virtute pensarent. *Idem.*

155 *Exuviæ*] Bene totum ad similitudinem Herculis: quemadmodum ille clava, sic iste stipite. *Idem.*

156 *Tela pharetris*] Ita erat pharetra referta sagittis, ut exhauriri non posset. *Idem.*

158 *Deus audit ab Œta*] Decore: quoniam in Œtea silva crematus Hercules. Seneca Tragicus: 'Ut pressit Œten, ac suis oculis rogum Lustravit, omnes fregit impositus trabes.' Cicero, Tuscul. Quæst. lib. II. 'Aspice Philoctetem: cui concedendum est gementi; ipsum enim Herculem viderat in Œta magnitudine dolorum ejulantem.' Papinius ipse Hercul. Surrentino: 'ceu tædis iterum lustratus honesti Ignis, ab Œtea conscenderis æthera flamma.' *Bernart.*

160 *Sacra Cleonæi*] Herculem eo loco Molorchus accepit hospitio, censu pauper, dives affectu. Ordo: Nemea dant comites, dant et Molorchi vineta. Cleonæa civitatis nomen est Nemeæ sylvæ vicina. Lucan. 'Ille Cleonæi projecit terga leonis, Antheus Libyci.' Ergo cum Hercules ad occidendum leonem isset ab Euristheo missus, a Molorcho susceptus est hospitio, cujus leo filium interfecerat, didicitque ab eo quemadmodum adversus feram coiret: qua superata ludos instituit, quos a loco Nemeos appellavit. Igitur Nemea dant comites, dant et Molorchi vineta. Quia ea omnia in clypeorum pictura, et quomodo filius ejus Molorchi a leone occisus fuisset, et Herculis hospitium, auro figurata notanter descripserunt. *Lactant.*

164 *Qua cubiti sedeant*] Ordo: Qua terra cubiti sedeant vestigia. 'Cubitum' posuit pro loco cubilis. Cubiti cujus generis sit in Captivis Plauti lectum est, ex persona Ergasili parasiti: 'Ne quis hac platea negotii conferat quidquam sibi, Nam meus est balista cubitus, pugnus catapulta est.' *Sedeant*] Mire. Significat enim factam lacunam terræ Herculis mole. Hanc descriptionem poëtæ pictam ipsius Tirynthæ portabat exercitus. *Idem.*

165 *At pedes*] Pedes quidem erat Capaneus, sed omnibus eminebat. Solent enim equites altiores esse pedestribus. *Bellum* ergo pro bellatoribus posuit. *Idem.*

167 *Injectu molis*] Ostendit multis taurorum coriis, laminis etiam ferreis, Capanei clypeum obductum fuisse. *Idem.*

169 *Hydra recens*] Ita veritatem expressit pictura, ut pene recenti obitu hydra cum suis serpentibus interiret. *Idem.*

171 *Ignescit in auro*] Admovetur ignis vulneri: idque factum ut non pullularet. *Idem.*

172 *Cærula Lerna*] Ferri materia facta est cærula. *Idem.*

175 *Horrendum non matris opus*] Nota morem priscum, quo invaluerat, ut matres texerent chlamydes militares filiorum. Noster lib. VIII. 'triplici velaverat ostro Surgentes etiamnum humeros, et lævia mater Pectora.' Idem lib. IX. 'Ipse bis Œbalio saturatam murice pallam, Lucentesque auro tunicas, (hoc neverat unum Mater opus,) tenui collectus in ilia vinclo, Cornipedis lævo clypeum demiserat armo.' *Bernart.*

178 *Amphigenia*] Civitas est. Homerus quoque hujus meminit. *Lactant.*

179 *Planaque Messena*] Non ipsa plana, sed in camporum planitie constituta. *Messena*] Civitas prope Pylum, quam admissus amnis interfluit.

Montanaque] Sic Homerus epitheton pari significatu. * καιτον αικλον οκουπεαν * quod significat montuosa ab excessione velocis cervi. *Idem.*

180 *Æpy*] Oppidum Messenæ dissimile. Nam ut illa in campo posita est, ita hoc in montibus collocatum. *Idem.*

181 *Getico vati*] Thamirum dicit, quem Musæ ingenti livore motæ excæcasse dicuntur. *Idem.*

182 *Dorion*] Oppidum de quo hic poëta fuit. *Idem.*

183 *Aonias*] Musas, a montis nomine nuncupatas. *Idem.* *Multos Thamyris damnatus*] Homeri: Καὶ Δώριον, ἔνθα τε Μοῦσαι Ἀντόμεναι Θάμυριν τὸν Θρήϊκα παῦσαν ἀοιδῆς. Et Lucani: 'Dorion ira Flebile Pieridum.' Sed scribendum: *mutos Thamyris damnatus in annos.* Ita punitus, ut in reliquum viveret θεσπεσίην ἀφαιρεθεὶς καὶ ἐκλελησμένος κιθαριστύν. 'Muti anni,' quibus canere desiit nesciitque. Virgilius Æn. XII. 'Scire potestates herbarum usumque medendi Maluit et mutas agitare inglorius artes.' Simpliciter est, artes non canoras, nihil tinnientes, non Musicas. Nec tam de medicina dicitur proprie (ut omnes acceperunt, sollicite quærentes, quare medicina dicatur 'ars muta') quam de omnibus aliis studiis artibusque potest dici præter cantum, augurium, et sagittas Apollin. nam et hæ canoræ. Noster in Herc. Surr. 'socius tibi grande sonabit Alcides, tensoque modos imitabitur arcu.' Ψαλμοὶ τόξων apud Euripidem. Maluit aliam artem quam cantus vel carminum. Ea fuit sane medicina, sed non propterea singulari aliqua de causa muta est magis, quam quicquid habetur artium præter istas Apollineas. Sic et addit 'inglorius,' non quasi ex medicina nequeat eximium nomen comparari, sed quia Poëtarum præcipuum est 'otia vitæ Solari cantu ventosaque gaudia famæ Quærere,' et hi non aliunde magis quam ἐκ τῶν Μουσῶν κλέος ἔρχεσθαι arbitrantur. Sic Cicero 'mutas artes' dicit, exemplo picturæ et statuariæ, omnes illas quæ sunt præter eloquentiam. De Orat. lib. III. 'Et si hoc in his quasi mutis artibus est mirandum, et tamen verum est, quanto admirabilius in oratione atque lingua?'. Mendum idem sustulimus e Valerio Catone in Diris: 'Muta prius fuerit, quam non mea libera avena.' Omnia prius fient quæ fieri nequeunt: denique conticescet prius, quam desinat esse libera, Musa mea. Plura ad rem pertinebant, sed jam excessimus limites præscriptos. Addendum tamen in melioribus esse, 'præceps qui:' placetque sublata interrogationis nota: homo, inquit, stolidus et temerarius, qui non recordatus sit Marsyæ casum. *Gronov.*

184 *Ore simul*] Optime poëta Homeri ambiguum verbum positum intellexit de hoc ipso, quod accentus commutatione significavit, non cæcatum lumine, sed eum cujus sit damnatum ingenium, ut nec chordarum gloriam, nec vocis sonum inferret. *Lactant.*

186 *Celænas*] Celæne Lydiæ civitas, in cujus antro Marsias victus ab Apolline est, et supplicio affectus a tortoribus: cujus de sanguine fluvius ejus nomine natus est. Ut Lucan. asserit: 'Et rectis descendens Marsia ripis Errantem Meandron adit.' Est sensus: Temeritas Thamiri Marsiæ debuit coërceri suppliciis. ut Lucan. 'Damnatæ Phœbo victore Celænæ.' *Idem.*

188 *Auguris*] Alcmæon hoc monile occisa matre Apollini consecravit, quod in fontem missum hodieque cerni dicitur, quod si quis manu attrectaverit, ostendit offendi solem et tempestates oriri: unde Virgil. 'Mœstamque Eriphylem Crudelis nati monstrantem vulnera cernit.' *Idem.*

194 *Dona viro*] De Homero translulit. Ita velit pacisci, ut malit mo-

nile habere, quam conjugem. *Idem.*

197 *Hac nutare videt*] Hæc est vera scriptura, et ponderibus convenit *nutatio*, non *mutatio*. Sicque omnes nostri Codices, itemque Aldus, et aliæ veterum Editiones. Illud *mutare* nimirum videtur tueri velle Lactantius, cum ait: 'Videt Argia belli totius mutari sententiam, si Amphiaraus desit auxiliis.' Sed aliter se res habet. *Barth.*

202 *Sat dubium cœtu solante*] Nihil hic scripti: assentio tamen viris doctis, et omnino legendum existimo: *stat dubium calatho solante*, neque enim decorum pudicæ matronæ cœtus frequentare, aut tali solatio uti, absente marito, Argiam decebat. Plane ut absurdum videatur, decoris observantissimum Poëtam hoc ei adfixisse. Nostram vero conjecturam veterum mos firmat, quo receptum ut etiam regum filiæ lanificio manus admoverent. Alexander apud Curtium ad Sysigambin matrem Darii: 'Mater hanc vestem, qua indutus sum, sororum non solum donum sed etiam opus vides: nostri decepere me mores.' Seneca Hippolyto in persona Phædræ: 'Palladis tela vacant Et inter ipsas pensa labuntur manus.' Apud Romanos certe matronæ priscæ ita lanificiis deditæ fuere, ut in fœdere inter Romanos et Sabinos (Plutarchus in Romulo auctor) lex esset: ut volentes nuptæ apud viros, quibus conjunctæ erant, manerent, omnium operum ac munerum vacationem præterquam lanificii habituræ. Moris etiam erat, ut novæ nuptæ, quando ad domum mariti deducebatur, colus compta cum fuso et stamine præferretur. Plinius lib. VIII. cap. 48. 'Lanam cum colo et fuso Tanaquil, quæ eadem Cæcilia vocata est, in templo Sangi durasse, auctor est M. Varro, factamque ab ea togam regiam undulatam in æde Fortunæ, qua Servius Tullus fuerat usus. Inde factum ut nubentes virgines comitaretur colus compta cum fuso et stamine.' Et sicuti Græci 'Hymenæum' in nuptiis inclamare consueverunt, ita Romani 'Talassionem.' Unde Martialis: 'Quid si me jubeas Talassionem Verbis dicere non Talassionis.' Cujus vocis originem ad Lanificium refert Varro: quem sequitur Festus: 'Talassionem Varro ait signum esse Lanificii, τάλαρον enim, id est, *quasillum*, appellari Talassionem.' Aliter tamen Atilius vetus Historiarum scriptor, Livius lib. I. Servius ad Æneid. I. et Euseb. Chronicis, qui vocem hanc ad omen referunt, et a Talassio deducunt, cui conjugium valde felix fuit, rapta virgine unicæ pulchritudinis. *Bernart.*

203 *Aris adverrere*] Non est dubium de veritate hujus scripturæ, quam J. Lipsius Elect. l. XI. c. 6. Franciscus Modius Epist. 2. aliique restituerunt, nos ex Eutyche Grammatico firmavimus. Mos jam multis doctorum notatus, *in summo luctu prostrátis* corporibus limina templorum crinibus profusis converrere. Vide Lipsium Elect. l. II. 6. Heins. ad Sil. Ital. lib. VIII. et Claud. Dausqueium, et alios. *Barth.*

207 *Præstabo maritas*] Superabo. 'Maritæ' dicuntur uxores maritis deditæ, ut Horat. 'Nec sit marita quæ rotundioribus Onusta baccis ambulet.' Et notandum, cum Salustius dixerit, 'præstare cæteris animalibus.' Virgilius tamen: 'Vel magnum præstet Achillem.' *Lactant.*

212 *Semina movit*] Ideo ingentia semina, quia et maritum prodidit, ut periret, et in se excitavit filium, ut fieret parricida; ipseque est correptus insania. *Idem.*

214 *Dispare cœtu*] Bene *dispare*: nec enim tanta nobilitas equi eadem stirpe equam potuit invenire: *cœtu* a coëundo dixit in Venerem: hunc equum Pollucis dixit Virgil. licentia poëtica: 'Cyllarus et quorum Graii meminere poetæ.' Hic Castoris est,

sed inter amabiles fratres totum decet esse commune. *Idem.*

220 *Inde moræ*] Id est, impeditæ, occupatæ fuerant manus ejus ex jaculis. *Idem.*

222 *Victum Pythona*] Quia vatis Apollinis tui gloriam et serpentis Pythonem dicit insigne, viro forti religio fecerat sacerdotis. *Idem.*

223 *Amyclæ*] Laconiæ civitas sacra Apollini, in qua Hyacinthus in agone celebratur in honorem pueri regis, qui cum exerceretur disco, percussus zephyri vertigine, quod se Apollini prætulisset, occisus est, cujus sanguis in florem nominis sui ob memoriæ perpetuam dignitatem conversus est. Virgil. 'Inscripti nomina regum Nascuntur flores.' *Idem.*

224 *Malea*] Maleæ quæ propter periculum a navigantibus circumeuntur: ut Virgil. 'Maleæque sequacibus undis.' Historia autem de hoc monte fertur hujusmodi: Maleus Tuscolorum rex, qui primus tubam invenit, is cum piraticam exerceret, et mare tempestatibus esset infestum, hunc montem insedit, qui et Apollinem Maleoticum de suo vocabulo, et montem ipsum Maleam nominavit. Alii dicunt hunc montem Achaiæ esse. Bene Statius hæc dicit auxilia vatem habuisse, quia hi populi præcipue Deum venerantur Apollinem Cariæ. *Idem.*

225 *Cariæ*] Templum in Laconia Dianæ sacrum, quod etiam Carratium nominatum est, ex hac causa; cum luderent virgines, meditatus ruinam omnis chorus in arborem nucis fugit, et in ramo ejus pependit; quam nucem Græci caram vocant. Ergo de arbore, et templo, et de Dea, nomen accepit. *Idem.*

226 *Volucrumque parens*] Et hunc versum de Homero transtulit. Volucrum ergo parens columbarum, unde se probat Cythereum esse, quia amet aves Veneri consecratas. Quæ autem causa sit quod Venus columba delectata sit, talis est. Venus et Cupido cum quodam tempore voluptatis gratia in quosdam descendissent campos, lasciva contentione certare cœperunt, qui plus sibi gemmantes colligerent flores: quorum Cupido adjutus mobilitate pennarum, posteaquam naturam corporis volatu superavit, victus est numero. Periatera enim Nympha subito accurrit, et adjuvando Venerem superiorem effecit, cum pœna sua. Cupido siquidem indignatus mutavit puellam in avem, quæ a Græcis περιστερὰ appellatur. Sed pœnam honor minuit. Venus namque, consolatura puellæ innocentis transfigurationem, columbam in tutela sua esse mandavit. *Idem.*

227 *Et oliviferi Eurotæ*] Sane et nobis in bonæ notæ membranis obvium fuit: *et oleriferi.* quod in Parisiensi receptum. Hic est enim qui in Theb. x. laudatur 'falso gurges cantatus olore.' Nec aliunde in Epith. Stellæ: 'Amyclæos ad frena citavit olores.' Itaque non temere rejiciam. *Gronov.* *Eurotæ*] Eurotæ cur dixerit ipse narravit: juxta hunc fluvium Lacones vapulando contendunt: gloriosior tamen ille est, qui juxta præscriptum numerum plagarum animæ non pepercit, qui cum devoverit spiritum publice funeratur, et capite coronatur. Tanta enim crudelitas in hac gente est, ut mater lachrimas suas consoletur funere coronati. Deum dixit hoc hortari Mercurium, qui palæstrarum numen est. unde Mercurius ad virtutem et belli officia studiosus palæstræ est. *Lactant.*

231 *Gaudent*] Quia, cum dimicant, contra verbera patientiam dicuntur hortari. Cum autem ad bellum eunt, arma dant liberis, et hac hortatione subjiciunt: *Aut cum his, aut supra has:* quod significat vel victores debere reverti, vel mortuos. *Idem.*

233 *Funere mater*] Sensus: Omnis quidem turba ephœbi lamentatur in-

teritum, mater sola negligit luctus, quia filius coronatur extinctus. *Idem.*

236 *Aut cono Ledæus*] Aut Castoris pileus, aut Ledæus olorinus, quia in olorem mutatus Juppiter cum Leda concubuit. Nam hi quoque Lacones fuerunt. *Idem.*

237 *Merent*] Militant. Virgilius 'merui' quoque dixit; unde missos militia 'emeritos' dicimus. *Lactant.* *Auget resupina maniplo*] Cur non cum membranis, *maniplos?* Et mox: *Qui te, flave, natant.* Si describeret Siculos, ferres forte *notant*, quippe penes quos ille se impermixtum mari spectandum dare credebatur. Et decet Pisæos sudore et pulvere e palæstra contracto Alpheum suum natare, ut Spartanos Eurotan. *Gronov.*

238 *Depressæ*] Quia vallibus undique Pisæ cinguntur, et Crotonio monte premuntur. *Lactant.*

239 *Alphæe*] Sicanis. Constat enim hunc fluvium amore Arethusæ Nymphæ occultas egisse vias subter mare, et in Siciliam fluctibus amatæ misceri. *Idem.*

240 *Advena*] Merito scilicet advenam, quia ab Elide in Siciliam labitur per mare, nec tamen aquæ marinæ miscetur. *Idem.*

241 *Curribus*] Propter Olympicum certamen, quod lustris singulis Circensibus Jovi exhibetur Olympio. *Idem.*

242 *Et bellis*] Aut in bellis domant. *Idem.*

244 *Axibus Œnomai*] Ex quo Œnomaus hanc legem procis filiæ posuit, ut victus interimeretur, uxorem victor acciperet, qui Myrtili aurigæ sui fraude deceptus ipse supplicia quæ proponebat expendit: quia fractis axibus, ingenio ut diximus Myrtili, qui corruptus rotam cera conjunxerat, victus est. Dixit autem de his qui ex Pisa sunt ingenitum esse, ut equis gaudeant ex illo studio, quod rex Œnomaus ea arte præcellit. *Idem.*

247 *Armorum*] Bene multi libri ex nostris *annorum.* ut de aliis notat Justus Zinzerlingus Promulsidis cap. 42. Nos optimi nostri hanc scripturam minime mutandam censemus. *Armorum* sane *Martiorum* (quæ una hic in considerationem veniunt) omnino rudis erat Parthenopæus, tantum facinus aggressus. Quod si *annorum* legas, hanc illi minime demseris, cum ante obitum multa fortiter adolescenti ætate fecerit. Gl. 'Armorum, bellorum.' *Barth.*

248 *Parthenopæe rapis*] Cujus hic fuerit filius non tam in proclivi est quam imber cum pluit. Duæ siquidem apud Poëtas celebrantur Atalantæ, Arcadica una, Iasii; Bœotica altera, Schœnei filia. Noster Parthenopæi matrem Atalantam Arcadicam fuisse diserte tradit. Diodorus Atalantam Bœoticam, seu Schœnei filiam: pro Nostro stat Ælianus de varia Historia, et Scholiastes Theocriti; pro Diodoro Oppianus. Servius Grammaticus vero ad illud Virgilii, 'Parthenopæus et Adrasti pallentis imago,' non Atalantæ, sed Menalippæ filium Parthenopæum fuisse contendit. Adi elegantissimi M. Antonii Mureti in Propertium Scholia. *Bernart.*

250 *Pacabat cornu*] Id est, venationibus pacata ferarum reddebat interitu, ut Virgil. 'Aut Erymanthi Pacarit nemora, et Lernam tremefecerit arcu.' *Lactant.*

251 *Pulchrior*] Id est, Parthenopæo pulchrior nullus fuit. *Idem.*

253 *Nec desunt*] Id est, in Parthenopæo animarum vigebat insigne: si modo ad id ætatis robur etiam accederet. *Idem.*

255 *Quas*] Non is nymphas aut Oreadas, aut Potamidas, aut Dryades, aut Napæas dicit. 'Dryades' sunt quæ quercubus delectantur; 'Oreades' montibus; 'Potamides' fluminibus; 'Napææ' virgultis et floribus. *Idem.*

256 *Ipsam Mænalia*] Dianam scilicet quæ Atalantæ ob amissam virginitatem ignovit. *Idem.*

257 *Signantem gramine*] Eleganter infantis gressum non calcantem, sed signantem ostendit: ut Horat. 'Reddere qui voces jam scit puer, Et pede certo signat humum.' Dicit ergo Dianam, cum tam pulchrum vidisset Parthenopæum, Atalantæ dedisse veniam, cui propter concubitus fuerat irata Meleagri. *Idem.*

264 *Tædet nemorum*] Sensus: Erubescebat Parthenopæus, quod nondum humano sanguine suas sagittas infecerat, et quod non hac crudelitate laudis fuerat titulum consecutus. *Idem.*

266 *Undantemque sinum*] Quia undantem chlamydem quassando facit. *Nodis Hiberis*] Hispanicis, id est panno balthei. *Idem.*

267 *Imbelli*] Cum qua nunquam pugnasset. *Matris prælia*] Hoc est scuto picta gerens prælia. Calydonium quippe aprum comitata viros Atalanta sagittis fixit, ut priore libro docuimus. *Idem.*

268 *Aspera plumis*] Loricæ squamas explicuit, quam alii cataphractam vocant. *Idem.*

269 *Cydonea corythos*] Thecam sagittarum intelligit. Papinius lib. x. 'cœlestibus implet corython telis.' Virgilius: 'corythique leves humeris, et lethifer arcus.' Quod notandum tyrunculis, ne a Nonio decipiantur, qui Corython non pro theca, sed sagitta accipit. De dissensu auctorum in vocis hujus orthographia, consule eruditissimi M. Antonii Del Rio in Herculem Furentem Senecæ commentaria. *Bernart.*

272 *Mirantem gravioris heri*] Armorum permutatio graviorem equo fecerat dominum: addita enim lorica operosior Parthenopæus extiterat. *Lactant.*

275 *Arcades huic*] Cicero pro Fundanio opinionis ejus meminit, cum de nobilitate tractaret. Aiunt autem Arcades esse vetustos: denique cum Phrygibus de antiquitate certaverunt: hi singulos parvulos cum singulis nutricibus clauserunt, quibus nutricibus ademerant linguas, ut experirentur utrum vox esset innata an disceretur, et, si esset innata, quænam illa esset, Phrygum an Arcadum. Producti autem pueri vere locuti esse dicuntur, quasi significatione Phrygum lingua panis intelligitur. Sic ergo cognitum est Arcades non esse primigenas. Item de eodem, cur se Arcades nobiles dicant, Thucydides lib. I. ait, hunc morem Græciæ fuisse, ut coacti in alienas ire terras, quas fertiles esse cognoverant, easdem vastabant veteribus incolis pulsis. Sed Arcades soli ob sterilitatem agrorum commoti non sunt, et ideo soli nobiles existimantur. Ovid. de his lib. II. 'Ante Jovem genitum terras habuisse feruntur Arcades, et luna gens prior illa fuit.' *Idem.*

276 *Nemorum vos stirpe*] Non quod de arboribus vere nati sunt, sed quia adhuc non erat usus casarum, et in morem pecorum vagabantur. Filios autem suos, ait, arborum caveis aut concavis specubus contegebant, quos transeuntes arborum filios existimabant: quam opinionem Virgil. asserit dicens: 'Gensque virum truncis et duro robore nata.' *Idem.*

284 *Desperasse diem*] Dicit homines natos ex arboribus perpetuam noctem timuisse solis occasu. *Rarescunt*] Desolantur necessitate bellorum. *Idem.*

285 *Mænala: Parthenium*] Mons et nemus Arcadiæ. *Idem.*

288 *Aleæ nemorale Minervæ*] Ædificavit hoc templum Aleus Aphidantis filius, Arcadiæ Rex. Interjecto deinde tempore, cum prius illud subito igne conflagrasset, aliud ipsi sibi cives erexerunt, magnitudine et structura admirabili. Describit late

Pausanias Arcadicis, ad quem te remitto: tantum moneo, Minervæ Aleæ signum ex ebore fuisse, et ab Augusto Cæsare, debellato Antonio ejusque partibus, inter quos Arcades prope omnes fuere, exceptis Matinensibus, Romam translatum: et aditu ejus fori, quod ab eodem Augusto dedicatum est, positum. Minervam Aleam vocari vero etiam apud Græcos reliquos, quod diceretur in Deorum cum Gigantibus pugna in Enceladem bigas immisisse. *Bernart.*

290 *Pæne socer*] Propter Daphnen Ladonis filiam, quam Apollo dilexit: *pæne* ait, quia virginitas damnum passa non est, et in laurum ante concubitum fuisse conversa dicitur. *Lampia nivosis*] Civitas Arcadiæ, nivosis montibus constituta. Ergo Lampiam a candore pruinarum dictam nominis ipsius proprietas monstrat: λαμπρὸν enim Græce *splendidum* dicitur. *Lactant.*

291 *Styga mittere*] Palus a qua Styx sumit exordium. Constat inter prudentes Peneum undas Stygi submittere et subministrare. *Idem.*

292 *Æmulus Azan*] *Æmulus*, quia in illo monte, ut Juppiter, ita etiam Mater Deorum colitur ritu: inde Azan apud Arcades Curetes hoc nomen habent, de monte Azane. Unde vulgo in sacris Deæ magnæ dicitur *Azan.* Idem.

294 *Nonacria*] Una pars orationis est Nonacria, ut Trinacria. Est autem nomen loci vel agri Arcadiæ, in quo Jupiter in speciem Dianæ versus cum Calystone Lycaonis filia concubuisse narratur. *Idem.*

296 *Cynosura*] Locus Arcadiæ, unde et minor ursa Cynosura dicitur. *Æphitios*, a civitate vel monte ducis nomine nuncupatos. hi quoque Arcadiæ populi sunt. *Idem.*

298 *Erymanthon et Stymphalon*] Quorum in altero aprum cepit, quem vivum Eurystheo detulit. In altero aves, quæ Stymphalides appellantur, occidit. *Erymanthon* quidam volunt locum esse, qui juxta Parthenios agros est, ubi Hercules de Auge susceptum filium exposuit Telephum, qui a cerva nutritus est; sed hæc loca hic non convenit suspicari. Nam montes eos dicit in quibus Hercules de apro et de avibus triumphavit. *Erymanthus* autem mons est, et sylva eodem signata vocabulo, in Arcadiæ finibus constituta. Stymphalon autem ærisonum dicit, quia non sagittis, sed æris sonitu Hercules Stymphalidas occidit. *Idem.*

304 *Lycaoniæ ritu*] Potius est scribi ex manuscriptis: *Ille Lycaoniæ rictu caput asperat ursæ;* nam alicujus feræ pellem, pro galea, capiti imponere, antiquis usitatum: certe galeis inducere. Silius lib. III. 'ore ferarum Et rictu horrificant galeas.' *Bern.*

306 *Milite vicinæ*] Plenus enim fabulæ ita se continet textus. Atreus et Thyestes Pelopis filii, Tantali nepotes, alternis vicibus regnum regebant. Verum Thyestes cum incestasset Europam fratris uxorem, ab eo pulsus est e regno, sed inter eos, qui scelere certabant, videbatur pro vindicta ficta gratia reconciliationis. Atreus fratri filios suos apposuit epulandos, cui post epulas filiorum capita, signum convivii feralis, ostendit. In cujus rei detestatione, cum Thyestes consulta de oraculis posceret, responsum est per eum illi certam posse venire vindictam, qui ex ipso et filia Pelopeia natus fuisset. Unde illicitos filiæ amplexus invasit, ex qua natus est puer, quem illa in sylvas propter conscientiam abjecit: hic capræ uberibus nutritus, ex eadem re Ægistus nomen accepit: qui Atreum in vindictam patris, cum adolevisset, occidit. Idem autem Agamemnona, cum Clytemnestram uxorem ejus adulterasset, occidit, ut ipse Virgil. 'Ipse Mycenæus magnorum ductor Achivum.' Qui postea ab Oreste filio Agamemnonis cum ea

quam adulterasset occisus est. Sed ab origine irarum quæ fuerit causa describam. Mercurius ægre ferens a Pelope Myrtillum filium suum in pelagus præcipitatum, spoliatumque vitæ lege, reperit vindictam, qua consolaretur orbitatem; nam Pelopis filiis Atreo et Thyesti tantum discordiæ injecit, ut germanitatis jura dirumperent. Thyestes enim cum sciret regnum penes eum fataliter mansurum, qui arietem velleris aurei haberet, quem tum Atreus regiam ingressus plurimum custodiebat, corrumpens Europam fratris sui uxorem, eum ad se transferri posse judicavit: quod ille posteaquam didicit, eum cum filiis duobus suis expulit, et postea simulata gratia ad eum misit, ejusque filios interemptos epulandos apposuit, quo facinore cum eum punisset, sol dicitur ab eorum se regionibus avertisse: unde Virg. e contrario: 'Nec tam aversus equos Tyria Sol jungit ab urbe.' Ergo ne Mycenæ auxilio sint, par fuit pæne fortuna, quia et illos fratrum odia vexabant. Thyestes enim Atreo fratri filios epulandos apposuit ob adulteratam uxorem suam Europam: ideo funeratas dapes propter epulas et recursum solis, et propter offensam affabilis dei, quia inter nulla nubila pietate tanta egit occasum, et oblatum aurei velleris arietem, quo fato regnandi tenebatur. *Lactant.*

308 *Hic alii*] Non minus mali et crudeles. *Scholiast.* Sane multo pejores et crudeliores. Quid cæde patruelium aut ex fratre Nepotum trium crudelius Atreus facere poterat? Invenit ut viscera eorum Patri epulanda haberet? Hæc inter homines. Cum stetit in cursu cœlesti Sol, et retrogressus est, impotens aspicere tantum facinus, vertit ridentem iram in Deos et exclamat: 'Utinam quidem tenere fugientes Deos Possem, et coactos trahere, ut ultricem dapem Omnes viderent. Quod sat est; videat Pater.'

309 *Jamque Atalanteas*] Atalanta Iasi filia fugiens concubitus in venando Dianæ comes est facta, sed a Meleagro (adde et corrige 'invulnerabile et adhoc insidiante,' ex Barthio) hoc adinsinuante compressa puerum edidit, cujus conceptum, quia diu sub virginitate cœlaverat, Parthenopæum vocavit. Is admodum puer Polynici auxiliaturus Thebas petiit. 'Equum' pro equite posuit. *Lactant.*

318 *Ille ad humum*] Hæc in Parenthesi posita, violentiam matris et pudorem, et stuporem nati egregie exhibent. Simul abrupta oratio indicat affectum loquendi præcipitem in matre, tardum in filio, velut in facinore inexcusabili deprehenso. Mirus talium artifex Papinius. *Barth.*

319 *Teneroque unde*] In duobus optimis reperi: *tenero unde improba pectore virtus?* Quod prorsus verum judico, et τὸ *que* adjectum ab iis, qui jus Poëtarum in talibus ignorabant. Virgilius Æn. VI. 'Nomen et arva locum servant: te amice nequivi Conspicere.' *Gronov.*

323 *Dum premis*] Venatores enim cum investigant, errant: cum prosequuntur, premunt. *Lactantius.*

327 *Maculis nec discolor*] Imitatur Maronem de Turni equo, colorem tantum macularum mutans: 'Maculis quem Thracius albis Portat equus, cristaque tegit galea aurea rubra.' Sane mihi magis placeant atræ quam albæ maculæ. *Barth.*

329 *Vix Dryadum thalamis*] Venereæ voluptati ideo filium dehortatur, ut nec se virum credat. *Lactant.*

330 *Omina vera*] Futuri s. mali. id est, vera sunt prodigia quæ videbam: quasi irata, vel tristis futura morte. *Idem.*

332 *Inferior*] Aut humilis aut non læta. *Idem.*

333 *Hoc segnior arcus*] Celeres sagittas non mittens. *Idem.*

335 *Major honos*] Omnes vident

jam te adhuc puerum esse: exspecta dum majestatem et auctoritatem virilem adipiscaris. Et vires tibi etiamnum desunt et æstimatio. Forma enim puerilis est, robur ad arma et res bellicas prorsus infirmum et ineptum. *Vet. Scholiast.*

336 *Vultusque recedunt*] Ne levitate vultus fœmina esse credaris; dum tuo ore mei vultus recedunt, id est, dum viri sumis formam, nam adhuc similis es matri. *Lactantius.*

340 *O saxis nimirum et robore*] Ut origini conveniret animus: quia dura corda habetis, et non vos flectit misericordia: nam male dicit illis dicendo 'asperos durosque,' quia materno non commoventur affectu. *Idem.*

356 *Bellator nulli*] Contra enim mandatum Jovis est, qui superiorem libris Martem tam Thebanorum quam Argivorum pectora Belli ardoribus inflammare jubet. *Vet. Scholiast.* Locutio alias ipsa Papiniana est, *nulli caluit* pro nullius pectore ardebat amor armorum. *Barth.*

359 *Surdum atque ignobile*] Surdum opus procincti: diastole: illa vi operis, quod canente Amphione instructum est, modo autem surdum est, quia manu, non carmine condebatur. Ad Thebarum muros cantilena Amphion dicitur saxa traxisse: ut Virgil. 'Canto quæ solitus, si quando armenta vocabat, Amphion Dyrcæus.' *Lactant.*

360 *Tamen et Bœotis urbibus*] Hoc dicit, Etheocli quoque dedisse Bœotiæ urbes auxilia. Nullus enim regis causa veniet ad bellum, sed aut vicinitate compulsæ sunt, aut misericordia civitatis. *Idem.*

365 *Deformis hiantia lana*] Hyperbaton: *ora deformis*, deformia habens, et hiantia cruenta lana. *Idem.*

366 *Turbida*] Non terribilia, sed conturbata. *Idem.*

368 *Non inscius*] Occisi pecoris, ut conscius audacis facti. *Idem.*

370 *Asopide ripa*] Ut Lucan. 'Et qui tauriferis ubi se Mevania campis Explicat, audaces ruere in certamina turmas Afferat.' *Idem.*

372 *Ille rupi Theumeson*] Theumesos mons est haud longe a Thebis. *Idem.*

373 *Nunciat excubiis*] Id est, nunciat Argivos hostili more excubias agere. *Idem.* *Arsisse Plateas*] Oppidum Bœotiæ, apud quod quinto quoque anno Eleutheria, maximis de cursu propositis præmiis, celebrari solent. incolis etiam hujus oppidi solenne, septimo circiter anno, dies festos celebrare, quæ 'Dædala' nuncupantur, a simulachris ligneis. Originem et ritum late describit Pausanias Bœoticis, quem adi: sunt enim uberiora quam ut huc transferantur. *Bern.*

374 *Jam Tyrios sudasse*] Non spernendum fuit scriptorum: *Nam Tyrios:* cum et vim eandem et elegantiam habeat. Finem hujus membri recte format Bernartius, sed oblitus est addere interrogationis notam: *petris, cui non et scire licentia passim, Et vidisse fuit?* nam ista, sudasse Lares Thebanos, &c. quis non tantum indulsit sibi, ut et se scire et vidisse diceret? Apud Ovidium Met. VIII. Œneus 'vultusque seniles Fœdat humi fusus spatiosumque increpat ævum. Nam de matre manus diri sibi conscia facti Exegit pœnas.' Noster in fine Achilleid. 'Nam procul Œbalios in nubila condere discos,' &c. Ubi etiam vulgo fecerunt, 'Jam.' *Gronov.* *Dyrcen*] Dyrce fons est Thebanorum, utrumque monstravit: ut Virgil. 'Æraque sudant, Nec puteis manare cruor cessavit.' *Lactant.*

375 *Fœtusque novos*] Quos in Thebas Cadmus invexit. Lucan. 'Matremque suus conterruit infans.' Solent autem ad omen publicum portenta gigni: et est fœtus aut bicapitis, aut biformis. *Idem.*

378 *Subito correpta canistris Sil-*

vestris regina chori .... Trifidamque huc tristis et illuc Lumine sanguineo pinum dejectat, et ardens Erectam attonitis implet clamoribus urbem] De fonte Virgiliano hunc locum derivavit. Is enim Amatam in silvis eadem fecisse describit. Pathos ipsius tribus modis ostenditur: facto: 'Ipsa inter medias flagrantem fervida pinum Sustinet.' Habitu: 'sanguineam volvens aciem.' Dicto: 'matres audite.' *Idem.* *Canistris*] Inepta lectio, nec eam agnoscit vel unus nostrorum librorum, in quibus consensu est *capillis.* Nec enim Cereris hic res aguntur, nec ad Bacchi pompam canistrorum usus pertinet. *Capillis sparsis* ingruere afflatos homines, omnes historiæ et fabulæ docent. Vide et Virgil. Æn. VII. de Amata. *Barth.*

379 *Regina chori*] Ut choros ducebat sacerdos una Baccharum. Ostendit autem antistitem Liberi, quæ Citheronem incolebat. *Lact.*

380 *Trifidamque huc*] Pathos tribus modis fit. Attendamus igitur, ut hæc complexus sit facto. *Idem.*

383 *Nisææ Pater*] A Nisa monte Bacchus. Virg. 'Bacchumque avertere Nisa.' *Schol. V.* Vide Serv. in illud Æneid. VI. 'Pampineis victor juga flectit habenis Liber, agens celso Nisæ de vertice Tigres.' Mons est Indiæ, de quo loquitur. Et Nisa civitas, ubi Liber colitur, unde 'Nisæus' dicitur. *Barth.* *Gentis avitæ*] Propter Semelen, Cadmi filiam, matrem Liberi. *Lactant.*

387 *Gangen*] Fluvius Indiæ, per quem gentem poëta significat. Hunc primus Liber, secundus Alexander, tertius Apollonius * Ovidius de ipso: 'Per septem portas in maris exit aquas.' *Idem.*

393 *Pendimus*] Invidiose: quasi pro sacrificio bellum lachrymasque tibi pendimus. *Idem.*

394 *Amazoniis ululatum Caucason armis*] Caucasus mons est Scythiæ, ideo *ululatum*, quod Amazones cum finitimis bellare dicuntur, quorum ululatus 'barritus,' id est, barbarus ritus. *Idem.*

397 *Juravi tibi*] In furorem sacrorum, non bellicum: hoc est, non ut bella canerem, sed ut sacrorum causas intelligerem: et bene de more militiæ *juravi* dixit, quia militiæ sacramentum dicitur: et sacerdotio dixit jurasse, non bello. *Idem.*

402 *Communemque petis defendere campum*] Optimi: *defendere montem.* Recte; nam ibi quoque saltus pascui. Virgilius Æn. II. 'stupet inscius alto Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.' *Gronov.*

404 *Et saltus dux alter habet*] Creontem significat, qui post interitum fratrum solus possedit imperium. *Lactant.*

406 *Terroribus impar*] Urgente conscientia. Solus enim causa erat tot malorum, de quibus per pervicaciam tamen dubitabat. *Vet. Scholiast.*

407 *Tenebrasque sagaces*] Quia cæcus, sed divinus Tiresias: *tenebras* dicit ignorantiam futurorum: *sagaces*, quæ totum investigaverant. *Lactant.*

409 *Consulit ille Deos*] Immolationem hostiarum totam hanc de Lucano mutuatus est: 'Non tripodas Phœbi, non Pythia consulit antra, Nec quæsisse libet primis quid frugibus altrix Ore Jovis Dodona sonet.' *Idem.*

411 *Tripode implicito*] Obscuro Apollinis responso. *Idem.* *Numerisque sequentibus astra*] Ut arithmetici, quos mathematicos dicimus, quorum in numeris est tota doctrina. Est etiam ars quædam, ex fumo aræ verum providere, quia ex divisione ipsius fumi quæ sunt futura cognoscunt: quos Græci καπνομάντεις appellant. *Idem.*

414 *Elicitos patuisse refert*] Nam aliis rebus melius quam manibus elicitos; id est, tantum interius inferos aperire refert, quam sint mortis dura

spatia demersa. *Idem.*

415 *Confinia*] Inter juncturas Hismenii pelagique. *Idem.*

416 *Parat ante ducem*] Ad futurum sc. sacrificium, ad Etheoclem versus parat. Verbum figuravit a nomine. *Idem.*

419 *Capax ævi*] Antiquitas. *Idem.*

420 *Intonsæ*] Nunquam depositæ. *Idem.*

422 *Ursæ*] A septentrionali plaga. *Idem.*

423 *Servat horror*] Possidet quædam veneratio, quia in magno silentio horror nascitur. *Idem.*

424 *Et mala*] Id est, non similis. *Idem.*

425 *Nec caret umbra*] Quasi alios quoque Deos habeat consecratos. *Idem.*

427 *Effictam*] Sculptam, quasi in omnibus arboribus imago ejus esset insculpta. *Idem.*

428 *Hujus inaspectæ*] Omnis lucus Dianæ est consecratus, ut quercus Jovi. *Idem.* *Stridere sagittæ*] Ut sonus tantum sit, visus vero nullus. *Idem.*

429 *Nocturnique canes*] Ut solent Hecate præsente. Nam formidant monstrosum Dæmonem. Virg. Æn. VI. 'Visæque canes ululare per umbram Adventante Dea.' Seneca Œdipo: 'Latravit Hecates turba.' *Barth.*

430 *Effugit*] Luna cum dimidia est, aut plena non est, dicitur apud inferos degere, et Proserpina compellari. Cum totum orbem habet, dicitur apud superos esse, et Diana dicitur; cum ad magica excitatur, Hecate vocatur. *Scholiast.*

434 *Immane patens tellus*] Extra ipsum lucum campus late diffunditur. *Idem.*

435 *Qui vomere primo*] Quisquis hunc primo aravit. Id est, Cadmus satis draconis dentibus. *Idem.*

438 *Terra tumultus*] Tumultus dicit illarum animarum, quæ se occiderunt: id est, aratoris proscissione indignantes pugnant inter se. *Idem.*

439 *Solaque nocte*] In qua solitudo est. *Idem.*

444 *Pinguia tabo*] Satiata cruore. Describitur locus, in quo hæc contendit importunus inferis sacris. *Id.*

448 *Stupuere silentia valles*] Baccharum vocibus clamosæ valles destitutæ immolatarum pecudum mugitibus. Stupuere dicit poëtica phantasia omnem gregem in illo luco immolatum, usque adeo ut fons de quo potabant armenta, et mons per quem errabant ingemiscerent, cum se armentis destitutos viderent. *Id.*

451 *Tellure cavata*] Pro novem scrobibus factis, in quibus ductus aquæ, quæ sacris est necessaria collocavit: id est nobiles latices fudit. *Idem.*

453 *Actæos imbres*] Actæa dicitur regio Attica, de qua et mella quæ veniunt et liquida sunt, et nimis dulcia. Unde Virg. et montem Atticum Aracynthum Actæum dixit, quia omnis regio maritima. 'Actæum imbrem' mulsum dicit: aut 'Actæos imbres,' aquam fontis illius, unde Actæon aspersus in cervum mutatus est. Sed utrum mulsum purum fontem an cruorem pecudum, quo possit tellus arida satiari, incertum est. Nonnulli rorem marinum in Actæo Aracyntho dicunt. *Idem.*

455 *Nemora advolvit*] Qui potest bonus Tiresias? Immo *advolvunt*, ut est in scriptis, scilicet ministri sacrorum, et qui aderant. *Gronov.*

457 *Jubet esse focos*] Hoc est statui, et pertinet ad celeritatem focorum. *Vet. Scholiast.* Optime quidem. Et sic in simili re alii. Apuleius lib. VII. 'Denique noluit esse Cæsar Hemi Latronis collegium, et confestim interiit, tantum potest nutus etiam magni principis.' Habet alioquin verbum *esse* rituale aliquid et pontificale, ut patet ex priscis aliquot inscriptionibus productis avertendæ

Lipsianæ in Tertullianum correctioni a Doctissimo Gutherio lib. IV. De jure Pontific. cap. 13. *Semper virgines* autem Furiæ. *Barth.*

459 *Profundæ erigitur Cereri*] Tria sunt in sacrificiis loca, per quæ piationem facimus. Scrobiculo facto inferis, terrestribus supra terram sacrificamus, cælestibus extractis focis: unde etiam nominata sunt 'altaria,' ad quæ sacrificantes manus porrigimus in altum. *Lactant.*

460 *Cupressus plorata*] Luctibus apta. Cupressus speciosus puer dum veneratur in amorem sui Apollinem compulit, a quo accepit cervum pulcherrimum munere et mansuetum, quem cum diligeret, lassus somnum sub arbore capere cœpit, subitoque excitatus strepitu, cervum longe vidit; credens silvestrem, missa sagitta eum interemit, agnitoque, usque eo ingemuit, ut ab omni cibo potuque abstineret, quo tabescente Apollo misertus ejus, vertit eum in arborem sui nominis; de quo Virg. 'Funesta fronde coronat.' Hæc causa est quare cupressus adhibetur locupletum funeribus. Lucan. 'Et non plebeios luctus testata cupressus,' quia incestatas familias Romani hac notabant. Quidam volunt ad hoc nomen electam arborem, quia infructuosa apta defunctis est; vel quod in tutelam eam dixerint inferorum. *Idem.*

462 *Signati*] Designata capita habentes: prius enim setæ tolluntur, aut lana, et aris imponitur, et ita quasi designatur immolationis victima. *Idem.*

463 *Cecidere greges*] Sacerdotum consuetudo talis est, ut aut ipsi percutiant victimas, et 'agones' appellantur; aut sic tenentes cultrum alter impingat: ideo dicitur, *In vulnus cecidere greges*, quia 'victimatores' dicuntur. *Idem.* *Mantho*] Filia Tyrhesiæ virgo. *Idem.*

464 *Prælibat*] Primo est sanguinem libare, deinde immolare, tertio reddere, quarto litare. *Idem.* *Sanguinem et omnes*] Non mutamus hanc lectionem. Neque inepta eo loco elisio, cum pares sint in Marone, aliisque, etiam Ovidio, et ipso antiquorum Poëtarum perquam studioso, quod mirabuntur magistri, cum docebitur. Virg. Æneid. I. 'Omnibus exhaustos jam casibus, omnium egenos.' In libro tamen optimo clare est *Sanguen*, ut et in potiore illorum, quos contulit Lindenbrog. Quam correctionem esse alicujus ab veteri ævo Palæmonis existimo. *Barth.*

468 *Ipsa sonantia flammis*] Hostias, et sic futura dicit. Ars autem aruspicina hæc habet, ut et thuris motus et crepitus, et fumi meatus et flexus aruspex ipse colligat, quoniam hæc primum signa aut testantur extorum promissus si bona sint, aut si contraria refragantur. ut testatur liber de thuris signis qui ipsius Tyresiæ scribitur. *Lactant.*

469 *Sensit*] Quia carebat oculis sacerdos. *Idem.*

470 *Ardor anhelat*] Hoc bene adjecit. Nam quomodo cæcus posset intelligere aras ardere, nisi ignis afflatu? *Idem.*

472 *Vox impulit*] Id est, illius precibus flamma nutrita est. *Idem.*

477 *Loca muta*] Silentia inferorum, et ipsi Silentum nomine ab omnibus Poëtis celebrantur. Ovid. lib. IV. 'Ducit ad infernas per muta silentia sedes.' *Inane*] Vacuum regnum. *Vet. Schol.* *Inane* dicit spatium immensum, ut Poëtæ omne, quod inter cœlum et terram est, hoc nomine censent. *Inane* igitur omne regnum infernum sonat. *Barth.*

478 *Vulgusque cava nocte*] *Cava* patenti aut alta: sed melius *cava nocte* est, vacua ab opere. *Lact.* *Repostum*] Ideo quod itidem ad superos ad corpus revertatur. *Idem.*

480 *Ferte simul gressus*] Nocentes inquit de tartaro, pii de Elysio veniant. *Idem.* *Manibus*] Manes Græco-

rum dicit. *Idem.*

481 *Tu separe cœtu*] Ea notione dixit, qua 'dispare cœtu.' Genus loquendi a paucis usurpatum, quod equidem meminerim. *Bernart.*

482 *Potenti Nubilus Arcas agat*] *Nubilus* infernus. Imperat autem Mercurio et Libero, ut animas piorum evocent. Quare autem per se cate est ratio. Quidam enim volunt non Jovis filium esse Mercurium, sed Pyrrhæ: in qua opinione et Hesiodus versatur in his libris, quos de Theogonia scripsit: quidam Persei. Corvilius quatuor Mercurios esse scribit. Unum Jovis et Maiæ filium: alterum Cæli et Diei: tertium Liberi et Proserpinæ: quartum Jovis et Cyllenes: a quo Argus occisus est: quem ipsum ob hanc causam Græci profugum dicunt, Ægyptiis autem litteras demonstrasse. Ergo Mercurium Liberi et Proserpinæ filium dicunt animas evocare. De quo Virgil. 'Lethæum ad fluvium Deus evocat agmine magno.' *Lact.* *Per crimina functis*] Tisiphone pande diem. Sensus hic est: Hecate et Mercurius pias animas ducant, nocentes Tisiphone. *Idem.*

484 *Qui plures Erebo*] Ut Virg. 'Quæ maxima turba est.' Sed modo aucti per sanguinem Thebarum. *Idem.*

485 *Taxo*] Quia de hac arbore venenosa faces furiæ dicantur habere. *Idem.*

486 *Tisiphone dux*] Tu, inquit, Tisiphone illos reduc qui scelerati sunt, plurimique de stirpe Thebana. *Idem.*

487 *Cerberus occursu*] Hujus enim officium erat, blandiri venientibus, ut tristia loca intrarent, terrere et devorare conantes regredi. Vide Hesiod. in Theogon. vs. 769. Fingitur natus hic canis ex Typhone et Echidna. Vide Higin. Fab. xxx. et cap. 151. et Hesiod. Theog. vs. 310. Pascebatur sanie, et venenum spumabat. *Barth.* *Detorqueat umbras*] Avertat ad superos quidem venire cupientes. *Lact.*

489 *Illi formidine nulla*] Subaudimus, stabant Mantho et Tirhesias. *Idem.*

492 *Vellera pressat*] Amplectitur, constringit, petens auxilium timoris. *Idem.*

493 *Confraga*] Aspera et deserta. *Idem.*

496 *Et sudantia*] Ex manuum sudore. Nam per timorem sudor oritur venatori. *Idem.*

499 *Cæca metitur*] Quæ cæcat mentem et conturbat cæca cura. *Id.*

501 *Hunc sacravimus*] Lips. liber: *quibus hunc saturavimus ignem.* Victimis videlicet interjectis et combustis. *Bern.*

502 *Levaque convulsæ dedimus*] Qui sinistra manu funduntur, leva manu infuderat. Inferis sinistra manu immolamus pocula. *Lactant.*

506 *Colchis aget*] Civitas Scythiæ, de qua omnes veneficæ, unde Medea. *Idem.*

507 *Cura minor*] Hoc est, illis obtemperatis, et nostra præcepta contemnitis. *Idem.*

509 *Mixtos cælique Erebique*] Confusis juribus. Nefas enim erat inferorum Deos conspicere Solem. Itaque et spectra et umbræ excitæ Solem fugere orientem a Poëtis dicuntur. Sic jurat Plato pro inaudito penitus monstro apud Claud. primo de Raptu: 'Patefacta ciebo Tartara, Saturni veteres laxabo catenas, Fulgidus umbroso miscebitur Axis averno.' *Barth.* *Sub unum funestare*] Pro in unum et in communem immolationem hominis, propter necromantiam: his enim inferi delectantur. *Lact.*

511 *Functorum carpere fibras*] Magorum ritum tangit Appuleius lib. II. 'Sed et bustis et rogis reliquiæ quædam, et cadaverum præsegmina ad exitiabiles viventium fortunas petun-

tur.' Tacitus Annalium II. 'Reperiebantur solo ac parietibus erutæ humanorum corporum reliquiæ, carmina et devotiones et nomen Germanici plumbeis tabulis insculptum, semiusti cineres, ac tabe obliti, aliaque maleficia,' &c. Credo crimen hoc notare Theodosium et Valentinum Imperatores, lib. VIII. cap. de Repud. 'Vir quoque pari fine claudetur, nec licebit ei sine causis aperte designatis, propriam repudiare jugalem, nec ullo modo expellat, nisi adulteram, vel veneficam, aut homicidam, aut plagiariam, aut sepulcrorum dissolutricem.' *Bernart.*

515 *Dici nescive timetis*] Hæc de Lucano mutuatur, cum minantem Manibus Thessalam induceret. *Lactant.*

515 *Ni te Thymbræe vererer*] Bene, licet magiam faceret, honorem servavit Apollini: cujus reverentia nolle se dicit germanæ ejus Dei invocationis metu contumeliam facere. Ipsa autem Hecate Diana dicitur. Tetigit et philosophice partem sacrorum juxta picturam, quam in inferiore ad notationem commemorat. *Idem.*

516 *Triplicis mundi*] Juxta picturam illam veterem, in qua hæc tormenta descripta sunt, et ascensio ad Deum: dicit deum demogorgona summum, cujus nomen scire non licet. Infiniti autem philosophorum magorum, Persæ etiam confirmant revera esse, præter hos Deos cognitos qui coluntur in templis, alium principem, et maxime Deum, ceterorum numinum ordinatorem, de cujus genere sint soli Sol atque Luna: cæteri vero qui circumferuntur astra nominantur, quæ ejus clarescunt spiritu, maximis in hoc auctoribus, Pythagora, et Platone, et ipso Tagete, convenientibus. Sed dire sentiunt, qui eum interesse nefandis artibus actibusque magicis arbitrantur. In versu ergo Poëta sic dixit illum, quasi nomen sciret: sic repetunt, ut prodiret; sed hoc magis ad terrorem dixit, illum ut putaretur scire: si ergo scire nefas est, disci a vate non potuit; licet magis frigidas habeant quas putant Dei nomine continere: sed hoc Dei vocabulum a nullo sciri hominum potest; sed quid veritas habeat percipe. Hujusne Dei nomen sciri potest, qui nutu tantum regit et continet cuncta, cujus arbitrio deserviunt; cujus nec æstimari potest mundus, nec finibus claudi? Sed cum magi vellent virtutis ejus, ut putabant, sese comprehendere singulas appellationes, quas per naturarum potestates abusive modo designarunt, et quasi plurimorum numinum nobilitate Deum appellare conati sunt: quasi ab effectu cujusque rei ductis vocabulis, sicut Orpheus fecit, et Moyses Dei summi antistes et Esaias, et his similes. Ethrusci confirmant nympham, quæ dum non nupta fuerit, prædicasse maximi Dei nomen exaudiri hominem per naturæ fragilitatem, pollutionemque fas non esse: quod ut documentis assereret, in conspectu cæterorum ad aurem tauri Dei nomen nominasse, quem illico ut dementia correptum, et nimio turbine concitum, exanimasse: sunt qui se licet secreto scire dicunt, falsum sciunt, quoniam res ineffabilis comprehendi non potest. *Lactant.*

522 *Tartara*] Optimus Codex, aliique et Bernartiani, *Flumina.* Quæ est scriptura vera. Silvis enim generatim flumina subdit, quorum quædam mox speciatim nominat. *Chaos* autem jam *Tartara* indicavit. De Acheronte et Phlegethonte aliisque notæ sunt Mythologorum Commentationes. Phlegethon ignem, Acheron lacrimas pro undis habet. *Barth.*

524 *Styx*] Quæ meatu suo manes discernit a Superis: ut 'et novies Styx interfusa coërcet:' et ideo interfusam nominavit. *Lactant.*

527 *Junonis thalamos*] Pythagoras dicit duo esse hemispheria, quibus

proprios Deos assignat, et facit superioris regem Jovem, et reginam Junonem. Inferioris Ditem Jovem esse infernum, Proserpinam Junonem infernam. Et duas Veneres, unam supernam, et alteram Libitinam, et alios Deos binos constituit, Hecaten, sicut Ditem Jovem, ita et hanc Stygiam Junonem. Ut Virg. 'Junoni infernæ dictus sacer.' *Idem.*

528 *Dominique silentis*] Libri optimi, *silentes*. Recte omnino. Sed præterea collegii Magdalensis Oxonii membrana, *dominoque*. Plutoni videlicet. Verumtamen, cum in omnibus aliis sit *dominique*, libenter applaudo ingenio Nicolai Heinsii, scribentis: *dominisque silentes Adnumerat populos:* ad Claudianum. Statim meliores: *major superimminet ordo;* non *supereminet*. Quasi diceret hoc quoque illic esse miraculi, ut semper plures numerandi restent quam numerati sint. *Gronov.*

530 *Arbiter hos dura versat, &c.*] Licet de disceptatore animarum et censore vitæ alia sit secreta et arcana veritas, tamen quod ex opinione translatum est in tabulis scribam. Cortynius arbiter, Minos Cretensis, cui ad gloriam et titulum sola natalium sufficeret claritas, meruit placiditate mentis, ut plus eum moribus quam claritate generis omnes mirarentur. Fuit enim Rex Cretæ ita vita clemens, ut, quod est mirum, gauderent eum dominum quibus imperabat. Defuncto deinde quantum mansuetudo mereatur nec fato quidem hoc honore privatus est; nam dicitur apud manes de supremo exitu judicare mortales. Veteres enim Græci, ut impios crudeles pœnas apud inferos luere, sic bonum quemque adeptum bonæ vitæ præmia post mortem esse dixerunt: quod est bonitatis exemplum: quia Minos non ut regem aut tyrannum, sed tanquam unum de plebe se gessit, quæ laus summa est, ut Seneca in Thyeste: 'Nescitis cupidi arcium, Regem non faciunt opes, Non frontis nota regiæ,' &c. *Arbiter hos*] Quasi quæsitor, ex sorte judex legit, quos habeat in consilio: ut 'quæsitor Minos urnam movet.' Hic Jovis et Europæ filius, cujus fuere fratres Rhadamantus et Sarpedon. *Lactant.*

535 *Angustam centeni Ægæonis umbram*] *Angustam*, tenuatam. Nec enim in figura animæ tanta est magnitudo, quanta in corporis veritate. vel quem spatia tanta vix capiunt: vel quamvis centum manus fuerint, umbra tamen ejus memoratur angusta, quia major est in umbra inani, quam in corpore magnitudo. *Idem.*

537 *Remeabile saxum*] Virg. 'Saxum ingens volvunt alii.' Sisyphi exemplo illi signantur, qui contempta vera philosophia, ad volvendum mundi onus crebro vertuntur. *Idem.*

538 *Fallentesque lacus*] Tantali, cujus ab ore epulæ subtrahuntur. Bene *lacus* pro potu posuit. sic Horat. 'Tantalus a labris sitiens fugientia captat Flumina.' *Tytion*] Quia Latonæ voluit vim inferre, ejus pectus lacerat vultur. *Idem.*

539 *Ixiona gyris*] Cathimenon, quod rotæ volubilitate rapiatur. Ixion Flegiæ filius cum misericordia Jovis in cœlum sublatus fuisset Junonem de stupro interpellare ausus est, quæ de audacia ejus conquesta Jovi, suadente ipso pro se nubem misit, cum qua Ixion cum coiret, geniti sunt Centauri. Reversus autem ad mortales Ixion gloriatus est cum Junone concubuisse, ob quam causam eum Juppiter fulmine percussit, et ad rotam volvendam ligavit. *Idem.*

548 *Nostramque move per*] Quia cæcatus fuerat a Junone Tyrhesias, qui majorem multo libidinem mulierum locutus esset, ideo quia antea fœmina fuisset: et merito: quia utriusque sexus fuerat expertus naturam, qua de re et ante dictum est. *Idem.*

549 *Carmenque serit*] Sensus: Et serit carmen, quo collectas umbras et non necessariu spargeret: necessarias vero ac passim vagantes in unum cogeret. *Idem.*

550 *Si crimina demat Colchis*] Talis erat Mantho carminibus ademptis, qualis Medea aut Cyrce magica arte perfecta: ut collatio conveniret. Medeæ artem talit herbarum, quia Mantho uno carmine potentiam exercet. Cyrcen autem non carminibus, sed herbis constat valuisse, quia decipiebat poculis transeuntes. Equidem cum sit naturæ ratio fingendo corpora facere homines, qui fuerant belluæ resoluta feræ figura humanos vultus effingunt. Cyrce ergo fuit mortalis, quam stulti Solis filiam fuisse dixerunt: si fas est, ut Dei filia credatur esse mortalis. Sed ordinem fabulæ perstringamus. Hæc Cyrce in insula Mæonia delatos ad se in feras mutabat. Ad hanc forte delatus Ulysses Eurilocum cum viginti et duobus sociis misit, quos ab humana specie commutavit, sed Eurilocus inde fugit, et Ulyssi nuntiavit. Is solus ad eam proficiscitur, cui in itinere remedium Mercurius dedit, monstravitque quomodo Cyrcen deciperet. Qui posteaquam ad eam venit, ab ea poculo accepto Mercurii remedium miscuit, et eduxit ensem, eique minatus est ut socios sibi restitueret. Tunc Cyrce sensit sine voluntate Deorum non esse factum, fideque data socios ei restituit. Ipse cum ea concubuit, ex qua Telegonum procreavit: inde proficiscens ad Avernum delatus ad Inferos descendit: reliquos labores ejus Tyrhesias vates edocuit. *Idem.*

553 *Primus sanguineo*] Eleganter cœpit a conditore Thebarum posteriorum historias narraturus. Cadmum et Harmionen diximus in dracones esse conversos, quorum veniunt animæ ut bibant fossam sanguinis plenam. *Idem.*

556 *Terrigenæ*] Quos sparsis draconis dentibus terra edidit. *Idem.*

557 *Mensura dies*] Quibus nascendi moriendique dies fuit. *Idem.*

559 *Spirantum rabie*] Id est furore viventium adhuc arma tractabant, suumque magis fundere sanguinem festinabant, quam eum qui erat fusus in fossa. *Idem.*

560 *Alternum superent*] Quos draconum dentibus satis tellus edidit: odia vetera retinentes potandi ordinem immatura festinatione turbarunt. *Idem.*

561 *Nepotes*] Pentheus, Actæon, et Melicerta. *Idem.*

562 *Orbam Autonoën*] Quia Actæonem filium perdidit. *Idem.* *Anhelam Ino*] Vel furentem, quod ei nupsit pellex: vel quod mariti Athamantis tela fugiens, cum Melicerta fluctibus sese tradidit, quod Athamas Learchum occiderat. *Idem.*

564 *Semelen a ventre lacertis*] Quia cum proximas vidisset fulminis flammas pia mater, non immemor pignoris, manus ventri ne perimeretur opposuit, quasi fulmen non sibi, sed filio formidaret. Mire autem dictum est, *in ventre*, quod inter periculum fulminis filio timeret. *Idem.*

565 *Genitrix Cadmeia*] Agaven dicit non Cadmi filiam, sed quæ a Cadmo originem duceret, quæ filium furens occidit: ergo *genitrix Cadmeia* ambigue, non enim mater Cadmeia, sed filia. ordo, Cadmei genitrix insequitur, quæ scitur esse Cadmeia. *Idem.*

569 *Echion*] Pater Penthei: Actæonis vero Aristeus fuit, filius Apollinis et Cirenæ. *Idem.*

570 *Tristem nosco Lycum*] Hic est Lycus, qui Megæram filiam suam Herculi dedit uxorem: et ob hoc a Junone in furorem versus est, et filios Herculis ex Megæra susceptos, Oxea et Leontiadem, occidit. *Tristem* ergo propter mortem nepotum. Hic est ergo Lycus maritus

Antiopæ, Nyctei regis filiæ: et tristis ob stuprum conjugis quam per vim stupraverat Epaphus, ille eam projecit. Epaphus autem fuit ex Jove natus: quam fabulam latius aperiemus. Antiopa Nyctei regis filia ab Epapho per dolum stuprata est, quæ ob id a viro Lyco est ejecta vi: qua pulsa Dyrcen duxit uxorem, cui suspicio incidit virum suum clam cum Antiopa concubuisse, itaque impetravit a famulis, ut eam vinctam in tenebris clauderent, cui cum partus instaret, Jovis voluntate effugit vincula, et in monte Citherone partum exposuit. natos, Zetum et Amphionem, projecit, hos pastor pro suis educavit, quos postea mater agnovit, qui injurias ejus executi, Lycum interfecerunt: Dyrcen tauro indomito religatam, vita privaverunt. *Idem.*

571 *Æolidem*] Athamantem dicit Æoli filium cum humero onusto, quia sic pingitur insequens Ino uxorem, collo portans filii Learchi cadaver. *Idem.*

573 *Frons aspera cornu*] Actæonem significat, qui dicitur apud Inferos eadem forma mansisse, qua apud Superos fuerat, habentem cornua. *Id.*

576 *Tantalis*] Niobe Tantali filia et Peniopes, quæ partus sui fœcunditate elata cum filiis septem a Diana et Apolline probatur extincta. *Idem.*

577 *Nil dejecta malis, &c.*] Filiis delectatur extinctis amplius sibi non posse deorum injuriam nocere, cum desint in qnibus peccatorum licentia vindicetur. *Idem.*

589 *Torvus Abas*] Acrysii pater, quem torvum dicit, quod fuerit torvus in cives. *Idem.* *Prætusque nocens*] Ideo nocens, quia Bellerophontem voluit innocentem occidere. Bellerophon Glauci filius, cum ignarus ad Prœtum in hospitium venisset et uxor Prœti Sthenobea, sive Antia, illum amaret, nec ab eo impetrare potuisset ut secum concumberet, apud suum virum mentita est, ab eo se compellatam fuisse. Prœtus ad Adjuvarcem socerum suum misit, et de eadem re Bellerophonti dedit tabellas perferendas socero, quibus lectis interficere voluit talem virum: sed cum ille prudentia sua et castitatis auxilio se ab instante periculo liberasset, ad interficiendam Chymeram missus est, quam ille Pegaso juvante prostravit. Denuo eum misit ut Calydonas vinceret, etiam illos cum vicisset, et cum novissime scivit Adjuvarces, quod ipsi fuisset causa tanti mali faciendi, crimina quæ in eum confixerant abolevit, virtutemque ejus laudans alteram filiam Alchimenem ei dedit uxorem. At Sthenobea re cognita ipsa se interfecit. Ergo is Prœtus nocens quia innoxium juvenem periculis tantis objecit. Hæc fabula apud Homer. l. VI. est ipse Prœtus cujus filias sub contumelia læsi numinis Juno furore complevit, quo se factas buculas putarent. De quibus Virg. 'Prœtides implerunt falsis mugitibus agros.' *Phoroneus*] Hic est qui primus Junoni sacrificasse dicitur, ut Dardanus Jovi. Phoroneus autem Inachi filius, qui primus mortalibus regnavit, cujus filiam Nioben, quia alia Tantali est, Jupiter primo mortalem dicitur compressisse. *Idem.*

593 *Hic grege condenso*] Sane est in scriptis nonnullis, unde Bernartius admisit: sed male. Nam ejus auctores vitiosa distinctione sunt decepti, cum conjungerent, *hi pugnaces animæ.* At duo ista verba addenda sunt in præcedentem proxime parenthesin: et ita evidens est τοῦ *Hi* necessitas: *quid autem Hi grege condenso (quantum arma et vulnera monstrant, Pugnaces animæ) nobis, &c.* intendunt manus. Δευτερῶν. *Gronov.*

596 *Rex fallor, an hi sunt*] O rex Etheocles. Eos ostendit Etheocli, quos ipse etiam posset cognoscere. *Sine pace* autem dixit, aut bellicosas,

aut ipsi discordes, cujus causa fuerant interempti. *Lactant.*

598 *Maena lauro*] Maronem illum vatem dicit: ideo præsignem lauro, quoniam fuit sacerdos Apollinis, et divinatione pollebat. Quem Tydeus a quinquaginta virorum cæde servatum remisit Thebas incolumem. Qui se in conspectu regis, donatam vitam respuens, conscientia virtutis occidit. *Idem.*

599 *Ne sævite duces*] Quasi apud indignantes eos loquitur, qui fuerunt interempti a Tydeo, et casum humanæ sortis excusat fatorum legibus evenisse. Omnia prospera viderat de parte Thebana, et Argolicos duces vultu pronunciasse de fato belli. Sed vidit illos Thebanos quos Tydeus peremit, quos hic minantes civibus suis placat: dicens fatorum fuisse legem ut tot caderent, non virtutis alienæ. Dein superstitibus Thebanis, qui Tydeum viderent esse passurum. Hoc autem mihi videtur dixisse Statius, fretus historiæ exemplo, ut animas seu manes irasci diceret, et a Tyresia placatos. Alexander igitur cum in Asiam traduceret exercitum, conspexit proximam littori manum armatorum, armis Achivis candentibus, propterea tubam canere jussit, et milites navibus egredi armatos. Sed cum abiret a conspectu Macedonum ea species umbrarum, ante cunctis perspecta, postquam attigit Thraciam terram certior a vicinis factus, quod ejusmodi visiones ibi frequentissime fierent, suspicatus animas esse Achivorum, qui consociati fœdere Thessalis fuerant Hernico bello, inferias apud tumulos Achivorum dedit, precatus adversus barbaram gentem auxiliarios sibi fieri: opinatus eosdem et in excessione classis apud littus sibi visos. Isque in ea pugna, cum apud Granicum confligeret exercitus, multas ibidem species in prælia conspectans, putans Macedonum exercitum, nec minus alias animas apparuisse barbarico habitu, ex adverso existimantes hostium numerum, eo prælio multis ex utraque parte cæsis. Locus in quo ceciderunt faba primo floresque nati fidem veteribus præbuit, quia abstinendum usu fabæ suadent. *Idem.*

607 *Non ille aut sanguinis*] Obliquus ob parricidium posteris, horret nepotem Laius scelere procreatum, nec sacrificii oblatione mitescit; nam cum importune instantes abigit, illos quinquaginta qui manu Tydei fuerant interempti, quos vittis redimitos dicit utpote reges, eosque sacrificii sanguine placat ostenso. Illum tamen non sanguis sacer, non alius liquor, qui sacrificiis consuevit offerri mitigat; id est, vini, aut mellis, aut lactis, sed immortale odium posteris servans, nulla oblatione sacrificii placatur. *Idem.*

609 *Sed prosilit ultro*] Lindenbr. notat e scriptis: *proligit*. In nostris fere omnibus clare: *prolicit*. Verissime: ad sermonem invitat. Plautus Curculione: 'Ejus amor cupidam me huc prolicit per tenebras.' *Gronov.*

612 *Vidit amica dies*] Prospera, id est, quæ ab execrabilibus facinoribus est aliena: nam post ejus obitum uxor filii sui Œdipodis est sortita conjugium. Qui funestam rem sæpissime fœcunditate partus incerti significavit. Secutum est nihilominus, ut re cognita filius conjunx voluntaria se cæcitatis pœna damnaret, deinde voluntarium Polynicis exilium, et post omnia imminens bellum. *Lactant.*

613 *Placata minoribus umbra*] Calamitatibus posterorum; nam et parricida filius perpetua errat cæcitate damnatus: et in regno nepotes erant discordes cupiditate regnandi. *Idem.*

621 *Pande vel infensus vel res*] Quin jam si iratus es narra quod doleant; si placatus es, posteris ede, quod caveant: ut in inferorum squalore per-

petuo posito regi suaderet, quæ poscebat edicere, spem ulterioris ripæ, ad quam (præter gloriosam mortem, quam belli necessitas ingerebat) violenter occisi prohibebantur accedere, promittit carminibus posse concedere. Et Deis inferis se commendat, quamvis esset contra jura prohibitum. *Idem.*

624 *Mulcetur honoris*] Placatus muneribus sacerdotis sumpsit sacra libamina, et tunc demum reddidit consultanti responsum. Alii *tingitque genas* magis intelligi volunt fletu, quam sanguine. *Idem.*

625 *Tingitque genas*] Paulum sanguinis ore libat. *Gloss. Manusc.* Ambiguam de lacrimis et sanguine sententiam facit fatuus non raro usus 'genarum' vocis, qua sibi nec quid nec quare placuit Papinius. Agnoscit ambiguum sensum et Lutatius et Scholiastes. Nos cum fata canat, et invitetur ad sanguinem a Tiresia, de hoc capere malimus. *Barth.*

626 *Versanti manes*] Consideranti. *Lactantius.*

630 *Poscitis illum*] Schema Epizeuxis, id est, repetitio nominis. Dicit ergo Œdipum filium suum hæc sacra debuisse facere, qui nece patris et matris concubitu Thebanum moverat bellum. *Idem.*

631 *Læto dedit*] Stulta lectio. Mirum enim nisi aliquo loro ex aqua. Servant vitium omnes editi. At optimo libro nostro consentiunt restituendæ Veritati Membranæ tam Lindebrogio, quam Behottio, olim collatæ: *læto fodit ense Patrem.* Cardo rei est: quod exsultavit in cæde paterna, ut quidem hæc maligna Umbra convitiatur. *Barth.*

633 *Atra fatigat concilia*] Imprecando filiis lassat. Horat. 'Prece qua fatigent Virgines sacræ minus audientem Carmina Vestam.' *Lact.*

638 *Lernæos*] Græcos, a Lerna palude Arcadiæ. *Idem.*

639 *Hos terræ monstra*] Propter Amphiaraum, qui hiatu terræ demersus est. Seu propter Tydeum, qui prodigialiter Menalippi percussoris cerebrum vorando defunctus est. *Id.*

640 *Tela manent*] Propter Capaneum qui eo clarior fuit, quod Jovis fulmine meruerit interire. *Idem.*

641 *Sontes lege moræ*] Id est, ex lege moræ venientes ne sontes sepelirentur Achivi. *Sontes* autem *moræ* optime, nocentes, quia differunt sepulturam. Sed et in primo: 'tumulisque carentia regum Funera.' *Idem.*

642 *Ferox germanus*] Quia armis repetit. Quam imaginariam causam habet Eteocles non reddendi ex pacto regni apud Euripidem Phœnissis. Hæc autem ita proferuntur, ut magna simul Thebanis infortunia prædicent. *Furiæ*] Œdipi pars, et ipse dirus mens filius suis auspiciis, per suas furias et pessima facinora, victoriam tamen hic obtinebunt. *Barth.*

646 *Gelidam Nemeen*] Sylva in qua leo ille fuit, quem Hercules vicit. *Lact.*

648 *Sidonias*] Thebanas, quia Thebarum conditor Cadmus. Sidonius vero Tyrius. *Idem.*

652 *Marcidus*] Lassus, ebrius, aut quia molles faciat per pacem. *Idem.*

653 *Sidere brumæ, &c.*] Duo hic notanda, *brumas* pro 'annis' poni: eleganter sane, quia apud Getas: 'Semper hyems, semper spirantes frigore venti.' Deinde observandum *Icariam Umbram* pro 'vite' positam. *Bern.* Luctatius: 'Icharus comes Liberi, qui a Libero vini usum mortalibus ut traderet sumpsit, quod cum pastoribus exhibuisset potandum, ebrii facti, putantes se veneno tentatos, Icharum interemerunt. Cujus Erigone filia cum ductu canis inventum fleret cadaver, in vindictam patris Deorum imploravit auxilium; recepti ambo locantur inter sidera, Erigone in virginem, Icharus in stellam Bootæ: dicitur enim cum plaustro suo receptus in cœlum.'

656 *Materna ad mania*] Thebas, ubi præcipue cultus Bacchus. Horatius: 'vel Baccho Thebas, vel Apolline Delphos Insignes.' Thebarum solarum gloria, omnis mundi confessione, Deos apud eas duos prognatos, Herculem et Bacchum. *Barth.*

658 *Lynces*] Cum Triptolemus beneficio Cereris fruges per omnes spargeret gentes ad Lycum Siciliæ regem venit, et ibi pene deceptus est: volens enim Lycus, id quod hospes attulerat, fuisse suum monstrare, Triptolemum insidiis finire conatus est, at illo periculo cognito stricto gladio Lycum persequi cœpit. ille in feram sui nominis versus morum suorum colore distinctus est: ut Virg. 'quid Lynces Bacchi variæ.' *Lactant.*

659 *Armentalia*] Equi non armenta: ut Virg. 'Armentalis equi mammis et lacte ferino.' *Idem.*

660 *Mimallones ursas*] Lingua Macedonum, Bacchæ. Hinc Persius: 'Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis.' *Idem.*

661 *Sunt illic Ira, Furorque, &c.*] Optimus Poëta serio agens, quod agere non videtur, pessimæ matris Ebrietatis pessimas proles indicat. Possem ad vitæ hujus coërctionem multa adferre, sed ne extra chorum saltare videar, solum cum Q. Curtio dicam: 'Magnum illum Alexandrum ingentia animi bona, illam indolem, qua omnes Reges antecessit, illam in subeundis periculis constantiam, in rebus moliendis efficiendisque velocitatem, in deditis fidem, in captivis clementiam, in voluptatibus permissis quoque et usitatis temperantiam, unius vini cupiditate perdidisse.' *Bernart.*

663 *Succiduique gradus*] Ebrietate titubantes. *Lactant.*

672 *Argos*] In plurali numero masculini tantum generis esse Virg. docet: 'Si patrios unquam remeassem victor ad Argos:' in singulari vero *Sævos Argos.* Notandum neutri generis civitatem *Argos* dictam, nam Horatius in neutro genere posuit, 'aptum equis Argos.' *Lactant.* *Indomitæ*] Cujus iram in me nullum tempus, nulla pietas, nulli mei labores domare aut satiare possunt. *Vet. Schol.* Aliæ membranæ: *Indomitæ*, insatiatæ. *Cineri data Mater*] Semele combusta, per fraudem malesuadam Junonis zelotypæ. *Barth.*

673 *Cineri data mater iniquo*] Illud dicit tempus, quo fraude Junonis Semele mater optavit Jovem eo cultu videre, quo cum Junone concumberet, quod cum ferre non potuisset, divino igni apud Thebas consumpta est. Merito ergo eam civitatem matris sepulchrum Liber appellat. *Lactant.*

676 *Et resides ferro*] Corrige ex memb. *et residem ferro petit improba Theben.* Servius ad Æn. v. 'Urbe Mycenæ, Græce dixit: unde singularem numerum posuit. Mycene autem sicut Thebe.' Juvenal. 'Atque vetus Thebe centum jacet obruta portis.' *Gronov.*

681 *Anhela*] Id est, æstuosa, quando Sol in Cancro est: et necesse est quando Sol medio cælo est omnia illustret. *Lactant.*

683 *Mediusque silentum*] Cum silerent Nymphæ, quibus convocatis medius ipse constiterat. *Idem.*

684 *Agrestes fluviorum*] Oratio Liberi ad Nymphas, ut cuncta siti exhausta siccarent. Numina autem sunt fluviorum Nymphæ, a fontibus enim originem ducunt: unde Virgil. 'Laurentes Nymphæ genus amnibus unde est.' *Idem.*

687 *Rivos*] Id est vis tanta sit siccitatis, ut rivorum alvei pulvere impleantur. *Idem.*

688 *Nemees*] Paludis nomen unde erant Argivi, ex qua et campum significat, quo adventat exercitus Argivus. *Idem.*

689 *Ex alto fugiat liquor*] Penitus

imperat ut humor ex alto in profundum discedat. *Idem.*

690 *Phœbus ad hæc summo*] Optimus liber scriptus Lips. *Phœbus adhoc summo*, quod valde amplectimur: *adhoc* pro 'præterea.' Terentius Adelphis: 'Satis adhoc tua nos frustrata est fides.' Tacitus Histor. I. 'Multi adhoc numeri.' Adi Sallustium qui frequentissimus in hac phrasi. *Bernart.*

692 *Erigones spumat canis*] Id est, quam ego vindicavi, id est, Erigone: singulis enim mensibus aliorum syderum ortus ingreditur. Canicularem ergo dicit stellam, quæ ideo inter sidera recepta est, quia servavit cadaver Learci interempti: aut quia ipsa Erigone nunciavit interitum domini: et bene ait, *mœæque*, propter Icarum patrem. Hodieque enim sacra Liberi dantur in honorem Erigones. Virg. 'oscilla ex alto suspendunt mollia pinu.' *Lactant.*

695 *Licentum cornipedum*] Licenter facientium Panum; nam Fauni solent Nymphas ad usum libidinis rapere. Etiam Faunos sumpto vino in Venerem constat esse petulantes. Constat etiam Liberum, et Apollinem esse, et Solem. ideo juvenes omnes imberbes, quia ignis non senescit. *Idem.*

699 *Sitis arida*] Omnes nostri libri habent, *ignea*, et recte; vox enim *protinus* subitam atque extraordinariam vim designat. Virgil. Georg. III. 'ubi ignea venis Omnibus acta sitis, miseros adduxerat artus.' *Barth.*

706 *Eoa liquentia*] Ægypti liquore nascentia: ergo hoc facit Nilus, quod apud alias gentes bruma, id est, imbres, ut Lucan. 'atque hyemes afferre suas.' *Brumæ*] Illo tempore quo bruma apud Ægyptum esse creditur. *Lactant.*

708 *Hiulca Ægyptos*] Calore fissa: ut Virg. 'Aut ubi hiulca siti findit canis æstifer arva.' *Idem.*

712 *Advolvensque natantia*] Ut quisque fide et ætate præcellit, exhibet: *advervensque natantia saxa Charadrus.* Scholion optimi: 'trahens rapiditate sua.' Recte: provolvens et agens secum, ut solent scopis purgamenta, qui verrunt. Supra: 'longa spumantem valle Charadrum.' *Gronov.*

713 *Audax Erasinus*] Qui ripis suis se contineri non patitur, et idcirco dixit audacem, id est, graviter sonantem. *Lactant.*

714 *Fluctibus Asterion*] Quidam *fructibus*, uti legit quoque Lactantius, hunc dicens Erasino contrarium: nam cum ille sit populator arborum, hunc esse fructibus æquum. Sed in utroque fallitur. Nam 'nunquam audax in ripis' describitur Erasinum: ergo nunquam egrediens ripas, nunquam arborum populator: *Asterion* autem *æquus fluctibus*, id est, tanto rumore ac sonitu labundus, ut mare possit videri. *Ille alta per avia notus Audiri*] Sic enim magno consensu scripti, non *suetus*. Gronov. *Asterion*] Erasino contrarius fluvius: nam cum sit ille populator arborum, hic est fructibus æquus: et hæc flumina in Nemea silva sunt omnia. *Lactant.*

716 *Jussu numinis*] Ipsius Liberi. Bona vero œconomia. Nam si ei Langia defecisset periissent Argivi, et non esset bellum quod fataliter debebatur. *Idem.*

717 *Langia*] Fons est qui postea vocatus est Archemorus, et huic consecratus est fons et Nympha; cujus famam postea Argivi accepto beneficio extulerunt, quia non perdiderat aquam. juxta fontem agon celebratur in honorem Archemori consecratus, et in Nymphæ beneficium. Archemorus est Lycurgi filius Græci, quem Hypsipyle acceperat nutriendum, quæ dum sitientibus Græcis fontem demonstrat Langiam, regium puerum ictu serpentis amisit. Is est puer Opheltes, qui post Archemorus est dic-

tus; nomen enim lachrymabile significat Archemorus, ἀπὸ ΘCAPXN'CINC ωρλc* eo quod primus occisus est. *Idem.*

718 *Nondum illi raptus*] A serpente peremtus. *Gloss. Ms.* 'Rapi' dicuntur a Poëtis, qui violenter occidunt et ante diem aut ordinem. *Archemorus* dictus fuit a fato, quia ab eo clades incipiebat, *Opheltes.* Ab eo deinde fons, ad quem a serpente idem interemtus, ut notant Lutat. Vibius, et alii. *Barth.* *Nomen*] Fama vel gloria. Hysipyle Lemnias fuit: quodam tempore dum Lemniadum viri in Thracia pugnantes triennio tenerentur, indignatæ desiderio fœminæ necem adversus omnes conjuraverunt, ut omnes perimerent, inter quas sola Hypsipyle Thoanti patri pepercit. Ex quo armavit cæterarum in se furorem; quæ dum fugeret capta ad Lycurgum regem Græciæ ducta est, in cujus servitio cum filium Opheltem nutriret, puer dracone periit, qua orbitate rex iratus cum in Hypsipylen jus dominii exercere vellet, eamque filio inferias mittere, a Græcis prohibitus est. Quibus sitientibus fontem demonstravit. Græcis vero postea responsum est, non prius eos ad Thebas pervenire, nisi placassent manes Archemori, pro qua re illi ludos funebres constituerunt, de quibus ipse poëta plenius loquitur. *Lact.*

722 *Opheltem*] Opheltes prius, qui postea Archemorus. Utrumque nomen prædictionem ejus fati habuit, qui fuit a serpente interfectus. *Vet. Scholiast.* Sepulchrum hujus pueri in cupresseto multis post seculis, adeoque templo ipso Jovis Nemeæi superstes fuit, Pausaniæ etiam ævo, lib. II. *Barth.*

723 *Portare nec arctos Thoracum nexus*] Quia arcti et angusti efficiebantur per anhelitum hominum: nam anhelitu solet corpus intumescere. *Lactant.*

728 *Putris*] Rectissime glossa 'solubilis.' Hoc enim indicatur *putris* voce, non quod fluat modo, ut vulgo loquimur et intelligimus, sed etiam quod resolvatur instar arenæ. Servius in Georgic. I. 'Putres glebas' solubiles explicat, quas tepor efficit et aratrum. *Barth.*

731 *Catenatas*] Frenatas.

732 *Legem Dominumve pati*] Scripti nostri libri, cum iis, quos contulerunt, alii *Dominosve.* Et recte. Una enim 'schola' Equorum, qui ad eundem modum patientiam docentur, multi jam parentium Domini. De verbo *pati* ad paritionem pertinente Seneca Thyeste: 'Rebusque parvis alta præstatur quies: Immane regnum est posse sine regno pati.' *Barth.*

735 *Amymones*] Ab Amymone Danai filia nuncupatus fons. *Cæcis*] Latentibus, quia ignorabantur. *Lact.*

736 *Sedent*] Quaque incenditur et deprimitur. *Idem.*

737 *Flavam Libyen*] Jupiter Epaphum, qui hoc petiverat, in Ægyptum oppida communire, ibique regnare jussit. Oppidum Memphin et alia plura constituit, et ex Cassiopa uxore suscepit filiam Libyen, quæ postea in Africa regnum possedit. Cujus nomine terra Libyes est appellata. *Idem.*

738 *Syenen*] Civitas quæ Æthiopiam ab Ægypto dividit: quia ibi nunquam pluit, ideo nulla nube umbratam dicit. *Idem.*

740 *Pulchro in mœrore*] Cum septem duces Thebas oppugnatum venissent, et aquam quærerent, Adrastus devenit ad Hypsipylen Thoantis filiam, cujus alumnus Archemorus periit, et ludos funebres instituerunt, quibus ludis Hypsipyle duos filios ex Jasone excepit, qui et ipsi matrem quærentes currendo vicerunt, quorum nomina præco cum pronuntiasset Jasonis et Hypsipyles filios esse, mater eos agnovit, qui a rege impetrarunt, ut matrem recuperatam Lemnum revocarent. *Idem.*

742 *Inachii*] Ad distinctionem aliorum dixit. Nam plures fuerunt. Non igitur Thrax ille intelligendus, non Thebanus Bacchi inimicus. *Vet. Schol.* *Proles infausta Lycurgi*] Lycurgi duo fuerunt, Thracius et Nemeus, de quo loquitur poëta. Ille in mari præcipitatus dicitur, quia primum aquis vina permiscuit et rem in haustu sinceram pluribus venenis infecit. *Infausta*] Ideo dicit, quia peritura. *Lactant.*

749 *Latonia casto*] Sive te, inquit, Diana de grege suo uxorem dedit alicui, sive te deus aliquis suo amore dignatus est. nam posse hoc fieri Jovis docemur exemplis, qui multas Græciæ fœminas amavit. *Idem.*

750 *Transmisit thalamis*] Hoc est in matrimonium collocavit, hoc ideo quia videt illam infantem ferre. *Id.*

752 *Arbiter Argolidum thalamis novus*] Quasi qui consuevit cum Argolicis matribus sæpe concumbere, an quia Inachi Argivi filiam amavit, et Danaën. Item Acrisi Argivi filiam. Ergo verisimile est et hanc Jovis paruisse complexibus, quia Jupiter frequenter est Argivarum concubitu delectatus. *Idem.* *Aspice mœsta agmina*] Tot millium hominum miserere, qui simul siti emoriuntur, et justa arma, non petulantia sumserunt. *Vet. Scholiast.* *Meritas Thebas*] Propter facinus Eteoclis et cædem Tydeo intentatam, contra pietatem Græcam et fraternum honorem. *Scholiast.*

757 *Fœda palus*] Cœnosa sordibus: unde Lucan. 'Moriensque recepit Quas nollet victurus aquas.' *Lact.*

763 *Numerumque rependam*] Id est omnis te plebs venerabitur, ut pro numero exercitus de Thebanis gregibus tot tibi victimas immolemus: perseverat in opinione quam cœpit, ut tot hostias de grege Thebano numeret, quantus fuerat plebis numerus nominatus. *Lactant.*

769 *Et si cœlestis origo est*] Nam pater ejus Thoas Liberi patris filius fuisse dicitur: ergo ista neptis Liberi fuit. *Idem.*

771 *Orbam*] Hæc cum Jasone in Lemno aliquando concubuit, ex quo est enixa geminos, quorum alter Thoas, alter Euneus dictus est, quos fugiens reliquit in Lemno: et quia viverent orbam pignoris se esse confessa est. *Idem.*

772 *An quis sinus*] Id est si meis filiis adhuc essem nutrix. *Idem.*

774 *Demoror undis*] Voluit dicere de suis liberis, sed pudore revocata noluit rem pandere, quod videbatur finem pudore fecisse: aut in media oratione conticuit, cum illi magis desiderio audiendi succenderentur. *Idem.*

776 *Sub limine*] In aliis libris *lumine*. In præstantissimo codice scriptum est, *sub fulmine*, quod non ausim damnare. Pariter enim mox *fulguret* de Sirii vehementia dixit. *Barth.*

777 *Icarii astri*] Canem Sirium dicit. Qui cum Erigone patris ejus corpus ostendit, in siderum numerum Liberi beneficio collocatus est. *Lactant.*

779 *Alumnum*] Archemorum Lycurgi filium, quem draco interemit, cui proprium nomen est Opheltes. *Idem.*

780 *Ponique negantem*] Ordo est: Lachrymas poni negant. murmure consolatur et floribus: poni autem abuti significat: et *poni negantem*, id est, invitum et recusantem. Expressit enim morem infantium, quia nolunt a nutricibus separari. *Idem.* *Locat ponitque negantem*] Cuivis apparet fatuam esse conjunctionem verborum, *locat* et *ponit*. Itaque suspicabar olim, *ponique*: quod mihi firmarunt postea plane exhibentes membranæ. Accessit unus ex optimis, qui pro varia lectione inter versus ostentat: vel, *ponique negantes*. Fuit igitur: *ponique negantis Floribus adgestis et amico murmure dulces Solatur lacrimas*. Lib. sequente: 'clavamque audire negantem.' *Gronov.*

784 *Curetas trepidos*] Aut ad naturam retulit Curetum, quod sint celeres ac feroces, aut trepidos metu Saturni intelligamus: vel quasi jam Deum formidantes Jovem. *Plaudunt Orgia*] Ad certationem plaudunt, hoc est feriunt. *Orgia*, id est tympana. *Lactant.*

785 *Resonat vagitibus Ide*] Postquam Ops Jovem ex Saturno peperit, commendasse dicitur in Ida monte ne a Saturno interiret, propter exclusionem regni, quod Protheus edixerat. Itaque cum Opem rogasset ubi esset quod pepererat, illa lapidem ei involutum veste monstravit, quem Saturnus voravit. Amalthea nutrix ne vagitus pueri audiretur, Corybantes posuit. Quia 'Curetes' Latine 'lares familiares' appellantur. *Idem.*

786 *Vernæ telluris*] Vernantis, floridæ. Indicat Vere hæc gesta esse, maxime cum terra efflorescente. *Comm. Ms.* Mirum autem calorem illum et extremam siccitatem nec puerum istum, nec nutricem ejus sensisse, &c. *Barth.*

790 *Verba illuctantia labris*] Quia infanti quasi quoddam est inter verba et labra certamen: nam dum conatur verba proferre, impeditur a labris immaturis. *Lactant.*

796 *Ortygiæ*] Jupiter cum Asterien Titani filiam amaret, et illa eum contemneret, in avem Ortygiam conversa est, quam nos coturnicem dicimus, eamque in mare dejecit: unde insula Ortygia est dicta. Postea ibi Latona enixa est Apollinem et Dianam, quibus natis insula Delos est nominata. *Inclinabat*] Suo scilicet pondere. *Idem.*

802 *Ab agmine primo*] Expressi scripturam libri veteris, vulgati inficete, si sententiam introspicias, *ab agmine primus*. Bernart.

804 *Argus aquæ*] Hic vexillum portabat, et ut erat in armis positus exclamavit, aquæ sunt hic: cui tota multitudo respondet exercitus *aquæ*. ut Virg. 'Italiam Italiam primus conclamat Achates, Italiam læto socii clamore salutant.' *Lactant.*

805 *Sic Ambracii ponti*] Civitas Epyri, de qua mare nomen accepit. Lucan. 'Oræque malignos Ambraciæ portus.' *Idem.*

808 *Leucada pandit Apollo*] Hoc est, facit videri montem ipsum. *Leucada*, promontorium Epirotici maris. *Idem.*

811 *Æqua sitis*] Ut omnibus æqua sitis fuerat, ita omnibus æquam fecerat dignitatem. *In curribus*] Pro cum curribus impliciti ut biberent. *Idem.*

817 *Diripitur*] Populatur, bibentibus siccantur tori riparum. *Idem.*

819 *Toros riparum*] Tori sunt cespites crassiores, nec tamen cum fundamentis solidis, sed ad ripas succrescentes et ripas facientes atque attollentes, quos avulsos tumultu concurrentium militum dicit. *Vet. Scholiastes.* Virgil. lib. VI. 'Riparumque toros et prata recentia rivis.' *Barth.*

823 *Perfurere*] Perspicua veritas, et ita in codicibus scriptis reperi. Vulgati sine dubio depravate *præfurere*. Bernart.

825 *Sylvarum Nemea longe*] Poëta memor sui laudat Nemeam silvam quæ inter Thebas et Argos est, quod in ea Jupiter colitur, cujus sacerdos erat Lycurgus rex, pater Archemori. *Lactant.*

833 *Cana reportat*] Flumina enim quæ ex nivibus vel imbribus sumunt vires, possunt siccari: vel hoc intelligendum, non interim effunduntur niventium verticibus montium, cum Solis calore liquantur. *Idem.* *Neque enim tibi cana reportat*] Optimi quique, *repostas*. coacervatas et diu servatas. *Gronov.*

834 *Raptasque alio de fonte refundit Arcus aquas*] Lips. liber scriptus: *portasque*: quæ lectio etsi nec ipsa

sincera, propius tamen ad veritatem et germanam lectionem accedit; quæ ut mihi quidem videtur, est: *portasque alio de fonte refundit Arcus aquas.* Plautus Curculione: 'Ecce autem bibit arcus, pluet credo Hercle hodie.' Propertius lib. III. 'Purpureus pluvias cur bibat arcus aquas.' *Bernart.*

837 *Apollineus Ladon*] Sive quod lauros habent circa ripas suas, quæ in tutela sunt ipsius, propter Daphnen, cujus hic fluvius pater est. *Xanthus uterque*] Quia Lyciæ et Trojæ est. *Lact.*

838 *Sperchius*] Thessaliæ fluvius Centauris vicinus. *Lycormas*] Thebanus fluvius, quem 'Centaureum' dixit, quod in eo Herculis sagittis Centaurus Nessus sit interemptus; ut Lucan. 'Et Meleagream maculatus sanguine Nessi.' Centaureum ideo, quia hunc Nessus Centaurus custodiebat. Herculis vero fabula omnibus est notissima. *Idem.*

841 *A Jove primus honos*] Post Jovem tu secundus invocabere. Sic Horat. 'tu secundo Cæsare regnes.' *Idem.*

842 *Defensasque velis*] Nos pro tuis redeuntes domum agnoscere velis, quos modo ab interitu præsenti defendisti, et sic tibi devinxisti, ut post summum Jovem nulli amplius debeamus. *Vet. Scholiast.*

THEBAIDOS LIB. V.

Pulsa sitis fluvio, &c.] Hunc librum Poëta extra ordinem carminis fecit, excessit enim œconomiam suam postquam ductu Hypsipyles Argivus exercitus, sitis ardore succensus, vires liquore et haustu recuperavit, rursus ordinatur ab bellum. In quo libro ludi funebres sanciuntur Archemoro, qui primus in hoc bello, ut Prothesilaus in Iliaco, expertus est mortem. *Populata*] Agentis hic est, non patientis. *Lactant.*

2 *Amnemque minorem*] Quem per potum minorem fecit exercitus. *Id.*

4 *Animique*] Quia vacuantur cum exuuntur, et ubi corpus muniunt implentur: ut Lucan. 'Sic gurgite puro Vita redit.' *Idem.*

7 *Dispositi in turmas*] In duobus libris scriptum, *Dispositum.* Videor mihi videre veritatis lucem in *itum.* Sed prior vox hæret non facilis conciliationi. Hac autem lectione pulchre indicet, licet severe imperatos ordines tamen ultro subiisse militem, disciplinæ scilicet amantem. Sic autem non insolentes Poëtæ. Ovid. 'itum est in viscera terræ.' Sed vulgatæ scripturæ patrocinantur τὸ *monentur.* Barthius. *Legemque severi*] Quam confundi militaris prohibet disciplina. *Lactant.*

8 *Monetur*] Id est unusquisque post potum locum suum et dignitatem recipit. *Idem.*

10 *Crescit*] Quia dum erigitur pulvis crescit terra in altitudinem. *Idem.*

11 *Phariis*] Ægyptiis. *Pharos* enim civitas est Ægypti. *Idem.*

12 *Rauca Parætonio*] Lætitiæ congrua comparatio. Sic Argivi post sitim læti et alacres erant, ut redeuntes grues ex Ægypto in Thraciam quando fugiunt. Notum quod Ægyptus calorem aëris tempore auget æstatis. *Idem.* *Parætonio*] Ægyptiaco. *Scholiast. Vet.* Parætonium, vel Parætonia, civitas olim Ammonia dicta prope Alexandriam auctore

Stephano. De ingenti ibi portu XII. Stadiorum, Strabo lib. XVII. *Barth.*

14 *Umbra fretis arvisque volant*] Ut sint umbræ fretis et arvis. Quasi ipsæ grues umbra fretis sint, volens multitudinem designare, omne qua prætervolant spacium pennarum densitate inumbrantes, per Hyperbolen. *Avius æther*] Hominibus scilicet. *Lactantius.*

16 *Nudo*] Sine honore silvarum; et bene *nudo*, vestiuntur enim arboribus, ut Sallust. 'Vestitus oleastro, ac myrteis, aliisque generibus arborum.' *Hæmus*] Mons Thraciæ. *Idem.*

20 *Cui gloria tanta*] Quasi ad gloriam Hypsipyles pertinet, quia saluti sit restitutus exercitus. *Idem. Gloria tanta*] Conservatorem tot militum, Regum et Heroum. *V. S.* Servatoris appellatio etiam Romanis moribus. Vide Dausque. ad Basil. Seleucens. Orat. XL. et Legati Gothorum ad Francos apud Agathiam lib. I. *Barth.*

21 *Debere cohortes*] Sensus: Quia nostram vitam tibi dedimus, ut pro salute, quam tot cohortibus dederat, eosdem habeat debitores. *Lactant.*

23 *Quando*] Pro 'quoniam.' Virg. 'Quando hæc te cura remordet.' *Idem.*

24 *Quæ domus*] Cujus regionis esset, aut unde originem duceret. *Idem.*

26 *Transierit fortuna licet*] Id est, quamvis a te fortuna emigrarit: fortunam autem dixit felicitatem. *Idem.*

28 *Fletu cunctata*] Colligens animum et recordatione malorum suorum solitum fletum repetens. *Barth.*

29 *Lemnias orsa*] Lemniades, cum Diis omnibus decimas frugum singulis annis solverent, solam Venerem esse prætermittendam duxerunt. Quæ irata his odorem immisit hircinum, quas mariti execrantes deserta Lemno odio conjugum Thracas petiverunt, eorumque sibi filias ascivere conjugio. Quod ubi Lemniadibus compertum est, stimulante Venere in omne genus virile conjurant, remeantesque ex Thracia viros omnes peremerunt: inter quas Hypsipyle patri Thoanti sola subvenit, ut non solum parceret, verum etiam fugientem persequeretur ad littus. Tunc Thoanti Liber occurrit, eumque in insulam Chion prospera navigatione perduxit. Lemnon Argonautæ pervenerunt, quos Lemniades suscipientes hospitio, cum his concubuerunt. Hypsipyle ex Jasone duos filios procreavit, Œneum et Thoantem. Cum pluribus diebus detenti essent ab Hercule objurgati discesserunt. Lemniades autem postquam intellexerunt Hypsipylen patrem suum servasse, interficere illam conatæ sunt. Illa dum fugit a prædonibus capta Nemeam deportata est, et Lycurgo regionis ejus regi in servitutem distracta. *Lactant.*

30 *Integrare*] Implere vel renovare: ut Virg. 'Miserabile carmen Integrat.' *Idem.*

31 *Inserta*] Inducta, ut Virg. 'Clypeoque sinistram Insertabam aptans.' Ita inquit fuimus furore mutatæ, ut nostro fœdere sexus omnis virilis occumberet. *Idem.*

33 *Furor additus*] Bene *additus*: cum libido jam esset in furia, vel quasi naturalem haberent furorem. *Idem.*

34 *Ne forte benignæ*] Cum audietis e Lemno esse, ne me includatis reliquarum ejus regni mulierum numero. Illæ vere et digne suis factis sunt miseræ, et pudeat virum honestum quemlibet iis colloqui. De me aliter est. Ego non sum vobis benigna hospes, ut vestrum colloquium ambiam; imo ego non peccavi, sed bene feci. *V. Schol.*

53 *Thracum fatalia*] Id est, vicinitas Thraciæ in nos suum transtulit nefas. Nam quemadmodum Procne filium necavit, ita et nos in Lemno maritos peremimus: vel quia exem-

plum de cæde maritorum petitum est a crudelitate Tydei, qui fuit ex Thracia. *Lactantius.*

56 *Spumifer assilit*] Mare Ægeum, quod insulas plurimas habet, dictum ab Ægeo patre Thesei: et eleganter insulam insulis comparavit. *Assilit*] Insulas, id est, circumfluit. *Idem.*

59 *Nulla deæ sedes*] Quia adulterium Veneris in honorem Vulcani damnaverant, inde nulla Veneris sedes in Lemno est. Unde iratum numen odorem fœminis hircinum immisit, ob quam causam horruisse viri dicuntur uxores. Igitur pergentes ad Thraciam eorum filias sortiti sunt, quo dolore commotæ Lemniades reversos viros universos peremerunt. Sed hanc veritatem poëta declinavit. Alii dicunt templum Veneris fuisse in Lemno, Græcorum opinione celebratum. Diversa est odii causa: nam hoc alii asserunt, quod adulterium ejus in hac insula videtur esse detectum: ut ipsa Venus, 'Hoc mihi Lemniacæ de te meruere catenæ.' Ideo etiam illas ineptas filias Solis acriter prosecuta est. *Idem.*

60 *Lentoque irrepunt agmine pœnæ*] Pulcherrima et verissima gnoma. Pœnam quam omnes improbi Deo debent, interdum omittit, sed non remittit: ampliat quosdam in justo suo judicio, sed non absolvit: debitum statim non exigit, sed cum fœnore solvendum differt. Tibullus: 'Ah miser! et si quis primo perjuria celat, Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.' Horatius: 'Raro antecedentem scelestum Deseruit pede pœna clando.' Quid raro? Imo nunquam. Acutissime magnus ille Plato, de Leg. lib. v. Τιμωρία δ' ἀδικίας ἀκόλουθος πάσης, ἧς δ, 'τε τυχὼν, καὶ μὴ τυγχάνων, ἄθλιος· ὁ μὲν, οὐκ ἰατρευόμενος, ὁ δὲ, ἵνα ἕτεροι πολλοὶ σώζωνται, ἀπολλύμενος. *Omni injustitiæ pœna comes est, quam et qui luit et non luit miser est; hic quidem, quia non sanatur, ille autem, quia, ut alii multi salvi sint, interit.* Quo igitur solvamus nomen quo obstricti sumus supero huic Creditori, cui nemo unquam decoquet? Audiamus Senecam Christiane monentem, Epist. XXVII. 'Hoc tibi citra diem mortis præsta, moriantur ante te vitia. Nam sola virtus præstat gaudium perpetuum, securum.' *Bernart.*

62 *Solvisse jugalem Ceston*] Id est, sui dissimilis omnibus deliciarum signis amotis, quoniam ira molles projicit habitus. *Ceston* est vinculum ornamenti, quo circundatur Venus, omnibus illecebris nuptiarumque cupiditatibus elaboratum, quo matrimonia dicitur alligare. Declinatur autem hæc *Cestos*, ut *Lemnos*, *Delos*. Specialiter tamen zonam Veneris debemus accipere, quæ non rutilo auro gemmisque sit, sed pelle, ut probentur corporeæ voluptates. Ceston autem dicitur, quod copulæ et matrimonio vis sit, quia adeo quæ adulterio perpetrantur, incesta dicuntur, quasi quod non vinctum fuerit sit incestum. *Lactant.*

63 *Ablegasse volucres*] Id est, Columbas. Epitheton de numinis sede, quod sint Veneri consecratæ. *Idem.*

66 *Tartareas*] Sunt qui dicerent, Venerem se cum furiis conjunxisse. Et bene philosophi, quod obscure hic poëta tetigit, furias amori conjunctas esse dixerunt, secundum Virg. 'In furias ignemque ruunt.' Talia enim pro amore committunt, qualia per furorem solent: quid est enim voluptas Veneris, nisi mera insania? Ideo Venus ignis dicitur: ideo Vulcani et Martis conjunx, i. e. ignis et furoris. Idcirco furiæ ignis facibus distinguuntur armatæ. *Idem.*

69 *Fidi miserata mariti*] Ideo fidi, quia post adulterium dilexit uxorem. Dixerat enim supra: 'ubi ignifera fessus respirat ab Ætna.' Dicuntur spiramina ignis in hac insula esse, quæ constat afflari semper. *Animique tegunt*] Defendunt, id est, sepe-

rant a tali consilio: sive *tegunt*, a curis defendunt. *Idem.*

71 *Motus Hymen, versæque faces*] Alludit ad ritum priscum, non tamen me judice, ad vulgatum illum, quo in luctu receptum, ut magistratuum insignia inversa præferrentur: quod huic loco non convenit; sed acutissime more suo, in hac alienatione mulierum a maritis, et odio potius, quam dolore, respexit morem, quo transfugæ in exercitu signa vertebant, et arma. Ammianus lib. XXVI. 'Eumque secuti complures jam gladios quatientes et pila ad Imperatorem transeunt, cum vexillis scuta perversa gestantes: quod defectionis signum est apertissimum.' *Bernart.*

88 *Ægeo*] Promontorium Lemni, id est, mare Ægeum. *Idem.*

91 *Insueta*] Hoc est præter solitum tollitur in furorem. *Idem.*

92 *Theumesia Thyas*] Bœotia. Theumesus enim campus est juxta Thebas, prope Citheron. *Idem.*

93 *Idæaque suadet*] Tibiæ buxeæ, petitæ ex monte Ida. *Schol. Vet.* Videtur Berecynthiæ sive Deorum matris sacra jungere Bacchicis. Sed potest *Idæam buxum* tibias in Bacchi sacris usurpatas dicere. Vide Serv. ad Æneid. IX.

94 *Auditus montibus*] Vocem audiebant vel fingebant audire. Et sic in turba solet fieri, ut fingantur auditæ Deorum voces. *Schol.* De *Baccho* Bacchas in Cytheronem vocante, quod ex Pausania citat Barclaius, non memini in eo legere. Nec facile crediderim. *Barth.*

95 *Trementi sanguine*] Instabili furore. *Lactant.*

98 *Infœlix comitatus*] Quia eos primum occisura est, ut fidem faciat ceteris suadere. *Idem.*

103 *Et medio, &c.*] Hæret hic denuo oratio, quam commode explicat codex noster, unius literæ omissione aliis omnibus sapientior, deleta insuper vocula hujus versus ultima, hoc pacto: 'stricto mox ense silentia jussit Hortatrix scelerum, e medio sic ausa profari: Rem summam instinctum, &c.' Nihil planius, nihil Papinio dignius. *Barth.*

105 *O viduæ*] Viduas maritatas videtur incongrue posuisse, sed ad explicandum dolorem muliebrem dixit, hoc est: Cum habeatis viros, illis longe a vobis positis, viduarum vivitis more: bene ergo viduitatis nomen apposuit, quo vocabulo jam de conjugibus desperarent, et ut quasi alienos sine affectu videantur occidere. *Sexum*] Non dixit, sexum pellite, id est, naturam mutate, quod fieri nulla poterat ratione, sed pulsa fœminea imbecillitate, viriles ad facinus arripite animos. *Lactant.*

107 *Æternum*] Sic ait, quasi semper desint mariti: ut Virg. 'Solane perpetua mœrens carpere juventa.' *Idem.* *Turpemque juventæ Flore situm*] Dubius locus, et fortean corruptus, nisi Poëtis usitato loquendi genere τὸ *in* subaudias; ut sensus sit: Si tædet turpem situm in flore juventæ perferre. Scriptus Lips. codex supra eadem manu et editio princeps agnoscit: *Ferre situm*, mihi non displiceat legi, *flere situm*. Bernartius.

112 *Cui connubialia*] Interrogative, hoc est cui vestrum fuit honos thalami secretus? *Idem.*

113 *Quod conjuge pectus*] Placet, quod in quibusdam scriptis: *quæ conjuge pectus Intepuit*. Ut quarto Thebaid. 'Genas fulgebitis auro.' Ovidius Met. II. 'Illa suo toties cum pectore juncta Pectora.' *Gronov.*

114 *Lucina labores*] Ab inutilibus maritis argumentatur, et docet quid habeant utilitatis si voluerint mutare consilia. *Lactant.*

116 *Vota tument*] Metaphora ab inclusis, qui pulsant ut aperiatur, et hic partus inclusus est, non vota tument, sed crescentibus mensibus tumet uterus, propter quem partum ut detumescant vota suscipiuntur. *Id.*

117 *Gradis Virginibus*] Danaum dicit, qui quinquaginta filiabus suasit, ut sponsos suos eadem nocte qua fuerant conjunctæ perimerent: quarum omnes sponsi filii Ægisti fratris Danai fuerunt, et totum hoc ab exemplis posuit. *Idem.* *Graiis Virginibus, &c.*] Danai et Ægypti historiam tangit, scio: sed quid, dolorem sanguine perfundere somnos? nugæ: tu me audi interpungentem: *lætusque dolorum, Sanguine securos juvenum perfundere somnos.* Bernart.

120 *Quod si propioribus actis*] A recenti exemplo, ut ad tempus referatur: recentiore enim exemplo, id est, sive quia prope erat Thraciæ, in qua Procne, Pandionis filia, Terei uxor, in ultionem suam, quod maritus cum Philomela concubuisset, Ityn filium, quem de Thereo susceperat, interemit: sive propter Harpalicen, quam cum pater amasset et compressisset, illa filium ex incesto natum patri apposuit comedendum: quam opinionem Virgil. secutus ait: 'patrisque epulandum apponere mensis.' Præterquam quod aptum videatur exemplum, major necessitas persuasionis erit, cum etiam vicinam dicetur; nam Thracia quæ Lemno vicina est, duobus maximis exemplis, id est Procnes et Harpalices, Lemniades matres ad perficiendum nefas hortatur. De duabus ergo historiis similibusque vis ad rem aptari potest, et aptata hortatur ad facinus; nam sicut bona suasio bonis debet suscitari, et asseri exemplis, sic et mala malis: nulla enim rei argumenta desunt. Et est in utroque pugna bona bonis: ut Virg. 'Si fratrem Pollux alterna morte redemit.' Mala malis: ut Lucan. 'Nec longe Fatorum exempla petantur, Fraterno primi maduerunt sanguine muri.' *Lactant.*

121 *Rhodopeia conjunx*] Hoc historia non habet quod Procne pariter cum Thereo filium comedisset: sed ut Lemniadum animos hoc scelere magis accenderet, Procnen quoque pariter epulatam, pro loco persuasionis suæ necessario, fuisse mentita est. *Idem.*

123 *Securæ ergo*] Nec vos ideo ego hortor ad scelus quod minime orbitate plena mihi sit domus filiis: et est figurata antipophora: ne ideo videatur hoc ipsa persuadere, quia non habet quod ipsa perimat. Sudorem autem dixit filiorum multiplicem partum, in quo dolore nimium laboratur: sive sudorem occidendorum quatuor posuit filiorum: sive sudorem dixit liberos, quos parturiendo et educando sudavit. *Idem.*

127 *Saniemque et vulnera fratrum*] Quomodo misceantur vulnera non sit facile speculatu. At corruptam lectionem arguit, et Veritatem palam restituit optimus Liber, qui longe majore energia refert, *et viscera fratrum.* Quam restitutionem eatenus probat codex alter, in quo offendimus: 'vel *viscera.*' Nihil autem truculentius dicere poterat truculentissima bellua. *Barth.*

132 *Fortunam*] Occasionem temporis, ut Virg. 'Si fortuna permittitis uti.' Nata persuasio est reverentium virorum: dicit enim Deorum nutu factum esse, ut eo tempore conjuges advenirent, quo de eorum cæde tractatum est; probabili argumento agendi virtute necessarium facit, dicendo: *deus hos, deus ultor in iras.* Lactant.

134 *Nec imago quietis*] Confirmat audaciam suam Deos adjuvare somni expositione: et est ratio philosophica, cur quæ futura sint miseris mortalibus, præsagiis somniorum demonstrentur. Sed de multis paululum dicam. Natura rerum, ex qua homines mixti sunt, affectus suos silere non patitur. Et cur per ipsam essentiam corporis sentire permittat, est animæ divina providentia; quæ quamvis cæco carcere et tenebris clausa tenetur, quid e contrario na-

Spicula: non pharetris quisquam, non ense decorus,
Non spectandus equo: cessit fiducia valli:
Murorum patet omne latus, munimina portæ
Exposcunt: prior hostis habet: fastigia desunt:
Dejecit Capaneus: exsanguis et ægra juventus
Jam nec conjugibus suprema nec oscula natis
Jungit, et attoniti nil optavere parentes.
Atticus at contra, jubar ut clarescere ruptis
Nubibus, et solem primis aspexit in armis,
Desilit in campum, qui subter mœnia nudos
Asservat manes: dirisque vaporibus ægrum
Aëra pulverea penitus sub casside ducens
Ingemit, et justas belli flammatur in iras.
Hunc saltem miseris ductor Thebanus honorem
Largitur Danais, quod non super ipsa jacentum
Corpora belligeras acies, Martemque secundum

fœdata. Nullus insignis, nec pharetris, nec gladio, non equo conspicuus. Nulla in vallo fiducia. Mœnia undique aperta. Portæ efflagitant propugnacula; prior hostis destruxit. Pinnæ murorum desunt; Capaneus deturbavit eas. Pubes exanimis et ægra, nec jam dat oscula uxoribus aut liberis, et parentes consternati nihil optaverunt. At contra Atheniensis, ut vidit lucem fulgere in scissis nubibus, et primum solem in armis, devolat in agrum, qui subter muros custodit nuda cadavera, et intus attrahens sub pulverulenta galea aërem infectum horrendis exhalationibus, queritur et accenditur justis belli furoribus. Rex Thebanus saltem tribuit hunc honorem infelicibus Danais, quod non conseruit bellicam aciem, et secundam

video tamen quicquam immutari a libris.' *Barth.*—703 Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *Non spectandus equos.* Bernartius correxit ex codd. Lang. Laur. Buslid. et Lipsian. nec aliter habent Dan. Put. Petav. et Behott. 1. 2. *cessat* Behott. 1. 2. in quorum altero deleta litera *a*, supposita *i*, ut fieret *cessit.*—

NOTÆ

703 *Cessit fiducia valli*] Id est, nulla spes amplius in munimentis et propugnaculis.

704 *Murorum patet omne latus*] Utpote machinis et tormentis bellicis dirutorum. *Munimina portæ Exposcunt*] Erant olim præter turres, propugnacula prope portas, et in iis cataractæ. Ceterum hunc versum et sequentem supposititios judicat Guyetus.

707 *Jam nec conjugibus suprema nec oscula natis Jungit*] More proficiscentium domo. Suetonius Ner. cap. 37. 'Neque proficiscens quenquam osculo impertivit.' Petronius cap. 75. 'Aut patrem reliquit utique aliquem, cui proficiscens osculum dedit.'

708 *Et attoniti nil optavere parentes*] Character ultimæ desperationis.

715 *Ductor Thebanus*] Creon.

Miscuit: at lacera ne quid de strage nefandus
Perderet, eligitur sævos potura cruores
Terra rudis: jamque alternas in prælia gentes
Dissimilis Bellona ciet: non clamor utrimque,
Non utrimque tubæ: stat debilis altera pubes,
Summissos enses nequicquam, amentaque dextris
Laxa tenens: cedunt tellure, armisque reductis
Ostentant veteres etiamnum in sanguine plagas.
Jam nec Cecropiis idem ductoribus ardor,
Languescuntque minæ, et virtus secura residit:
Ventorum velut ira minor, nisi sylva furentes
Impedit, insanique tacent sine littore fluctus.

pugnam super ipsa corpora prostratorum. Aut, ne quid dirus amitteret de lacera strage, eligitur nova terra, quæ biberet crudelem sanguinem. Et jam dispar Bellona excitat utrosque populos in certamen. Non clamor utrimque auditur, non utrimque tubæ. Ex una parte stat invalida juventus, incassum tenens manibus dejectos gladios et amenta soluta. Retrocedunt in campo et armis reductis ostentant priora vulnera adhuc cruenta. Jam nec idem ardor ducibus Atheniensibus, et minæ hebescunt, et virtus, cui non resistitur, languescit. Ut vis ventorum est minor, cum nemora non resistunt eorum furori, et agitatæ undæ tacent sine littoris objectu.

---

718 ‘Perperam ediderunt Bernartius, Lindenbrogius, Aldus, Argentoratenses, et Lugdunenses: *aut lacera;* cui assentitur solus optimus ex nostris codd.’ *Barth.* Ita habent Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Colin. Basil. Lindenbrog. Cruc. et Delph. *ac lacera* exhibent Behott. 1. 2. *at lacera* edd. recentt.—720 Unus Behot. *in prælia mentes*, et superius scriptum *gentes.*—725 Behot. 2. *pulvere*, obliterata dictione *sanguine*, quæ primum exscripta fuerat: eodem stylo omnia.—727 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. et Amstel. *secura resedit;* Gronov. Barth. Veen. et Delph. *secura residit*. Codex Daumii habet etiam *resedit.*—729 ‘In optimis

NOTÆ

718 *At lacera ne quid de strage nefandus Perderet, eligitur*] Hæc delenda esse dicit Guyetus, et jungendum τὸ *miscuit* cum τῷ *eligitur*.

720 *Rudis*] In qua non gestum bellum.

721 *Dissimilis*] Non enim par utrisque ad bellum alacritas, ut et dicit infra Poëta.

722 *Non tubæ*] Animos accendere solitæ. Scribit Euripides, ante aciem Theseum per præconem utrumque exercitum monuisse, aliud se nihil quærere, nisi ut cadavera extremo officio non fraudarentur: ad ea nihil respondisse Creontem.

724 *Armisque reductis*] In humerum rejectis clypeis.

726 *Cecropiis*] Atheniensibus.

727 *Languescuntque minæ*] Resistentia enim fortius animat.

728 *Ventorum velut ira minor, &c.*] Imitatio Lucani lib. III. ‘Ventus ut amittit vires, nisi robore densæ Occurrant sylvæ, spatio diffusus inani.’

729 *Sine littore*] Sine objectu littoris.

Ut vero æquoreus quercum Marathonida Theseus
Extulit, erectæ cujus crudelis in hostes
Umbra cadit, campumque trucem lux cuspidis implet:
Ceu pater Edonos Hæmi de vertice Mavors
Impulerit currus, rapido mortemque fugamque
Axe vehens, sic exanimis in terga reducit
Pallor Agenoridas: tædet fugientibus uti
Thesea, nec facilem dignatur dextra cruorem.
Cetera plebeio desævit sanguine virtus.
Sic juvat exanimis projectaque præda canesque,
Degeneresque lupos, magnos alit ira leones.
Attamen Olenium, Thamirumque, hunc tela pharetra
Promentem, hunc sævi tollentem pondera saxi
Dejicit, et triplici confisos robore gentis

Ut vero Theseus erexit hastam Marathoniam, et ejus sæva umbra cecidit in hostes, et fulgor cuspidis illuminavit dirum campum: ceu Mars pater egerit Edonos currus e cacumine montis Hæmi, ferens, axis rapiditate, fugam et letum, sic pavor vertit in terga exsangues Thebanos. Pudet Theseum sævire in fugientes, nec manus dignatur facilem cædem. Aliorum fortitudo satiatur ignobili sanguine. Sic præda debilis et jacens placet canibus et ignavis lupis, furor nutrit fortes leones. Attamen sternit Olenium et Thamirum, hunc promentem sagittam ex pharetra, illum elevantem molem crudelis lapidis; et fratres Alceidas, fretos viribus trium populorum,

duobus libris non *tacent*, sed *meant* legitur; quod non est deterius, nisi melius dicas.' *Barth.* Daumii codex quoque *meant* exhibet.—733 *Ceu pater Ædonios Æmi, &c.* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *Edonos* Grasser. Gronov. Barth. Veen. et Delph. 'Sic scribendum hoc nomen, nec obstat quod in Lucano lib. I. 696. vulgo legitur: 'Edonis Ogygio decurrit plena Lyæo.' Scribendum enim 'Odonis' eo loco, pæne est ut assentiamur præstantissimo Salmasio, qui et *Edonos* hos illustrat ad Solin. pag. 153. Et *Edones* claris literis in Papinio referunt optimæ membranæ. Monuit pridem de hoc nomine non aliter legendo Mart. Ant. Delrio Notis ad Claudian. Laud. Stilic. lib. I.' *Barth.*—737 Unus Behot. *nec faciles dignatur dextra cruores.*—738 'Versu undecimo retro dixerat de iisdem: 'virtus secura resedit.' Non constat ergo sibi tantus Poëta a tantillo intervallo. Poterat prorsus omittere hunc versum, nec quicquam absens detraxisset sententiæ; neque nunc sanæ amotus officiat quicquam, cum præsens pudorem faciat Poëtæ.' *Barth.*—741 *Thamarumque hunc tela pharetræ* Behot. 1. *Thamirimque hunc tela*

NOTÆ

730 *Æquoreus*] Quia filius Neptuni, qui rex maris seu æquoris. *Quercum*] Hastam.

733 *Edonos*] Thracios. Edones enim Thraciæ populi. *Hæmi*] Montis Thraciæ.

736 *Agenoridas*] Thebanos.

743 *Triplici*] Tribus enim gentibus stipabantur.

Alceidas fratres, totidem quos eminus hastis
Continuat: ferrum consumsit pectore Phileus,
Ore momordit Helops, humero transmisit Iapix.
Jamque et quadrijugo celsum petit Hæmona curru,
Horrendumque manu telum rotat: ille paventes
Obliquavit equos: longo perlata tenore
Transiit hasta duos: sitiebat vulnera nec non
Tertia, sed medio cuspis temone retenta est.
Sed solum votis, solum clamore fremendo
Omnibus in turmis optatque vocatque Creonta.
Atque hunc diversa bellorum in fronte maniplos
Hortantem dictis, frustraque extrema minantem
Conspicit: abscedunt comites, et Thesea jussi
Linquebant, fretique Deis, atque ipsius armis.
Ille tenet, revocatque suos: utqua æque notavit

quos totidem hastis, unum post alterum, e longinquo occidit: Phyleus totam hastam recepit pectore, Helops momordit ore, per Iapigis humeros ferrum exiit. Et jam tendit contra Hæmona sublimem in curru quadrijugo, et dextra jaculatur in eum immane telum. Ille Hæmon detorquet trepidantes equos. Hasta longo cursu perlata trajecit duos equos; et fecisset tertiam plagam, sed cuspis hæsit in medio temone. Sed tantum votis optat Creontem, hunc solum appellat terribili clamore per omnes ordines. Illum conspicit in diversa certaminis acie copias excitantem et vanas minas jactantem. Socii Thesei ejus jussu abscedunt, et illum linquunt confisi numinibus et ipsius virtuti. Creon frustra retinet, et revocat suos, qui abscedebant.

pharetræ Behot. 2. sed prius fuerat *Thamirumque*.—745 Unus Behot. *Pileus*.—747 *Æmona* multi codd. et edd. vett. *hemona*, ut semper, Behott. 1. 2.—750 *Transilit hasta* Behot. 1. *faciebat vulnera* Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. quod non improbat Barthius. *sitiebat vulnera* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Lindenbrog. Cruc. Gevart. et recentt.—751 Behot. 2. *tenore retenta est*; sed correctum *temone* æquævis literis: Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *terrore retenta est;* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behot. 1. Gevart. et recentt. *temone retenta est*.—752 Put. et nonnulli Barthiani *clamore premendo*.—757 Barthius ex optimis membranis legit: *et Thesea jussi Destituunt*.—758 *Ille tenet* optimæ Barthii membranæ, Put. et Behot. 1. *Ille timet* Behot. 1. a m. sec. et ceteri codd. cum libris impressis. 'Inscita hæc scriptura est, præ illa quam habent optimæ membranæ.' *Barth.* *Ipse*

NOTÆ

744 *Alceidas fratres*] Eos sequentibus versibus vocat Phileum, Helopem, et Iapigem.

745 *Continuat*] Sine intermissione prosternit.

750 *Duos*] Equos scilicet.

756 *Comites*] Socii Creontis.

758 *Ille tenet, revocatque suos*] Nimirum Creon revocat discedentes, stantes et ambiguos jubet manere, neque loco excedere. Priores Editiones habent: *Ille timet, revocatque*

Hinc atque hinc odia, extrema se colligit ira,
Jam letale furens, atque audax morte futura:
Non cum peltiferis, ait, hæc tibi pugna puellis,
Virgineas nec crede manus: hic cruda virorum
Prælia: nos magnum qui Tydea, quique furentem
Hippomedonta neci, Capaneaque misimus umbris
Pectora. Quæ bellum præceps amentia suasit,
Improbe? nonne vides, quos ulciscare, jacentes?
Sic ait, et frustra periturum missile summo
Affixit clypeo: risit vocesque manumque
Horridus Ægides, ferrataque arbore magnos
Molitur jactus, nec non prius ore superbo
Intonat: Argolici, quibus hæc datur hostia, Manes,
Pandite Tartareum chaos, ultricesque parate
Eumenidas, venit ecce Creon. Sic fatus, et auras
Dissipat hasta tremens: tunc qua subtemine duro

Utque agnovit se odio haberi a suis æque ac ab hostibus, totum animum colligit, jam fremens letaliter, et ferox futura morte: Non hoc certamen tibi est cum peltatis virginibus, inquit, nec puta te invenisse puellares manus. Hic tibi pugnandum est cum fortibus viris. Nos sumus, qui occidimus ingentem Tydea, et furiosum Hippomedontem, et qui tradidimus inferis Capaneum. Quæ te inconsulta stultitia excitavit ad bellum, perverse? Nonne vides, ut jaceant hi, quos vindicas? Sic, inquit, et affixit irritam hastam summæ oræ scuti Thesei. Fortis Ægei filius irrisit minas ejus et manum, et se parat ad illi infligendum magnum ictum ferrata hasta, sed ante intonat superbo ore: Umbræ Argivæ, quibus hæc victima immolatur, aperite Tartareum chaos, et præparate vindices furias, ecce Creon accedit. Sic locutus est, et trepida hasta aërem dividit. Tunc hæc penetrat ferreum textile subtilium

---

tenet Behot. 2. *æqua notavit* Dan. et Put.—763 Behot. 2. *quique furente;* sed ab alia manu correctum. Hæc erant penitus obliterata in Behot. 1. supplevit recens manus: *quoque furentem.*—765 'Libri omnes nostri habent: *bellum præceps dementia:* est illud Maronis: 'quæ te dementia cepit!'' *Barth.* *præceps bellum dementia* unus Behot.—768 'Optimus liber diserte habet *Afflixit;* quod et verum puto.' *Barth.*—770 Unus Behot. *ore supremo;* et in margine correctum *superbo.*—773 'Omnino scribendum, ut habent optimi libri: *Sic fatur:* cum dicto enim transactum est, de quo sermo erat. Sicque libro isto supra vs. 692.' *Barth.*—774 'Omnes libri nostri habent *subtegmine:* et ita Lutatius agnoscit, cum expositione: 'textu ferreo.' Tamen magis placet

NOTÆ

suos. *Æqua*] Quia etiam sui relinquebant eum et abhorrebant ob suam crudelitatem, ut et hostes. Legitur et *ægra.*

760 *Audax morte*] Certus exitii, sine consilio fit audax. *Vet. Schol.*

761 *Peltiferis puellis*] Amazonibus, quæ peltas ferebant.

774 *Subtemine duro*] Textu ferreo.

Multiplicem tenues iterant thoraca catenæ,
Incidit: emicuit per mille foramina sanguis
Impius: ille oculis extremo errore solutis
Labitur: assistit Theseus gravis, armaque tollens:
Jamne dare extinctis justos, ait, hostibus ignes,
Jam victos operire placet? vade atra daturæ
Supplicia, extremique tamen secure sepulcri.
Accedunt utrimque pio vexilla tumultu,
Permiscentque manus medio jam fœdera bello,
Jamque hospes Theseus: orant succedere muris,
Dignarique domos: nec tecta hostilia victor
Aspernatus init: gaudent matresque, nurusque
Ogygiæ: qualis thyrso bellante subactus
Mollia laudabat jam marcidus Orgia Ganges.
Ecce per adversas Dircæi verticis umbras
Fœmineus quatit astra fragor, matresque Pelasgæ
Decurrunt: quales Bacchæa ad bella vocatæ

catenarum, quibus lorica multoties tegebatur. Impius cruor emicuit per multiplices circulos loricæ. Ille cadit oculis errantibus. Astat Theseus eum gravans, et illi detrahens arma. Jamne placet indulgere debitos mortuis rogos? jam victos inhumare? I in inferos, persoluture æquas pœnas, et sis tamen securus ultimi tumuli. Signa utrimque junguntur pio strepitu, et dextras implicant. Jam fœdus fit in mediis armis. Jam Theseus amicus reputatur. Rogant ingredi mœnia, et honorare urbem sua præsentia. Victor non aspernatus hostilem urbem, in eam intrat. Matres et nurus Thebanæ lætantur. Sic Gangis accolæ thyrso domiti a Baccho, jam ebrii celebrabant effœminata Orgia. Ecce strepitus fœminarum, sidera feriens, auditur ab oppositis sylvis Dircæi cacuminis, et matronæ Pelasgæ ab eo rapide descendunt. Quales insanæ Thyades excitæ ad Bacchi prælia, quas putes efflagitare,

---

subtemine.' Idem.—775 Unus Behot. in textu habet *iterant*; sed pro v. l. in margine ' al. *vetant*: al. *nectunt*.'—783 'Melioris notæ duo libri: *medio jam fœdera campo*; quod magis poëticum videtur.' *Barth.*—784 Unus Behot. *succurrere muris*, et pro v. l. *succedere*.—786 *Aspernatus abit* nonnulli codd. Lin-

NOTÆ

775 *Multiplicem tenues iterant thoraca catenæ*] Veteres enim non solum laminis ferreis invicem impositis, sed etiam catenis muniebant loricam.

776 *Foramina*] Loricæ circuli, seu annuli.

780 *Atra daturæ Supplicia*] Ob tuam insignem in mortuos crudelitatem.

789 *Adversas*] Aversas. *Dircæi verticis*] Cithæronis.

790 *Matresque Pelasgæ Decurrunt*] Matronæ enim Argivæ Theseum secutæ fuerant.

Thyades amentes, magnum quas poscere credas,
Aut fecisse nefas: gaudent lamenta, novæque
Exultant lacrymæ: rapit huc, rapit impetus illuc,
Thesea magnanimum quærant prius, anne Creonta,
Anne suos: vidui ducunt ad corpora luctus.
Non ego, centena si quis mea pectora laxet
Voce Deus, tot busta simul, vulgique, ducumque
Tot pariter gemitus, dignis conatibus æquem:
Turbine quo sese caris instraverit audax
Ignibus Evadne, fulmenque in pectore magno
Quæsierit: quo more jacens super oscula sævi
Corporis infelix excuset Tydea conjux,
Ut sævos narret vigiles Argia sorori:
Arcada quo planctu genitrix Erymanthia clamet,

aut commisisse grande scelus. Ejulantes exultant, et recentes fletus gaudio miscentur. Variis agitantur, incertæ, an quærant prius fortem Theseum, an Creontem, an suos. Viduarum luctus eas ducit ad cadavera. Non ego, si quod numen daret centum voces pectori meo, celebrarem dignis conatibus tot simul rogos vulgi et ducum, tot pariter planctus, nec dicerem, quo impetu animosa Evadne se injiciat flammis, quibus dilectus conjux cremabatur, et fulmen indaget in ingenti pectore. Quomodo misera uxor Tydei prostrata super maritum, quem osculabatur, excuset sævitiam ejus. Ut Argia commemoret sorori crudeles custodes. Quo ejulatu mater

denbrogii.—792 'In optimo codicum diserte scriptum est *ementes*; sed et supra hoc libro vs. 765. ubi vulgatur *amentia*, libri habent *dementia*. In optimo eodem prima litera erasa est, ut clare legatur *ementia*. Nihil tamen mutamus.' *Barth.*—800 Put. *impleverat audax.*—801 *Ictibus* pro *Ignibus* in eodem.—805 Unus Behot. cum nonnullis aliis *clamat.*—806 Lang. Laur.

NOTÆ

792 *Thyades*] Bacchantes. Vide Theb. v. 92.

793 *Gaudent lamenta*] Luctus mutantur in gaudia.

796 *Vidui luctus*] Pro luctus viduarum.

798 *Tot busta simul*] Pacto non prælio a Thebanis obtentum jus sepeliendi Argivos vult Plutarchus Theseo. At Pausanias, ut Papinius, prælio. Idem etiam refert Pausanias victorem Theseum deportanda mortuorum corpora in Eleusinum agrum, ibique sepelienda curavisse.

801 *Ignibus Evadne*] Uxor Capanei, quæ se injecit in rogum viri ardentem, et una cremata est.

803 *Excuset Tydea conjux*] Supra: 'Sed cuncta jacenti Infelix ignoscit amor.'

804 *Sorori*] Deiphile.

805 *Arcada*] Parthenopæum. *Erymanthia*] Atalanta, ab Erymantho Arcadiæ monte.

Arcada consumto servantem sanguine vultus,
Arcada, quem geminæ pariter flevere cohortes.
Vix novus ista furor, veniensque implesset Apollo:
Et mea jam longo meruit ratis æquore portum.
Durabisne procul, dominoque legere superstes,
O mihi bissenos multum vigilata per annos
Thebai? jam certe præsens tibi fama benignum
Stravit iter, cœpitque novam monstrare futuris.
Jam te magnanimus dignatur noscere Cæsar,
Itala jam studio discit, memoratque juventus.
Vive, precor: nec tu divinam Æneida tenta,
Sed longe sequere, et vestigia semper adora.
Mox tibi, si quis adhuc prætendit nubila livor,

Erymanthia defleat Arcadem, Arcadem, qui servaverat formam exhausto cruore, quem exercitus ambo æqualiter ploraverunt. Vix ea digne exequerer, etiam si Apollo mihi inspiraret novum furorem. Et mea Thebais jam meruit portum post longam navigationem. O Thebai, a me elaborata per duodecim annos, diune permanebis, et auctori superviens evolveris? Jam certe præsens fama tibi concinnavit benignum iter, et cæpit in tuo ortu te ostendere posteris. Jam magnanimus Cæsar dignatur te legere. Jam Itala pubes studiose te addiscit et celebrat. Vive, oro; ceterum, ne tu æmulare divinam Æneidem, sed procul sequere, et semper venerare ejus vestigia. Deinde, si invidia adhuc tibi obducit quædam nubila, morietur,

---

Buslid. Lipsian. et edd. vett. *servantem sanguine vultu.*—808 *Vix novus iste* Behot. 1. et pro v. l. *ista.* Barthius pro *veniens* conjectabat *rediens.*—813 Marklandus ad v. Sylv. 3. 231. ita scribit: 'Monendus es, pro: *cæpitque novam monstrare futuris*, legi debere: *cæpitque viam monstrare futuris*: patet hoc tum ex sensu, qui in altera lectione nullus est, tum ex istis: *Stravit iter.*'—818 *Denique, si quis, &c.* legit Silvester Giraldus Præf. Topographiæ Hiberniæ.

NOTÆ

808 *Implesset*] Alii impleret.

809 *Meruit ratis æquore portum*] Comparare poëmata curru aut navi frequens Poëtis. Hoc suum noster innuit IV. Sylv. ad Victoriam Marcellum: 'Jam Sidonios emensa labores Thebais, optato collegit carbasa portu.' Ovidius lib. II. Artis initio: 'Mediis tua pinus in undis Navigat, et longe quem peto portus abest.'

813 *Novam*] Fallitur Petavius credens ex hac voce, *novam*, Thebaidem ab auctore bis editam fuisse; *novam* enim nihil aliud est, quam recentem, calentem ab incude.

818 *Mox tibi, si quis adhuc prætendit nubila livor, Occidet*] Theophrasti dictum: *Φθόνος τοῖς ζῶσι πρὸς τὸ ἀντίπαλον· τὸ δὲ μὴ ἐμποδὼν ἀνανταγωνίστῳ εὐνοίᾳ τετίμηται. Invidia tantum in vivos est: mortuus vero, ut qui nemini obstat, constanti et libera benevolentia colitur.* Sallustius Oratione II. ad Cæsarem de Rep. Ordinanda: 'Nam vivos interdum fortuna, sæpe invidia fatigat: ubi anima naturæ cessit,

Occidet, et meriti post me referentur honores.

et debiti honores, me mortuo, tibi reddentur.

NOTÆ

demtis obtrectationibus, ipsa se virtus magis magisque extollit.' Ovidius: 'Pascitur in vivis livor: post fata quiescit.'

819 *Et meriti post me referentur honores*] Id est, post obitum meum evanescet invidia, et gloria mea permanebit. Propertius lib. III. El. 1. 'At mihi, quod vivo detraxerit invida turba, Post obitum duplici fœnore reddet honos.'

THEBAIDOS FINIS.

P. PAPINII STATII

ACHILLEIDOS

LIBER I.

ARGUMENTUM.

THETIS rapta Helenæ territa, quod inde acerrimum bellum inter Græcos et Trojanos exorturum sciret, et in eo Achillem filium periturum, Neptunum convenit, ab eoque enixe petit, ut classem raptoris Paridis summergat. Negat Neptunus hoc fieri posse: statuisse Deos cruentas miscere Europæ atque Asiæ manus: ingentes clades Trojanis Achillem illaturum, et tot præclara editurum facinora, ut ipsa credat se eum de Jove concepisse. Hac repulsa Thetis animum ad alia convertit, et sibi proponit filium in aliquo tutissimo loco occultare, donec tempestas tam formidati belli detonaret. Achilles apud Chironem Centaurum in Thessalia educabatur. Tendit igitur in Thessaliam Thetis, filium a Chirone repetit, causata se infaustis de filio somniis terreri, ac velle eum in Oceani aquis, ut Proteus jubebat, magicis quibusdam sacris lustrare. Chiron consilium ejus probat, laudataque mirum in modum Achillis indole, humanam supergressa, Invidiam placare matri suadet: unde aucti Thetidis metus. Nocte cogitat, quæ loca abscondendo filio aptiora. Inter alia Scyros insula illi placet, ubi regnabat Lycomedes plurium filiarum pater, cujus aula virgineis choris personabat. Filium igitur arctissimo somno correptum sinu complexa, currum delphinis junctum conscendit, et mare emensa ad Scyrum, oriente sole, pervenit. Experrecto Achilli mater suos metus fatetur, oratque illum, virilem animum paululum summittat, et ad breve tempus muliebrem habitum sumat: non illi fore dedecori: Herculem, Bacchum, et ipsum Jovem fœmineas vestes non dedignatos. Achilles nullis matris precibus flectitur. Verum inopinato casu ejus animus fractus est. Forte Scyrii diem festum Minervæ, cui templum in littore erectum erat, agebant, et filiæ Lycomedis domo exierant, ut veris primitias Deæ offerrent, comasque ejus sertis coronarent. Turbam ducebat Deidamia, cujus ut eximiam pulchritudinem Achilles videt, ejus amore statim corripitur. Animadvertit Thetis, et blande interrogatus filius, an inter tam pulchras virgines degere ipsi acerbum foret, lætus erubuit, et sinit se veste fœminea indui. Thetis Lycomedem aggre-

ditur: illi tradere ait Achillis sororem. Hanc quidem velle Amazonum more vivere, ac ferre arma; sed satis sibi esse curarum pro Achille. Eam igitur inter ejus filias secludat: nec sinat eam venari, nec palæstra exerceri: præcipue vero a portu arceat, ne raperetur. Lycomedes Thetidi gratias agit maximas, quod electus fuerit, cujus fidei tantum depositum crederetur. Sic Achilles simulato sexu in aulam Lycomedis inducitur. Interea Græci, accensi querelis Menelai Helenæ mariti, et Agamemnonis ejus fratris, in Aulidem Eubœæ portum conveniunt, cunctique jurant se non arma posituros, nisi Menelao satisfactum fuerit. At quanquam multi adsint strenui duces, Achilles poscitur. Illum omnes absentem desiderant: hunc solum clamant Trojanis et Hectori fatalem. Protesilaus vatem Calchantem urget, ipsis detegat, ubi Achilles latitaret: nam rumor erat eum nec in aula Pelei patris, nec apud Chironem esse. Calchas Apolline repletus declarat Eversorem Asiæ veste muliebri tectum apud Lycomedem Scyri regem occultari. Ulysses et Diomedes eum hinc ad bellum adducendum suscipiunt. Achilles autem amorem, quem visa Deidamia hauserat, quantum potuit, dissimulat: sed moræ impatiens, dum Bacchi orgia summis ululatibus noctu ex more celebrabantur, vi Deidamia potitur, et solatur afflictam se prodendo. Nutrix, furtivo amori socia addita, surgentem uterum Deidamiæ occuluit, donec peperit.

MAGNANIMUM Æaciden, formidatamque Tonanti
Progeniem, et patrio vetitam succedere cœlo,

Diva, cane fortem Æaciden, et sobolem timendam Jovi, et inhibitam succedere

Hoc Poëma in quinque libros divisum exhibent Dan. Put. Petav. Venett. Rom. Lindenbrog. et Cruc. cum hoc Argumento:

In primo Chirona petit Thetis ante precata.
At Thetis Æmonio Lycomedi tradit Achillem.
Tertius Æaciden quærit, generat quoque Pyrrhum.
Quartus at occultum Peliden prodit Ulyssi.
Navigat Æacides ad debita Pergama quinto.

Deinde sequitur aliud Argumentum, libri primi scilicet:

Themate proposito narrat Thetis alma, rapinam
Tyndaridis conquesta: rates sed vana precatur
Mergere Rhœtæas: alios commenta paratus
Tendit in Æmoniam, carum ablatura magistro
Æaciden: tunc forte feras letale fugantem
Ille redit lætusque dapum post munera matri
Fila movens canit heroas; nox occupat artus.

'Non abs re dubitetur, unusne hic liber sit, an in plures distribuendus. Unum potius esse quam duos hinc autumare licet, quod Commentaria Lactantii continuo ordine sine ulla librorum distinctione scripta erant. Argumentum equidem, sed leve, nec cui satis innitendum. Ergo quam in vett. codd. editisque exemplaribus inveni, eam sequi malui, non novellam istam duorum librorum divisionem.' *Lindenbrog.* 'Argumenta ideo non attendimus, quod ridiculam in quinque libros operis divisionem sequantur, nec in

Diva, refer: quanquam acta viri multum inclyta cantu
Mæonio, sed plura vacant: nos ire per omnem
(Sic amor est) Heroa velis, Scyroque latentem
Dulichia proferre tuba: nec in Hectore tracto

paterno cælo. Quamvis hujus viri facinora valde celebrata sint versibus Mæoniis; plura tamen restant dicenda. Concedas percurrere (sic mihi placitum) totam Herois vitam, et educere buccina Dulichia illum occultatum in Scyro: nec finire in

nostris Exemplaribus ullo vestigio reperiantur. Duo nostri codices, et glossis egregie oppleti, et valde vetusti, nullam nisi per argumenta marginalia distinctionem habent, qualia in suis etiam libris Franciscus olim Maturantius, in hoc bono judicio usus quod duorum agnoscat probetque statum, explosis nugis aliorum. Pro uno sane libro nimia res est, nec Papinio ascribenda, nec librariis condonanda. Quanquam sic retulerint quatuor alii codd. manuscripti auctore M. Antonio Delrio, Advers. ad Troad. Senecæ vs. 185.' *Barth.* Duorum librorum divisionem retinent Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph.

4 Codd. Lindenbrogii aliique nonnulli: *sed plura vocant.*—11 *Nec mea nunc*

NOTÆ

1 *Magnanimum*] 'Magnanimus' proprium Epitheton Achillis, qui omnium Græcorum, auctore Homero, fortissimus est habitus. *Æacidem*] Achillem ab Æaco avo paterno; nam Peleus, Æaco ortus, filium habuit Achillem ex Thetide. *Formidatamque Tonanti*] In fatis erat eum, qui nasceretur ex Thetide, fore fortiorem et majorem patre: quo decreto, territus Jupiter concubitum Thetidis, quam adamabat, vitavit. Ovidius: 'Namque senex Thetidi Proteus prædixerat udæ: Concipe: mater eris juvenis, qui fortibus armis Acta patris vincet: majorque vocabitur illo. Ergo ne quicquam mundus Jove majus haberet, (quamvis haud tepidos sub pectore senserat ignes Jupiter,) æquoreæ Thetidis connubia vitat.'

2 *Patrio*] Id est, Jovis: qui Achillis pater fuisset, nisi abstinuisset a Thetide.

4 *Mæonio*] Id est, Homerico. Homeri enim Mæon avus erat maternus. *Plura vacant*] Supple, dicenda, quæ Homerus prætermisit. *Nos ire per omnem Heroa velis*] Id est, perscribere totam vitam ac res gestas Herois illius.

5 *Scyroque latentem*] Thetis timens ne filius Achilles proficisceretur ad Trojanam expeditionem, in quo ingens quidem gloria, sed certa mors eum manebat, abduxit illum a schola Chironis, in qua educabatur, et occultavit in regia Lycomedis, regis Scyri insulæ, fœmineo habitu. Scyros autem insula una est Cycladum contra Magnesios, celeberrima, ut ait Strabo, propter Lycomedis cum Achille affinitatem, et ibi natum educatumque Neoptolemum seu Pyrrhum Achillis filium. Ex ea insula lapidem integrum fluctuare tradunt auctores apud Plinium lib. XXXVI. cap. 17. eundem comminutum mergi.

6 *Dulichia*] Id est, Ulyssea. Ulysses erat dominus insulæ Dulichii in mari Ionio, non procul ab Ithaca. Alludit vero Poëta ad historiam, seu fabulam, qua dicitur Ulysses Achillem inter filias Lycomedis latitantem sono tubæ excitasse, ita ut se ipsum pro-

Sistere, sed tota juvenem deducere Troja.
Tu modo, si veteres digno deplevimus haustu,
Da fontes mihi, Phœbe, novos, ac fronde secunda
Necte comas: neque enim Aonium nemus advena pulso,
Nec mea nunc primis albescunt tempora vittis.
Scit Dircæus ager: meque inter prisca parentum
Nomina, cumque suo numerant Amphione Thebæ.

raptato Hectore, sed comitari juvenem per totam Trojam. Tu modo, Apollo, præbe mihi novos fontes si exhausimus antiquos digno potu, et orna meos crines secundo ramo; neque enim hospes frequento sylvam Aoniam, nec nunc mea tempora albescunt primis vittis. Testis est campus Dircæus, et Thebæ recensent me inter vetera nomina majorum, et cum suo Amphione. At tu, quem summi viri Italiæ et

vittis albescunt tempora primis Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Nec mea nunc primis albescunt tempora vittis* Exc. Burg. Petrens. Dan. omnes Barthiani, Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. et recentt. *Nec mea nunc primis augescunt tempora vittis* Petav. et Put. 'Fatue qui mutant quicquam ab hac lectione: *primis albescunt tempora vittis.* Ridere licet Bernartium cum suo *anguescunt:* nec admittendum *augescunt*, quod malit And. Schottus Obss. lib. II. cap. 45.' *Barth.*—13 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *memorant Amphione Thebæ;* Petrens. Exc. Burg. Put. Gronov. Barth.

NOTÆ

deret. Apollodorus de Deorum Origine lib. III. 'Ὀδυσσεὺς δὲ μηνυθέντα περὶ Λυκομήδους ζητῶν Ἀχιλλέα σάλπιγγι χρησάμενος εὗρε. *Ulysses, cum ei indicatum esset apud Lycomedem esse Achillem, quæsitum tuba usus invenit. Nec in Hectore tracto Sistere*] Ut fecit Homerus, qui finit suam Iliada hoc opere Achillis. Notatque fabulam, qua dicitur Achilles alligasse currui Hectorem, utroque illius pede perforato, ac ter circum Patrocli tumulum traxisse, ac inde, cum ad tabernaculum reversus esset, in pulvere pronum demisisse. Virgilius vero dissentit ab Homero, scribitque Hectorem non circum Patrocli tumulum, sed circum Iliacos muros ter fuisse raptatum ab Achille.

7 *Sed tota juvenem deducere Troja*] Id est, narrare ea omnia, quæ ad Trojam gessit, donec a Paride occisus fuit. *Deducere* autem est honoris gratia aliquem comitari.

8 *Veteres*] Absoluta nempe Thebaide.

9 *Novos*] Ad suscipiendam scilicet Achilleida. *Ac fronde secunda*] Secunda corona pro Achilleide, prima pro Thebaide.

10 *Aonium*] Id est, Heliconium seu Bœotium, quod Musæ incolebant.

11 *Albescunt*] Sic Noster Theb. III. 'Niveis ornati tempora vittis.' Et Theb. IV. 'Vatem cultu Parnassia monstrant Vellera, frondenti crinitur cassis oliva, Albaque puniceas interplicat infula cristas.' Rursumque lib. VII. 'Concolor est niveis et cassis et infula cristis.'

12 *Dircæus*] Thebanus.

At tu, quem longe primum stupet Itala virtus,
Graiaque, cui geminæ florent vatumque ducumque
Certatim laurus, (olim dolet altera vinci,)
Da veniam, ac trepidum patere hoc sudare parumper
Pulvere: te longo, necdum fidente paratu
Molimur, magnusque tibi præludit Achilles.

Græciæ longe primum suspiciunt, cui duplices laurus Poëtarum ac Ducum cum æmulatione florent, (altera earum nunc mæret superari,) da veniam, ac sinas me trementem exerceri paululum in hac arena. Te meditamur celebrare longo nisu, sed nondum audemus exequi, et ingens Achilles tui gratia prætentatur. Dardanius

Veen. et Delph. *numerant Amphione Thebæ.* Vide Not. Var.—14 Vox *primum* non habetur in Exc. Burg.—19 'In libris aliis lectum memorat Bernartius

NOTÆ

14 *At tu*] Domitianum alloquitur, eumque adulatur, quasi prætergressus sit omnes Heroas et Græcos et Romanos. *Itala virtus, Graiaque*] Id est, summi viri Italiæ et Græciæ.

15 *Geminæ vatumque ducumque Certatim laurus*] Lauro enim Poëtæ ac Imperatores coronabantur. *Geminæ*] Tam ob bellicam virtutem, quam ob poësin; nam Domitianus poëticam primis annis excoluerat. Quam tamen sprevit postea, et abjecit, ut referunt Suetonius et Tacitus: sed contrarium dicunt Fabius et Plinius.

16 *Olim dolet altera vinci*] Poëtica ab Imperatoria.

17 *Sudare parumper Pulvere*] Id est, hac exercitatione, metaphora desumta a curulibus certaminibus; pulverem enim excitant et colligunt. Horatius: 'Sunt quos curriculo pulverem Olympicum Collegisse juvat.' *Sudare*] Quia hæc certamina magna contentione fiebant.

18 *Te longo, necdum fidente paratu*] Adulatorie dicit se imparem scribendis rebus gestis Imperatoris, seque deterreri difficultate operis, quamvis hoc summopere optaret. Epistola ad Marcellum Victorium: 'Troja quidem, magnusque mihi tentatur Achilles; Sed vocat Arcitenens alio pater, armaque monstrat Ausonii majora ducis: trahit impetus illo Jampridem, retrahitque timor. Stabuntne sub illa Mole humeri? an magno vincetur pondere cervix? Dic, Marcelle, feram?'

19 *Præludit Achilles*] Gesta Achillis erunt pro quodam præludio, dum experior, simne aptus perscribendis tuis rebus, metaphora sumta a citharœdis, qui 'proludere' vel 'præludere' dicuntur, cum prætentant ac experiuntur suas chordas. Et 'proludia' Græci vocant προοίμια, id est, cantum illum quem citharœdi faciunt ante verum et legitimum. Unde eleganter noster Papinius in Epistola ad Stellam ait: 'Nec quisquam est illustrium virorum, qui non aliquid operibus suis stylo remissiore præluserit,' id est, ante scripserit. Quidam codices habent *præsudet Achilles.* Sic Statius Theb. VI. 'Ludumque super quo Martia bellis Præsudare paret, seseque accendere virtus.'

Solverat Œbalio classem de littore pastor
Dardanus, incautas blande populatus Amyclas,
Plenaque materni referens præsagia somni
Culpatum relegebat iter, qua condita ponto
Fluctibus invisis jam Nereis imperat Helle:
Cum Thetis Idæos (heu nunquam vana parentum
Auguria!) expavit vitreo sub gurgite remos.
Nec mora: et undosis turba comitante sororum

pastor eduxerat naves ex ora Œbalia, gratam prædam auferens ex improvidis Amyclis, et reportans omina adimpleta materni somnii, culpatus renavigabat mare, quo mersa Helle facta Nereis dominatur odiosis aquis. Ut Thetis perterrita aspexit sub profundo lucido tonsas Trojanas, (heu nunquam irrita matrum præsagia!) non moratur: et cito exiit ex aquosis cubiculis, caterva sororum stipata. Replentur coales-

præsudet. Nihil mutandum.' *Barth.* Put. habet *præludat*.—27 *Nec mora, et undisonis* Exc. Burg. et codex Vossianus; *Nec mora, et undosis* Dan. Put.

NOTÆ

20 *Œbalio*] Id est, Laconico. *Pastor Dardanus*] Paris Alexander, Phrygius seu Trojanus, Priami et Hecubæ filius, qui infans expositus fuerat, ac inter pastores educatus. *Dardanus*] Id est, Trojanus. Troas enim 'Dardania' appellata fuerat a Dardano, Troësque 'Dardani.' Sciunt autem omnes Paridem, cum adhuc pastor esset, et nondum a parentibus agnitus, judicem a Jove constitutum esse inter Deas de pulchritudine contendentes, eumque sententiam tulisse pro Venere.

21 *Blande populatus*] Rapiendo scilicet Helenam, cujus amore captus erat, et quæ eum, ut aiunt, redamabat. *Incautas Amyclas*] Amyclæ urbs Laconiæ: dicuntur 'incautæ,' quia nihil tale suspicari poterant a Paride, qui Spartæ in domum Menelai hospitio receptus, uxorem ejus rapuit. Ceterum Helene non erat Amyclis, sed Spartæ, cum rapta fuit. Sed solitum Poëtis unum locum sumere pro alio, præsertim cum loca vicina sunt.

22 *Plenaque materni referens præsagia somni*] Hecuba enim gravida Paride, inter dormiendum, somniavit se ardentem facem parere, eamque Ilium depascere, atque concremare.

23 *Culpatum*] Bene; quia abducebat uxorem hospitis, quod erat indignissimum facinus.

24 *Jam Nereis imperat Helle*] Respicit fabulam, qua dicitur Helle, fugiens cum fratre Phryxo furorem novercæ, conscendisse aureum arietem, ut trajiceret mare, qua angustius erat, et in illud cecidisse, quod ex ejus nomine appellatur 'Hellespontus:' ac tandem Deam marinam seu Nereida factam fuisse. Sicque ipsa Helle de se narrat apud Valerium Flaccum lib. II. 'Celeri extemplo subiere ruentem Cymothoë Glaucusque manu: pater ipse profundi Has etiam sedes, hæc numine tradidit æquo Regna, nec Inois noster sinus invidet undis.'

25 *Thetis*] Mater Achillis. *Idæos*] Id est, Phrygios, seu Trojanos, ab Ida celeberrimo monte Troadis.

27 *Sororum*] Nereidum.

42 *Resultant accensae*] Ædes resiliunt. *Idem.*

43 *Sensere Pelasgi*] Id est, agnovere Argivi lamentationis argumento sibi imputari causam mortis Archemori. *Idem.*

44 *Et lachrymis excusant*] Flendo ostendunt interitum Archemori non sua culpa, sed fatorum ordine provenisse. *Idem.*

45 *Datum quotiens*] Id est, quotiens ei flentum stupore permissum est. *Idem.*

48 *Pensum*] Pro statutis fatorum posuit. *Idem.*

53 *Ac tenues*] Sic optimus aliique omnes libri nostri. Vulgo *aut.* Veritatem τοῦ *fulmina* facile arguit τὸ *tenues.* Et stulte *flumina nimbis* opponuntur. Ex Lindebrogianis nonnemo liber totos hos tres vers. omittit, a quo nostri merito dissentiunt. Ut enim *genitorem* speciatim supra dixit, sic congrue hic ejus mentionem reponit. *Barth.*

54 *Tristibus interea ramis*] Non ramis tristibus, sed ipsis tristibus qui pyram frondibus intexebant. *Lactant.*

55 *Feretrum*] Φέρετρον Græce dicitur, unde per διαίρεσιν *feretrum* facit: nam Latine *capulus* dicitur, ab eo quod corpus capiat. Unde Plautus: 'Capularis senex,' id est dignus feretro. *Idem.*

57 *Area*] Locus ipsius rogi *area* dicitur. *Idem.*

58 *Morituris floribus agger*] Compositus recenti thure et cinnamo; ut ostenderet orientales partes vicisse. *Idem.*

59 *Arabum strue*] Odoribus Arabicis. *Idem.*

60 *Incana*] Non longa ætate corrupta. *Idem.*

61 *Ab antiquo*] Veteris belli prædam istis ostendit odoribus. Liber enim devicta India hoc unguenti genus advexit, gentibusque dedit: et bene dixit *durantia;* constat enim cinnama fugere; vel ad illud magis dixisse videtur, quod cinnamum odorem suum longo tempore non amittit. Lucan. 'Quod nondum evanuit aura Cinnamon.' *Idem.*

62 *Summa crepant auro*] *Crepant,* id est, sonant. Auri enim textilis sonus talis est. Aut illud quod in flexuosas laminas cæsum est. Virg. 'Sic leni crepitabat bractea vento.' *Idem.*

63 *Supercilium*] *Supercilium* pro fastidio posuit. *Teretes gemmæ*] Multi separant gemmas a margaritis, ut Cicero: 'nullam gemmam, aut margaritam:' et gemmas volunt dici diversi coloris, margaritas vero albas: vel gemmas integras, margaritas pertusas. Dicimus autem et 'hoc margaritum,' et 'hæc margarites,' quod Græcum est. *Idem.*

64 *Irradiat medio Linus*] Hanc historiam in primo libro Adrasto narrante, cognovimus, Linum filium Apollinis et Psamates, Crotopi filiæ, expositum a matre, a canibus fuisse discerptum: hæc ergo fabula cum arte esset intertexta, odiosa erat matri, quia miserationem parvuli commovebat; pari enim modo etiam Archemori mors videbatur illata. *Idem.*

68 *Gloria mixta*] Quoniam majorum ornamenta funeri adhibebantur. *Idem.*

72 *Miseranda voluptas*] Fletum scilicet, quod planctus quasi voluptatem afferat orbitatis parentibus. *Id.*

75 *Festinus voti*] Id est, votis antecedens ætatem filii: figuratum nomen vel a participio 'festinans,' vel a verbo 'festino.' Virgil. 'Tibi quam noctes festina diesque.' *Idem.*

76 *Cinctusque sonantes*] Balteum militare notat, aureis bullis distinctum. Virgilius Æn. XII. 'infelix humero cum apparuit alto Balteus, et notis fulserunt cingula bullis.' Sidonius Panegyrico Antemii: 'bullis hostilibus asper Applicat a leva surgentem balteus ensem.' Erat et alia bulla (ut hoc obiter dicam) quam ingenui pueri, Senatorum liberi, apud Roma-

nos gerebant. Æmilianus apud Macrobium Saturnal. III. 14. 'Ductus sum in ludum saltatorium, plus, medius fidius, in eo ludo vidi pueris virginibusque quingentis, in his unum (quo me maxime Reipubl. misertum est) puerum bullatum Petitoris filium.' Juvenalis Sat. XIV. 'ludit et heres Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.' Hinc 'bullatæ nugæ,' pro 'puerilibus.' Persius Sat. v. 'Non equidem hoc studeo bullatis ut mihi nugis Pagina turgescat.' Capies ab hac mente Juvenal. Sat. XIII. 'dic senior bulla dignissime.' Id est, qui inter pueros referaris. Intelliges etiam Virgilium lib. VI. de puerili agmine scribentem: 'it pectore summo Flexilis obtorti per collum circulus auri.' Denique scito, cum togam virilem pueri sumerent, bullam Laribus dicari solitam. Persius Sat. v. 'Cum primum pavido custos mihi purpura cessit, Bullaque succinctis Laribus donata pependit.' *Bernart.*

85 *Auguris*] Pater pyram filio faciebat, sacerdos serpenti; quia fuisse Martis filius credebatur. *Lactant.*

95 *Nymphas*] Nymphæ diu vivunt, et tamen moriuntur. Istam autem pyram dicit illis antiquiorem fuisse, et post mortem illarum incolumem ob honorem numinis perdurasse. *Veterno* autem dixit ad ostentationem ætatis antiquæ. *Idem.* *Nymphas etiam mutasse*] Ride hominum stultitiam: qui, non contenti innumerabiles pene Deos finxisse, mortales etiam quosdam ex iis credebant. Capella: 'Panes, Fauni, Satyri, Sylvani, Nymphæ, Fatui, Fatuæque, vel etiam Fanæ, a quibus fana dicta, quod soleant divinare, hi omnes post prolixum ævum moriuntur ut homines.' Adi Pausaniam Phocicis, et Apollonii Scholiasten: imo quod magis ridiculum, præesse arboribus putabant Nymphas, earumve mortem ab arboris interitu dependere. Ovidius: 'Naida vulneribus succidit in arbore factis. Illa perit. fatum Naidos arbor erat.' Cur enim veneratur Nymphas Æneas? nisi quia metuebat, aliquam earum se læsisse in arbore, cujus ramos vulserat, et ex qua sanguinem stillare videbat. cur *Quercum suam* dixit Seneca? nisi quia huic Dryas annexa, ut credebatur: pretium operæ hæc talia monere, vel ut intelligas Papinii mentem Tiburtino Manlii: 'Quid te quæ mediis servata penatibus arbor, Tecta per et postes liquidas emergis in auras,' &c. *Bernart.*

99 *Chaoniumque nemus*] Ovid. hanc enumerationem arborum epithetis suis decimo libro monstravit: 'Umbra loco venit, non Chaonis abfuit arbor, Non nemus Heliadum, nec frondibus æsculus altis, Nec tiliæ molles, nec fagus, et innuba laurus,' &c. *Chaoniumque nemus*] Arbores dicit, quæ maxime abundant in eo nemore Jovi sacrato, ubi etiam ipsæ per columbas dabant responsa. Virg. 'Atque habitæ Graiis oracula quercus.' dixit autem *Chaonium nemus*, a toto partem ostendens. *Illæsa cupressus*] Quæ nunquam exuitur honore foliorum. *Idem.*

109 *Citius nocturna peredit*] Scribendum ex membr. *peregit Flamma nemus.* Lib. v. 'longus vix tota peregit Membra dolor.' Valerius Flaccus lib. I. 'peragit Clanis Actora quercu.' Eodem sensu quo, confecit. *Gronov.*

111 *Arbiter umbræ*] Id est, domus nemorum. *Lactant.*

112 *Semideumque pecus*] Panes. Tetigit hanc opinionem, ut diceret Nymphas et Faunos esse mortales. Virg. dixit Turnum a Venilia Nympha natum, ab Ænea monstrat occisum, cum ipsius auctor sanguinis immortalis esset. Sunt qui dicunt illam auram numinis, quæ fontibus arboribusque devincta est, casu aut aqua siccata, aut excisa ar-

bore, æque illico emori; sed absurdum est ut numen moriatur: neque enim res potest in aliquo casu occidere, * cum omnium visibilium, et quæ incorporea sunt multis visa mori opinantur. Cæterum succisa arbore, aut siccato fonte, ille spiritus qui societate tenebatur illius naturæ astrictus fugit invitus, interdum aufertur ratione divina. Cæterum nec ipsis arboribus contingit interitus: soluta enim figura ad naturam suam recidunt. Unde Virgil. 'Scilicet huc reddi, deinde ac resoluta referri Omnia, nec morti esse locum.' Lucan. lib. IX. 'Innocuos vitæ patientes ætheris imi Fecit, et æternos animam collegit in orbes.' Quia dicit Pythagoras animas bonorum virorum in stellas posse converti. 'Semideos' autem Panes dixit, quia partem habent Deorum, partem hominum. *Id.*

117 *Immodici. minor*] Ille fragor immodici tumultus non erat minor eo tumultu, quo gesturi erant bella. id est, majore clamore diripiunt urbem, quam ante pugnaverant. *Idem.*

118 *Jamque pari tumulo*] Similibus pyris. Una pro filio Lycurgi, altera pro Amphiarai serpente. *Idem.*

121 *Tibia jubet*] Jubet enim religio ut majoribus mortuis tuba, minoribus tibia caneretur. Persius: 'Hinc tuba, candelæ.' Homerus in funere Hectoris dicit: 'Tunc pyra construitur quo bis sex corpora Grajum, Quadrupedesque adduntur equi, currusque, tubæque, Et clypei, galeæque cavæ, Argivaque tela.' *Idem.*

122 *Lege Phrygum mæsta*] Ovidius: 'Tibia funeribus cantabat, tibia ludis.' Statius ad puerorum funera restringere videtur, quod alias non observavi, nisi apud Luctatium, qui, 'jubet religio,' inquit, 'ut majoribus mortuis tuba, minoribus tibia caneretur.' Hæc ille, nec male de tuba, ut ex Propertio, Ovidio, aliisque notum. Suetonius tamen non in viri solum, sed virorum principis tibiam agnoscit: 'Tibicines et Scenici artifices vestem, quam ex instrumento triumphorum ad præsentem usum induerant, detractam sibi, atque descissam injecere flammæ:'. nisi triumphale id fuisse funus dicas, et omni instrumento musico ornatum: sed occludit tibi posticum istud idem Ovidius, qui Trist. I. ait: 'Tibia funeribus convenit ista meis.' Verius itaque Papinium ad originem respicere, et velle apud Phryges næniam ad tibias primum cantari solitam in funere infantium: quod verum est, et Phrygum hoc inventum, unde Catullus 'barbaram tibiam' vocavit; nam licet Latini, qui libera Repub. scripsere, Barbaros vocent omnes præter se et Græcos; et ii qui sub Principibus, omnes qui non erant sub imperio Romano; Poëtæ tamen sæpe intelligunt solos Trojanos; ut sciunt vel tenuiter harum litterarum periti. Vetus Poëta apud Ciceronem: 'astante ope barbarica,' id est, Trojana. Lucretius, Horatius, alii videntur. Morem etiam præficarum, et canendi ad tibias in funere, ex Phrygia in Italiam per comites Æneæ translatum, Varro auctor, de Vita Populi Romani, lib. IV. *Bernart.*

124 *Niobe consumpta pharetris*] Id est, Apollinis et Dianæ. Niobe secundum Homerum duodecim filios habuit, Sophocles autem dicit eam quatuordecim habuisse: amborum opinionem secutus Poëta diversis locis, utrunque taxavit in hoc loco: 'bina per ingentes stipabant funera portas.' Est autem ordo: Quo carmine Niobe squalida bissenas Sipylon deduxerat urnas: quia occisis liberis apud Thebas ad patriam Sipylon funera cuncta deduxerat. Sipylon mons est in quo Niobe in saxum dicitur mutata. *Lactant.*

126 *Arsuraque fercula*] Ad morem dixit quo amici dona, ad odorem vel gustum pertinentia, in rogum defunctorum jaciebant. Virg. Æn. VI.

'Aversi tenuere facem, congesta cremantur Thurea dona, dapes, fuso crateres olivo.' Papinius Epicedio in Glauciam: 'quid ego exequias et prodiga flammis Dona loquar? mœstoque ardentia funera luxu?' &c. Plures non laudo, solum adscribam Tertulliani de Resurrectione Carnis, absque ritus hujus face densa caligine pressum locum: 'At ego magis ridebo vulgus, tunc quoque cum ipsos defunctos atrocissime exurit, quos postmodum gulosissime nutrit, iisdem ignibus et promerens et offendens. o pietatem de crudelitate ludentem! sacrificat an insultat dum crematis cremat?' Hæc in rogum: si vero anniversariæ fierent exequiæ, super aras extructas deponebant dona. Virg. Æn. v. 'Nec non et socii, quæ cuique est copia, læti Dona ferunt, onerantque aras, mactantque juvencos.' *Bernart.*

134 *Inventæ concedunt*] Moderatum ei planctum concedunt, non autem nimium, ideoque brachia ejus a verberibus nimiis coërcent. *V. Schol.* Optime. Non enim jam posse Hypsipylem tam atrociter in planctus furere dicit, inventis nempe filiis, quam fecerat antea. Gaudia enim mentem, brachia attinebant filii. *Barth.*

140 *Annorum*] *Elementa* pro initiis posuit: omnium enim humanarum rerum initia *elementa* sunt dicta. *Lact.*

149 *Quidni ego*] Deest, occidi filium? quem negligenti commisi: nam dolori vox convenit interrupta. *Servatum fraude parentem*] Illi ego parvulum crederem, quæ a se patrem fuisse servatum jactabat. *Idem.*

151 *Abjurasse sacrum*] Id est, facinus execrandum: aut quia sacramentum fuit inter Lemniades. *Abjurasse*] A suo animo abdicasse. *Idem.*

152 *Hac illa est*] Demonstrative, id est, quæ fuerit ausa dominum projicere, linquere. *Idem.*

154 *Non regem*] Concessione. *Alienos*] Deest 'sed.' *Lactant.*

155 *Infames*] Periculosos. ut Horatius, 'Infames scopulos Acroceraunia.' *Idem.* *Tramite*] 'Trames' est via transversa. Ergo in periculosæ silvæ via, quod est tramite, filium dimisit expositum: proprie tamen 'trames' est via privata, non publica, id est, quæ paucis cognita, unumquemque ad agrum proprium ducit. Sallustius: 'Per tramites occultos exercitum Metelli antevenit.' *Idem.*

162 *Matre magis solam nosse*] Sane veteres, *Nate magis;* quod tamen verum esse non apparebit, ut ait Bernartius, propius rimanti, nisi et aliud quid vitii hic, quo laborant omnes libri, sustuleris. Quorsum enim *magis solam?* si enim *magis*, non utique solam: sin solam, non utique *magis:* hæc duo in eodem membro male conveniunt. Lege: *at quin et blandus ad illam, Nate, magis.* (scilicet eras, quam ad me.) *solam nosse atque audire vocantem.* Hoc quoque J. Grutero in mentem venerat. *Gronov.*

166 *Illa tibi genitrix*] Hypsipylen dicit lætitiæ blandimenta sensisse de luctu. *Lactant.*

171 *Primordia belli*] Oro vos per primordia belli: per mortem filii Argivos adjurat, cujus obitu Thebanum, velut sacro aliquo, initiatum est bellum. *Idem.*

188 *Seu duras evexit pastor ad aras*] Non *aras duras*, sed *pastor*. Idem.

189 *Nunc flumina questu*] Ordo: Non secus spoliata parens nunc vallem, nunc questu flumina, nunc armenta movet. *Idem.*

194 *Injicit ipse rogis*] Præter ea quæ ad odorem aut gustum, etiam pretiosissima quæque defunctis, aut sibi carissima, urebant. Homerus Iliad. Z. Ἐννέα τῷ γε ἄνακτι τραπεζῆες κύνες ἦσαν· Καὶ μὲν τῶν ἐνέβαλλε πυρῇ δύο δειροτομήσας. Seneca Tragicus Herc. Œteo: 'Hic nodus (inquit) nulla quem capiet manus Mecum per ignem flagret.' De Herc. furente: 'ipsa Lernæis frequens Pharetra te-

lis in tuos ibit rogos.' Noster lib. XII. 'Accipe, nate, tui nova libamenta triumphi. Accipe et hoc regimen dextræ, frontisque superbæ Vincula, quæ patri nimium gestanda dedisti.' Decemviri in legibus XII. tabularum, compedes (ut sic dicam) huic stultitiæ injecerant, sed pravi mores bonas leges vicerunt: Cicero de Legib. II. 'Jam cetera in XII. de minuendo sumptu, translata sunt de Solonis fere legibus. Extenuato igitur sumptu, tribus riciniis et clavis purpureis, et decem tibicinibus, tollit etiam lamentationem.' Respiciunt Decemviri hunc ritum, et nolunt plus quam tres vestes cum mortuis uri vel condi. viri docti qui aliter exponunt, fallunt et falluntur: illud etiam dignum duxi monitu, qua apud Græcos, qua Romanos moris fuisse, ut morituri pulcherrimas vestes sumerent, in quibus moriebantur et comburebantur. Consule Diogenem Laërtium in vita Socratis, Livium, Velleium Paterculum lib. II. Plinium Epist. lib. II. epist. ult. *Bernart.*

195 *Cæsariem ferro minuit*] Et hoc maximi doloris indicium apud priscos, in exequiis alicujus capillos decidere, barbam radere, crines tumulo imponere, aut in rogum conjicere. Alcæus Epigrammatographus: Πᾶσά σοι οἰχομένῳ Πυλάδῃ κωκύεται Ἑλλὰς Ἄπλεκτον χαίταν ἐν χροῒ θειραμένη. *Extinctum luget, Pylades, te Græcia tota Ad vivam tonsis crinibus usque cutem.* Iphigenia in Tauris apud Euripidem: Τύμβον τε χῶσον, κἀπίθες μνημεῖά μοι. Καὶ δάκρυ, ἀδελφὴ, καὶ κόμας δότω τάφῳ. *Tumulumque congere, et monumenta imponito: Comas sepulchro det soror cum lacrymis.* Et exempla plura sunt quæ non exscribo; diluam potius loca quæ diversam sententiam adscribere videntur. Venuleius J. C. l. XXXIX. de Injuriis: 'Vestem sordidam rei nomine in publicum habere capillumve summittere nulli licet, nisi ita conjunctus est affinitate, ut invitus in reum testimonium dicere cogi non possit.' Suetonius, Julio, cap. LXVII. et clarius de Caligula in morte Drusillæ: 'Mœroris impatiens, cum repente noctuque profugisset ab urbe, transcurrissetque Campaniam, Syracusas petiit: rursusque inde rediit, barba capilloque promisso.' Ecce crines in luctu non positi, sed nutriti: nec id Principum ævo solum, sed et prisca Republ. Agellius de Africano: 'Eumque cum esset reus, neque barbam desisse radi, neque non candida veste uti, neque fuisse solito cultu reorum.' Quid statuemus in pugna tam manifesta? pacem quam facile componam. Exteris in luctu deponere crines usitatum, non Romanis; excipio mulieres, qui enim possent viri, cum comam aut barbam non nutrirent? primusque Hadrianus Imperator barbam Romæ reduxit, ut notat Xiphilinus, et probant nummi: ideoque barba summissa, cum alias foret rasa, luctus erat signum. Ceterum in exteris ipse Suetonius morem ponendi barbam in luctu agnoscit. Caligulæ cap. 5. in morte optimi Germanici: 'Regulos quosdam aiunt barbam posuisse, et uxorum capita rasisse, ad indicium maximi luctus.' Pergebam: sed a latere tragulam mihi injicit Cicero, qui barbam etiam in Romanis agnoscit, pro Cœlio: 'Non hac barba qua ista delectatur.' Evello hoc spiculum levi nisu: de juvenibus illi sermo, qui barbam alebant ad vigesimum primum ætatis annum usque, quo plerique ponebant, ut auctor est Macrobius in Somnium Scipionis. Dico 'plerique,' nam non omnes. Caligula 20. anno posuit, Augustus demum 21. testes laudo Suetonium et Dionem, quos tu cupide lector vide. Dies positæ barbæ sane lætus erat et festus, muneraque peti ac dari tum solent. quo pertinet illud Juvenalis: 'Ille metit barbam, crinem hic deponit amati, Plena domus libis venali.

bus.' Dio lib. XLVIII. Ammianus XVII. videntor. *Idem.*

197 *Alio tibi perfide pacto*] Datur enim sacerdotibus dolor immensus: ut Virg. 'Quem non incusavi amens hominumque Deorumque?' *Lactant.*

199 *Libare dedisses*] Libatio duabus rebus expeditur, lacte et sanguine. unde Virgil. 'duo lacte novo, duo sanguine sacro:' quod alterum eorum alimonium sit vitæ retinendæ, alterum virium continendarum; quia vita hominum his rebus juvatur: eamque propterea sepulturæ commendare solent, ut societate parta curationis lucis amissæ, posteritas defectionis honoretur: unde et flores sparguntur in honorem mortuorum infantum; unde Virgil. 'purpureos spargam flores.' Ergo numerat Jovi Lycurgus debuisse crinem suum cum primitiis filii pubescentis barbæ templis libare. *Idem.*

203 *Exclamat*] Crepitu sonat. omnis enim clamor sonus est. *Insanos*] Impatienter dolentes, vel dolore furiatos. *Idem.*

210 *Pallentique croco*] Epitheton hoc genus croci non expressit: neutro enim genere nuncupatur. Sallustius: 'In qua crocum gignitur.' Virgil. 'crocumque rubentem,' masculino genere dixit poëtice. *Idem.*

211 *Spumantesque mero pateræ*] Homerus Iliad. Ψ. in funere Patroclis: Οἶνον ἀφυσσόμενος χαμάδις χέε, δεῦε δὲ γαῖαν, Ψυχὴν κικλήσκων Πατροκλῆος δειλοῖο. Virgilius: 'Ille e concilio multis cum millibus ibat Ad tumulum, magna medius stipante caterva. Hic duo rite mero libans carchesia Baccho Fudit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro.' *Bern.*

212 *Sanguinis*] Duas res mittit, unam quæ nutrit animam, id est lac: alteram qua constat, id est sanguis: nec mirandum, quia sanguinem ad Inferos placandos intulerit: nam sanguis proprie videtur animæ esse possessio, unde 'exangues' mortuos dicimus. *Cymbia*] Pocula navibus similia, ut et ipsa nominis figura indicat, diminutive a 'cymba' dicta. *Lactant.*

213 *Tunc septem numero turmas*] Ordo: Tunc septem numero turmas versis ducunt insignibus. *Idem.*

214 *Versis ducunt insignibus*] Et hoc proprium luctus signum. Ovidius, seu potius Pedo, Elegia ad Liviam: 'Quos primos vidi fasces, in funere vidi, Et vidi versos indiciumque mali.' Virgilius: 'tum mœsta phalanx Teucrique sequuntur, Tyrrhenique duces, et versis Arcades armis.' *Bernart.*

215 *Sinistro orbe*] Quia nihil dextrum mortuis convenit: ut funeribus absolvantur, dextro ordine redeunt. *Lactant.*

216 *Inclinant pulvere flammas*] Flammarum apicem vis pulveris equorum pedibus mota flectebat. *Idem.*

217 *Ter curvos egere sinus*] Decursionem funebrem respexit, cujus apud veteres antiquissimus usus. Lucanus lib. VIII. 'totus ut ignem Projectus mœrens exercitus ambiat armis.' Virgilius Æn. XI. 'Ter circum accensos cincti fulgentibus armis Decurrere rogos.' Tacitus: 'Honorique patris Princeps ipse cum legionibus decucurrit.' Adi Homerum Iliad. Z. decursionem hanc Græcis, et Livium lib. XXV. etiam Pœnis usitatam scribentes. *Bern.*

219 *Famularum brachia planctum*] Nunc percussionem manuum significat: 'planctus' etenim dicitur omnis collisio, Varronis opinione: 'Ideo mulieres solitas in luctu ora lacerare, ut sanguine ostenso Inferis satisfiat.' *Lactant.*

223 *Dextro gyro*] Fidissimi: *dextri gyro.* Hoc lib. VII. 'dexterque exerrat Arion.' Ut Silius: 'nunc levus in orbem, Nunc dexter brevibus flexo per devia gyris.' Virgil. Æn. IX. 'Lyncea tendentem contra, &c. connixus ab aggere dexter Occupat.' *Gronov.*

224 *Suis libamen ab armis quisque jacit*] Virgil. Æn. XI. 'Conjiciunt igni galeas ensesque decoros, Frenaque, ferventesque rotas.' Suetonius Julio: 'Tibicines et scenici artifices vestem, quam ex instrumento triumphorum ad præsentem usum induerant, detractam sibi injecere flammæ, et veteranorum militum legionarii arma sua, quibus exculti funus celebrabant.' *Bern.*

234 *Putres*] Molles. *Lactant.*

235 *Multoque soporant*] Id est, aqua extingunnt. *Idem.*

238 *Roscida jam, &c.*] Iterum ad morem Romanum alludit, quo mortuis nono demum die parentabatur. Glossæ veteres: *Novemdiala: ἔννατα ἐπὶ νεκροῦ ἀγόμενα.* Donatus Phormione: 'In nuptiis septimus dies instaurationem voti habet, ut in funere nonus quo parentalia concluduntur.' A quo more Dio scribit, Adrianum Cæsarem, Plotina mortua, per novem funeris dies pullatum incessisse: et hinc est quod in novellis Justinianus noster, 'in nonum diem fieri μνήμας defunctorum' scribit. Vide quæ notavit amplissimus eruditissimusque Torrentius ad Suetonium, Nerone cap. 33. *Bernart.*

239 *Lucifer*] Lucifer et mane oritur et vespere, sed equo mutato: quam rem sciunt sydera, quod unum astrum sit, nec falluntur sicuti mortales, qui putant duos esse. Poëtæ autem quadrigas dant soli, bigas lunæ, equos singulos syderibus. eundem ergo Vesperum vult haberi: ut Horatius Vesperum pro Lucifero posuit: 'nec tibi Vespero surgente decedunt amores, Nec rapidum fugiente solem.' *Lactant.*

243 *Rerumque effictus in illo*] Sic a Bernartio. Scripti tamen omnes, *effectus;* quod est, artificiose factus, elaboratus. Lib. IV. 'perfectaque vivit in auro Nox Danai.' Appuleius de statua Bathylli: 'Qua nihil videor effectius cognovisse.' Seneca Ep. 27. 'Multum restat operis, in quod ipse necesse est vigiliam, ipse laborem tuum impendas, si effici cupis.' Ubi frustra nonnemo, 'perfici.' Fab. Præfat. lib. VI. 'Tum si qua minus fuerint effecta iis, quæ levius adhuc adflicti cœperamus.' Lib. VIII. 3. 'Nam quicquid in suo genere satis effectum est, valet.' *Idem.*

253 *Ephyræo*] Corinthio, ubi in honorem Palæmonis et Leucothoës ludi funebres celebrabantur, ut ait ipse: 'It comes Inoas Ephyre solata querulas,' &c. *Lactant.*

255 *Collibus incurvis*] Locum spectaculi describit. *Idem.*

261 *Illic conserti*] Id est, in cohortem densati. *Idem.*

268 *Series antiqua parentum Invehitur*] Et hic denuo morem Romanum notat, quo sicuti Dii quotannis Circensium diebus in carpentis traducebantur, ita memoriæ conservandæ causa, mortuorum imagines ludis illatæ, iisque locus publicus quasi ad spectandum assignatus, adeoque sella posita. De his Suetonius: 'Classibus tempestate perditis exclamavit, etiam invito Neptuno victoriam se adepturum, ac die Circensium proximo sollemni pompæ simulacrum Dei detraxit.' Recte inquit, 'pompæ,' nam traductionem hanc ita indigitabant. Prudentius: 'Fertur per medias ut publica pompa plateas Pilento residens molli.' Allusit Plautus Milite: 'Quæ me ambæ obsecrarunt, ut te hodie quasi pompam illac præterducerem.' Appuleius: 'Dum pompa Deæ moliebatur:' id est, incipiebat procedere. Virgilius: 'pars ducere muros, Molirique arcem,' id est, incipiebant extruere. Terentius: 'Dum molinntur, dum comuntur, annus est;' id est, dum incipiunt ordiri, annus est anteaquam absolvant. Sed ad rem: De mortuis satis clare Dio libro LIII. Μαρκέλλῳ δὲ καὶ εἰκόνα χρυσῆν, καὶ στέφανον χρυσοῦν, δίφρον τε ἀρχικὸν, ἔς τε τὸ θέατρον ἐν

τῇ τῶν Ῥωμαίων πανηγύρει ἐσφέρεσθαι, καὶ ἐς τὸ μέσον τῶν ἀρχόντων τῶν τελούντων αὐτὰ τίθεσθαι ἐκέλευσε. *Marcelli* (defunctus is erat) *et imaginem auream et coronam auream et sedem curulem Romanis ludis in theatrum inferri jussit, mediamque illam poni inter sedes editorum.* Consule eundem lib. XLIV. Xiphilinum Severo, et ante omnes Livium, lib. II. *Bern.*

270 *Duro Tirynthius ingens*] Membr. *angens*: nam et sic proprie interfecit leonem ἄτρωτον. Apollodor. Καὶ περιθεὶς τὴν χεῖρα τῷ τραχήλῳ κατέσχεν ἄγχων, ἕως ἔπνιξε. Noster lib. IV. 'cum colla minantia monstri Angeret, et tumidos animam angustaret in artus.' Seneca Herc. Œtæo: 'Hisne ego lacertis colla Nemeæi mali Elisa pressi?' Sic enim leg. non 'spolia.' *Gronov.*

274 *Lætus arundinea*] Duplex vitium oblatum huic versui. Quid enim ita lætus Inachus, cum statim sequatur: 'jam prona dolorque parentis?' Dein *lætus et recubans* nihil suave sonat. Lege, quo ducunt et membranæ: *Lævus arundineæ recubans super aggere ripæ. Lævus recubans* est in levum flexus sive inclinatus recubans. Ut Virgil. Æn. VI. 'adverso recubans immanis in antro.' Lib. IX. 'septem surgens sedatis amnibus altus Per tacitum Ganges.' Lib. X. 'pronus pendens in verbera.' Lib. XI. 'sibilat ore Arduus insurgens.' Et, 'immensus surgens ferit æthera clamor.' *Idem.*

279 *Hospes jam tunc Aurora, &c.*] Hoc est, hi qui in oriente sunt: colitur autem in Ægypto, ubi etiam Isis vocatur. Simul notandum quod communis generis declinavit *hospes*, cum legerimus: 'bellum, o terra hospita, portas.' *Lactant.*

280 *Fallentibus undis*] Hoc est, regali habitu, et in meliore fortuna: id est, qualis fuerat antequam Deos offenderet. *Idem.*

281 *Sterilem rapit*] Id est, qui fugientibus pomis vacuum rapit aëra. Ergo hic 'silvam' posuit pro arboribus. *Idem.*

283 *Tendit lora Pelops*] Virg. 'Humeroque Pelops insignis eburno.' A Neptuno enim aptatus curuli certamine eques acceperat, quorum cursu omnes anteiret, ipsum quoque Œnomaum superavit, quia Myrtilo supposito axe cereo superatus est ab his. Unde Horat. 'Myrthoum pavidus nauta secet mare.' Dicitur enim prædictus auriga præcipitatus a Pelope in mare. *Idem.*

286 *Choræbi*] Hic est Chorœbus qui monstrum Apollinis interemit, et pro omnibus se devovit. Ideo *horrenda*, id est venerabilis, aut *horrenda*, specie terribili, quasi contemptor vitæ mortisque. *Idem.*

288 *Danaë culpata sinus*] Danaë Acrysii filia: hæc cum a patre ob custodiendam virginitatem arctius servaretur, dicitur ejus specie captus Jupiter sese in imbrem aureum demutasse, et ita in modum pluviæ sinum Danaës penetrasse. Ex qua conjunctione Jupiter Perseum edidit: unde Horatius: 'Si non Acrysium virginis abditæ Custodem pavidum Jupiter et Venus Risissent.' *Idem.*

288 *Tristis Amymone*] Belus Danai pater, Danaus Amymones. Amymone a Neptuno compressa Nauplium generavit, Nauplius Palamedem: unde Virg. 'Belidæ nomen Palamedis.' *Idem.*

289 *Tergemina crinem circumdata*] Lepide, quia tribus noctibus Hercules satus: nec te turbet quod *tergemina* dicat, nam 'tergemini' non 'sex' aut 'seni' veteribus, sed 'tres' aut 'terni.' Catullus de Cerbero: 'Cui tres sunt linguæ tergeminumque caput.' Papinius lib. VIII. 'atraque ditis Fulmina, tergeminosque mali custodis hiatus.' Virgilius de Luna: 'Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.' Cum Luna sit apud Superos, Hecate vel Proserpina

apud Inferos, Diana in terris. Statius: ‘Si te tergeminis perhibent variare figuris.’ *Bern.*

291 *Belidæ fratres*] Ex Belo nati, Danaus et Ægyptus fratres: his cum par numerus filiorum filiarumque esset, Danaus deprehendit oraculo se ab uno Ægypti fratris filio occidendum: itaque simulavit se fratris filiis natas in matrimonii consortium traditurum: armavitque occulte filias conjugali nocte, ut sponsos suos occiderent. Universæ voluntatem patris secutæ sponsos suos occiderunt; sola Hypermnestra Lino pepercit, a quo postea Danaus, ut oraculi fides impleretur, occiditur. *Inimica* ergo in *fœdera* dixit, quia dextrarum conjunctio ad discordiam profecit. *Lactant.*

301 *Arion*] Equus Adrasti, qui ex Neptuno et Cerere natus dicitur, humano vestigio dextri pedis. *Idem.*

302 *Priorum Fama patet*] Lege cum membr. *Neptunus equo (si certa priorum Fama) pater. primus teneris.* Habes inferius: ‘omnesque adsuetus in oras Cœruleum deferre patrem.’ Virgil. Georg. III. ‘Neptunique ipsa deducit origine gentem.’ Hunc ei patrem, Cererem matrem finxere. Vide Pausaniam in Arcadicis. *Gronov.*

310 *Notique sequuntur*] Equi velocitate etiam nubila vincebantur: quasi et ipse certaret. Item *Euri sequuntur*, divine dictum: dedit illis victoriæ votum, sed ademit effectum. *Lactant.*

311 *Eurysthea*] Id est, ad quem Eurystheus eum mittebat. Eurystheus enim rex Græciæ, Persa genus, qui Junonis instinctu imperabat Herculi, ut varia monstra superaret, quibus posset perire. Unde Virgil. ‘Quis aut Eurysthea durum;’ ‘durum’ vocat ideo, quia potuit ad complendum novercale odium sufficere. *Idem.*

312 *Gramina sulco*] Id est orbita illius currus quem ducebat: ideo quia sessoris pondere prægravatur, altius infigebantur terræ vestigia. *Idem.*

318 *Ille etiam ferus*] Nihil differunt scripti. Legendum tamen: *ille etiam ferus*. ne ipsi quidem Herculi satis morigerus. Phœbus ad Phaëthontem apud Ovidium, Met. II. ‘Vix me patiuntur, ubi acres Incaluere animi.’ *Gronov.*

322 *Astra insidiosa*] Periculosa: ideo quia sunt signa visu terribilia. Monebat ergo Phaëtontem Sol, ut non ageret currus per australem, sed septentrionalem plagam. Lucanus de Phaëtonte in libro qui inscribitur Iliacon, ita: ‘Haud aliter raptum transverso limite cæli Flammati Phaëtonta poli videre, Deique, Cum vice mutata totis in montibus ardens Terra dedit cælo * naturaque versa.’ *Lactant.*

326 *Proxima palmæ*] Amphiaraus spes proxima Palmæ. Ut Virgil. Bucol. Et certamen erat, Coridon cum Thyrside, magnum. Vide de hac locutione doctiss. JC. Albericum Gentilem Lectionum Virgil. cap. 14. Quem vellem totum Maronem talibus dissertationibus mactasse, sunt enim doctæ et jucundæ. *Barth.*

328 *Cyllare*] Equi Castoris, Cyllarus et Xantus. Aliter enim Virgil. ‘Pollucis habenis Cyllarus.’ Sed non indifferenter junguntur vocabulo, qui sunt vitæ permutatione conjuncti: et templum Castoris dicimus, cum sit duorum; et legimus: *Castor uterque bonus.* Constat autem hunc Castorem inter Argonautas fuisse, et eum omisso equorum studio remigem factum, quo tempore occasio data est, ut Cyllarus vocaretur. Sed debet proprie Castoris dici: fuit enim hoc studium huic, ut Hom. asserit: Κάστορά θ' ἱππόδαμον, καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα. Horatius enim ‘Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem Pugnis.’ *Lactant.*

332 *Fœlix Admetus*] Propter amicitiam Herculis, propter receptam

dictus uxorem. *Idem.*

335 *Vires adducta Venus*] Cupido libidinis migravit in vires. *Idem.*

338 *De grege Castalio*] De Pegasi grege, qui fontem Hippocrenem, Apollini et Musis dicatum, ungula sua produxit. Neptunus enim pater quorundam equorum fertur, Pegasi ex Medusa, Arionis ex Cerere. Ergo quæ Admeti regis, perseo colore fuerunt. *Lactant.* Ultima tamen verba sic restitue: 'Ergo equæ Admeti Regis Pegaso concolores fuerunt.'

340 *Ecce et Iasonidæ juvenes*] Ex Jasone et Hypsipyle duo nati sunt filii, Thoas et Euneus, quorum Thoas maternum avum nomine refert, Euneus vocatus alter ominis causa a patre navigaturo: quorum nomina oportuno tempore poëta commemorat. Hi vero quia certaturi noti non esse debuerant, adeo fraterna contentio fuit, ut nec victus doleat, nec victor insultet. *Lactant.*

346 *It Chromis*] Chromin dicit Herculis filium, quem constat equos habuisse Thracas, quos Hercules extincto Diomede rege abduxerat, humanis carnibus vesci consuetos: cum multi hoc exitio interiissent hospites, hunc Hercules, ne ab eodem circumventus periret, equorum suorum fecit pabulum: quos filio suo habendos concessit. *Idem.*

347 *Alter ab Œnomao*] Hippodamum dicit Œnomai currus regentem: eorum enim equorum non dissimilis est fama, exitio tot procorum: ideo ambigit Poëta, quibus equis ab eo major crudelitas ascribatur. Ex utroque enim stabulo processit horrenda crudelitas. *Idem.*

348 *Frena*] Genus pro specie: equos enim significat. *Idem.*

351 *Nudo robore*] Sine foliis, ramis, et cortice. *Vet. Schol.* Sententia Papinii est, cursus 'primam metam' fuisse 'stipitem' ingentem 'querneum,' aut 'quercum' ipsam circumaccisam, ne fronderet amplius: unde nimirum initium fieret; 'secundam,' ingentem 'lapidem terminalem,' aut plures lapides in statuam aut molem rotundam compositos, circa quem flecteretur, emenso spatio. Idque ex more, cum nondum muris aut sepimentis essent loca designata. *Barth.*

353 *Inter utrumque*] Agrorum, qua iste terminatur et alterius possessio sive hæreditas incipit, lapide magno, in Clypei modum rotundato, notatum erat. Jacet autem dicit, quia et a Natura taliter facti lapides his locis projiciebantur. *Vet. Schol.*

356 *Manus insertus*] Manus habens insertas. *Lactant.*

358 *Phlegram*] Regio est in qua debellati Gigantes ignitis fulminibus perierunt: φλέγειν enim Græce *ignire* proprie dicitur. *Idem.*

359 *Anguis*] Pythonis. *Idem.* *Fratrumque honores*] Id est, ea facta quæ reliqui Dii gloria sua signant. *Idem.*

360 *Quis sidera ducat*] Secta Platonica dicit omnia spiritu divino gubernari. Unde Virg. 'Principio cælum, ac terras, camposque liquentes, Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra, Spiritus intus alit.' Etenim illa anima, quæ vinculum mundi nectit, mens et spiritus vocata est: quæ dat mortalium animis cunctas species, motumque et vitam: ut Virgil. 'mens agitat molem,' quæ Platone attestante affirmatur. Sed hujus tractatus secretæ philosophiæ magna laus Persis debetur, quod apud eam gentem horum secretorum primum ratio habita est: vel Perses scilicet ille magnus præceptor hujus philosophiæ. *Idem.*

362 *Vivat mare*] Ostendit Poëta, vivum et viva posse dici ea quæ neque anima neque spiritu moventur. *Quæ via soles Præcipitet, noctem*] Thesis philosophica; terra elementorum omnium ima sit, an suspensa, ut Lucretius. Ergo utrum volvatur cælum, quod accidit si media est terra,

quod si in imo, desinit esse immobile. Sed cum disputantium discordat opinio, verum nobis dicet si qui rite cognovit originum causas: unde Virgil. 'Fœlix qui potuit rerum cognoscere caussas.' *Idem.*

364 *Mundo succincta latenti*] 'Latentem mundum' Antipodas dicit, *succincta* autem propendenti, quia si media est, nulla stabilitate firmatur. Sed de his rebus prout ingenio meo connectere potui, ex libris ineffabilis doctrinæ Persei præceptoris, seorsum libellum composui, Lactantius Placidus. *Idem.*

367 *Limbo*] Zona seu fascia; 'limbus' enim proprie fascia picta dicitur, quæ imis assuitur vestibus: ut Virgil. 'Sydoniam picto chlamydem circundata limbo.' Aliter 'limbus' est fascia quæ ambit extremitatem vestium, secundum antiquum ritum, ut victoris chlamydem auratam, habentem circum purpuram. *Idem.*

369 *Certaminis instar*] Speciem enim belli quadrijugum certamen adduxerat cupido vincendi. *Idem.*

375 *Peliacis hic cum famularer in arvis*] Respicit fabulam, qua Jupiter Æsculapium fulmine occidisse fingitur, quia mortuos medendi peritia in vitam revocarat. Apollinem vero Cyclopas, fulminis fabricatores, sagittis confecisse: ob eam causam a Jove e cælo relegatum, omnium rerum inopia pressum, Admeto Thessaliæ regi pascendis armentis operam locasse. Orpheus Argonauticis: *Ἄδμητος δ' ἀφίκανε Φεραιόθεν, ᾧ ποτε Παίαν Θητεύων ὑπόειξε, Διὸς δ' ἠλεύατο μῆνιν, Οὕνεκά τοι Κύκλωπας ἀμαιμακέτοισιν ὀϊστοῖς Ἐν φθιτοῖσιν ἔτευξ', Ἀσκληπίου εἵνεκα λώβης.* Pindarus Pythicis: *Καὶ ἀγνὸν Ἀπόλλων,' Ἀνδράσι χάρμα φίλοις Ἄγχιστον, ὀπάονα μήλων.* *Bernart.*

378 *At hic tripodum comes*] Amphiaraus scilicet: et notandum, varietatem nominum solis pronominibus separatam. Illic et hujus meritis, tamen ille Admetus. *Lactant.*

380 *Datur ordo senectæ serumque mori*] Beneficio enim uxoris Alcestæ Admetus distulerat mortem, cujus talis est fabula. Alcestes uxor Admeti fuit; hæc cum agnovisset viro suo finem propinquare vitæ, sese obtulit morti, quam cum extinctam Admetus impatienter doleret, Herculis laboribus ei reducta ab Inferis dicitur. Eleganter ergo hic Poëta *serum mori* Admeto posuit, videlicet pro quo alter concessit in fata: unde Juvenalis: 'Spectant subeuntem fata mariti Alcesten.' *Idem.*

383 *Et nostræ pridem, &c.*] Sensus; Etiam avium nostrarum augurio moriturum te esse prævidisti. *Idem.*

384 *Et os fletu*] Noluit dare pathos mortali numini, philosophice potius, quam poëtice. Ovidius idem de Apolline, Coronide occisa: 'Quæ postquam frustra tentata, rogumque parari Sensit, et arsuros supremis ignibus artus, Tunc vero gemitus (neque enim cælestia tingi Ora decet lachrymis) alto de corde petitos Edidit.' *Idem.*

389 *Et jam sortitus*] Sortibus antiqui sæpissime et maximis in rebus utebantur. Sorte judices eligebantur. Suetonius Julio: 'Ac sorte judex in reum ductus.' Sorte munia magistratuum discreta. Idem Octavio cap. 30. Provinciæ proconsulibus sorte adsignatæ. Scriptores passim omnes, signate Suetonius Octavio 47. Sorte legati mittebantur. Hinc Tac. Annal. 4. 'Vicit pars qua sortiri legatos malebat, etiam mediis patribus annitentibus retinere morem.' Sorte Virgines Vestales lectæ, Idem cap. 31. Denique quod ad lucem hujus loci, sors in ludis maxime recepta. Item Suetonius Nerone 21. 'Sorticulaque in urnam cum ceteris demissa, intravit ordine suo.' Ita in urbe, et inter urbanos: at in militia, 'galea' pro 'urna' utebantur. Quo respicit noster dum ait,

'versatur ahena casside.' Virg. 'detectamque ærea sortem Accepit galea.' Et Æschylus: Τρίτῳ γὰρ Ἐτεόκλῳ τρίτος πάλος Ἐξ ὑπτίου πήδησεν εὐχάλκου κράνους. Denique Augustus ex Magistratibus (exceptis Consulibus) singulos, ex Senatu 15. sorte legere solitus erat, qui per sex menses sibi in consilio essent. Hinc Suetonius cap. 35. 'Sibique instituit consilia sortiri semestria, cum quibus de negotiis ad frequentem Senatum referendis ante tractaret.' Ita initio: at postea et numerum auxit et authoritatem; nam 20. electi, et statutum, ut quæcumque cum his et Consulibus egisset, rata essent, non minus quam si in Senatu acta fuissent: tempus etiam sex mensium, annuum factum. Dio lib. LIII. et LIV. author. *Bern.*

Protheus versarat] Ignorabilis antiquis ille *Protheus*. Scribe: *Prothous*. Sic membranæ, et hoc nomine cum alibi Statius tum Homerus et passim Poëtæ utuntur. *Gronov.*

404 *Tyrrhenum murmur*] Tubam significat, quam Meleus Tyrrhenorum imperator primus invenit: a qua opinione nec Virg. discrepat, cum dicit: 'Tyrrhenusque tubæ mugire per æthera clangor.' *Lactant.*

407 *Minor impetus igni*] Præit ad aliam, et sane veriorem lectionem Lips. scriptus liber *minor est*, *Jovis impetus igni*: lego et interpungo: 'Amnibus hybernis minor et Jovis impetus igni.' optima ista mente. Majori impetu ferebantur equi, quam hybernis temporibus flumina, aut quam ipsum fulmen. *Bern.*

408 *Tardius astra cadunt*] Parabola per hyperbolen, quæ tunc adhibetur, cum nec illa quidem quæ comparantur ad exprimendam similitudinem posse sufficere scriptor affirmat. *Lactantius.*

413 *Vix inter sese*] Ordo: Vix sese internoscunt clamore et nomine; aut enim confundit clamore sonum spectantium multitudo, aut frequenter increpitat, cujus favor ante venit: utrumque autem turbationem facit. *Idem.*

414 *Evolvere globum*] Id est, primam metam transierunt. *Idem.*

418 *Repetit*] Dispergit, dissolvit. *Idem.*

419 *Albentes nimbos*] Spumas aut sudores. *Idem.*

423 *Oleniis*] Olenium Arcadiæ opidum, unde Oleniam capram volunt fuisse, Jovis nutricem. Hæc cum filiis suis inter sidera recepta est, cujus sydus imbriferum dicitur. Unde Virg. 'Quantus ob occasu veniens pluvialibus hædis Verberat imber humum.' Est ergo signum hyemale Aquarium sequens: dicit igitur verberum crebritatem assiduos imbres posse superare. *Idem.*

424 *Præsagus Arion*] Divinandi scientia præditus. *Vet. Schol.* Equis Heroicis talia tribui notatum ad Claud. de Raptu Proserp. lib. II. ipso fine contra Jul. Scalig. De Arione supra. *Præsagus* prædivinator secundum Fest. et Ciceron. de quo ad vs. 19. Belli Getici apud eundem Claudian. 'Arbore præsaga tabulas animasse loquaces.' *Barth.*

430 *Circumspicit omni*] Id est, pro omni campo circumspiciendo facit, huc atque illuc circumcurrendo. *Lactant.*

436 *Chromis asper*] Herculis filius: Hippodamus Œnomai filius. *Idem.*

437 *Mole tenentur*] Ut Virgil. *melior remis sub pondere pinus Tarda tenet*. Idem.

438 *Incenditur aura*] Id est equorum afflatu. *Idem.*

440 *Speravit flexæ circum, &c.*] Alludit ad morem quadrigarum curriculum agitantium: solent illi diligentem operam dare, quo metam attingere quidem viderentur, sed non tangerent. Horatius: 'Sunt quos curriculo pulverem Olympicum Collegisse juvat, metaque fervidis Evitata rotis.' Theocritus: Idyll. XXIV.

Ἵππους δ' ἐξελάσασθαι ὑφ' ἅρματι καὶ περὶ νύσσαν Ἀσφαλέως κάμπτοντα τροχῷ σύριγγα φυλάξαι Ἀμφιτρύων ὃν παῖδα φίλα φρονέων ἐδίδασκεν Αὐτός. *Docuerat Amphitryon ipse filium suum ita equos curruí junctos agitare, rotæque modiolum circum metam inflectere, ut eam vitaret.* Adi Homerum Iliad. Ψ. et Sophoclem in Electra. *Bernart.*

444 *Exerrat Arion*] Probissima vox, optimis authoribus nota, sed imperitia librariorum sæpius corrupta. Quadrigarius, apud Agellium: 'Deinde Gallus irridere atque linguam exertare.' Busl. codex: *exerrare* optime; pro eo quod linguam extra os projectam per irrisum reciprocare. Agellius ipse l. xv. cap. 2. 'Atque etiam hoc Plato ibidem dicit, non defugiendas esse, neque respuendas hujuscemodi exhortationes.' Adfectus locus, sed nec Æsculapius melius fecerit medicinam, quam Lipsius noster, qui legit: 'hujuscemodi exerrationes;' et transfert ad primas quasi alucinationes mentis, ante plenam ebrietatem. *Idem.*

447 *Æquoreus sonipes*] Arionem dicit æquoreum. Ait enim supra: 'Neptunus equo si certa priorum Fama patet.' *Lactant.*

451 *Labdacides*] Patronymicum, significat Polynicem, cujus avus Laius Labdacii fuit filius. *Idem.*

454 *Devia campi*] Antiptosis est, dum in directa tendunt, in devia obliquant. *Idem.*

459 *Multaque transversis*] Multa currentes faciunt per transversa camporum. *Idem.*

461 *Pholoën Admetus et Iris*] Equarum nomina; supra enim sic dixit, 'vix steriles compescit equas.' *Idem.*

463 *Cygnum*] De colore candenti nomen accepit, quia igneus fuit. *Id.*

465 *Igneus Æchion*] Jucunde Græco nomini expositionem adjecit, quia *Æchion* dicitur de calore, unde et Hyperion, quamvis alii Potermenii accipiant: utrumque tamen recte. *Idem.*

469 *Vixdum captus equis, &c.*] Nihil hærebam, sed optimus Lipsii scriptus codex me stitit: in quo legitur: *vix perceptus.* Elicio elegantem et acutam sententiam: *vix ter captus;* allusum, sine ullo dubio, ad morem certantium in Circo, qui septem spatia decurrere debebant, priusquam metam attingerent. Seneca Epist. xxx. 'Fateor ergo ad hominem mihi carum ex pluribus me causis frequentius venisse, ut scirem an illum toties eundem invenirem, nunquid cum corporis viribus minueretur animi vigor, qui sic crescebat illi, quomodo manifestior notari solet agitatorum lætitia, cum septimo spatio palmæ appropinquant.' D. Hieronymus in Vita D. Hilarionis: 'Hoc siquidem in Romanis urbibus jam inde servatur a Romulo, ut propter felicem Sabinarum raptum, ab ipso quasi consiliorum Deo, quadrigæ septeno currant circuitu.' Propertius lib. ii. 'An quisquam in mediis persolvit vota procellis? Cum sæpe in portu fracta carina natet? Aut prius infecto deposcit præmia cursu, Septima quam metam triverit arte rota?' Qui lectionem spuriam hic intruserat, quo flagro dignus fuit? *Bernart.*

482 *Rigentia tendunt*] Quia prensum axem revocavit, et continuit illorum cursum. *Rigentia* autem dixit conatu tensa. *Lact.*

483 *Tenet æstus*] Licet ventus inflaret, tamen æstu urgente ire non poterat. *Idem.*

486 *Sed Thraces equi*] Dixerat enim supra, Chromin Herculis filium equis Diomedis Thracis usum, (non illius qui in Trojæ excidio militavit,) qui humanis carnibus vescebantur. *Idem.*

487 *Redit illa fames*] Mens: Equi Diomedis Thraciæ regis, quos Chromis agebat, humanis carnibus vesci soliti, videntes Hippodamum in terram jacentem, illum dilacerare voluerunt. *Bernart.*

490 *Victorque et collaudatus abisset*] Qui hunc versum corruptum negat, licet mero meridie lucere dicat, nihil credam. Victor ne Chromis? plane falsum est. Amphiaraus palmam tulit, (quod statim audies,) quem proxime secutus Admetus. Nihil itaque certius lectione veteris membranæ et editionis principis: *victusque et collaudatus abisset*: recte collaudatus, quia spem victoriæ sibi ipsemet præcidere maluit, quam prolapsum Hippodamum lædere. *Idem.*

491 *At tibi promissos*] Oraculum enim habebat, ipsum curru victorem futurum. *Vet. Schol.* Et eventum sic cecidisse canit Papinius, alii eum curru ruisse tradiderunt, ut ab Higino c. 250. recensetur inter Heroas a curribus suis proditos. Nisi is tamen, seposita fabula casus ad inferos, curru lapsum interisse credidit. Vide Apollod. lib. III. *Barth.*

505 *Per terga volutus*] Habenarum nexum, quo involutus per terga fuerat, liberavit, ne curru loris implicitus traheretur. *Lactant.*

506 *Moderamine liber*] Id est, rectore: qui excussus curru volvebatur in pulvere. *Idem.*

507 *Putri tellure*] Definitio pulveris. *Idem.*

508 *Thessalus axis*] Admeti aurigas modo demonstravit, a locis sive ab equis. Sic Virgil. duces navium non suis nominibus, sed intelligendos fecit dicendo: 'Et nunc Pistris habet: nec victum præterit ingens Centaurus Sergestum:' significare volens, et Mnestheum. *Heros Lemnius*] Unum de geminis Hypsipyles dicit, quorum alter Thoas jam ruerat, dum Admetum præterire festinat. *Idem.*

511 *Erigit ad cursum comitum caput*] Non tolerasset, opinor, tam diu hoc vitium, si τὸ *comitum* intellexissent. Nihil tamen membranæ mutant, nisi quod optimus inter versus: vel *occursu*. Lege: *Erigit accursu comitum caput*. *Comites* sunt ministri, aulici, satellites. Lib. II. 'Non desunt regi comites: sine mœnia pulset Irritus.' *Gronov.*

512 *Redit*] Deportatur in gestorio. *Vet. Schol.* Sane bene ad usum sui seculi Scholiastes iste. 'Gestoria' sunt lecticæ, quibus gestantur afflicti vulneribus aut casu aliquo. 'Gestatorium' dicunt alii. Onomasticon Vetus: Gestatorium, φορεῖον. Albertus Aquensis Histor. Palæstin. l. III. c. 4. 'Quem Principes exercitus gestatorio imponentes ad castra cum ingenti luctu detulerunt.' *Barth.*

513 *Quis mortis Thebanæ locus*] Verba Poëtæ cum exclamatione: quasi crudelitate fortunæ Polynices ad parricidium servaretur. *Lactant.*

528 *Arione cygnus*] Equus Amphiarai. *Idem.*

529 *Hinc vice justa*] Quomodo jussus ordo dictabat. *Idem.*

534 *Seu Marte solebat*] Multa enim bella Hercules per exercitum gessit: ut contra Eurystheum, contra Echaliam, contra Trojam. Unde Virgil. 'Trojamque Echaliamque.' Nec non etiam in Africa, teste Sallust. qui ait: 'Postquam Hercules in Africa, sicut putant, interiit, exercitus ejus variis gentibus permixtus est.' *Idem.*

536 *Terribile*] Declinatio a contrario, propter emphasin, quia aurum naturaliter delectare solet, ut ipse alibi: 'armaque in auro tristia.' *Idem.* *Notantur*] Omnino scribendum *rotantur*. Ut est in optimo nostro, et nonnemine aliorum librorum. Ipsam enim rotationem præfiguratam dicit. Imitatur Sidon. Panegyr. Majorian. 'prima cruentos Consumunt ad bella cibos, Bacchoque rotato Pocula tela putant.' *Barth.*

537 *Saxa, faces*] Pugna Centaurorum et Lapitharum in cratere picta erat, qui in convivio efferati furore nec poculis pepercerunt. Unde Virgil. 'Et magno Hylæum Lapithis cratere minantem.' *Lactant.*

539 *Et torta molitur*] Hoc declamationis genus et alibi Poëta servavit, laudando scilicet Adrasti pateram, qua dicit expressum fuisse Perseum Gorgonæ caput tenentem, et ut morientis Gorgonæ expressius describeret vultum, ait: 'Illa graves oculos languentiaque ora Pene movet, vivoque etiam pallescit in auro.' *Idem.*

543 *Translucet*] Bene *translucet*, quia a perfectis ita pinguntur natantes, ut inter undas eorum membra perluceant. Leandri autem fabula est Ovidio referente notissima. *Idem.*

547 *Sestias in speculis*] Id est, Hero, cujus poëta ex loci vocabulo nomen adjecit. Seston in Propontide littore locus est, de quo Lucan. 'Conjungere Seston Abydo.' *Moritur*] Extinguitur. *Conscius ignis*] Lumen amoris, quod Hero solabatur lucendo, vel quod tenebat ipsa in turri. *Idem.*

548 *At gener*] Secutus Virgil. præteritorum præmia poëta servavit, ad consolandum enim generum Polynicen ei Adrastus famulam dedit, sicut ille Sergesto servam; ut, 'olli serva datur.' *Idem.* *Solatur Achæa*] Exprimit perpetuum suum auctorem Virgilium Æn. v. 'Sic ait, et geminum pugnæ proponit honorem Victori, velatum auro vittisque juvencum, Ensem, atque insignem galeam, solatia victo.' Mos autem certaminis, postremum sive ab omnibus superatum, non indonatum abire. *Barth.*

549 *Sollicitat*] Transacto curuli certamine eos Poëta describit, quibus cursu certandum est. *Lactant.*

550 *Tenuissima virtus*] Definitio quid sit cursus; id est, pars non satis admiranda virtutis, et cum plenissime rem, quam cœperat definiret, adjecit: *Pacis opus.* Sunt etiam sacra, quæ cursu celebrantur. Et ut agones declararet Poëta non satis esse virtuti, adjecit: *Nec inutile Bellis.* Id est fugæ necessarium, cum vincere non datur. *Idem.*

554 *Umbratus tempora ramis*] Id est, umbrata habens tempora civica corona; sicut Virgil. 'Atque umbrata gerens civili tempora quercu.' *Idem.*

556 *Sicyonius Alcon*] Virgilius: 'Teritur Sicyonia bacca trapetis.' *Idem.*

557 *In Isthmiaca*] Id est, in agone, qui *Isthmia* vocatur, in honorem Leucothoæ et Palæmonis, apud Corinthum consecratus. *Idem.*

563 *Menaliæ*] Atalantæ confundit historiam. Hanc enim Atalantam Hippomenis uxorem diximus filiam Scœnei fuisse. Illam autem quæ cum procis cursu contendit Œnomai filiam, uxorem Pelopis. Sed parem historiam posuit Virgil. ille enim ait; 'Et manibus Progne pectus signata cruentis:' cum hoc constet Philomelam fecisse; sed mutavit historiam. *Idem.* *Menaliæ*] Hactenus vere. Sequentia pertinent ad aliam Atalantam errore Papinii, duas confundentis. Non tamen solus sic noster, sed cum Musæo, Diodoro, Sidonio, ut ad istum novavit Sirmond. Paneg. Majorian. v. 166. Confusionem hanc ex Lutatio notavit jam pridem Phil. Beroaldus Comment. ad Propert. lib. I. Eleg. 1. Exegitque amplius disertiss. Muretus ad eundem Propertii locum. *Barth.*

570 *Diffibulat*] Nove dixit: projecit a se. *Lactant.*

572 *Lætitia*] Id est, pulchritudo seu venustas. *Idem.*

573 *Deteriora gentis*] Vestitus pulcher videbatur, sed pulchrior factus est nudus: latuit vultus membrorum comparatione. Nudato enim corpore membrorum pulchritudo venustatem vultus obnubilat. *Idem.*

575 *Palladios*] Id est, oleum. *Id.*

583 *Segnior*] Tardior. *Vet. Schol.* Sic Philoxenus translationem agnoscit in Glossario: *Segnis*, *βραδύς*. Κυρίως δὲ ὁ ἀδρανὴς καὶ ἀργός. Cyrill. *βραδὺς*, *Serus*, *tardus*. Virgilius: 'Haud illo (Apolline) segnior ibat

Ætas.' Et sæpe alibi. *Barth.*

584 *Juxta*] Non longe. *Lactant.*

585 *Induxere palæstra*] Rem naturalem expressit: cito enim genæ barbæ lanugine vestiuntur, et ex calore palæstræ, et exercitatione ipsa aggravantur corpora. *Idem.*

586 *Deserpitque genis*] Incipit a genis discedere: sive *deserpit*, *de* abundat: hæc enim præpositio aut addit, aut minuit, aut mutat. *Idem.* *Fatetur*] Id est, non apparet: quasi sub intonsa coma lateat genarum lanugo. *Idem.*

587 *Citatos*] Veloces. *Idem.*

592 *Brevemque fugam*] Brevi fuga fiduciam velocitatis explorat. *Nec opino*] Sine qua incerta meta est, immo nulla, cum crebro saltu excurritur: incertus enim modus est currendi, cum unusquisque saltus habita voluntate præludunt. Id est cito redeuntes currebant, quod solent cursui se præparantes facere: ut ipse de equis superius ait: 'pereúnt vestigia mille Ante fugam.' *Idem.*

596 *Cydonum*] Cretensium. *Idem.*

600 *Sive putant*] Referendum huc quod non suo loco vulgatum est, Lutatii scholium: '*Sive* ad puritatem cervorum retulit.' Scribendum: '*Sive putant*] Ad pavorem cervorum retulit.' De pavore cervorum omnia trita. Pulchre Oppianus lib. II. Cyneget. 'Ἐλάφων γένος ἔτρεφεν αἶα... Ἀβληχρὴ κραδίη, καὶ θυμὸς ἔσωθεν ἄναλκις. Plin. lib. XI. c. 37. inter animalia tumida ponit, quibus grandia sint corda. *Barth.*

603 *Mænalius*] Parthenopæus Arcas, quia Mænalus mons est Arcadiæ. Ut ipse inferius: 'A vertice crinis Arcados;' id est, Parthenopæi. *Lactant.*

611 *Liber nexu*] Id est, crinis, quia solutus est. Crinis, subaudi Parthenopæi. *Idem.*

617 *Ferit ostia metæ*] Nemo damnet; scripti libri tamen præferunt: *fert ostia portæ;* quam lectionem Noster confirmare videtur hoc eodem libro; 'irrupit clamore fores.' *Bernart.*

618 *Arma fremunt*] Id est, minantur. *Idem.*

622 *Oculosque madentes*] Id est, lachrymis plenos: ut Virg. 'Tutatur favor Euryalum, lacrymæque decoræ.' *Lact.*

625 *Meritamque comam*] Id est, male sibi meritam, quæ causam mortis excepit. Retentione enim crinis sui Parthenopæi tardata est victoria. *Idem.*

631 *Audierant, dictoque favent*] Variant scripti. Alii: *dictoque parent*: quidam: *dictoque manent;* quibus subscribimus. Virgilius Æneid. II. 'Tu modo promissis maneas servataque serves Troja fidem.' Et alibi: 'at tu dictis, Albane, maneres.' Cic. ad Attic. VII. 15. 'Plerique negant Cæsarem in conditione mansurum.' Cæsar B. G. I. 'Si in eo manerent, quod convenisset, stipendiumque quotannis penderent.' Mela, I. 7. 'Postquam in eo, quod convenerat, non manebatur.' Plato de Repub. lib. I. 'Ἀλλὰ πρῶτον μὲν, ἃ ἂν εἴπῃς, ἐμμένε τούτοις. *Gronov.*

632 *Tegeæus*] Arcadius. *Lactant.*

633 *Potens nemorum*] Dianam potentem nemorum dicit. *Idem.*

634 *Injuria voto*] Quia crinem tibi servabam consecratum intonsum. *Id.*

639 *Exilis plantis intervenit aër*] Id est pene volat, et inter plantas ipsius et terram aër medius calcabatur. *Idem.*

640 *Non fracto*] Hoc est, non depresso. *Pendent*] Id est, non signant vestigiis terram. *Idem.*

642 *Suspiria palma*] Id est, anhelum laborem victrici consolatus est palma. *Idem.*

644 *Improbus Idas*] Propter fraudem retenti crinis. *Idem.*

648 *Pterelas*] Discum adtulit ad quem certarent, non tamen unus ex certantibus fuit. *Idem.*

650 *Expendunt*] Existimant. *Idem.*

651 *Turba ruunt*] Festinant. *Idem.*

653 *Nisæ*] Inscitissima et insulsissima Lectio, quam merito ejecit Doctissimus e textu suo Gevartius. Stulte servarunt cæteri. Mirum vero neque Lindebrogium, neque Behottium aliquam Varietatem suorum librorum adnotasse, cum quatuor a nobis collatæ membranæ cum Principe codice diserte *ni se* præferant, et veram eam scripturam citando agnoverit pridem Jul. Cæsar Scalig. Ut notavit et doct. Sinserlingius Promuls. cap. 48. *Barth.*

54 *Cavea stimulante*] Hortantibus sociis, qui prope ipsum spectabant. *Lactant.*

656 *Orbem*] Discum. *Idem.*

658 *Nunc rapite*] Raptim mittite. *Cui non jaculabile*] Interrogative cum despectu. *Idem.*

659 *Nullo conamine*] Facile, et sine labore. *Idem.*

661 *Vix unus*] Ordo: Vix permisere manus: et notandum quare unum dixit, cum alterius etiam nomen adjecit. Sed hoc secutus Virgilium fecit: ille enim ait: 'Vix unus Elenor, et Lycus elapsi.' *Idem.*

666 *Luce mala Pangæa ferit*] Terribilis splendoris ictu ferit. *Pangæa* mons est Thraciæ: unde Lucanus: 'Video Pangæa nivosis Cana jugis.' *Lact.*

667 *Mugit*] Clypeus scilicet. *Idem.*

669 *In se oculos*] Populi videlicet. *Idem.*

671 *Asperat*] Asperum facit, ne dum jaceret laberetur. *Versat*] Considerat. Circumversabat enim Phlegias discum, ut colligeret quam partem lateris ejus haberet in digitis, quam brachio retentans alæ subderet. *Id.*

675 *Sacra*] Id est, agonem Jovis Olympici, qui circa Alpheum fluvium Pisarum celebratur: cujus ripas solitus erat Phlegias disco transire. Secundum autem Alpheum Olympicum exerceri certamen Virgilio teste cognovimus; ait enim: 'Cuncta mihi Alpheum linquens lucosque Molorchi.' *Idem.*

679 *Sed cælum dextra metitur*] Multo elegantius duo optimi: *sed cælo dextram metitur.* Id est, quid dextra valeat, in cœlum misso disco experitur. Accedit tertius Behottii codex. *Gronov.*

680 *Collecto sanguine*] Collecta virtute. *Lactant.*

683 *Crescit in adversum*] Id est, in altitudinem, quæ ascendenti adversa est disco: quia necesse est ut omnes res ascendentes altitudinis nimietate lentescant. *Exhaustus ab alto*] Id est, consumpto impetu quo missus fuerat. *Idem.*

684 *Immergitur arvis*] De gravitate casus altitudinis mensura monstratur. *Idem.*

686 *Solis opaca soror*] Sic sibi insana hominum et stulta persuasio vindicat, quod carminibus lunam cælo eripiant: quam opinionem executus Virg. ait: 'Carmina vel cælo possunt deducere lunam.' Et alibi significat eam inductam esse velleribus, dicendo: 'Munere sic niveo lanæ, si credere dignum est, Pan Deus Arcadiæ captam te Luna fefellit.' Si credi fas est de tanti numinis majestate, ad amorem Endimyonis descendisse, quod lex sphæræ, et cursus motusque astrorum non patitur. *Procul auxiliantia*] Ad opinionem hominum retulit, quod arbitrentur deficienti lunæ auxiliari, si æra percutiant. *Idem.*

689 *Molle tuenti*] Despicienti, contemnenti, id est, quasi cum facile esset Phlegea jactu superare. *Idem.*

690 *Majorque manus speratur in æquo*] Id est majore virtute opus esse in longitudinem, quam in altitudinem jaculaturo. *Idem.*

691 *Atque illi extemplo*] Id est subito fortuna venit, cui dulce est fiduciam immodicæ virtutis auferre. *Idem.*

692 *Immodicas Fortuna venit*] Expressit eandem sententiam libro x.

'Et fors ingentibus ausis Rara comes,' nam 'fors' (ut hoc obiter dicam) pro fortuna aut 'casu,' qua Poëtis qua Historicis notum. Manilius lib. I. 'Atque ipsum esse Deum, nec forte coisse magistra.' Curtius lib. V. 'Eludant licet, quibus forte ac temere humana negotia volvi agique persuasum est: equidem æterna constitutione crediderim, nexuque causarum latentium, et multo ante destinatarum suum quemque ordinem immutabili lege percurrere.' Tacitus Hist. II. 'Seu dolo forte surrexerit parum compertum.' Idem lib. IV. 'Apud Germanos inconsulta ira: Romanus miles, periculorum gnarus, ferratas sudes, gravia saxa forte jaciebat,' id est, non casu et sine judicio aut delectu. Sallustius de Bello Jugurt. 'Falso queritur de natura sua genus humanum, quod imbecilla atque ævi brevis sorte (lege *forte*) potius, quam virtute regatur.' *Bernart.*

694 *Latus omne redibat*] Jaculantem describit: moris est enim disco certantibus, ut nisi flexo toto corpore nequeant jaculari. *Lactant.*

697 *Rarisque ea visa voluptas*] Pauci ceperunt de elusi casibus voluptatem, quod discum Phlegeas muliebriter laudatus amiserat: seu quoniam in rebus quoque seriis risus emittitur: ideo paucos extitisse dicit, quibus Phlegeæ casus lætitiam suscitaret. *Idem.*

699 *Et multum te Maia nate rogato*] Quia palæstris præest Mercurius. Arnobius Adversus Gent. III. 'Mercurius ceroma pugillatibus et luctationibus præstat, et cur invictos omnes non perficit quibus præest?' *Bernart.*

700 *Castigat pulvere lapsus*] Corrigitur, hoc est aspersione pulveris ne ei elaberetur efficit. *Lactant.*

703 *Fixa signatur*] Quousque discus Menestei virtute fuerat missus: moris enim fuerat, ut locus cadentis disci fixa signaretur sagitta. *Idem.*

705 *Et fortuna Menestei*] Id est timor alterius vel imitatio fortunati. *Idem.*

707 *Assuetum dextra gestamen*] Poterat enim una manu hunc discum jactare, quem magno conatu vix promovebant cæteri. *Vet. Comm.*

710 *Per inania saltu*] Ut jactum vigor corporis adjuvaret. *Lactant.*

711 *Servatque tenorem*] Manus, qua fuerat missus. *Tenorem*] Jaculum. *Idem.*

712 *Menesthea victum*] Solet enim hoc certamine de victoria dubitari. *Idem.*

714 *Humeros*] Extremos colles qui spacium theatri cingebant. *Et opaca Theatri*] Theatrum dicit deductum utrimque vallium prona et supinam ascensu arduo lenitatem: *Opaca* autem *culmina*, quia sylvæ summis montibus imminebant. *Idem.*

716 *Polyphemus*] Homerum secutus est qui dicit, Cyclopem jecisse in Ulyssis navem, quia impediente cæcitate eam tenere non poterat. *Idem.*

718 *Exegit*] Transmisit. *Idem.* *Exegit Ulyssem*] Post hunc versum sequebantur tres alii in membranaceo codice, qui olim Bil. Pircheimeri, nunc Arondeliæ Comitis est, visus mihi beneficio viri omni laude excellentis Francisci Junii. Versus autem illos nec nimis adfirmabo Statii esse, quia in uno solo codice reperi; nec excludere omnino possum, quia ab ingenio ejus alieni non sunt. Erant ibidem sic scripti: *Sic et Aloidæ, cum jam calcaret Olympum Desuper Ossa rigens, ipsa glaciale ferebat Pelion, et trepido sperabant jungere cælo.* Apparet legendum esse, *celaret*, i. e. obtegeret impositum, et *ipsum gl. ferebant.* Habes lib. X. 'quales mediis in nubibus æther Vidit Aloidas, cum cresceret impia tellus, Despectura Deos, nec adhuc immane veniret Pelion, et trepidum jam tangeret Ossa Tonantem.' Eodem ordine quo apud patrem Poë-

tarum: Ὄσσαν ἐπ' Οὐλύμπῳ μέμασαν θέμεν, αὐτὰρ ἐπ' Ὄσσῃ Πήλιον. Aliter collocat Ovid. Met. I. ' Tum pater omnipotens misso perfregit Olympum Fulmine, et excussis subjecto Pelio Ossam.' Ita enim legendum, et hoc velle veteres libros existimo, cum *subjecto* habent potius quam *subjectum*. Virgil. Georg. I. ' Ter sunt conati imponere Pelio Ossam, Scilicet, atque Ossæ frondosum involvere Olympum.' Hunc igitur ille secutus. *Gronov.*

724 *Mansueverat ungues*] Præcisa summitate unguium, extremitas quæ nocere poterat, fuerat auro vestiente mollita. *Idem.*

727 *Auxiliumque Pelasgi*] Regis Græcorum: quia gladius huic validus et acutus fuit. *Idem.*

730 *Ferro proxima virtus*] Quia et cæstu homines occiduntur. *Idem.*

733 *Non mollior ipse*] Æque durissimus: cujus cutis hominis erat durata in boum pelles. *Idem.*

737 *Nec mea crudelis*] Subaudimus *esset*. Minatur enim se illum occisurum qui contra steterit: ideo venire hostes optabat. *Idem.*

739 *Nuda de plebe Laconum*] Sive amore ceromatis ad certamina præparata, vel fortia. *Idem.*

741 *Socii fretum*] Id est Lacones. *Polluce magistro*] Deus enim Pollux hoc exercitio, dum inter mortales esset, delectabatur: et hunc Alcidama induit. *Idem.*

744 *Materiem suadebat amor*] Ut doceret quod delectabatur. *Idem.* *Materiam suadebat amor*] Puto rectius distingui: *et brachia finxit Materiam: (suadebat amor) tunc sæpe.* Per epexegesin, ut sit, instar materiæ. Plato de Republ. lib. II. Τοὺς δ' ἐγκριθέντας μύθους πείσομεν τὰς τροφούς τε καὶ τὰς μητέρας λέγειν τοῖς παισί, καὶ πλάττειν τὰς ψυχὰς αὐτῶν ταῖς μύθοις πολὺ μᾶλλον ἢ τὰ σώματα ταῖς χερσίν. Virgilius Æneid. VI. ' fera corda domat fingitque premendo.' Ejusdem est: ' suadebat amor.' Lib. IX. ' Suadet enim vesana fames.' *Gronov.*

746 *Nudumque ad pectora pressit*] Id est, complexus est fovendo: Poëta morem ceromatis executus est describendo: *nudum* hic alii fortem intelligi volunt. *Lactant.*

747 *Ridetque vocantem*] Provocantem. *Idem.*

749 *Languida colla tumescunt*] Qui languida habebat: quoniam dedignabatur certamen. *Idem.*

750 *Corpora plantis*] Id est articulis. *Vet. Schol.* Plerique poëtæ hanc exaltationem scribunt. Valer. Flacc. de Polluce: ' Semper et in digitis et summi pulvere campi Porrectusque redit.' Id est, omni modo sese extendens. Inscite vulgatur: ' Projectusque.' *Barth.*

751 *Ora recessu*] ' Habent' subaudimus ' manibus implicatis.' *Lactant.*

756 *Paulo ante puer*] Alcidamas adolescens, qui ætatem corporis mole vincebat: id est, cujus virtus ætatem virilem præcesserat. *Idem.*

757 *Tener impetus annos*] Id est magna in eo ex impetu ætatis teneræ virtutis futuræ indoles cernebatur. *Idem.*

758 *Quem vinci*] Aliquem ipsorum: populus enim junioribus solet favere. Ordo ergo talis est: Neque quisquam malit aliquem vinci aut tingi sævo sanguine. *Idem.*

759 *Erecto timeat spectacula voto*] Deformata hæc a deformatis hominibus, quibus nihil bonum nisi tritum. Lips. scriptus liber: *et erecto timeant spectacula*, quod probe probum est: *spectacula* dixit pro ' spectatoribus,' notione optimis authoribus familiari: ita ' matrimonia' pro ' matronis.' Livius lib. X. ' Et convocatis plebeis matrimoniis conquesta de injuria patriciarum.' Sic ' ministeria' pro ' ministris.' Juris Consultus Ulpianus lib. VII. de Officio Proconsulis: ' Ministeria quoque militaria si opus

fuerit ad curatores juvandos dare.' Et 'venalicia' pro 'venaliciis.' l. v. de Jure Delib. 'veluti jumenta aut venalicia.' Ita 'conjugium' pro 'conjuge.' Propertius lib. III. Eleg. 10. 'Uxorum fusis stat pia turba comis, Et certamen habent leti, quæ viva sequatur Conjugium.' Qua eadem notione Tacit. Annal. XII. dixit: 'Quod conjugium principis devotionibus petivisset.' Ita 'amicitias' pro 'amicis,' et 'familiaritates' pro 'familiaribus.' Sueton. Tiberio cap. 51. 'Testamentum ejus pro irrito habuit, omnesque amicitias et familiaritates, etiam quibus ea funeris curam moriens demandarat intra breve tempus afflictis.' Sic 'necessitudines' pro 'necessitudine junctis' idem frequenter, signate Tiberio cap. 1. 'Odium adversus necessitudines in Druso primum fratre detexit.' Et Curtius lib. IV. 'Crederes Alexandrum inter suas necessitudines flere.' Sic 'amplexus' pro 'eo qui amplectitur.' Petronius Satyrico: 'Nec Dii sinant ut amplexus meos in crucem mittam.' Sic 'convivia' pro 'convivis.' Papinius ipse Herc. Sur. 'ne quo, convivia migrent.' Ita 'bella' pro 'bellatoribus.' idem lib. XI. 'nudoque sub axe relinqui Infelix bellum.' Et 'regna' pro 'rege' lib. XII. 'Hei mihi num quis adest chari Polynicis ad ignes, Etsi regna vetant,' id est, licet prohibeat rex Creon. Sic denique 'noxam' pro 'reo qui nocuit,' Jurisconsulti nostri 'odium' pro 'odioso.' Comici, 'præsidia' pro 'præsidiariis,' 'custodias' pro 'vinctis,' 'servitia' pro 'servis,' scriptores passim usurparunt. *Bernart.*

760 *Uterque priorem*] Id est, utrique sperabant quod ab alterius manu certamen inciperet: unde Lucan. 'Inde manum spectant, tempus quo noscere possint Facturi quæ monstra ferant.' *Lactant.*

764 *Explorant*] Considerant fortitudinem cæstuum. *Hebetantque terendo*] Vanis ictibus cæstuum acumen obtundunt. *Idem.*

765 *Doctior hic differt animum*] Alcidamas differt animum, spiritum servat. *Idem.* *Metuensque futuri*] Prudentiæ effectu. Horatius II. Sat. 2. 'Contentus parvo metuensque futuri, In pace, ut sapiens aptarit idonea bello.' *Barth.*

766 *Vires dispensat*] Paulatim erogat. *Lactant.* *Vires dispensat*] Non simul profundit, sed ordine et prudenter collocat. In optimo libro clare legitur: *Cunctatas vires.* Barth. *At ille nocendi*] Capaneus in adversarii nece profusior. *Lactant.*

768 *Sine lege*] Sine artis lege: artis ipsius lex est, ut una manus reversa alteram feriat. Consumpsit ergo ambarum manuum ictum, et perdidit. *Idem.*

769 *Providus actu*] Sagacitate. *Id.*

770 *Hos rejicit ictus*] Refundit, eludit, evitat. *Idem.*

771 *Interdum nutu capitisque citati*] Velocis capitis motu. *Idem.*

773 *Instat gressu*] Ut caveret ictus certaminis anteibat pede, facie recedebat, quod ipse ait supra, *tuto procul ora recessu.* Idem.

774 *Injustis*] Non æquis: quia Capaneus erat fortior. Ergo frequenter. quamvis enim pateretur, tamen aliquando commotus attentat. *Idem.*

775 *Experientia*] Ars experimento collecta. *Idem.*

778 *Fracta*] Divisa nescit, quia ictum furore non senserat. *Idem.*

781 *Interserit ictum*] Amare Papinium sic composita verba notamus supra lib. IV. vs. 524. Et observavit duobus aut tribus exemplis Claud. Dausqueius, ad extrem. lib. I. Silii Italici. *Serere ictum* dixit Papinius exemplo Lucretii et aliorum. Vide notata doctissimo Sinserlingio Promuls. cap. 20. qui Epulas aut Congiarium adhuc debet literato orbi. *Barth.*

786 *Summo maculas in vellere vidit*] Quia laneos pentodactylos habent sub cæstibus, qui eminent supra brachia. Alii autem volunt poëtam de barba dixisse. *Lactant.*

789 *Præcipitatque retro*] Verso gradu cogit aufugere. *Idem.*

791 *Rapiunt conamina venti*] Excipiunt sive frustrantur, id est, in vacuum minarum ejus impetus perierunt. *Idem.*

793 *Mortes*] Quasi singuli ictus Capanei singulas mortes afferrent. *Id.*

795 *Aversus fugit*] Ita Alcidamas aversus cedebat furori, ut nunquam fugiens videretur. grave enim viro forti crimen est terga dedisse certamini. *Idem.* *Aversus fugit*] Hoc timoris est, non artis, terga dare. Scribe: *sed non tamen immemor artis Adversus fugit.* Retrocedit facie obversa. *Gronov.*

801 *Jam vox ciet altera remos*] Quia primo signo cessatum fuerat a labore, vox sequens denuo remiges excitavit. *Idem.*

802 *Ecce iterum*] Postquam paulum quieverunt, rursus ineunt pugnam. *Immodice*] Violenter, quasi qui excesserit modum: venientem Capaneum elidit Alcidamas. *Exit*] Evitat, declinat. *Idem.*

803 *Mersusque humeris*] Distinctio post hæc verba collocanda est. Sequentia enim Capanei casum indicant. *Mersus*, inclinatus usque quo potest. Ut 'mersa nare canes' apud Silium Ital. cujus interpretem consulas libro x. pag. 417. Pariter Papinius postea vs. 847. 'Collaque demersere humeris.' *Barth.* *Effunditur ille*] Capaneus. *Lactant.*

804 *Alio puer improbus ictu*] Alcidamas improbus magnus alio ictu, quia jam supra illum percusserat. *Idem.*

805 *Impalluit ipse secundo*] Etiam ipse est felici eventu perterritus, ne post secundum vulnus iratum Capaneum ferre non posset. *Idem.*

809 *Ite oro socii*] Separatim et suspense legenda sunt, quæ locutio convenit attonitis, et iratis: attonitis, ut hoc loco. Et Virgil. 'euge nate propinquant.' *Lactant.*

816 *Pulchrum est vitam donare minori*] Nobilis sententia, quam in Laudibus Heroum suorum non semel celebrat Claudianus, cui nulla virtus commendatior Clementia. Pertinet huc tota Deprecatio ejus Poëtæ ad Adrianum. Ovid. de Rege animalium: 'Parcere subjectis scit nobilis ira Leonum.'

818 *Ramum*] Palmam. *Thoraca*] Qui erat palmæ præmium. *Lactant.*

823 *Et vicisse negantem*] Ne ab intentione occidendi Alcidamanta tardaretur, negat se vicisse Capaneus. *Idem.*

824 *Laudant*] Popularem suum victorem pronunciant. *Vet. Schol.*

825 *Longeque minas*] Non audentes tumultuari ob metum Capanei, *Vel*, quia longe erant hæ minæ ab effectu et cæde Alcidamantis. *V. S.*

826 *Variæ laudes*] Quibus eum stimulabant, cur non auderet pugnare. *Vet. Schol.*

827 *Angunt*] Stimulant. *Lactant.*

829 *Laboris*] Artis peritiam. *Idem.*

830 *Uncta Pales*] Palæstræ studium: bene addidit *uncta*, ad discretionem pastoralium certaminum, et luctationem naturalem. Virg. de palæstra rusticorum: 'Corporaque agresti nudant prædura palæstra.' Alibi: 'Exercent patrias oleo labente Palæstras Nudati socii.' *Idem.*

832 *Ingentes viros*] Humana quodammodo sorte majores. *Vet. Schol.* Plinius lib. II. 'Viri ingentes,' supraque mortalium naturam tantorum Numinum lege deprehensa. *Acheloia circum*] Ubi Patria erat Tydei. *V. Schol.* *Achelous*] Calydonius amnis Ovidio initio Met. IX.

833 *Felicesque deo*] Quia victor semper extitit, deo monstrante. Mercurium intelligimus, ipse enim hujus

artis inventor fuit. Horat. 'Et decoræ More palæstræ.' 'Felices palæstras,' dixit, ut Virgil. 'Quo non felicior alter Stringere tela manu,' id est peritior. *Lactant.*

836 *Patriumque suem*] Calidonii apri pellem. *Levat*] Spoliat. *Idem.*

837 *Membra Cleoneæ*] Cleone civitas Corintho vicina. *Idem.*

838 *Nec mole minor*] Magnitudine corporis non inferior, ex proceritate corporis humanam fortunam videbatur excedere. *Idem.*

840 *Non ille rigor*] *Herculis*, scil.

845 *Difficiles*] Duri, asperi. *Idem.*

851 *Curva tenent*] Importunissimum glossographorum genus hic iterum debacchatum est: exulcandum enim *τὸ curva* male inculcatum: probum quidem verbum, sed quod Papinius tamen non usurpavit. Posuit ille *vara tenent;* ut ex Lips. bono boni scriptoris libro didici. Displicuit haud dubie magistellis spinosis, quia vetus et vulgo non lectum, certe neglectum: at nos illud retinebimus; cum *varum, curvum* antiquis. Lucilius Satyr. libro XVII. 'Compernem aut varam fuisse Amphitryonis ἄκοιτιν.' Varro de Re Rust. lib. II. 'Cruribus rectis ac potius varis quam vatiis.' Persius Sat. IV. 'vel cum fallit pede regula varo.' Idem Sat. V. 'Varo regustatum digito terebrare salinum.' Hinc 'obvarare' idem quod 'pervertere,' 'detorquere in pravum sensum.' Ennius: 'Nam consiliis obvarant, quibus tamen concedit hic ordo.' *Bern.* *Deducit in æquum*] Deflectit ut sibi æquet, astu sperantis fiduciam. *Lactant.*

853 *Summissus tergo*] Inclinans dorsum suum, ut se Tydeus inflecteret. *Idem.*

854 *Alpini veluti regina cupressus*] Attigit ut videtur Papinius hic guttam e flumine Lethes. Nam in Alpibus nusquam cupressi: nisi forte speciem pro genere posuit, quod non inepte affirmare possumus. *Idem.*

872 *Castigata*] Composita, seu potius maculis asperata. *Non integer ille*] Agylleus, et subaudiendum 'viribus non integris.' *Idem.*

873 *Effætus*] Viribus fatigatus. *Idem.*

874 *Harenas*] Quas Tydeus in eum ingesserat. *Idem.*

880 *Condidit*] Cælavit, quia sub ingenti Agyllei corpore exiguitas Tydei est cælata. *Lactant.*

882 *Suspensus ager*] Definitio speluncæ. Sive ad naturam terræ retulit, quæ dicitur in medio aëre suspensa, sive quod intrinsecus vacuant terræ venas, qui metallum aliquod quærunt. *Idem.*

885 *Indignantem animam*] Dicunt philosophi indignari animas, quod invitæ de hac luce discedant: ut Virgil. 'Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.' *Reddidit astris*] Ingens expositio est, quomodo vel quare animæ ad astra redeant, postquam exutæ fuerint nefando corpusculo, ut non solum bene meritorum, sed etiam sontium illuc ferantur, ut aut pro vitæ precio optima mercede æternæ lucis donentur, aut pro male commissis ab ipsis astris stellisque puniantur atque consummentur: non quidem ut pereant, sed affligantur. Et ideo ab his puniuntur secundum Pythagoram, qui ait animas bonorum virorum in stellas posse reverti. Virgil. 'Scilicet huc reddi deinde ac resoluta referri Omnia, nec morti esse locum, sed viva volare Syderis in numerum, atque alto succedere cælo.' Lucanus in nono: 'Innocuos vitæ patientes ætheris imi Fecit, et æternos animam collegit in orbes.' *Lact.*

887 *Cum vinclis onerique*] Illius scilicet, qui eum brachiis alligaverat. *Elapsus iniquo*] Subductus gravi ponderi: 'iniquum' enim grave dicimus. Virgilius: 'Et iniquo pondere rastri.' *Idem.*

889 *Et firmo*] Ordo: Mox latus firmo nexu implicat, genua premens ad

ilia. *Idem.*

892 *Improbus*] Magnus, quia cum esset parva statura magni ponderis alte sustulerat virum; sive quod se majorem nexibus implicasset. *Idem.*

894 *Terrigenam sudasse Libyn*] Antheum dicit, quem Hercules apud Sumentum Africæ civitatem palæstrico certamine superavit, quem cum nequiret elidere, medium corripiens brachiorum suorum nexu confregit, quia terræ beneficio fortior cadendo surgebat. *Idem.*

905 *Palmam autem dextra*] Illustravit hæc doctissimus Faber, Agnost. lib. II. cap. 12. et lib. III. cap. 20. Cujus notis etsi infinita addi possint, nos tamen accudere nihil nunc præstabilius est. Animadvertenda considerata auctoris scriptio, *palmam*, id est gloriam: *dono*, id est, emolumento præferentis. *Barth.*

906 *Quod si non sanguinis hujus*] Si non exhaustus fuisset viribus in Thebano campo, in quo quinquaginta insidiantes uno relicto superstite occidit. *Lactant.*

908 *Thebarum*] Exegesis. quod si hæ plagæ Thebana fœdera. *Idem.*

909 *Hæc simul*] Subaudiendum *cum diceret*. *Præmia laudum Dat sociis*] Virtutis insignia. *Idem.*

910 *Neglectus thorax*] Vetus. *Lactant.* In optimo libro est: 'Rubiginosus et vilis et vetus.' *Vetus Schol.*

912 *Instructi armis*] Modo sagittariorum vult monstrare certamina, id est, jactum velocium sagittarum: sed jaculatores non exhiberi permisit: commemorationem istius spectaculi dixit, sed ipsam non exhibuit voluptatem. *Epidaurius*] Epidaurus civitas Peloponensis equis nobilis, ut ipse in catalogo: 'Qui rura domitant Epidauria.' *Idem.*

916 *Sanguinis adversi*] Hostilis vel Thebani. *Idem.*

917 *Jugera*] O Polynices, cujus gratia urbes civibus, agros rusticis desolavimus. *Vet. Schol.* *Desolare*, spoliare frequentia. Virgil. 'Sat funera fusi Vidimus, ingentes et desolavimus agros.' Servius: vel dum occiduntur agricultores, vel dum coguntur ad militiam. Nam legimus: 'et latos vastant cultoribus agros.' *Barth.* *Cui desolavimus urbes*] Propter quem reliquimus patriam. *Lactant.*

919 *Abigant hoc numina*] Ut antequam prælium committatur moriaris. *Idem.*

921 *Nec laudis egens*] Ne inhonoratus abiret. *Idem.*

931 *Leves pharetras*] Non inanes, sed in quibus sagittæ essent haud pinnatæ. *Idem.*

934 *Quis fluere, &c.*] Sensus est: Divinitatis nobis et Fatorum omnia regentium Providentia multis indiciis, et manifestis ominibus ostenditur et eventus rerum indicantur. Tam fatua autem socorsque est humanitas, ut pigeat observare prædictiones. Placet plerisque omnibus rerum arbitria Casui et Fortunæ ascribere. Prætereuntque omnia Deorum monita nobis Fortunæ dominatum in omnia tribuentibus. Vidit ante nos Janus Parrhasius Commentar. in libr. II. De Raptu Proserpinæ Claudiani pagina 151. *Barth.* *Neget omina causis*] Incusat poëta eos qui dicunt futura non portendi mortalibus. *Lactant.*

935 *Inservare*] Attendere auspicia: et est verbum augurum de cælo servatum: dicit ergo: Piget nos insistere, id est, non quærimus futura; et ideo perit venturi fides promissa. *Idem.*

936 *Sic omina casum*] *Omina* sunt rerum futurarum signa, sive bonarum, sive malarum: *casus* autem sunt subiti eventus. Cum enim non quærimus quæ futura sunt, non procuramus adversa: cum neglectu nostro improvisa proveniunt mala, quæ accidunt casui deputamus. *Idem.*

938 *Fatalis*] Harundinem fatalem

dixit, quæ futura monstraret. *Idem.*

940 *Tenorem*] Cursum, impetum. *Idem.*

941 *Notæ juxta ruit ora pharetræ*] Ante ora ejus cecidit, qui pharetram tenebat; ut Ovid. de telo: 'Revolat nullo referente cruentum.' *Idem.*

942 *Errore serunt*] Disserunt, disputant. *Idem.*

945 *Monstratumque nefas*] Id est, Prodigium, monstrum. Vide supra hoc lib. v. 498. Et sic sæpius Papin. Ut lib. VII. vs. 48. 'Lavinia virgo Visa, nefas, longis comprendere crinibus ignem.' *Uni remeabile*] Ex septem regibus ad Thebas proficiscentibus. Omnes duces apud Thebas perierunt, præter Adrastum Talai filium; is enim equi beneficio ereptus est. Vide Higin. cap. 70.

THEBAIDOS LIB. VII.

1 *Atque ea cunctantes*] Describitur Jovis iracundia: allocutio ad Mercurium, ut Jovis minas nunciet Marti, et accuset eum quod patiatur Græcos apud tumulum Archemori voluptatibus occupari. et ut eos furoris stimulis Mars armet ad bellum. *Cunctantes*] Morantes sive manentes. *Lactantius.*

4 *Cervicibus*] Dicit iracundia Jovis cælo pondus augeri: et hoc Atlantem queri. *Idem.*

6 *Boreamque illabere saltu*] Aut male oculis usus est aut alius fuit Buslid. quo usus est Bernartius; nam cujus nobis copia facta, *Borean in labere.* Gronov.

8 *Qua Parrhasis*] Arcas a gente dicta: unde fuit Calysto Lycaonis filia, quæ in ursam, hoc est septentrionem dicitur versa. Lucan. 'Parrhasis obliquos Helice cum verteret axes.' Calysto ergo ipsa est, quæ Arctophylax dicitur ursa: quæ nunquam oceano tingitur. *Lactant.*

9 *Et nostro pascitur imbri*] Id est cælesti liquore, non marino, ut cetera sidera. Nam et sol et astra cetera aquis pascuntur oceani: nam ut ostenderet Lucan. ignes solis aquis nutriri, ait: 'Non pabula flammis.' *Idem.*

10 *Atque ubi se posita*] Pauxilla menda, quam alienam a Poëtæ mente sententiam efficit! libri calamo exarati: *Atque ibi seu posita respirat cuspide Mavors* (*Quanquam invisa quies*) *seu quod reor, &c.* quod audacter expressi. *Bernart.*

15 *Isthmius umbo*] Isthmos est terra inter duo maria in longum porrecta. hæc enim duo maria orientem occidentemque discriminant. Ionium oriente, Ægæum occidente dividit: omne ergo quod Isthmius umbo distinet, id est Achaiam, in cujus parte Pelops regnavit, duo maria circundant, adeo ut insulam facerent, nisi utrumque pelagus interjecta terra divideret: ideo autem 'umbonem montis' dixit, quia ejus pars erectior imminet mari. *Lactant.*

16 *Malea*] Malea promontorium Græciæ, quod intrat mare, et per quinquaginta milliaria intenditur: ubi unda ita sæva est, ut navigantes videatur persequi. Unde Virgil. 'Maleæque sequacibus undis.' Hoc autem promontorium a Maleo Græciæ rege nomen accepit: quod intra se Peloponesum includit ac tenet. *Lactant.*

17 *Illi vix muros*] Id est fines patriæ: figura, qui sunt illi, id est juventus Argiva. Græci inquit sic litant, quasi jam victores revertantur ad patriam. *Idem.*

19 *Offensique sedent*] Irati quod eorum gratia periisset Archemorus: sive *offensi*, occupati, novo sermone dixit. *Idem.* *Sedent ad busta sepulcri*] Immo *justa*, ut in melioribus est. Ludorum funebrium solennia. Erat idem vitium libro IV. et correxeramus, sed præventi a Cujacio. *Gronov.*

20 *Orbe recusso*] Furore tuo hæc Gradive fecisti certamina, ut aut disco certarent, aut cæstibus. *Lactant.*

21 *Œbalii*] Pollucis, ut supra: 'Œbalio donem lugere magistro.' *Idem.*

22 *Insana voluptas*] Deest *fuerit.* Idem.

26 *Nunc lenis*] Quasi ideo nunc Mars lenis sit, nec nostra iracundia flectatur. *Idem.*

29 *Nil equidem crudele minor*] Nil minor illi quod crudele sit, id est Marti: sed bonum et mite numen efficiam. Minatur Jupiter se Martem mitem efficere, quod scit cruento numini esse contrarium, ut mores illi, qui infreni esse consueverant, ocii languore torpescant, et sit numen ejus mite: grave enim malum est: facit enim bonum a suo instituto traducere. *Idem.*

30 *Numen*] Veram hanc Papinii lectionem esse, ne Carneades quidem dubitaverit, qui dubitare in omnibus solet. Vulgata sine dubio depravate: *sic mite.* Bernart.

35 *Labentem*] Intrantem portas septentrionis. *Lactant.*

36 *Prætenta*] Circumfusa, adjacentia. *Idem.*

37 *Agmina nimborum*] Infinitus numerus nubium. *Hiatus*] Principium flatus: quia venti pinguntur hiantes. *Idem.*

39 *Protegit*] Tuetur. *Galeri*] Pilei. *Idem.*

40 *Hic steriles*] Epexegesis est: qui Deus sterilis sylvæ. *Delubra Mavortia notat*] Aspicit avium more, quæ volando aspiciunt, vel notat in quibus insideant locis. *Idem.*

41 *Mille furoribus*] Mille ministeriis Martis. *Idem.*

42 *Cingitur*] Multatur. *Immansueta*] Irrequieta, sine quiete. *Idem.*

43 *Laterum*] Parietum, id est, ab ea parte qua mutata est. *Idem.*

44 *Tecta domus*] Ad descriptionem cruentæ domus adjecit, omnia ferro fuisse constructa, ut ubicunque adspiceres mortalem domum ex ipsius ædificii fabricatione cognosceres: cujus terroris speciem ut Virgilium explicaret, ait: 'Porta adversa ingens, solidoque adamante columnæ.' *Idem.*

45 *Læditur adversum Phœbi jubar*] Offuscatur Phœbi jubar: id est solis splendor læditur, id est splendore ferri repercutitur. *Idem.*

47 *Impetus*] Præceps audacia sine ratione. Claudian. De Cursu Romæ, Pan. Prob. 'famuli currum junxere volantes, Impetus horribilisque Metus, qui semper agentes Prælia, cum fremitu Romam comitantur anhelo.' *Barth.*

50 *Geminumque tenens Discordia ferrum*] Mirum; geminum dixit ferrum tenere Discordiam, quæ semper solet duorum inimicitia vel mortibus gratulari. Sive propter fratres: quia in hoc bello maxime fratrum discordia præliatur. *Lact.*

51 *Innumeris*] Mire infinitum numerum finxit, quippe pro peccatorum genere jam minatur supplicia diversorum. *Tristissima virtus*] Non religionis aut pietatis causa commota, sed ideo in hoc bello tristem dixit esse virtutem, quia parricidiis militavit. *Idem.*

53 *Mors armata sedet*] Quia semper eripit vitam. *Idem.*

56 *Insignibant*] Ornabant, sive insignia faciebant. *Idem.*

59 *Pene etiam gemitus*] Egregie, ut in cruenta domo omnia ingemiscentia cernerentur. *Idem.*

60 *Ubique ipsum*] Subaudis, 'Martem putares:' ubique simulat, nusquam tamen hilariore vultu conspicitur. *Idem.*

61 *Mulciber arte*] Vulcani Architectura omnium domuum divinarum tribuitur. De Regia Solis Ovidius Met. II. 'Materiam superabat opus! Nam Mulciber illic Æquora cœlarat, Medias cingentia terras Terrarumque orbem, cœlumque quod imminet Orbi.' De Veneris, Claudianus, Nuptiis Honorii: 'Mulciber, ut perhibent, his oscula conjugis emit Mœnibus, et tales uxoribus obtulit Arces.'

62 *Nondum radiis*] Quæstionem, quæ potest commoveri, quare adultero Marti Vulcanus habitaculum fundasset, argutissime divinus hoc loco poëta dissolvit: dicit enim ante domum Marti Vulcanum ædificasse,

quam injuriam pateretur: quia sol radiis suis magnifici flagitii detector fuisse narratur. sed si ideo res male commissa displicuit, superest ut inveniatur carissimum numen. *Lactantius.*

63 *Fœda catenato*] Hæc inquit limina prius Vulcanus extruxit, quam Martis et Veneris de Solis indicio adulterium cognovisset: quo comperto, utrumque subtilissimis devinxit catenis, atque in conventum numinum adduxit adulteros. *Idem.*

65 *Mugire refractis*] Eleganter sonus rei indicatur. Cornua autem fluvio de more Poëtarum tribuuntur, quia nempe ubi oriuntur, flumina pluribus rivis confluentibus confluere solent. Id indicat Ovid. lib. XIII. de Aci: 'Fitque color primo turbati fluminis imbre, Vivaque per rimas,' &c. *Barth.*

66 *Hebrus*] De Hebri planitie, Equis apta, quod Papin. hic innuit, vide Petr. Bellon. cujus Observationes magnæ jucunditatis lectionem habent, lib. I. cap. 63. *Idem.*

70 *Subit currum*] Ingreditur seu advenit. *Aspergine*] 'Aspergo' gutta est terræ cruore permixta. *Lactant.*

71 *Mutat Argos*] Sanguine inficit, maculat, variat, sive distinguit. *Flentesque catervæ*] Captivorum scilicet. *Idem.*

72 *Nix alta locum*] Adveniente Deo, omnia quæ in medio sunt, locum dare necesse est. *Idem.*

73 *Sanguinea manu*] Sanguinarium numen sanguine ubique gaudebat. Ut in sacris mos servabatur elicito sanguine eam colendi. Lactant. l. I. c. 20. Eandem Bellonam vocant, in quibus sacris ipsi Sacerdotes non alieno, sed suo cruore sacrificant. Sectis namque humeris, et utraque manu districtos gladios exserentes currunt, efferuntur, insaniunt. De Bellona et Marte lege Speculationem Cornuti cap. 21. *Barth.*

76 *Nec talia mandat*] Si adventum Martis talem juxta Jovem casus afferret, multa de ira sua, et mandatorum acerbitate minuisset. *Lactant.*

77 *Quod Jovis imperium*] Allocutio Martis interrogantis Mercurium, qualia ad se Jovis mandata portaret. *Idem.*

78 *Occupat armipotens*] Interrogando Mars prævenit. *Idem.*

80 *Mænala*] Mænalus et Lycæus montes Arcadiæ amœnissimi. *Idem.*

81 *Moratus*] Nulla mora discit patris præcepta. *Idem.*

82 *Sicut anhelabant*] De bello Scythico remeantes. *Juncto sudore*] Iteratio prioris et sequentis laboris. *Idem.*

86 *Ruit*] Cadit vel desinit flare. *Idem.*

87 *Pax ipsa tumet*] Ipsa tranquillitas inquieta. *Idem.*

88 *Exanimis*] Sine vento, id est, reliquiæ tempestatis licet sint sine flatu ventorum, tamen adhuc exagitant mare. *Idem.*

92 *Vina solo fundens*] Inferias defuncto Adrastus Archemoro vinum profundebat. Vide interpretes ad illa Maronis lib. V. 'Hic duo rite mero libans carchesia Baccho, Fundit humi.' Fundit autem Archemoro vinum ut Deo, non ut mortuo. Mortuis enim non licebat vinum libare, teste Servio ad Virgil. *Barth.*

93 *Trieteride multa*] 'Trieterica' sacra sunt, quæ intermisso triennio celebrantur. *Lactant.*

94 *Nec saucius Arcades aras*] Pelops scilicet, qui a patre Tantalo numinibus epulandus est appositus. *Idem.*

95 *Elæaque pulset*] Id est Græciæ; ubi ludi funebres et Olympicus institutus est agon, in quo certamine oleastro victores coronari consueverunt. *Eburna manu*] Ut, 'Humeroque Pelops insignis eburno.' *Idem.*

96 *Nec Castaliis*] Pythii agonis;

Apollinem dicit, in cujus honorem extincto serpente agon celebratur Pythius, cujus victores lauro coronantur. *Idem.*

97 *Umbra Lechæo*] Licet alibi *unda* legamus, tamen melius *umbra* accipimus, propter Melicerten, qui se de Lechæo monte præcipitavit in mare, in cujus honorem agon celebratur Isthmiacus, cujus victores pinu coronantur. *Idem.*

98 *Inficiamur Averno*] Id est, cum Deûm colimus inficiamur te mortuum: id est mentimur vel negamus. *Averno*] Inferis, lugenti infernali. *Idem.*

99 *Jungimus*] Ludos tuos cælestium agonibus conferimus. *Idem.*

102 *Per urbes*] Promittit Adrastus se numen Archemori omnibus Græciæ civitatibus indicaturum: non solum liberis, verum etiam bello victis. *Idem.*

104 *Sibi quisque volebat*] Cum sententiam considero, melius judico, certe clarius: *eadem sibi quisque vovebat.* Bernart.

106 *Acrocorinthus*] Mons est circa Corinthum immensæ altitudinis, cujus umbra utrumque mare tegi poëta describit. *Lactant.*

112 *Facies quæcunque libet*] Post hæc verba collocanda distinctio: ait enim assumere quamcunque faciem velit. In Optimo libror. *quascunque* diserte scriptum invenio. Descriptioni huic componenda quæ de Fama Virg. Æn. IV. de eadem Valer. Flaccus Arg. II. *Barth.* *Bonis omnia credi*] Ad omnia credenda idoneus est auctor timor: quo faciente, interdum etiam impossibilia credimus. Nihil est enim quod credere hominem non suadeat timor. *Lactant.*

113 *Lymphare*] Furiare. *Idem.*

116 *Tunc acre novabat*] Si Deorum aliquis mentiatur, facile potest falsa suadere mortalibus. *Idem.*

123 *Ni fallimur aure. sed unde*] *Aure* hic posuit, pro auditu: et est oratio se invicem interrogantis. *Ni fallimur*] Id est, nisi decipimur auditu: et videntur interposita verba pavoris, et quasi respondentis, ut docet ipsa commatica pronunciatio. Denique conclusit *Hæc pavor attonitis.* Idem.

125 *Tanta est audacia Thebis*] Optimi: *tanta autem audacia Thebis?* Eleganti ἰδιωτισμῷ, quem servaverunt Comici. Terentius Hecyra: 'Tamen pol eundem injurium est esse omnibus. Sy. Injurium autem est ulcisci adversarios?' Quasi esset: 'itane injurium est? itane tanta audacia Thebis?' *Gronov.*

126 *An dubitent*] Cur non audeant nos aggredi, adeo diu hic desidentes? Nonne satis eis audaciæ facimus, quod non pergimus? *Vet. Schol.* Optimo sensu. Simplicitas autem pristina bellandi hinc apparet. Quomodo enim non per exploratores hostium motum aut quietem cognitam haberent, si saperent, hæc loquentes? *Barth.*

127 *Variosque per agmina vultus*] Ut manifestius quæ velit timor affirmet, diversarum gentium indutus vultibus, se exercitibus miscet. *Lactant.*

129 *Nunc Pylius*] Ex illa civitate. Horat. 'Nestora Pylius.' *Idem.*

130 *Adjurat*] Jurejurando confirmat. *Idem.*

131 *Nil falsum*] Argivis omnia credentibus nil falsum videbatur. *Id.*

132 *Fastigia vallis*] In qua sacra fuerant celebrata in honorem Archemori. *Idem.*

135 *Insani*] Fortes. *Nullo more rapit*] Raptim facit invadere præter consuetudinem. *Idem.*

139 *Præcipitant*] Festinant, accelerant, ut tarditatis moras celeritate compensent. *Idem.*

140 *Incipiente. fremunt*] Vociferatione præparantium navigium perstrepunt littora. *Idem.*

141 *Vela fluunt*] Sola descendunt. *Idem.*

142 *Natat omnis, &c.*] Sic alligata enim, ut unda eas alluat. Natura enim ferri non fert, ut natet super aquas. *Dulcis tellus*] Non sentitur ejus dulcedo, nisi cum eam reliquimus. *Vet. Schol.*

145 *Glomerare cohortes*] Præter ordinem festinanter impingere. *Lactant.*

147 *Reminiscitur ignes*] In mentem veniunt patris fulmina, quibus se utero matris excussit. *Idem.*

148 *Purpureum*] Pulchrum. *Idem.*

150 *Thyrsus*] Hasta. *Cornibus uvæ*] Dicit mœsticia Liberum ornatum capitis posuisse: ubique enim uvis decoratus ostenditur. Ovid. Fast. VI. 'Bacche racemiferos hedera distincte capillos, Si domus illa tua est, dirige vatis opus. Arserat obsequio Semele Jovis, accipit Ino Te, puer, et summa sedula nutrit ope. Intumuit Juno rapta quod pellice natum Educat: at sanguis ille sororis erat. Hinc agitur furiis Athamas in imagine falsus, Tuque cadens patria, parve Learche, manu.' *Idem.*

155 *Exscindisne tuas*] Liber optimus: *Exscindensne.* Forte: *Exscindine tuas.* Intellige, patieris. *Gronov.*

157 *Deceptique laris*] Dolo Junonis dicit morte matris suæ Semeles viduatos penates. *Lactant.*

158 *Olim invitum*] Synæresis, ut hoc enim Semele pateretur, extorsit. Petiit ut ad se fulminibus armatus intraret. Dicit enim nunc Liber, si ante invitus dum amatæ nil negas in Thebas fulmen ejecisti, nunc, inquit, quis compulit ut bellum eis juberes inferri? *Idem.*

162 *Danaëia*] Id est, quando ad Danaën venisti. *Idem.*

163 *Parrhasiumque nemus*] Silva ubi Calysto a Jove compressa est, quæ postea 'Helice' nomen accepit. *Ledæamque*] Id est, cum ad Ledam venisti. *Idem.*

164 *E cunctis ego*] Se dicit Liber a multis mortalibus sæpe fuisse neglectum, ut Lycurgo atque Pentheo. Nam Ovid. quodam loco verba Penthei injuriantis Liberum ita descripsit: 'Quis furor anguigenæ proles Mavortia vestras Attonuit mentes, Pentheus ait: ærane tantum Ære repulsa valent, et adunco tibia cornu, Et magicæ fraudes, ut quos non bellicus ensis, Non tuba terruerit, non strictis agmina telis, Fœmineæ voces, et mota insania vino, Obscenique greges et inania tympana vincant? Vosne senes miseri, qui longa per æquora vecti, Hac Tyron, hac profugos posuistis sede penates, Nunc sinitis sine Marte capi?' *Idem.*

166 *Pondus eram*] Quoniam fulminata matre femori Jovis est insitus. Unde Liber 'Bimater' appellatus est, quod duas veluti matres habuit. 'Dithyrambus' dictus est, quod velut per duas portas exierit: sed hoc fabulosum intelligitur. Sub hac autem figura mysticum philosophiæ secretum est: nam et illud falsissimum est quod Tiresias subit *** *Idem.* Ingens hæc lacuna, quæ hic in Luctatii Comm. conspicitur, ex nullo exemplarium suppleri potest. *Barth.*

171 *Buxa*] Tibia vel scabellum, quod in sacris tibicines pede sonare consueverunt. *Timent thyrsos*] Quomodo Thebani bella non timeant, qui bacchantium matrum Thyrsos horrescunt. et ut bellandi inter illos monstraret speciem, ait: 'Timent nuptarum prælia matrum.' *Lactant.*

174 *Peltis*] Lunatis scutis, quibus utuntur Amazones. *Idem.*

175 *Sic hostis defuit*] Interpositio narrationis. *Idem.*

177 *Ditare Mycenas*] Inimicos Argos Thebanorum spoliis ditare. Sensus, melius iratus alios hostes eliceret, ne vos inimicorum faceret prædam. *Idem.*

180 *Thracem, silvasque Lycurgi*] Notat fabulam, qua Lycurgus Rex Thraciæ Dryantis filius, nutrices Bacchi urbe Nisa latitantes persecutus, ip-

sum Bacchum fugasse fingitur. *Bernartius.*

181 *Anne triumphatos*] Liber enim dicitur deinde egisse triumphum. Unde Virg. 'Nec qui pampineis victor juga flectit habenis Liber, agens celso Nisæ de vertice tigres.' *Lactant.* *Anne triumphatos*] Id est, per triumphum ductos. Virgilius Georg. III. 'Bisque triumphatas utroque ab littore gentes.' Horatius III. Od. 'Triumphatisque possit Roma ferox dare jura Medis.' Ovidius de Pont. II. Eleg. 2. 'Adde triumphatos modo Pæones.' *Bernart.*

182 *Latonia frater*] Apollinem dicit, qui Delon insulam in honorem materni partus stabilem fecit. *Lactant.*

184 *Commendare fretis*] Id est, duabus insulis alligare. 'Freta' enim proprie maria dicuntur, quæ æstu rapido vicinas terras interfluunt: de qua insula ait Virgil. 'Mycone celsa Gyaroque revinxit.' Hostiles Athenas dicit, quas cum inundasset Neptunus, Minerva eas diluvio liberavit: pro qua urbe contendisse dicitur cum Neptuno inventis muneribus: Neptunus sc. equum, Minerva olivam, quam fabulam tetigit Virgil. dicens: 'Cui prima frementem Fudit equum magno tellus percussa tridente.' Item: 'Oleæque Minerva Inventrix.' *Idem.*

186 *Epaphum*] Jovis et Io filium, qui regnavit in Ægypto; cujus mater versa est in juvencam; unde Virg. 'At levem clypeum sublatis cornibus Io.' *Idem.*

187 *Cyllene*] Arcadia, in qua Mercurius dicitur natus. *Minoave curat*] Minos et Rhadamantus Jovis et Europæ filii, Cretensium reges: sed ut conciliet Jovem in amorem Thebarum, commemorat quos mortalium amare dignatus sit fœminarum; Alcmenam, Antiopam, Nicteidem, postremo Europam, cujus frater Cadmus condidit Thebas. *Idem.*

189 *Hic tibi quando*] Quoniam: Ordo est: Hic tibi noctes Herculeæ, et ardor Anthiopæ filiæ Nictei, quæ a Lyco expulsa per Dyrcen a Jove in taurum verso corrupta est: unde Zetus et Amphion progeniti feruntur. *Idem.*

190 *Nicteidos ardor*] Amor Antiopæ Nyctei filiæ. *Lactant.*

191 *Hic Tyrium genus*] Propter Europam et Cadmum, quod Cadmus Tyrii Agenoris filius fuit, qui Thebas condidit, frater Europæ: cujus rei necessitudine Thebanis conciliare vult Jovem. *Felicior igne*] Amore: felicior ergo Europa Semele, quippe quæ fulmen pro amore perpessa est. Ideo Nostro *igne felicior.* Idem.

193 *Invidiam risit pater*] Invidiosam orationem Jupiter mitiorem effecit, ut Virgil. 'Olli subridens hominum sator atque Deorum.' *Poplite plexum*] Id est, genibus inclinatum. *Idem.*

197 *Sic expositus ego*] Sic fatis sum subditus, ut imminentia mutare non possim. Dicit ergo, non Junonis gratia Thebis indicimus bellum, o puer, ut putas, neque enim mutabilis esse potest Jupiter, qui immoto fatorum ordine ea quæ semel sunt decreta complere non differt. Isti vero populi, id est, Argivi sive Thebani ad hoc fataliter nati sunt, ut bellis intereant. *Idem.*

201 *Reponam*] Revocem, reprimam, cohibeam. *Idem.*

204 *Veterem Calydona, &c.*] Virgilius: 'Concessit in iras Ipse Deum antiquam genitor Calydona Dianæ.' Servius: 'Œneus, Calydonis rex de primitiis omnibus numinibus sacrificavit, excepta Diana, quæ irata aprum immisit, qui cuncta vastabat.' Sequitur autem in hoc etiam mentem Maronis Papinius, quod nocere 'minora numina' non posse putata sint, nisi potestatem a majoribus acciperent. Vide Serv. ibidem.

208 *Tardum abolere mihi*] Id est,

sero illis irrogo digna supplicia. *Crimina Dorica*] Græca propter injurias Tantali: qui extincto filio Pelope, ei humanos artus apposuit epulandos. *Lactant.*

211 *Sanguine Pentheus*] Commemorando quod Pentheus innocens crudeliter punitus est, et Liberum in Thebas vindicem severum esse. Comparavit enim Œdipi Pentheique facinora, qui nec parricidium fecit, nec cum matre concubuit. Cum Pentheus ista non fecerit, tamen lacero fuuere tua lustra complevit. Ergo tu qui tam sævissime parvæ culpæ reos punire consuevisti, non debes tam flebiliter pro nefandissimis supplicare. *Idem.*

212 *Fratres progenuisse reus*] Quia Œdipus maritus et filius matris, et patris filii fratres sunt: nullus igitur ibi pietatis ordo servatus est, ubi fuit Jocasta et uxor et mater. *Idem.*

219 *Non hoc statu*] Ordo non hoc tempore statui Thebas evertere: et hoc dicendo spes aliqua postulatæ veniæ promittitur. Dicit enim Jupiter se, ut cætera numina, imminentia mala posse differre, in totum vero mutare non posse. *Idem.*

221 *Ultoresque alii*] Theseum dicit, qui secundo bello Thebas evertit. *Idem.* *Tunc regia Juno quereretur*] Reformavi in germanum sententiæ habitum ex veteribus et editione principe, in queis: *nunc regia*, optimo sensu. Juno enim Adrasto, ejusque exercitui favens, merito conqueri debebat, quandoquidem victoria penes Thebanos erat futura. *Bernart.*

222 *Mentemque animumque recepit*] Ferri potest: sed an germanum? negant scripti qui præferunt: *mentemque habitumque recepit.* Scriptis vero libris subscribit ipse orationis nexus: probe itaque nunc dictum *habitum* ipsum recepisse: *habitum* siquidem pro 'cultu' Papinius solet usurpare, lib. XI. 'Non habitu quo nota prius, non ore sereno, Sed vittis exuta comam.' Ut etiam Suetonius frequenter, signate Caligula cap. 9. 'Quia manipulario habitu inter milites educabatur.' Aliter Isidorus, qui lib. IX. cap. 22. discernit habitum a cultu, 'habitus enim ad naturam pertinet,' inquit, et hac notione usurpat Livius lib. IX. 'visus illi habitus,' id est, qualitas: atque adeo etiam Sallustius, Bello Jugurthino: 'Cujus de natura et habitu diximus.' Alii Scriptores fere semper 'habitum,' pro 'forma rei cujusque' accipiunt. Exempla cuivis obvia. Appuleius 'habitum' ad cultum, 'habitudinem' ad qualitatem refert, lib. I. 'Vir ut habitus et habitudo demonstrant ornatissimus.' Plautus etiam pro cultu agnoscit interdum, qui et diversa, sed eleganti notione dixit Pœnulo: 'Modus omnibus in rebus optimus est habitu soror,' id est, optimus qui habeatur. *Bern.*

223 *Sole malo*] Torrido seu igneo. *Tristi notho*] Nubilo austro. est autem floribus inimicus. Ut Virgil. 'Floribus austrum, Perditus,' &c. *Id.*

225 *Redit omnis honos*] Sic, inquit, lætitia Liberi mutatus est vultus e grandi tristitia, quemadmodum flores flante austro. Et solis nimio calore pallescunt, perduntque gratiam aspectus sui: ac rursus si placidi Favonii spiraverit flatus, et virentes herbas frigidior ventus erexerit, et odorem recipiunt et colorem. *Idem.*

228 *Explorata*] Certa. *Longo agmine*] Ordinibus compositis. *Idem.*

229 *Ire*] Pro venire. Ut Virgil. 'Vos nunc a navibus itis.' *Idem.*

230 *Miserescere*] Tremebant cuncti et terrebantur Argivorum adventu, qui Thebanis consanguinitate conjuncti fuerant: qui vero erant extranei miserabantur, cum in memoriam reducerent perituras Thebas. *Idem.*

231 *Nomine et armis*] Subaudiendum, 'ceteros anteibat.' *Idem.*

232 *Ille metum condens*] Etheocles

metum dissimulans. *Idem.*

237 *Tessera*] Bellorum signum est. Ut 'hospitalem tesseram' dicimus. Veteres enim, quoniam non poterant omnes hospites suos noscere, tesseram illis dabant, quam illi ad hospitia reversi ostendebant præposito hospiti: unde intelligebant hospites. hic tamen proprie 'tesseram' signum belli posuit. *Idem.*

238 *Campo qui proximus urbi*] Campum subeunt qui patet ante urbem, qui est ad sistenda bella damnatus, id est, destinatus. *Idem.*

240 *Nondum hostis contra*] Quid opus fuit, cum in scriptis esset: *Nondum hostis circa.* Urbem videlicet, aut in vicinia. *Gronov.*

243 *Nondum concessa videri*] Pudicarum virginum morem descripsit: quia nunquam virgines facile videntur a populo. *Lactant.*

244 *Antigone*] Œdipi filia, Polynicis soror. *Defenditur*] Occultatur. *Idem.*

246 *Armigero*] Qui Laii ante fuit armiger, eo nunc Antigone utebatur custode. *Idem.*

247 *Spesne*] Hanc œconomiam transtulit juxta Homerum per inquisitionem catalogi: inducit hic per Antigonem; ut illic per inquisitionem Priami, et relationem Helenæ. *Idem.*

248 *Hæc vexilla*] Hoc est, Thebanorum militum manus poterit tam immensum Argivorum exercitum superare, et parva multitudo contra hostium copias hæc valebit: de auxiliaribus quærit catervis; nam suos cives agnoscit. *Pater*] Non patrem genuinum Œdipum dicit, sed ut blandiretur nutritoribus, Phorbantem patrem vocavit. *Idem.*

250 *Menœceus*] Hic se pro patria ex responso de muro præcipitem dedit, filius Creontis, qui post fratris Etheoclis interitum accepit imperium. *Idem.*

251 *Ahena Sphinge*] Casside, cujus altitudinem in summitate adjecta auxerat sphinge: sive signa Thebanorum *sphingas* esse monstravit: ut enim apud Romanos aquilæ habebantur signis appositæ, sic Thebanorum sphingos vultus ornabat. *Idem.*

252 *Homoloidas*] Homoloidæ portæ sunt Thebanæ appellatæ, quæ erant septem. Unde Thebana civitas Heptapylos dicta est. *Idem.*

254 *Tanagra*] Civitas Euboeæ, quæ nunc Penanoria nuncupatur. *Idem.*

255 *Dryas*] Hic est quem Diana sagittis, propter interfectum Parthenopæum, occidit. *Idem.* *Tridentem*] Causa cur tridentem in clypeo gesserit Dryas, erat quod Orionis genus jactabat; quod sidus fundo solet maria excitare, non aliter, quam cum Tridente suo Neptunus. sic tempestatem infert, apud Virgilium. *V. Scholiast.* Versus Virgilii sunt Æneid. I. 'Cum subito assurgens fluctu, nimbosus Orion In vada cœca tulit, penitusque procacibus Austris Perque undas, superante salo, perque invia saxa Dispulit.' Classem nempe. Potest ut vera sit hæc interpretatio; potest etiam ut tridens Orioni ascribatur propter tres stellas, quæ manum ejus præcedentes alibi pro gladio a Poëtis habentur. *Barth.*

256 *Orionis alti*] Hujus talis est fabula: Pelasgus quidam Deorum cultor Jovem, Neptunum, Mercuriumque suscepit hospitio, a quibus huic est facultas oblata, ut, quia in Deos religiosus extiterat, ab his quod vellet optaret. Is cum adhuc ætatis filium nullum suscepisset, postulavit ut beneficio numinum proles sibi contingeret: minxerunt ergo numina in bovis corium, quem Pelasgus diis immolaverat, et hoc defodere jusserunt, exactisque novem mensibus tolli: ex quo natus est Orion, qui ex urina nomen accepit: οὖρον enim Græce *urina* dicitur. Hic de stupro compellavit Dianam, illa irata Terræ invocavit auxilium: at ille ictu scorpii interiit,

quem terra in ultionem Dianæ exilire compulerat. Alii vero dicunt Orionem ipsius Dianæ sagittis fuisse frustratum. Ut Horat. 'Virginea domitus sagitta.' *Lactant.*

260 *Et confertissima silvis*] In plerisque, *jugis:* in uno, *turbis:* quidam adscriptum habent, *lucis:* quam veram lectionem putamus. *Gronov.*

261 *Dioneisque avibus circumsona*] Hanc quidam volunt esse regionem in qua Nysus regnavit, cujus crinem purpureum Scylla filia dicitur amputasse. *Thisbe*] Civitas ejusdem, in qua Venus colitur, quo Jovis aliquando per columbas dabantur responsa. *Lactant.*

263 *Pinusque jubasque*] Quia quasi equinæ setæ sunt pini folia. *Idem.*

264 *Terribilis silvis*] Venationibus. *Idem.*

265 *Erythræ*] Civitas, numeri tantum pluralis. *Idem.*

266 *Scolon, Etheonon*] Civitates sunt Græciæ, quæ Thebanis auxilium miserunt. *Jugis iniquis*] Arduis sive excelsis. *Idem.*

267 *Atalantæumque*] Duas Atalantas esse certissimum est, unam Arcadem, cujus Parthenopæus est filius: aliam de Scyro nobilem cursu, quam Hippomanes currendo superavit, projiciendo tria poma aurea Veneris consilio. *Idem.*

268 *Noti campi*] In quibus solebat Atalanta cum procis cursu contendere. *Colunt*] Non venerantur, sed habitant. *Idem.*

269 *Sarissas*] Macedonum lanceas. Hoc enim nomine tela sua ipsius gentis homines vocant. Unde Lucan. 'Primi Pellæas arcu fregere sarissas.' *Idem.*

270 *Difficiles*] Contra magnum impetum utiliores. *Vet. Schol.* Ob brevitatem. *Luctat.* Vide Lips. militia Rom. p. 384.

271 *Neptunia plebes*] Neptuni enim filius Onchestus conditor ejus civitatis. *Luctat. et noster Scholiast.* Homer. Ὄγχηστόν θ', ἱερὸν Ποσιδήϊον, ἀγλαὸν ἄλσος.

272 *Onchesti*] Onchestus Neptuni fuit filius, qui ex suo nomine hanc condidit civitatem. *Mycalesos*] Promontorium ejusdem civitatis. *Lactant.*

273 *Palladiusque Melas*] Bœotiæ fluv. Minervæ consecratus. *Palladius* ergo Atticus. Alii volunt hunc Athenarum fluvium esse, quem Palladium ad discretionem posuit. Est enim alter Melas in Sicyoniorum finibus: sive Melas montem dicit olivetis consitum. *Idem.*

274 *Gargaphye*] Fons Dianæ aut Hecatæ consecratus. *Idem.*

275 *Et nimia*] Cujus satis nimietas herbarum inhabitet, quæ nascentes opprimit messes. *Idem.*

279 *Virgo lyra galeam*] In cono galeæ lyram habebant propter musicam, qua Thebani dicuntur muri fuisse constructi. *Tauro*] Propter Jovem et Europam, vel propter Cadmum, qui bovem secutus est, ut Thebanam conderet civitatem. Vel, quod manifestius, propter Dyrcem novercam, quam ab his constat tauro religatam. *Idem.*

280 *Macte animo*] Ut si diceret, perfectæ indolis juvenis. 'Mactare' enim dictum est, sacrificium perfecisse: unde Virgil. 'Macte nova virtute, puer,' id est perfecte. *Idem.*

281 *Opponere pectora*] Bene *opponere* dixit, ad defensionem murorum. *Idem.*

282 *Heliconia*] Accolæ montis Heliconis; acclamatio sacrorum locorum ob habitationem Musarum. *Vet. Schol.* Ineptissime de Poëtis Lactantii effarctor: 'Per Helicona intelligi voluit Poëtas etiam ad auxilia venisse.' Non vidi magis, o asine. Fluvium Heliconium sive Heliconem intelligit Luctat. de quo vide Pausaniam. *Barth.*

287 *Renidentem*] Splendentem nivem depositam. *Cygni*] Quia apud

Hormium fluvium multi sunt cygni; et hi qui ab hoc fluvio veniebant, cygnorum more cantabant. *Lactant.*

296 *Ævi Confudere modos*] Ætatis suæ, dum pæne æquales sunt, spatia confuderunt Nymphæ. Ad ornamentum carminis sui Græcum nomen accepit. Græce νύμφη dicitur *sponsa.* Idem.

298 *Maritis ignibus*] Viriles amores, concubitus voluptatem dicit. *Lactant.*

300 *Nec longum*] Id est, tempus transiit. *Et pulcher Alathreus*] Natus est filius qui patri crescendi celeritate pæne æquævus est. *Idem.*

304 *Plus pater*] Hoc est, gaudet ætate antecedenti desiderio. *Juvat et ventura senectus*] Uno tempore senescentium patris et filii. *Idem.*

307 *Coronian*] Nomen a Coro Centauro tractum, a quo et civitas dicta, quem reliqui Centauri velut palum cædentes terræ affixerunt. *Idem.*

308 *Baccho Glisanta*] Duæ civitates duorum numinum pari gaudent munere, Coronia Baccho fertilis est, simul Glisanta: Cerere infœcunda tristantur: nec evenit ut proventu suo utraque civitas frumenti et vini bono gauderet. *Idem.*

310 *Hypsea quadrijugos*] Fratrem Æaci dicit, cujus Juppiter ex formicis socios fecit armatos existere, ex eo Peleus natus est, ex Peleo Achilles, cujus milites Myrmidones nuncupati sunt, a formicarum origine. μύρμηκες enim Græce *formicæ* dicuntur: hunc Hypseum in lib. IX. Capaneus occidit. *Idem.*

311 *Ter insuto servant ingentia*] Qui vel quænam *servant?* Ipse utique Hypseus dicitur late umbrare celsos quadrijugos, ipse leva sive sinistra corporis clypeo, ipse pectus ter insuto ferro seu lorica trilici servare. Ergo aut *servat* est scribendum, aut, si hoc cæsuræ negas, *servantem.* Gronov.

312 *Nam tergo numquam metus*] Sive quia hic virtutis suæ prærogativa nunquam fugiebat: sive quia vetus consuetudo fuerat, ut lorica nunquam nisi pectus tegeret, ut spem fugæ eriperet pugnatoris: quod Salust. apertissime monstravit dicendo, 'Et in maximo omnium et nudum et cæcum corpus ad hostem vertere;' id est, quod nec oculi, nec lorica muniebat. *Lactant.*

314 *Irrita voto*] Quæ in percutiendo numquam auctoris sui vota decipit. *Idem.*

315 *Asopos*] Fluvius. Hic cum raptam a Jove filiam Æginam æquo animo ferre non posset, omni aquarum agmine concitatus cælum petebat infestus: hunc Juppiter fulminavit. Verum hodieque dicitur eo tempore quo fulmen excepit primus urentibus ripis fluere. Ideo dixit, 'adhuc ripis animosus gurges anhelat.' Hunc Asopum breviter etiam describit Lucanus dicens: 'Asopos aquas.' *Idem.* *Datur*] Hoc est, genuisse dicitur: 'dare' pro 'dicere.' Virgilius Bucolicis: 'Sed tamen iste Deus quis sit, da, Tityre, nobis.' Horat. I. Sat. 8. 'da, si grave non est, Quæ prima iratum ventrem placaverit esca.' Terentius Heaut. 'Nunc quamobrem has partes didicerim, paucis dabo.' Hinc apud J. C. nostros, 'dare sententiam,' pro 'dicere et proferre.' Modestinus l. XXVIII. de Re Jud. 'Duo judices dati, diversas sententias dederunt:' et 'dare' simpliciter eadem notione Ulpianus l. XXVII. de Liberali Caussa: 'Si enim liquebit, contra libertatem dabit,' in qua significatione usus est et Plinius lib. VII. Epist. 5. 'secundum reos dedit.' *Bernart.*

321 *Nondum ista licebat*] Vitiare virgines alienas. *Idem.*

323 *Conseruitque manus*] Contra nubes et fulmina. *Nec quem imploraret habebat*] Quia huic bella commoverat, a quo omnia numina auxilium postulare consueverant. *Idem.*

327 *Ætnæos*] Nimios: in similitudinem Ætnæ fulminatus est Asopus: et ipsa aqua efflat adhuc fulminis minas. *Idem.*

330 *Ithonæos*] Ut ipse supra: 'Aonio divertis Ithone.' In qua Ithonus regnavit, Herculis filius. Hæc civitas Bœotiæ est. Hinc Bacchilides Minervam *Ithoniam* dixit, et Alcomenem ipsam significat. quem imitatus est Horatius in illa ode, in qua Proteus Trojæ futurum narrat excidium. *Id.*

331 *Quos Mide*] Bœotiæ civitas in qua Alcmena nata est, Herculis mater, et in qua etiam colitur Minerva. *Idem.*

332 *Aulida*] Aulis dicta est ex eo, quia omnes illic Græciæ reges in excidium Trojæ conjuraturi convenerant: unde Virg. 'Non ego cum Danais Trojanam excindere gentem Aulide juravi.' *Plateas*] Bœotiæ urbs, ut supra, 'nunciat excubiis vigiles arsisse Plateas.' *Idem.*

333 *Refluumque meatu Euripum*] Maris pars inter Aulidem et Eubœam insulam, ut omnes sciunt, quam septies die ac nocte reciprocare, Strabo, aliique tradidere; sed ab iis recedit Livius: 'Et fretum ipsum Euripi (inquiens) non septies die, sicut fama fert, temporibus statis reciprocat: sed temere in modum venti, nunc huc nunc illuc verso mari, velut monti præcipiti devolutus torrens, rapitur.' D. Gregorius Nazianzenus tradidit Aristotelem, cum non posset naturam Euripi investigare, tædio animam efflasse. Imo Justini martyris testimonio, se in profundum illius præcipitans, demersus est. At nihil de hac re Amonius vel Laërtius. Ceterum tu qui in litteris tyro, scito, 'Euripum' veteres sæpius pro fossa ponere, qua ludi circundabantur septorum loco; exaudio ita Tertullianum adversus Hermogenem: 'Ecce autem si dicam, civitas extruxit theatrum et circum, scena autem erat talis et talis, et statuæ super euripum et obeliscus super omnia ferebatur.' Imo pro canali seu ductu aquarum salientium. Plinius in Epist. 'Quid euripus viridis et gemmeus?' *Bernart.*

334 *Quaque ultima tractu*] Locum deformatissimum e scriptis, a quibus recedere in manifesta bonitate religio sit, restituisse sic præfatur Bernartius, et pollicetur jusjurandum verbis conceptissimis, ita scripsisse Papinium. At ego injurato mihi credi velim, nullum mihi visum codicem, in quo non fuerit, *teque ultima tractu Anthedon*, quod ille tollit. Sic et inter cæteros Buslidianus, quem ab humanissimis possessoribus impetraverat mihi utendum Janus Vlitius. Intelligendum autem ex præcedentibus 'domant sulco:' quod non minus potest affirmari de Anthedone, quam de Aulide, Græa, Platæis 'seri.' *Quique sulco domant te ultima tractu Anthedon*, integrum est. Expressit Homeri, Ἀνθηδόνα τ' ἐσχατόωσαν. *Gronov.*

335 *Anthedon*] Civitas Bœotiæ, inter Eubœam et Bœotiam. *Glaucus*] Hic piscator fuit, et de Anthedone civitate, qui cum extractam ex mari prædam projecisset in littore, pisces herbarum tactu revixerunt. Intellexit Glaucus hanc illorum graminum naturam esse, ut immortales efficerentur, qui eam gustassent, itaque avellit et assumpsit: quo facto illico deposito humano corpore, in marinum versus est deum. *Lactant.*

336 *Poscentes irrumpit*] Quasi eum desiderarent maria Deum sibi fieri. *Idem.*

337 *Expavit*] Glaucus, postquam vidit se deformem vel biformem factum, expavit: ita enim marina numina Virg. formavit dicendo: 'Cui laterum tenus hispida nanti Frons hominem præfert, in pristin desinit alvus.' *Idem.*

338 *Torta*] Circum caput rotata. *Idem.*

339 *Gesa*] Hasta Gallorum. Virg.

'Duo quisque Alpina coruscant Gesa manu.' *Idem.*

340 *Cephise*] Cephisus fluvius, Narcissi pater, cum cæde Zephyri prostratus esset, Apollinis miseratione sanatus est. Hoc ergo dicit: in auxilium tu quoque filium destinasses, nisi jam palleret in flore. Thespius enim fuit Narcissus Cephisi fluvii: cujus etiam Lucan. meminit dicendo, 'quos impiger ambit Fatidica Cephisos aqua.' *Idem.*

341 *Narcissum*] Quæ de Narcisso Poëtæ fingant scivere omnes (Lucilii verbo) priusquam Theognis nasceretur. Illud non æque vulgatum, sororem Narcisso geminam, cum oris specie, omni ex parte similem, tum vero coma et vestitu nihil differenti: solitos simul venari: ea cum forte diem suum obisset, ventitare illum ad fontem solitum, qui in Hedonaco Thespiensium vico est: in quo cum suam intueretur umbram, ac suam omnino esse non ignoraret, ob similitudinem tamen quæ inter ipsos fuerat, tanquam si non suam, sed sororis imaginem præ oculis haberet, desiderii ex eo sui solatium aliquod capere consuesse. Auctor Pausanias Bœoticis. *Bernart.*

344 *Phocida*] A Phoco Eaci filio, quem Pelleus et Thelamon occidisse dicuntur. A cujus nomine civitas nuncupata est, in qua Œdipus Laium dum patrem quæreret occidit: quæ civitas tres habet vias, quæ se post multa spacia in unam jungunt plateam, ut ipse in primo: 'trifidæque in Phocidos arcto Longævum implicui regem.' *Lactant.* *Quis Panopen? quis Aulida?*] Nihili est interrogatio. Præterea versus lex sine ratione violata. Denique quid opus nominare bis *Aulida?* Lege cum scriptis: *Phocida? qui Panopen, qui Daulida, qui Cyparisson, Et valles, Lebadia, tuas, et Hyampolin,* &c. Homerus: Οἳ Κυπάρισσον ἔχον, Πυθῶνά τε πετρήεσσαν, Κρίσσαν τε ζαθέην, καὶ Δαυλίδα, καὶ Πανοπῆα, Οἵ τ' Ἀνεμώρειαν καὶ Ὑάμπολιν ἀμφενέμοντο. Unde vides et *Anemoriamque*, ut et est in Mss. non *Ænemoreamque*, scribendum esse. Jam *propellentemque Lilæam Cephissi glaciale caput*, est Homeri: Οἵ τε Λίλαιαν ἔχον πηγῆς ἐπὶ Κηφίσσοιο. Sed et dux Phocensium Iphitus Nauboli filius ab Homero sumptus, cui Schedius et Epistrophus υἱέες Ἰφίτου μεγαθύμου Ναυβολίδαο. Valerio Flacco lib. I. 'Naubolides tortas consurgit in undas Iphitus.' *Daulida* protulit quoque e suis Canterus: sed non vidit mutandam distinctionem. *Gronov.*

345 *Lebadia*] Civitas Apollini sacra, in qua Triphonius et Latamedes Tauropolytæ fratres fuerunt, filii Augæ formosissimi. *Lactant.*

346 *Parnasson utrumque*] Duo Parnassi vertices, in uno Phœbus, in altero Bacchus colebatur. Lucanus v. 'Parnassus gemino petit æthera colle, Mons Bromio, Phœboque sacer, cui numine mixto Delphica Thebanæ referunt trieterica Bacchæ.' Tragicus Œdipo: 'Gemina Parnassi nivalis arx trucem sonitum dedit.' *Bernart.*

347 *Aut Cyrrham*] Parnassus mons est Phocidos, qui in duo juga dividitur, id est, in Cyrrham et Nysam. Cyrrha ergo etiam civitas dicitur circa montem Parnassum sita: hæc habet stagnum Apollini consecratum, de quo ipse superius: 'Si stagna petii Cyrrhæa bicorni.' *Lactant.*

348 *Corcyrumque nemus*] Quidam *Ogygium* legunt, quia post Cadmum Ogygius Thebas rexit: quo vocabulo antiqui Thebanos intelligi volebant: post etiam nemori est hoc nomen impositum. Etiam tumulus circa Thebas ita vocatur. *Idem.*

353 *Cæde pharetras*] Niobe uxor Amphionis cum quatuordecim peperisset filios, septem virilis sexus, septem fœminei, fœcunditatem partuum suorum Latonæ præposuit, qua re commota filios suos, Apollinem et Dianam, in ultionem suæ instigavit

injuriæ: cujus Niobes filios quatuordecim uterque deus extinxit sagittis, Apollo pueros, puellas Diana. *Naubolus*] Hic Laii fuit auriga. *Secura*] Sine metu futuri parricidii. *Idem.*

358 *Sanguine cervix*] Ostendit eo tempore, quo Naubolus Laii fuit auriga, Phorbantem armigerum fuisse: et optat ut errore quo occisus est Laius, filii pariter interiissent, ne ad dividendum fratrum scelera servarentur. *Idem.*

360 *Repens*] Et adverbium potest esse temporis, et nomen participale. Ostendit Phorbantem intercepta singultibus voce loqui minime potuisse. *Idem.*

363 *Sollicitum decus*] Quia illi cura est Antigones virginitatis custodia. *Idem.*

364 *Seras tibi demoror*] Propter te seniles annos invita demoror. *Idem.*

369 *Transabiere duces*] Narratione elapsi sunt. *Idem.* *Chromin atque in terga*] Alibi hoc nomine utitur, ubi habent integrum membranæ: sed hic mirifice variant, *Clomin*, *clomini*, *domiti*, *doram*. Videtur fuisse, *Clonium*; nam et Homero Προθοήνωρ τε Κλόνιος τε. Idemque restituendum puto hoc libro vs. 711. 'falcato Chromin et Chremetaona curru:' nam tertio post versu rursus 'Chromis' cadit, ibique habent illibatum veteres: hic autem, 'Clomium,' 'Climenum,' 'Clonin.' Liber optimus, 'Chromin,' sed ita ut literis *HR*. subducatur virgula, suprascriptum sit *L*. Repone igitur: 'Clonium et Chremetaona curru.' Habes et apud Virgilium lib. IX. et X. Æneid. *Gronov.*

370 *Cariste*] Insula est juxta Eubœum fretum: quam saxosam ideo ait, quoniam ibi marmora nascuntur, quæ a loci vocabulo 'Caristia' dicuntur. Unde Lucan. 'Qua maris angustat fauces saxosa Caristos.' *Lactant.*

371 *Non humiles Ægas*] Omnibus valde notas. *Capharea*] Mons est altissimus, naufragio Græcorum omnibus notus, in finibus Eubœæ. *Idem.*

374 *Rector ab aggere cœpit*] Ad morem Romanum respexit, quo tribunal Imperatoris semper in castris cespiticium. Plutarchus in Pompeio: Βήματος δὲ οὐκ ὄντος, οὐδὲ τοῦ στρατιωτικοῦ γενέσθαι φθάσαντος, ὃ ποιοῦσιν αὐτοὶ, τῆς γῆς ἐκτομὰς βαθείας λαμβάνοντες, καὶ καταλλήλων συντιθέντες, κ. τ. λ. Ammianus 23. 'Ipse aggere glebali assistens, coronaque celsarum circundatus potestatum, talia ore sereno disseruit.' Noster: 'Hic suetus dare jura parens, hoc cespite turmas Adfari.' Sidonius Pan. Soceri: 'Concurrunt proceres, ac milite circumfuso Aggere composito statuunt, ac torque Castrensi mœstum, donantque insignia regni.' Lucanus de Cæsare concionante: 'stetit aggere fulti Cespitis, intrepidus vultu, meruitque timeri Non metuens.' Mos hic non prisca solum Republica, sed et tempore Principum retentus. Tacitus Annal. I. 'Simul congerunt cespites, extruunt tribunal.' Plinius Panegyrico Trajani: 'Decora facies Consulis: multa post sæcula tribunal viridi cespite extructum, nec fascium tantum, sed pilorum signorumque horrore circundatum.' *Bernart.*

378 *Ultro*] Non coacti. *Jurastis*] 'Jurare' proprie est, quotiescunque sacramento exercitus in aliquo bello conspirat, sive quia legiones cum scribuntur, ante in sacramenta militiæ compelluntur jurare. *Lactant.*

386 *Et frater*] Hostili animo, quasi jam non esset, dixit. *Idem.*

388 *Relictus*] Ut invenias me carentem auxiliis, et occidas. *Idem.*

393 *Perspicuas sic luce fores*] Sive adveniente die perspicuas, sive ex cratibus factas, quæ raritate virgarum connexæ lucem admittunt. *Idem.*

396 *Humum tractura*] Lactis pondere prægravata. *Idem.*

397 *Succiduas*] Tardantes, a succidendo. Sive ut fœturæ succedentem

sobolem demonstraret, *succiduas* dixit, id est vicarias. *Idem.* *Succiduas*] Quæ succidunt ambulando, adeo adhuc sunt teneræ. *Vet. Schol.* Non recte Luctatius posteriori explicatione, quasi *succiduæ* sint vicariæ, quam vocem illustrat Ludov. Cælius Antiquar. Lection. lib. xxv. c. 23. Sic Avien. de Engonasin in Arato: 'Poplite succiduo qua sideris ampla patescunt Terga dehinc.' Claudian. de Raptu lib. III. 'Succidui titubant gressus.' Ovid. 'Poplite succiduo genua intremuere.' Lucret. lib. III. 'Caligare oculos, sonere aures, succidere artus.' *Barth.*

402 *More fugæ*] Fecit enim formido veloces. *Lactant.*

403 *Prodigiale canens*] Nescio quid prodigiale denuncians. *Prævia fasti*] Certa enim bellantibus sors est, mortem sperare. *Idem.*

404 *Volucresque feræque*] Hoc loco prodigiales res poëta describit. *Idem.*

405 *Sideraque*] Ignota sidera apparere tempore belli certissimum est, et frequentia fulmina fieri. *Amnes*] Inter cætera prodigiorum genera fluviorum etiam incrementa ponuntur, incerto tempore. *Idem.*

407 *Clausæque Deorum*] In Cyrrha tantum prospera deorum dabantur oracula; nam cui exitium imminebat, taciturnitate templi penitus damnabatur. *Idem.*

411 *Adsuetis pernox, &c.*] Assuetis enim mensibus Eleusinia sacra cum nocturnis ululatibus celebrabantur. lib. XII. 'Noctivagumque gregem, quamvis sibi luget, Eleusis Flevit, et arcanos lugentibus extulit ignes.' Vide elegantem Johannis Meursii de Eleusiniis Commentar. cap. 27. Nicol. Gerbelium lib. v. Græciæ, et alios. *Barth.* *Eleusis*] Civitas est Atticæ regionis, haud longe ab Athenis, in qua regnavit Teleus, qui Cererem dum filiam quæreret, liberalissime suscepit hospitio. In qua civitate Cereris sacra consueverant virginum ululatibus et saltationibus celebrari. *Lact.*

412 *Spartæ*] Apud Spartam aperto templo eodem tempore Castor et Pollux dimicare inter se visi sunt: ex quo omine colligebant, Etheoclem et Polynicem impia inter se bella gesturos. *Templis reclusis*] Quia Apollinis oraculum est illic. *Idem.*

413 *Amyclæos*] Amyclæi fratres sunt Castor et Pollux. *Idem.*

414 *Arcados insanas*] Qui *ferunt* Lycaonis umbram latrantem audiri? Non utique quivis: ut et sua prodigia proprie Sparte vidit, Pisa refert, Acarnan infamabat: sic igitur et umbras Lycaonis latrare ferunt *Arcades.* Et ita legendum, non *Arcados.* Gronov. *Lycaonis umbras*] Lycaon pater Helicæ ursæ fuisse dicitur, qui, dolore stupratæ a Jove filiæ, Deos humanarum carnium cibis violavit: ob quam rex in formam lupi dicitur esse conversus. *Lactant.*

415 *Sævo campo*] In quo victor filiæ sponsos solitus erat necare. *Idem.*

416 *Œnomaum*] Atalantæ patrem. *Idem.*

417 *Deformem cornu*] Cum uno cornu ante fuerit ab Hercule viduatus; quare eum nunc poëta ambo amisisse describit, ut omen diri belli tradi possit, quod utroque cornu Achelous truncatus videretur, quod signum periturorum germanorum certissimum fuit. *Idem.*

419 *Confusum Junonis ebur*] Confusum dolore, sive turbatum, sive pudore verecundatum. *Idem.*

420 *Gemini maris*] Corinthios dicit, qui Euripi incolunt partem, ut Horat. 'Bimarisve Corinthi Mœnia.' *Idem.*

421 *Palæmona ponto*] Palæmon Deus marinus, qui portubus præest: cujus nota est fabula. Atamas, post furorem a Junone immissum, cum occiso Learcho Melicertam alterum filium suum cum uxore sua Ino prosequeretur, et se illi in mare præcipi-

tassent, voluntate numinum in deos versi sunt: Melicerta in Portunum, qui Græce Palæmon dicitur, Ino in Matrem Matutam, quæ Græce dicitur Leucothea. *Idem.*

422 *Pelopea phalanx*] Adrasti militia Pelope oriundi, *Vet. Schol. Bellicus ardor*] A Marte inspiratus. *V. S. Consiliis Divum*] Incogitanter hoc dicit; consilia enim Jovis fatalia, alia non erant, quam ut a Marte inspirati pessumdarentur Argivi. Et sæpe sic Papinius. Si de aliis Diis capere volueris, inepta ipsorum consilia contra Jovem fatearis. *Barth.*

423 *Prohibetque timeri*] Quasi imminentia mala etiam prodigiis nuncientur, ne caveant homines numina credi vetant. *Lactant.*

424 *Asope tuas*] Fluvius Thebarum: cujus Ægynam filiam in aquilam mutatus Juppiter vitiavit. *Idem.*

427 *Animos*] Incrementa. *Idem.*

428 *Seu montana*] Frequenter loca altiora abundant nivibus, quæ cum veris adventu liquefiunt, addunt fluminibus incrementa. *Fluminis*] Adventus describitur Argivorum. *Idem.*

432 *Frenis suspensus, &c.*] A fluvio natare coactus ob profunditatem. Amnis enim erat tum tumidus et magnus. *Vet. Schol.* Fræna equum denotant lib. XI. vs. 244. 'Frater muris circum omnibus instat, Portarumque moras frenis assultat et armis.' *Barth.*

437 *Altera tellus*] Ulterior ripa. *Lactant.*

440 *Visæque accedere ripæ*] Ad opinionem retulit armentorum, quibus transeunte fluvio altitudo minor, et latitudo brevior videtur effecta. *Id.*

441 *Inde jugum*] Locus castris aptior, ubi mons in vicinia, propter speculationes hostium, et quod tutus in eum receptus. *Vet. Scholiast. Accommoda castris*] Positio castrorum describitur. *Instant*] Nullus erat tam excelsus prope collis, cujus altitudo vel despectus esse incommodus posset. *Lactant.*

445 *Nullique aliis*] Circumcirca apertum campum, nullos dicit esse alios montes aut colles, unde in castra despici possit, et actiones militares observari. Est omnino notabilis Castris apti loci descriptio. De talibus vide Leonis Philosophi et Imperatoris Tacticorum Epilogum, Onosandrum Strategetico, Veget. libro I. cap. 22. lib. III. c. 8. *Barth.*

446 *Nec longa labor*] Nec multo labore dicit castra munienda. *Lactant.*

448 *Elatæ rupes*] In murorum vices rupes naturæ beneficio videbantur æquatæ. *Idem.*

449 *Pinnæ*] Castrorum excelsa munimina. *Idem.*

451 *Erepsit*] Egressus est: et sine sensu transiit. *Idem.*

453 *Belli suprema parantem*] Sic et scripti. Bernartius conjicit, *paventem.* Quod priusquam viderem, venerat in mentem: *in conspectu belli suprema parantis.* Quod ei parabat suprema. Apud Livium lib. VIII. Fabius senex ad Papirium dictatorem; 'Quandoquidem apud te nec auctoritas senatus, nec ætas mea, cui orbitatem paras, &c. valet.' *Gron.*

456 *Amphionis arces*] Præ timore somniantibus muri Thebani, quos Amphion extruxerat, videbantur invalidi. *Lactant.*

457 *Rumor ubique altus*] Non placet ille *altus* rumor, etsi alicubi scholion adpictum invenerim, *magnus.* Scribe: *ubique alius.* Sic designat naturam rumorum, qui vanitate et mendaciis hominum ut aluntur, ita plerumque secum dissident, et inter auctores variantur. Claudianus I. in Rufin. 'Dissensuque alitur rumor.' *Gronov.*

458 *Majoresque timor*] Majora enim videntur nobis omnia quæ timemus. *Lactant.*

462 *Mandant funera*] Commendant, ut si mortui fuerint eorum sepulturas procurent. *Idem.*

463 *Si tenuis demisit lumina somnus*] Id est, si ad soporem a rigore vigiliarum laxavit: si levis ergo somnus eos oppresserit, videbantur sibi bellare. *Idem.*

468 *Aut utrique patrem*] Quia ambobus fuerat inimicus. *Ille*] Œdipus pater. *Idem.*

471 *Tumet igne futuro*] Allusio et color illius 'Pallentem morte futura.' Splendorem enim Solis resplendere Oceanum facit, et sic is tumere videtur. *Vet. Schol.* In optimo aliisque codicibus est: *cum jam tumet igne futuro.* Cum glossa: *Futuro*] Proximo. Pariter lib. XII. vs. 760. 'Jam letale furens atque audax morte futura.' Sic scribunt et Bernartiani, Lindebrogiani et Behotiani. *Barth.*

472 *Reclusum*] Quia ipsum partitur solem: sive sedatum: oriente enim sole tempestas quiescit. *Lactant.*

474 *Obsita*] Nigro amictu tecta. *Id.*

477 *Antiquissima*] Furiæ addidit insaniam, eam potissimum nominando, quam crudeliorem omnibus esse constabat. Etenim Alecto antiquissimam, quasi natu majorem, dixit: de qua Virgilius: 'Odit et ipse pater Pluton, odere sorores.' *Idem.*

479 *Natæ melior jam sexus*] Quam parricidæ filii. *Vet. Schol.* Intelligit autem sorores Ismenem et Antigonam Jocastæ filias. Vide Apollodor. Higin. cap. 67. Œdipus regnum paternum et Jocastam matrem inscius accepit uxorem, ex qua procreavit Eteoclen et Polynicen, Ismenem et Antigonam. Vide et Diodor. Sicul. lib. IV. Hæc ideo asseveramus, quia Ismene a multis obliteratur. *Barth.*

484 *Aliquod jus execrabile*] Quodcunque tandem, non potest nisi esse execrabile, cum ego tota sim impia et abominabilis. *Vet. Schol.*

485 *Huic utero*] Qui ambos Imperatores in lucem protulit. Fingitur uterum ostentans, aut manibus percutiens. *Vet. Schol.* *Expavere Manipli*] Expaverunt armati Furiæ, habitum, qui matrem si eminus cognovissent, poterant revereri. *Lactant.*

490 *Monstraverit hostem*] Pro monstrat. *Idem.*

498 *Rex Argive, mihi*] Invidiose dixit, quod deserta patria Argivis imperare maluerit. *Lactant.*

501 *Quem non permoveas*] Interrogative: hoc est, quem non permoveas formidine tanti exercitus? aut cui misericordiam non incutias, cum post exilium revertaris ad patriam? *Idem.*

502 *Multoque latus perfulgurat auro*] Lips. liber *perfulgurat ense*, vere et eleganter; nam respicit ad morem Romanum, quo Principis nusquam non satellites aderant cum gladiis ad latus. *Bernart.*

506 *Jubeoque rogoque*] Et personam servat et tempus: jubet filio, exulem rogat jure venientem. *Lactant.*

508 *Quid aufers lumina*] Interpositio est. *Idem.*

511 *Te conscia mater*] Majore medicina egent hæc quam superiora: nam vulgatam hanc non solum sententia, sed ratio Latini sermonis sperpit. Expressi ego scriptam: *te conscia mater Decipiam?* Bern. *Ne forte doli te conscia*] Recte scripti: *ne forte doli, et te conscia.* Ne forte subsint doli, et eorum conscia mater te decipiam. *Gronov.*

513 *Ducente timeres*] Quasi de scelerato patre dicit, potuisse mali aliquid merito filium suspicari, qui occiso patre postremo matrem duxit uxorem. *Lactant.*

515 *Excuso furores*] Defendo, quasi justus innocentia mea. *Idem.*

524 *Ab Hircanis*] Armeniis. Hoc dicit: Si hoc a ferocissimis gentibus postulassem, potuissem mereri, ut media fratrum discordia sopiretur. *Idem.*

528 *Nutantes*] Capitum motu trementes. *Idem.*

530 *Stravere leones*] Nobilitatem hanc innatam aiunt leonibus, ut supe-

ratis animantibus parcant. Vide Comment. ad Epistol. Claud. *Securam famem*] Jam cibum paratum habentes, quem tamen non attingunt propter clementiam. *V. S.* Vide Plin. lib. VIII. c. 16. Ælian. lib. IV. c. 34. Papinius autem fingit nobilitate animi etiam famem vincere et differre. *Barth.*

540 *Nec frater eram*] Quasi Etheocles in fratrem, si potestas detur, crudelior sit futurus. *Lact.*

544 *Ad commercia natum*] Nudando vulnera quæ in insidiis nocte susceperat, et ostendendo perfidiam Etheoclis crudelitatemque, fecit cunctis invisam. *Idem.*

547 *Heu nimium mitis*] Apostropha ad Polinycem. *Idem.*

550 *Tene ille*] Interrogative. *Idem.*

552 *Ante hæc excusso*] Comparatio ab impossibili: ante, inquit, potest fieri, ut hæc hasta quam gero, excusso ferro frondescat, quam Etheocles sit germano mitissimus. *Idem.*

555 *Castra patent*] Dicit Tydeus etiam Argiva castra Etheocli patere; quare ad visendum fratrem nunc ipse potissimum veniat, nec aliquid quod in nostris castris timendum sit extitit, necdum enim aliquid hostile commisimus. *Idem.*

564 *Ad flumina tigres*] De Cerva sacra Maro. Hic sua feritate maluit noxium animal, et utique sanguine pascendum introducere, utcunque mansuetum, tamen cædibus alendum. *Vet. Comment.*

566 *Erythræis*] A mari Rubro. Hujus Etymon post tot perscrutationes nostro demum ævo videtur indagasse vir eruditiss. Nicolaus Fullerius. Sequioris ævi speculationes vide apud Fulcherium Carnotensem, Histor. Palæstin. c. 76. Ut nos in recensione Operis Bongarsiani distinximus. Item Lictardum sive Lisiardum, quem ignoto nomine p. 594. idem Bongarsius edidit c. 38. Vide Bibliothecam Photii c. 250. *Barth.*

567 *Meritas*] Solutas jugo. *Lactant.*

569 *Sanguinis oblitas*] Mansuetudine feritate carentes: ut Lucan. 'Atque hominem didicere pati.' *Id.*

574 *Grassata*] Quæ nihil deprædando vastavit. *Manus obvia*] Unde mansuetæ sunt feræ, quæ manu pasci consueverunt. *Idem.*

576 *Vaga rure*] Zeugma est, si quando vaga rure quies est illis: aut certe *vaga rura*, pro ipsæ vagæ. *Idem.*

578 *Ipsumque Lyæum*] Cujus nomine impulsæ Tigres in urbem veniebant. *Vet. Schol.* Adjicere videtur calorem sacris et Templis ex præsentia Bacchi. *Vet. alia Schol.* Non inepte. Etsi enim de humanis sacrificiis potius loquatur; talia tamen tribuebant præsentiæ Numinum. Vide Claudian. init. Paneg. in Sextum Honorii Consulatum. *Bart.*

585 *Aurigamque impete vasto*] Antiptosin fecit: et Lucretius dixit 'impete,' pro impetu, lib. VI. 'Aut hominem, tanto membrorum ex impete natum, Trans maria alta pedum nisus ut ponere jussit, Et manibus totum circum se vertere cælum.' Item libro primo: 'Quamlibet in partem tradunt res ante ruuntque Impetibus crebris.' *Bernart.*

603 *Acontea*] Hunc Acontea, qui tigres occidit, Phegeus ense percussit. *Lactant.*

604 *Gemino*] Hoc est duarum tigrium gaudentem. *Idem.*

606 *Tardi*] Quia jam mortuo Aconteo auxilium ferebatur. *Idem.*

608 *Rumpitur ecce gravi*] Mss. *et Graium subito per castra.* Recte. Nec dicas etiam Bœotos esse Græcos: nam quoniam hi toties 'Tyrii' appellantur, merito his diversi κατ' ἐξοχὴν *Graii* statuuntur et appellantur Peloponnesii. Notavit et Canterus. *Gronov.*

611 *Quæ modo tam mites*] Tota sententia labat: fulcivi ex veteri, mutata litterula: *Quæ modo*, pro *Qui modo*

tam mites. Sensus: Græci qui modo tam mites fuerant, visis Jocastæ, et filiarum ejus lacrymis, auditis precibus, ipsam et natas jam repellunt. *Bernart.*

612 *Ite age*] Increpans Tydeus. Ut Turnus in Virgilio: 'Immo, ait, o juvenes accepto tempore, Turnus, Cogite concilium et pacem laudate sedentes, Illi armis in tecta ruunt.' *Lactant.*

622 *Retro vexilla*] Ut ostenderet tumultuarie pugnam iniri, perversum ordinem exercitus demonstrat: dicit ergo *retro*, post aciem, esse vexilla, quæ solent militum cuneos anteire. *Idem.*

623 *Bellum invenere secuti*] Non tubis solum, sed et lituis excitare militum animos, veteribus usitatum. Exempla passim obvia, qua apud nostrum, qua alios. Tantum Senecam jam advocabo, qui Thyeste: 'Jam silet murmur grave classicorum, Jam tacet stridor litui strepentis, Alta pax urbis revocata lætæ est.' recte 'strepentis:' nam incurvus erat lituus, ut ex Festo discimus: ideoque sonum streperum et acutum edebat. Ennius: 'Inde loci lituus sonitus effudit acutos.' Non libentius, quia eleganti metaphora optimi auctores 'lituum' pro 'impulsore' usurpant. Cicero ad Atticum: 'Existimare Q. Fratrem lituum meæ profectionis fuisse:' quam phrasim operæ est juventutem intelligere. adi omnino A-gellium lib. I. c. 11. de vario priscorum ritu in præliis. *Bernart.*

631 *Horrent Tyrrhenos*] Tubarum cantus. *Lactant.*

632 *Sidonium*] Thebanum: nunc ergo poëta diversorum mortes, veluti Musa monente, describit. *Malefidus*] Infrenis, qui timore armorum teneri non poterat. *Idem.*

633 *Rumpentem*] Retro trahentem, ut nimio conamine frena rumpere crederetur. *Idem.*

634 *Venit hasta per armos*] Equi scilicet: possumus etiam scapulas hominum armos dicere. Ut Virgil. 'latos huic hasta per armos Acta tremit, duplicatque virum transfixa dolorem.' *Idem.*

641 *Menœceus*] Iste Thebanus fuit, quem in catalogo Phorbas Antigone monstravit euntem inter duces: dixit enim, *quæ noster signa Menœceus.* Id.

642 *Parthenopæus*] Diversorum mortes Virgiliane poëta describit. *Idem.*

645 *Dividuum*] A divisione: *dimidium* a dimensione dictum. Hic ergo *dividuum*, in duas partes divisum posuit. *Abas*] Hic Thebanus est, qui victor rapere spolia cupiebat. *Idem.*

647 *Cornu deprensus Achiva*] Lectio hæc a veteri membrana est, vulg. *deprensus Achivo*, contra rationem Latini sermonis: neque enim arcum intelligit, sed hastile e cornu. Virgilius: 'Volat Itala cornus.' Noster lib. II. 'subit ore cavo Teumesia cornus.' *Bernart.*

650 *Et mansisse*] Pro manere. *Lact.*

651 *Mutare furorem*] Ut sacra Liberi in furorem bellorum insania commutares. *Idem.*

654 *Instita pilo*] Fasciola est quæ imam vestem suo pingit ornatu: ut Horat. 'Quarum subsuta talos tegit instita veste.' *Lactant.*

656 *Tyrio subtegmine*] Id est, sub veste purpurea videbatur splendor loricæ. *Idem.*

657 *Brachiaque in manicis*] Manicas habere, veteribus molle ac effœminatum. Poëta Princeps: 'Et tunicæ manicas, et habent redimicula mitræ.' Plautus Pseudolo: 'Manuleatam tunicam habere hominem decet?' Allusit suo more elegantissime Romanus Sophus Seneca Epist. 33. 'Apud me vero Epicurus est et fortis, licet manuleatus sit.' *Bernart.* *Vincula plantæ*] Calciamenta: ut illud, 'Tyrrhena pedum circumdata plantis.' *Lactant.*

658 *Carbaseique sinus*] *Carbasus* qua fusi amiciuntur, vel divites: sericum est, aut certe linum tenue. Virg. 'tunc croceam chlamydemque, sinusque crepantes Carbaseos fulvo nodum collegerat auro.' *Et fibula rasilis auro*] Ad luxuriam retulit pulchritudinem fibulæ: erat enim foraminibus multis exornata, quas vulgo *interrasas* appellant. *Idem.*

660 *Velox corytos*] Hypallage; pro sagittis velocibus. *Idem.*

661 *Aurata lynce*] Hoc est lyncis pelle aurata tectam habuit pharetram. *Idem.*

663 *Lymphante deo*] Hoc est furiis incitante. *Idem.*

664 *Monstravit Apollo juvenca*] Respicit fabulam, qua traditur Cadmus Apollinis oraculo bovem secutus, et ubi procubuit, illic Thebas condidisse, et ex bovis vocabulo regionem ipsam Bœotiam nominasse. *Bernart.*

665 *Volentes*] Ab Amphione factum, qui summa dulcedine testudinis Cadmo Thebas condenti in eo loco auxiliatus est, ut saxa ultro per se applicarentur ad muros. *Lact.*

667 *Gradivusque socer*] Per draconem Martis filium, qui a Cadmo dicitur interemptus, ex cujus dentibus multitudo nata est armatorum. *Idem.*

671 *Erexit rabiem*] Verba servavit Claudian. de Raptu Proserp. lib. II. 'Nudataque viscera fodit Unguibus, et rabiem totos erexit in armos.' Notavit J. Scal. Poët. lib. v. c. 14. ubi collatæ leonum Descriptiones, &c. *Barth.*

675 *Iniquo*] Pedestri certamine urgetur. Ut Virgil. 'Pugna congressus iniqua.' *Idem.*

676 *Venturam*] Majore impetu, quam pro tali hoste. Nescio quid monstri alant hoc loco duo libri, qui expressis literis referunt: *Venaurem.* An ab aure libratam hastam dixit Papinius, et corruptus est? sit expressio illius Maroniani, lib. IX. 'hoc acrior idem Ecce aliud summa telum librabat ab aure.' Sed potius est, ut nihil mutemus, cum libri illi nequaquam nullibi errent. *Bart.* *Cupressum*] Hastam significavit. *Lact.*

679 *Cui furis*] Id est Liber, in cujus honorem furibundus advenis. *Idem.*

681 *Reliquit*] Penetravit. *Idem.*

682 *Crepat*] Sonat, ut Virgil. 'Sonatque crepantis.' *Idem.*

683 *Erumpensque sinus*] Interpolarunt homines ferreæ frontis: scriptura et editio vetus: *eruptusque sinus*, quod retinendum est: dixit ea notione qua 'palatus' pro 'palans,' et similia, dicimus. Vide Scholia ad lib. II. *Bernart.*

685 *Marcida*] Vino plena, seu squalida. *Planxerunt*] Præteritum pro futuro. *Ismara*] Ismarus mons Thraciæ, vitibus consitus. *Lactant.*

686 *Tmolus*] Mons Siciliæ. *Naxos*] Insula est in qua Theseus Ariadnem dormientem reliquit. *Idem.*

687 *Orgia*] Triennalia Liberi sacra sunt: quæ dicit modo etiam Indos colere, postquam a Libero patre victi esse noscuntur. *Idem.*

691 *Equis*] Ideoque per metum truculentioribus. *Vet. Schol.* De descensu autem ad Inferos Amphiarai, et sobole atque successione ejus, non sunt nihili, quæ ante aliquot secula commentatus est Joh. Boccatius Geneal. Deor. lib. XIII. cap. 45. et seqq. *Barth.* *Pulvere vertit Campum*] Quia excitus pulvis notitiam loci commutat. *Lactant.*

694 *Incendit*] Illuminat. *Idem.*

695 *Sydere*] Splendore vel gratia. *Idem.*

699 *Certus et ipse necis*] Quia augurio suam præviderat mortem, desperatione ergo vitæ fortius dimicat. *Idem.*

701 *Lætior*] Aiunt enim futura sentire morituros. Ut Virg. 'Te quoque fata Prospectant paria.' *Ex-*

perientia cœli] Doctrina et scientia augurioram. *Idem.*

702 *Si vacet*] Si liceat. Virg. 'Hactenus indulsisse vacat.' *Contermina*] Vicina morti. *Idem.*

706 *Diversus*] Dissimilis. *Idem.*

710 *Immolat umbris*] Quasi victima, ut ipse in sacris cousueverat; nam hoc verbo Poëta ad sacerdotis nomen allusit: aptum est enim occidenti sacerdotale verbum. Virgil. de occiso sacerdote dixit: 'Lapsuque superstans.' Hic de occidente sacerdote ita dixit. *Idem.*

712 *Falcato curru*] Solent enim in axibus curruum falces extare, quæ incurrentem hostilem populum cædant. *Idem.*

714 *Chromin Phinoumque Sagenque*] Quod *Chromin* priore correpta poni ubique meminisset Lindenbrogius, fecit: *Chromin et Phinoëmque Segumque.* Sed rectius optimi: *Chromin Iphinoumque Sagenque.* Habet hanc quoque personam ab Homero Il. H. ubi Glaucus Ἰφίνοον βάλε δουρί. *Gron.*

725 *Tirynthia robora*] Agmina, id est Nemeos juvenes, et Græcam vastabat aciem. *Lactant.*

727 *Prohibebat iniquo*] Id est Hypseum, multitudo quæ stipaverat Amphiaraum. *Idem.*

728 *Inde*] De ipso cuneo. *Idem.*

731 *Asope favillis*] Fluvium invocat, quem dudum a Jove diximus fulminatum, qui indignatione ereptæ filiæ Jovi intulit bellum, quo facto igni divino percussus est, et ut infamia ejus excepti fulminis in æternum maneret, dicitur hodieque, illo tempore quo ictus est, prunis ardentibus fluere. *Idem.*

733 *Fas et mihi spernere, &c.*] Notat fabulam, qua Jupiter Æginam Asopi filiam rapuisse fingitur, Asopen se Jovi opposuisse. Statius: 'furit amnis, et astris Infensus bellare parat, (nondum ista licebant Nec superis,) stetit audaces effusus in iras, Conseruitque manus, nec quem imploraret habebat, Donec vi tonitrus submotus et igne trisulco Cessit.' Hipseus itaque Asopi filius: Liceat mihi (inquit) o pater resistere Apollini, cum tu non fueris veritus ipsum Jovem repellere. *Bernart.*

734 *Collatus*] Bello comparatus. *Lactant.*

736 *Indulgere volentem*] Concedere cupientem. *Idem.*

741 *Vulnera citra*] Sine vulneribus solo terrore Amphiarai moriebantur. *Idem.*

742 *Ignava*] Sine ferro. *Idem.*

743 *Infestos onus*] Omnino scribendum cum Nostris, Lindenbrogii, Behotii libris, *insessos.* Sententia est: Dubitares intuens utrum gravaret pondere, an incitaret Numinis concitatione Equos Amphiarai, Apollo. Errant etiam ii libri, qui *sonus* reponere student. De pondere enim et vi Apollinei Numinis solis loquitur. In Luctat. addenda vox 'Amphiarai currus.' *Barth.*

752 *Telis pariterque ministrat habenis*] Armigeri et aurigæ Apollo implebat officium. *Idem.*

754 *Fortunam*] Casum felicem, sive eventum feriendi, hastis contra Amphiaraum venientibus detorquebat. *Idem.*

758 *Vittatam attingere Mantho*] Secutus sum libros veteres: omnino enim legendum *vittatam*, non ut vulgati *vitatam.* Nam vates hæc Mantho. Vide quæ de vittis notavi ad extremum lib. v. *Bernart.*

759 *Dedit*] Immisit. *Lactant.*

761 *Rimantur terras*] Rimas agunt, id est, scrutantur. *Rimari* enim proprie dicuntur sues, cum pascentes cibi gratia terram vertunt. *Per artus*] Cadaverum membra: hæc omnia signa erant hiatus futuri. *Idem.*

766 *Nec insisti madidus*] Abundantia sanguinis majorem Amphiarao currendi lapsum faciebat. *Idem.*

767 *Difficiles*] Graves nimietate sanguinis equorum gressus. *Idem.*

770 *Strident animæ*] Homericum hoc est, qui corporibus excedentes 'animas stridere' excogitavit. Virg. 'Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.' Longe consideratius. Sed de tota hac re in longis Superstitionum libris. *Barth.*

771 *Summum*] Ad ultimum, aut summum Deum. *Idem.*

773 *Irrevocata*] Quæ revocari non potest: futurorum epitheton diligenter servavit poëta. *Idem.*

780 *Quis tantus miseris honor*] Parenthesis. Humiliter enim dixit, se non fuisse dignum tanto honore numinis. *Idem.*

785 *Deferre nefas*] Scelus est. Dicit infularum ornamenta, et sacras laurus secum ad Inferos ferre. *Idem.*

792 *Stat peritura ratis*] Omnes propemodum scripti: *Scit peritura ratis;* ut et Lactantius legit, et bene recepit Lindenbrog. Est enim Hellenismus ἀντὶ τοῦ, 'scit se perituram.' Ut Virgilio, 'sensit medios delapsus in hostes.' Pindarus Nem. IX. Ἴστω λαχὼν πρὸς δαιμόνων θαυμαστὸν ὄλβον. Libanius Πρεσβευτ. Πρὸς Ἰουλιανὸν Εὖ γὰρ ἴσθι, πᾶσαν μὲν γνώμην, πᾶσαν δὲ γλῶτταν ἐπὶ σαυτὸν ἀπὸ τῶν πρὶν ὑμνουμένων μεταφήσας. Sic igitur: *scit peritura, αἰσθάνει ἀπολέσουσα,* quod est, *ἀπολέσειν. Gronov. Scit peritura ratis*] Parenthesis: *non aliter scit peritura ratis:* sic et Apollo sciebat periturum Amphiaraum, et se subvenire non posse. *Sororis igne*] Quia nautæ cum stellam Helenæ viderint (quæ Urania dicitur, cujus tanta est vis incendii, ut malum et navis ima pertundat, ut etiam si æs sit hoc calore solvatur) ergo si hæc stella navi insederit, sciunt se nautæ sine dubio perituros: contra Castorum sydera sunt navigantibus salutaria. *Lactant.*

793 *Theramnei*] Theramne Laconiæ civitas est. *Idem.*

795 *Summaque terga quati*] Superficies terræ. *Idem.*

799 *Frondea nutant*] Jam sylvis, et cacuminibus arborum, et muris dabatur cum hiatu ipsius terræ confusio. *Idem.*

801 *Exciderant iræ*] Transitum est a causa bellorum. *Idem.*

805 *Benigna Tempestas*] Benignam tempestatem dixit, quia navalia certamina prohibentur. *Idem.*

808 *Belli fluitantis*] Navalis certaminis faciem titubantibus militibus fecerat terræ motus. *Idem.*

809 *Sive laborantes*] Dubitant quæ causa esset terræmotus illius, credentes terram mole et vi ventorum fuisse lassatam, qui per cavernas terræ discurrunt: vel hiulca vetustate solvisse, vel situ aquæ in solutionem vertisse. Aut certe elementa oppressa maris undarum cessisse virtutibus: vel ipsam terram fratribus perituris tremores ad omen fecisse. *Idem.*

812 *Unda latens*] Dicunt enim quidam, terram aqua fulciri vel ferri. *Idem.*

817 *Timuerunt*] Male sic edidit Lindenbrogius, cum libri omnes meliores Editi et Manuscripti *tremuerunt* referant. Quod verbum est tantæ rei aptius. Miram lectionem in Virg. profert Luctat. 'Adversitate, inquit, sua terrentur. Sidera timuerunt, ne erumperent manes; umbræ ne admissa luce proderentur.' Ut Virgilius: 'Crepitant immisso lumine manes.' Verba sunt Maronis Æn. VIII. 'Non secus ac si qua penitus vi terra dehiscens Infernas reseret sedes, et regna recludat Pallida, diis invisa,' &c. *Barth.*

821 *Respexitque cadens*] Vel dolore mortis, vel ut Apollinem quæreret, utpote vates. *Lactant.*

822 *Donec levior*] Quia gravi sonitu solida disjunguntur, neu tamen eodem fragore hiulca junguntur. *Id.*

THEBAIDOS LIB. VIII.

1 *Subitus vates*] In duobus libris longe diversa lectio est: ut *subitus augur*. Sed videtur glossa esse vulgatæ vocis, cum sæpius supra *augurium Amphiarai* commendaverat. *Barth.* *Pallentibus incidit umbris*] Vetus elocutio est per dativum casum. 'Claudius heri recedens vesperi Numantinis incidit.' Ac Terentius per accusativum protulit. Ergo in eum incidit, tanquam in rem periculosam. *Lactant.*

5 *Corpusque novum*] Id est vivum, sive non deposita apud superos carne. *Idem.*

6 *Ab urna*] Plato inducit scelera hominum in urna versari: et *urna* dicitur in qua mortuorum hominum ossa conduntur: hic ergo ab urna dixit, in qua mortuus ponebatur; et hoc ipso sensum expedivit Poëta. Nam Amphiaraus mortuus ab urna in qua ejus fuerant condita membra non veniebat. *Idem.*

9 *Obvia taxo Eumenis*] Quia taxus venenosa est, propterea ad perfectionem feritatis ex hoc ligno faces Furiæ dicuntur gerere. *Idem.*

10 *Poste notarat*] Asserunt enim Poëtæ mortuorum capita Furiarum lampade lustrari, et eorum nomina a Proserpina in inferorum poste conscribi. *Idem.*

12 *Fatorum deprensa colus*] De fato et ratione contra id agendi aut patiendi Gell. lib. XIII. c. 1. Et Serv. in extrem. pag. ad Æneid. IV. Etiam Cicero Fragmento peculiaris libri, quod Commentario non indocto illustravit Solomon Gesnerus. Dicit autem, nondum discisso filo vitæ suæ, adhuc id ducentibus Parcis supervenisse Amphiaraum. *Barth.*

14 *Et securi*] Quia in Elysiis habitant manes: idcirco *securi*, quia sunt sceleratorum suppliciis alieni. Elysii ergo pro his posuit, qui in Elysio habitant. *Lact.*

16 *Altera nox*] Id est caligo deterior. *Idem.*

17 *Vastæque paludes*] Nigræ aut calentes. *Idem.*

18 *Sulcator pallidus*] Charon, qui subvectando corpora, Stygem consuevit cymba sulcare. *Idem.*

26 *Eodem pollice damnant*] Pollex veteribus et favoris et alienationis index. Si faverent, pollicem premebant. Plinius lib. XXVIII. cap. 11. 'Pollices, cum favemus, premere etiam proverbio jubemur.' Si averso animo forent, pollicem vertebant, quæ usque adeo malevola nota, ut non alio signo interfici gladiatores populus juberet. Juvenalis Sat. III. 'Munera nunc edunt, et verso pollice vulgi Quemlibet occidunt populariter.' Tu totum hunc locum ita interpunge: *Fata ferunt animas et eodem pollice damnant. Vincit opus.* Non ut vulgati, *damnant, Vincit opus.* Mens Poëtæ: Parcarum stamina morientium multitudine superari. *Bern.*

29 *Lacrymis atque igne*] His fluere et constare inferorum fluvios auctor Poëtarum chorus. Vide eos in rebus inferorum. Claud. in Ruf. lib. II. 'Est locus infaustis quo conciliantur in unum Cocytus Phlegethonque vadis; inamœnus uterque Alveus; hic volvit lacrimas, hic igne redundat.' *Barth.*

30 *Styx perjuria divum Arguit*] Sanctissimum Diis jusjurandum per Stygem Poëtas fingere, lippis et tonsoribus notum: non perinde vul-

gatum, quæ pœna proposita iis, qui per aquam Stygiam pejerassent: tradidit eam Hesiodus in Theogonia, cujus versus non adscribam, sed sensum. Sententia vero hæc est: Si quis Deorum cælestium perjurarit per aquam Stygis, toto integro anno nectare et ambrosia abstinere debet, humi jacet, mutus et lethargo oppressus. Post annum, majora illum manent supplicia: nam per novem annos in exilium pellitur, procul a deorum cœtu ablegatur. Decimo demum anno pristinam conditionem recipit. Hæc ille. Ceterum cur hic honos Stygi tributus sit, varie traditur. Isacius voluit, quia Styx conjurationem deorum adversus Jovem, illum vincire volentium, patefecerit: alii quia Stygis filiæ, Victoria, Vis, Robur, Zelus, Jovi adversus Titanas opem tulissent. *Bernart.*

36 *Unde hæc mihi prælia*] Quidam, *utinam hæc;* sed haud dubie plures et optimi: *uter hæc.* Jupiterne an Neptunus? nam et ille cum tremenda cæsarie sua sæpe terram, mare, sidera movit, et hic σεισίχθων atque ἐννοσίγαιος. Ex terræ autem tremoribus hiatus vasti et chasmata. Cum itaque numinis utriusque fingatur ea potestas, merito dubitat, uter sibi hoc bellum velut indicat. Gruterus annotaverat labare hunc versum, quem quomodo fulciret, ignorare: illud scire, aliquid excidisse aut subesse vitium. Possemus equidem non modo facile, sed et eleganter: *unde minas?* Verum cum alterum sit in omnibus libris, et soleant sic interdum Virgilius Ovidiusque, notaverimusque jam lib. IV. 'teneroque unde improba pectore virtus:' nihil mutamus. Lib. IX. 'cum fluctivago Ergino.' *Gronov.*

38 *Nam cui dulce magis*] Quam mihi, ut superi misceantur? id est expedit per sortem minori confundere quæ fuerint separata. *Lact.*

40 *Nec iste meus*] Meus, inquit, hic mundus non est, sed hunc rector perrumpit astrorum. *Idem.*

44 *Miserumque patrem*] Saturnum; nam et hunc non solum a Jove vinctum Poëtæ finxerunt, sed cum fratre Iapeto in Tartarum conjectum. Adi Homerum Iliad. Θ. et magnum Platonem stultitiam hanc ridentem, in Entiphrone. *Bernart.*

47 *Hyperiona cælo*] Hyperiona pro Sole dixit, ut Poëtæ solent. Prisci varia de eo fabulantur. Diodorus Saturni fratrem fuisse, qui Solis ac Lunæ cursum primus observavit, et mortalibus tradidit. Luctatius Solis equum dicit, aliter quam Ovidius, qui Met. II. inquit: 'Interea volucres Pyrois, Eous, et Æthon Solis equi, quartusque Phlegon.' *Idem.*

49 *Utrumque Tyndaridem*] Castoris et Pollucis talis est fabula: cum esset immortalis Pollux, et e diverso Castor morti teneretur obnoxius, pietatis intuitu Pollux morte vicaria fratrem redemit. Unde Virgil. 'Si fratrem Pollux alterna morte redemit.' Dicit ergo nunc Pluto, retento Polluce, quia immortalis fuerat, cum Castore germano mortali in utroque se mundo posse regnare. *Lactant.*

50 *Ixiona*] Ixion quippe Junonem ausus est stupri injuria compellare: Tantalus vero Jovis consilia mortalibus prodidit, in eorum audita concilio. *Idem.*

51 *Tantalon undæ*] Si pœnarum culpas expectes utriusque, id est Tantali Pirithoique, utrorumque supplicia vindictæ Jovis a Plutone præstantur. *Idem.*

52 *Vivo perpetiar Me Pirithoi*] Conqueritur Inferos his patuisse, qui infanda cupiebant, ut ad se aut amator aut raptor intraret. Hæc Pirithoi fabula talis est. Pirithous cum Proserpinam rapere suo matrimonio induxisset in animum, hujus tam scelerati consilii Theseum participem fecit, quem cum amicitiarum intuitu

Theseus ad Inferos, Proserpinam pariter rapturos, secutus fuisset, gravi sunt utrique damnati supplicio. Unde Virgilius: 'sedet, æternumque sedebit, Infœlix Theseus.' *Idem.*

56 *Patuerunt limina portæ*] Longe melior in Lips. scripto libro concepta lectio: *tacuerunt limina portæ*. Cum Cerberus abductus videlicet inibi non amplius latraret: τὸ *patuerunt* probum alias, hic spurium, nam, ut Maro cecinit: 'Noctes atque dies patet atri janua ditis.' Non igitur signate propter absentiam Cerberi. *Bernart.*

59 *Eumenidum lachrymas*] Orpheus Thrax peritissimus fuit citharæ: is Eurydicen conjugem unico dilexit affectu, quæ cum Aristheum, Eurydicis Nymphæ filium, pudicitiam suam attrectare cupientem fugeret, calcato serpente peremta est. Hoc cum immoderate doleret Orpheus, confisus peritia citharæ, inferorum secreta perrupit, cujus cantus dulcedine ac miseratione lugentis, manes deposita feritate Orpheo conjugem reddiderunt. Dicit ergo nunc Pluto, turpes vidisse se lachrymas Eumenidum: turpes ideo quia contra inferorum legem misericordia lachrymæ fundebantur. *Iterataque pensa*] Propter reditum Eurydices, cui concesserant ut denuo viventis pensa fata pensis traderent. *Lactant.*

60 *Violentia legis*] Tenebricoso loco lucem petes a fabula, qua dicitur, Orpheo restituta ab Inferis conjunx ea lege, ne respiceret. Mens: Melior fuit lex quam ego ipse Pluto; nam dulcedine cantus impetravit a me uxorem, sed impetratam perdidit, violando legem. *Bern.*

63 *Ab Jove leges*] Quia partiri annum Proserpinæ jussit, ut sex mensibus esset cum matre, totidem cum marito. Ita Ovid. 'At medius fratrisque sui mœstæque sororis Jupiter ex æquo volventem dividit annum. Nunc dea, regnorum numen commune duorum, Cum matre est totidem, totidem cum conjuge menses.' Per lunam fieri manifestum est, quæ a veteribus Proserpina nominatur. *Lact.*

64 *Sectum genitrix*] Videtur enim dimidium annum matrimonio ejus Jupiter abrogasse; penes matrem ejus ergo, ut ejus cura statuto tempore filia ab Inferis revertatur ad cælum. *Idem.*

69 *Nostrisque hæc omina sunto Prima odiis*] Emendatio hæc a libris scriptis est: vulgata, *hæc omnia sunto:* nec sana est, nec sani quicquam ex ea elicias. Duellum (inquit Pluto) Polynicis et Etheoclis omen erit belli, quod ego fratribus Jovi et Neptuno inferam, hac injuria merito commotus. *Bern.*

74 *Commaculet*] Ut tabe solvantur corpora, non flamma pyrarum: nec interpositis urantur ignibus, sed in solo terræ intemperie aëris membra depereant. Fit mortuis denegata sepultura supplicium. *Bello crudelius*] Ut solius cæli rogum possint habere communem. *Lactant.*

81 *Attremit*] Nutat ad vocum pondus et clamoris amplitudinem. *V. Schol.* Ita sup. l. III. vs. 309. de Jove: 'terras cœlumque fretumque Attremere oranti.' *Idem.*

83 *Jupiter axes*] Hoc est oratione Plutonis tremefacti sunt poli. *Lactant.*

84 *Quos inquit manes*] Pro pœnis posuit, id est, quos cruciatus patieris, ut Virgil. 'Quisque suos patitur Manes.' *Manes* ideo dicti sunt, quia damnati æterna apud Inferos pœna permanent. *Idem.*

85 *Subit ille*] Sequitur. Ut 'pone subit conjunx.' Aut certe finita præcedenti oratione subjungit. *Idem.*

86 *Vanescentibus*] In umbram desinentibus. *Idem.*

87 *Jam pedes*] Quia currus et equi, cum quibus raptus fuerat, evanuerunt. *Idem.*

91 *Cunctis finitor*] Ovidius: 'Om-

nia debentur morti, paulumque morati, Serius aut citius, sedem properamus ad unam: Tendimus huc omnes, hæc est domus ultima cunctis.' Ordo ergo talis est: Cunctis finitor rerum, scilicet putaris: mihi vero etiam sator. Nam cum constet Plutoni terram esse consecratam, dicit omnia membra resolvi, et de terra cuncta procreari: juste ergo creator dicitur, a quo universa gignuntur. *Ast ego*] Quia vates fui noram vitæ te esse creatorem, ex eo quod animas iterum mittis in corpora, ut Virgil. 'rursus et incipient in corpora velle reverti:' et idem supra, 'fata ferunt animas.' *Idem.*

98 *Timeat Proserpina*] Per Proserpinam raptam Thesei et Pirithoi hoc loco commemorat audaciam, et ad testimonium pudicitiæ ostendit infulas et insignia sacerdotis. *Proserpina* dicta ab eo, quod porro serpat. *Idem.*

102 *Scit judicis urna*] Quam fabulam respiciat, nullus ignorat. Verum origo fabulæ non omnibus innotuit. Omnis enim hæc de urna Minois fictio, ex veterum more nata, qui ut pleraque sortibus decernebant (dixi alibi), ita a judiciis etiam sortes non repellebant. Cicero VII. in Verrem: 'Quod ab eo pridie cum multis lachrymis eum oraret, impetrare non potuerat, id ei postero die venit in mentem e lege Rupilia sortiri dicas oportere. educit ex urna tres, iis ut absentem Heraclium condemnent imperat: itaque condemnant.' Horat. 'Cervius iratus leges minitatur et urnam.' *Bernart.*

106 *Et nostræ veniunt*] Propter sui misericordiam dicit, se pugnando multas inferis animas adisse: pro quo beneficio petit sibi esse parcendum. *Lact.*

110 *In aëre volvor operto*] Id est, dum per illa spatia vado, quæ sunt sub terra inferorum. *Idem.*

113 *Parenti*] Œdipo pariter. *Idem.*

116 *Nec deprecor umbram accipere*] Id est, nec refuto umbram esse: *deprecor* autem est refuto. Virgil. 'Equidem merui, nec deprecor unquam.' Lucan. 'Non deprecor hosti Servari, dum me servet cervice recisa.' *Idem.*

118 *Super auguris usus*] Id est, possem rogare te, ut apud Inferos augur essem, si scirem et hoc mihi apud Inferos profuturum: verum cum videam ipsa quoque fata ad tuum arbitrium fila disponere, intelligo nil omnino tibi opus augurio. *Idem.*

121 *Funesta reserva*] Hoc est conjugi meæ, quæ mihi minaris, reserva supplicia, quæ salutem viri prodidit monili corrupta. *Idem.*

123 *Indignaturque moveri*] Irascitur se in misericordiam flecti. *Idem.*

124 *Ut leo Massyli*] Massylia gens Africæ mediterranea, leonibus plena. *Idem.*

125 *Citat*] Incitat. *Arma*] Dentes et ungues, quibus se tuetur et vindicat. Lucan. 'Tum demum movet arma leo.' *Idem.*

133 *Inferni vitatur honore sepulcri*] Non discrepant scripti, in Lugdunensi editione tamen invenio: *Vittatur honore.* Erit forte qui nos id reposuisse vellet ex more veteri, quo vittæ in sepulchris. Cæcilius Androgyno: 'Sepulchrum plenum tæniarum ita, uti assolet.' Varr. de Lingua Latina lib. VI. 'Cum ad sepulchrum ferunt frondes atque flores, addunt nunc lanas, sed velatas frondenteis comas.' Ego ritum hunc non ignoro, retineo tamen vulgatam, quam requirit ipse orationis ductus. *Bernart.*

141 *Stringimus*] Educimus. *Lact.*

145 *Heu*] Interpositio est dolentis. *Præsagis astris*] Futura denunciantibus stellis. *Idem.*

146 *Cum voce tendit*] Petentium auxilia affectum expressit Poëta, qui jactatione vel extentione manuum sibi supplicant subveniri: hoc Virg. ut raptæ Cassandræ negatum fuisse monstraret, ait: 'Ad cœlum tendens

ardentia lumina frustra: Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas.' *Idem.*

151 *Trepiduusque ferebat actor idem*] Manifestissimum mendum, quod ex scriptis libris sine ulla hæsitatione emaculavi: *trepiduusque ferebat Actorides.* Non firmo; cum neminem tam ineptum futurum autumem, qui vulgatam spuriam, nostram germanam non credat. *Bernart.*

154 *Non expectato*] Revocantum more tubarum: nemo enim militaris legis sacramenta servavit, ne ante pedem a prælio retraheret, quam receptui caneretur. Sed tali legiones turbatæ nuncio, neglectis, dicit, præceptis et religione militiæ vertebantur in fugam. *Lactant.*

156 *Genua viros*] Solutione pedum nimio timore genua languebant et negabant cursum, ut Virgil. 'genua labant.' *Idem.*

158 *Nec tollere lumina terra*] Id est, tanto erant inclinati terrore, ut oculos a terra levare non possent. *Idem.*

160 *Fœdere parvo*] Interpositione pacis modicæ. *Idem.*

162 *Quæ tibi tunc facies*] Non est quem alloquatur hoc loco Papinius. Consentiunt in manifestum mendum omnes scripti editique libri. Solus ille optimus hoc etiam loco Veritatem amissam restituit. Clare enim in eo scriptum legitur: *Tunc ibi quæ facies, postquam permissa gemendi Copia?* Mulieres autem, non viros, paganos aliquos, non milites hæc animi fractio deceat. Et valde etiam in hoc requirimus considerantiam hujus optimi scriptoris. *Barth.*

168 *Et efflantes*] Expirantes animam. *Internectere plagas*] Insuere. *Lactant.*

169 *Alimentaque bello*] Ut cibo reficerent vires, propter futuram pugnam. *Idem.*

175 *Antra lacusque*] Subaudis, Amphiarao præstitit. *Idem.*

177 *Quis mihi*] Hoc est, quis mihi proferet in ominibus; aut certe proferet voluntatem Deorum, augure interempto? *Idem.*

178 *Proferat*] Propitii, dictum a 'sinendo.' Sic et Virgil. 'sinistrum' dixit in bono augurio: 'Quod nisi me quacumque novas incidere lites, Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix:' 'Sinistra,' id est, propitia. *Idem.*

186 *Adversaque signa vocasti*] Id est, ultro hostes ad certamen convocasti. *Idem.*

190 *Erumpere terra*] Mirantur; mortuum enim nemo conspexit. *Idem.*

192 *Et vice concordi*] Et hunc libenter fata susceperunt præceptorum. *Idem.*

193 *Miseratus Averni*] Miseratus quod dicit, non hoc ad indulgentiam ducas, sed ad maximum Amphiarai decus: nam ille nulli parcit, ut Horat. 'Victima nil miserantis orci.' *Idem.*

194 *Inservare volucres*] 'Servare' sollenne in auspiciis verbum. Cicero pro Domo sua: 'Negant fas esse agi cum populo, cum de cælo servatum sit.' Noster (uti vides) composuit, quod et lib. VI. fecit; 'Fata patent homini, piget inservare.' *Bernart.*

198 *Branchi*] Branchus Apollinis est filius, et ipse futurorum peritissimus Deus: ut ipse alibi: 'patrioque æquatus honore Branchus.' Varro Divin. Rerum de Brancho ita refert: 'Olus quidam decimus ab Apolline, cum in peregrinatione pranderet in littore, ac deinde proficisceretur, oblitus est filium nomine Simerum, qui pervenit in saltum Patronis cujusdam, et cum esset receptus, cœpit cum suis pueris capras pascere. Aliquando prehenderunt cygnum, et illum veste cooperuerunt, dumque ipsi pugnant uter illum patri munus offerret, et essent fatigati certamine, rejecta veste mulierem invenerunt.

Et cum fugerent revocati ab ea moniti sunt, ut Patron unice Simerum diligeret puerum: illi quæ audierunt Patroni indicarunt. Tunc Patron Simerum pro filio suo nimio dilexit affectu, eique filiam suam ducendam locavit uxorem. Illa cum prægnans ex eo esset, vidit in somniis per fauces suas introiisse solem, et exisse per ventrem: ideo infans editus Branchus vocatus est, quia mater ejus per fauces sibi viderat uterum penetrasse. Hic cum in silvis Apollinem osculatus fuisset, comprehensus est ab eo, et accepta corona virgaque vaticinari cœpit, et subito nusquam comparuit. Templum ei factum est, quod Branchiadon nominatur: et Apollini Philesio pariter consecrata sunt templa, quæ ab osculo Branchi, sive certamine puerorum, Philesia nuncupantur.' Hæc Varro.

199 *Nec Clarias*] Et apud Clariam et apud Didymæam oraculum Apollinis fuit: quod autem ambos colant Apollinem et Dianam, ideo 'Clarii' vocabulo nuncupantur, ut Virgilius: 'Qui tripodas Clarii laurus, qui sydera sentis.' Lycia autem Asiæ civitas Apollinis sedes, quam post Amphiarai interitum dicit esse tacituram: de qua Virgilius ait: 'Qualis ubi hybernam Lyciam.' Claria ergo civitas est in qua tres Dii, id est, Jupiter, Neptunus, et Pluto, mundum dicuntur fuisse sortiti: in hac Apollo mortalibus oracula maxime dare consueverat. *Lactant.*

201 *Corniger vatis nemus*] Ammonem intelligit, qui sub forma arietis in Libya colebatur. Phæstus Macedonicis: Ζεῦ Λιβύης Ἄμμων κερατηφόρε κέκλυθι μάντι. *Jupiter hæc Ammon audi cornute Lybymque Vates.* Hæc, ad 'cornigeri,' cur nemoris signate faciat mentionem tradit Luctatius, qui 'in Syrtibus,' inquit, 'in eo tantum loco, ubi Ammonis templum est, nemus invenitur.' *Bernart.*

202 *Quercus*] Quam Chaoniam dicit Virgilius, hoc est Epyroticam, Molossia enim in Epyro, ubi sub quercu solebant columbæ responsa dare. *Anhela*] Ergo dixit per similitudinem vatum, qui Deo pleni et anhelantes responsa dabant, ut est, 'sed pectus anhelum, Et rabie fera corda domat.' *Lactant.*

203 *Ipsi amnes*] Apollini sacri, quorum haustus vates faciunt et poëtas, non tamen omnes. *Idem.*

204 *Sagis*] Divinis: unde *præsagia* divinationes, ut Virg. 'præsaga mali mens.' *Idem.*

206 *Jamque erit illa dies*] Civitas enim in illo loco post est condita, in quo hiatus terræ Amphiaraum recepit, quæ Amphiarma vocatur, ut Homerus ait: quod illic *currus*, quem Græci ἅρμα vocant, desiderit: in qua etiam oraculum est, quod 'Amphiraon' vocatur. *Idem.*

212 *Cum funere Tiphys*] Accusativum posuit. *Minyas*, id est, quoscunque gubernatores navis: aut aquis mortuo Tiphy gubernatore privatus esse doluerit. *Idem.*

214 *Levarat*] Per sermonis enim varietatem et luctus levatur, et labor decrescit. Virgil. 'varioque viam sermone levabant.' *Idem.*

216 *Exhaustus sermone dolor*] Decrescit enim et exhauritur vocibus et apertis planctibus. Horat. 'Sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem Possis et magnam morbi deponere partem.' *Barth.*

218 *Diversa*] Hostili. Lucan. 'Diversæ rostris juvenem affixere carinæ.' Id est, contrariæ. *Lactant.*

220 *Mœnia*] Pro muris posuit, ut Virgil. 'Sed non ante datam cingetis mœnibus urbem.' *Marcent*] Ebrietate aut somno. *Idem.*

221 *Idæaque terga*] Cretensia tympana. *Idem.*

222 *Vario spiramine*] Tibiam significat varie foratam. Virgil. 'biforem dat tibia cantum.' *Idem.*

223 *Alumnum*] Nutritum. 'Alum-

nus' enim ab alimentis dicitur. *Idem.*

224 *Pæanes*] Pro laudibus posuit: nam *pæanes* versus sunt in Homero Apollini dicti, propter extinctum Pythonem. omnis laus Græce *pæan* dicitur, ab admiratione: *ἐπαινεῖν* etenim *laudare* Græce dicitur. Virgil. 'lætumque choro pæana canentes.' *Id.*

225 *Coronatumque merum*] Secundum Homerum dixit, qui ait, crateras in quibus vinum est coronant. Virgil. 'crateras longe statuunt, et vina coronant.' *Idem.*

232 *Martis agros*] Propter eos dixit, qui satis draconis dentibus fuerant nati. *Lactant.*

233 *Ad chelyn*] Id est, ad Amphionis citharam, cujus dulcedinem secuta saxa extruxere muros Thebanos. *Id.*

237 *Hydaspen*] Optima enim ibidem sunt lapidum genera. *Idem.*

241 *Semper in aspectum*] Veteris membranæ hæc scriptura est, et sine dubio Papinii. Mens: Œdipum qui hactenus latuerat, et a nemine visus fuerat, in publicum prodiisse. Vulg. *semper in aspectum.* Bern.

246 *Quin hausisse*] Etiam hoc fecit: confirmantis est. *Insiccatumque cruorem*] Inhærentem cæcitatis suæ cruorem genis eluisse. *Lactant.*

250 *Causa latet*] Latet causa lætitiæ, quia vult Poëta crudele esse quod gaudet: quare sit ergo commutatus ad gaudium Œdipus ignorabant Thebani. Erat autem illi causa lætitiæ, quod dimicat adversum se ferro germanitas. *Idem.*

253 *Semina voto*] Id est, tacito voto, auribus menteque captabat hostium motus ex lætitia provenisse. *Idem.*

254 *Inde epulæ*] Hac utique causa perspecta. *Idem.*

255 *Jejunia pœnæ*] Phyneus rex Arcadiæ liberis suis superduxit novercam, cujus instinctu eos cæcavit, ob quam rem irati Dii ei oculos subtulerunt, et adhibuerunt harpyias, a quibus ne dapes attingeret longo est jejunii cruciatu vexatus. *Idem.*

257 *Nec dum tota fides*] Metuebat enim ex longa consuetudine redituras. *Vet. Schol.* Pulchre de eodem Flacc. lib. v. 'Ipse inter medios, ceu dulcis imagine somni Lætus ad oblitæ Cereris suspirat honores.' Somniare enim sibi, non rem certam videre, videbatur Phineus. *Barth.*

259 *Graiorum*] Descriptis Thebanis rebus, redit ad eas in castris, a lætis ad tristes et miseras. Ubi laudat vigilantiam Adrasti. *Curis armisque*] Propter pugnam præteritæ diei et horribile portentum. *Vet. Schol.*

262 *Quanquam æger senio*] 'Senium,' morbus est senectutis. *Miseranda potestas*] Quia major potestas graviori semper laude vexatur. *Lact.*

270 *Deus qui navigat alno*] Deum, tutelam navis, intelligimus cum gubernatore navigare: habent enim scriptos vel pictos præsules suos, quorum nominibus nuncupantur et naves. *Idem.*

272 *Sentit equos*] Poëtice dictum: hic Lunam pro nocte posuit. Ceterum non est ut Luna Solis inveniatur semper adventu. *Idem.* *Penitusque cavam*] Sic optimus aliique libri etiam nostri. Nec assentimur mutantibus. *Oceani domus*, ut domus cæli, Olympi, et aliorum Deorum, in Marone cæterisque Poëtis. *Cavam* dicit ob devexitatem et convexitatem spatiumque hinc inde Sphæricam figuram faciens. *Lux parata*, jam processui imminens cum suis sibi Equis Sol, quem cum venire sentit, lumen suum colligit Luna. *Barth.*

277 *Orbum*] Viduatum, hoc est sacerdotio carens. *Lactant.*

282 *Juxtaque*] Secundum, ut Virgil. 'Proximus huic, longo sed proximus intervallo.' *Idem.*

283 *Confundit honos*] Quia victus est verecundatur, id est judicii ipsius gratia gravatur. Recte ergo, quod verecunde excusabat, dignus erat

quod cogeretur. *Idem.*

286 *Sicut Achæmenius*] Achæmene Parthorum seu Medorum civitas est. '*Achæmenius*] Patrium est: id est, Chaldæa, vocata ita a quodam crudelissimo rege, de quo in Sedulio legitur: 'Cujus Achæmeniam rabiemque accenderat ira, Plus fornace sua.' Non enim poterat ejus ira placari, nisi humano sanguine. *Idem.*

288 *Gaudia librat*] Lætitiæ gaudium metu pensabat, utrum posset implere quod sumpserat. *Idem.*

289 *An fidi proceres*] Id est, sine recordatione paternæ gratiæ fides a sociis etiam filio servaretur. *Idem.*

290 *Cui Caspia*] Caspiæ portæ sunt in Armeniorum finibus constitutæ, unde Lucanus: 'Caspiaque immenso secludunt claustra recessu.' *Idem.*

292 *Veretur Patris equum*] Cedo quis Palæmon hæc capiet? aut quis Œdipus explicabit, quid sibi velit *sumere artus patris?* Non longos logos. Fatebuntur mecum omnes qui sunt suæ mentis, legendum ut ex manuscriptis reposui: *Sumere tunc arcus.* Respexit ad ritum Persarum, apud quos *arcus* insigne Regium. Dio lib. XLIX. de Phraate Persarum Rege, ad quem Antonius legatos miserat: 'aurea sella sedens' καὶ τὴν νευρὰν τοῦ τόξου ψάλλων, id est, *ac nervum arcus pulsans.* Nunquid audax nebulo, qui ignarus hujus rei germanam lectionem depravarat? *Bernart.*

293 *Implere tiaram*] Id est, nec capitis robore diadematis impleret mensuram: ipso enim velut particulæ ambitu antiqui pro diademate utebantur: *tiara* enim dicitur pileum, quod in capite gerit sacerdos Martis. Unde Virg. 'sacerque tiaras.' *Lactant.*

294 *Intorto signavit vellere crinem*] Infulis tortis caput sacerdotis coronatum fuisse ostendit. *Idem.*

297 *Futile mœstis*] *Futile* vas est quoddam lato ore, fundo angusto, quo utebantur in sacris Deæ Vestæ, quia aqua ad sacra Vestæ in terra non ponitur, quod si fiat piaculum est, ideo excogitatum est vas quod stare non posset, sed si positum statim funderetur: unde et homo commissa non retinens, 'futilis' dicitur, contra 'non futilis' bonus consiliis. *Idem.*

307 *Mutastique viros*] An ut ex feris mitiores fierent, mitiori cibo pasti? Membranæ omnium optimæ: *impastis quæ prima alimenta dedisti, Mutastique vices.* Quod sincerum judico. *Vices* sunt alimentorum, cum glandibus et cæteris nullo cogente creatis mitiores cibos manu culta substituit, et succedere jussit. Virgilius: 'vestro si munere tellus Chaoniam pingui glandem mutavit arista.' Ovidius Fast. IV. 'homine ad meliora alimenta vocato Mutavit glandes utiliore cibo.' *Gronov.*

310 *Machina cœli Aëre pendentem*] Ad veterum opinionem qui terram ab aëre vehi credebant. Luctatius: 'Mundum opinantur æternum: terram aiunt pendere aëre succinctam: unde Lucanus, 'Dum terra fretum terramque levabit Aër.' Manilius I. 'Est igitur tellus mediam sortita cavernam, Aëris et toto pariter suspensa profundo.' Macrobius Satur. I. cap. 21. 'Quæ natura cœli est, cujus ambitu aër continetur qui vehit terram.' *Bernart.*

311 *Currus uterque*] Solis et lunæ; quem antipoden vocant, ut Virg. 'Solemque suum, sua sydera norunt.' *Lactant.*

312 *Indivisaque magnis*] Quia communis est Jovi, Neptuno, et Plutoni: etenim cum cœlum, mare, inferos inter se sortis eventu dividerent, sola terra indivisa permansit. *Idem.*

314 *Subterque ac desuper*] Quæ nobis antipodibus inferisque una eademque sufficit. *Idem.*

320 *Homini natale solum*] Omnibus

est habitabilis terra, et generans homines, uti vult opinio sapientum: quamvis imperiti putent rotunditatem in omni circuitu habitari non posse, sive quia omne solum sapienti patria est. *Idem.*

321 *Tanquam humiles*] Duplex sensus est: Tanquam humili populo doceat distinguere fine: et alter sensus: Undique maneas communis. *Id.*

322 *Undique ubique tuis maneas*] Et meliores et plures *tuos.* Recte, neque obscure, dummodo *maneas* interpretere, sustineas, exspectes, donec ordine fatorum soluti in te redeamus, et magnæ matri lege naturæ misceamur. Quibus dehiscit ac discedit, eos, scilicet, non manet. In eodem usu verbi corruptum fuerat, quod supra restituimus: *manet ille ruentes.* Gronov.

325 *Spirantia corpora bustis*] Id est mortibus properatis. *Vet. Schol.* Improprie, nullum enim hic bustum. Et quod 'flagitatur' hic pro eo ponit quod habeatur. Non ergo satis consideratum et istud. Petunt enim *busta,* quæ tali iniquitate perdere cogantur. Notum quantum cadaverum combustioni miseri tribuerint. Possis *rape,* eripe, subtrahe, interpretari. Sed refragatur τὸ *spirantia.* Barth.

331 *Ceu te Cyrrhæo*] Monte Parnaso, quia in Cyrrha parte montis ipsius, hiatus est terræ, ubi Delphica responsa dabantur; ut Lucanus; 'Et totius pars magna Jovis Cyrrhæa per antra exit, Et æthereo trahitur connexa Tonanti.' *Lactant.*

332 *Hilares des, oro, precatus*] Omnes Mss. fere: *hilaris.* Ut apud Plautum in Amphitr. Mercurius: 'me lætum lucris Afficere.' Verissime; namque id interpretatus Guilelmius ex eo, quod 'læti' Dii propitii, 'tristes' irati et adversi dicantur. *Gronov.*

335 *Præsaga*] Quibus divinare possis, id est sacrificio denunciare. *Lact.*

338 *Ille adytis melior*] Ille locus responsis dandis est dignus, ubi hiatu terræ submersus est Amphiaraus. *Idem.*

341 *Et vati*] Id est, Amphiarao imaginarium funus exolvit, ut Virg. 'Tunc egomet tumulum Rhæteo in littore inanem Constitui.' *Idem.*

343 *Fragor æreus*] Armorum concrepantium, telorum. Supra: 'illum æreus undique clamor Thebanique urunt sonitus.' *Excitat*] In nonnullis libris est *incitat,* cum glossa, 'exacuit, promovet.' Vide Strab.

344 *Theumesi*] Mons non magnopere excelsus. Vide Strab.

346 *Cithæron*] Horruit tubarum sonitu mons, qui ante consueverat sacrorum voces audire: ut Virg. 'Nocturnusque vocat clamore Cithæron.' *Lactant.*

347 *Marcidus*] Aut mœrore squalidus, aut tractu Tisiphones fœdatus. *Carmen non tale tuharum*] Sensus: Stupent urbes Thebanæ sonitum Tisiphones, quæ Amphionis fuerant carminibus fabricatæ. *Idem.*

353 *Ogygiis*] Omnium civitatis Thebanæ portarum nomina eleganter poëta monstravit: Homoloidas, Proticias, Helectras, Hypsistas, Dyrceam. *Idem.*

358 *Adversi*] Meridiani, id est Ægyptii. Nilus enim fluvius est septem capitibus fluens: unde a Græcis ἑπτάστομος dictus est, quæ omnia ejus ostia his nominibus nuncupantur: Pelusion, Tananticon, Medesiacon, Factamicon, Seveneticon, Voluetticon, Conopon. *Pabula cœli*] Imbres secundum physicos alimenta sunt fulminum. *Idem.*

359 *Bibit*] Accipit, id est Æthiopum nives colligit, quas præstat oriens: id est Ægyptus; sive Eoos pruinas bibit secreto fonte, quo Ægypti regnant. *Idem.*

360 *Septemque patentibus arvis*] Ex Pal. uno notavit *alvis* Gruterus, ex margine alterius, quod et in mei codicis ora exstat, *alveis.* Lib. IX.

'solito tunc plenior alveo, Signa mali, magna se mole Ismenos agebat.' Vulturnus in Via Domitiana: 'Qui me vallibus aviis refusum Recti legibus alvei ligasti.' Caius JC. de Adq. Rer. Dom. 'Quod si toto naturali alveo relicto flumen alia fluere cœperit, prior quidem alveus eorum est, qui prope ripam prædia possident.' *Gronov.*

361 *Hyemes*] Aquarum incrementa, qualia fluminibus hyems solet inferre. *Lactant.*

362 *Dulci ponto*] Nilo specie maris venienti. *Idem.*

364 *Præcipue Elææ*] In catalogo horum meminit, qui ad auxilia venerant Amphiarai: 'Auget resupina maniplos Elis.' Æoli et filiorum meminit: 'Quos Pylos et dubiis malea ditata carinis.' *Idem.*

365 *Subitum*] Inopinanter illis propositum. *Idem.*

366 *Accessere regenti*] Animum commodaverunt; ut Lucanus: 'Accedunt Syriæ populi.' *Idem.*

368 *Minor ille*] Thiodamas ex sex ducibus minor erat. *Idem.*

370 *Si detrahat astris*] Quando Helice et Cynosura filiæ Lycaonis Arcadis fuerunt. Ergo de Septentrionibus dicit. *Idem.*

372 *Incerti*] Dubitantes cum sex videant sidera, utrum sit septentrion: in septentrionali plaustro septem sunt stellæ. *Idem.*

374 *Majorque*] Id est, non talis qualis solet in lyricis invocari carminibus: aut certe in aliis operibus, quæ ad res bellicas pertinerent mos solet: sed *major* furiosior, qui bellica tuba sit dignus, ut ipse superius: 'Atque alio Capaneus honore canendus.' *Id.*

381 *Angue notat*] Dedicat morti. *Idem.*

380 *Scinditur*] Ita enim factum est ut multorum vita pariter finiretur. *Idem.*

385 *Abolet*] Delet memoriam suorum ac desiderium illis ex animo; et a toto transit ad partes, dicendo *connubia natos.* Idem.

386 *Qui mente novissimus exit Lucis amor*] Præfero quod in scriptis est: *et qui mente.* Sensus: Amor liberorum, conjugum, patriæ, et, qui diutissime tamen adhæret, etiam vitæ amor pellitur. *Bernart.*

392 *Dominis*] Melior omnino scriptura optimarum membranarum, quæ versum decentiorem reddit: *Corpora ceu mixti dominorum, irasque sequentum Induerint.* Barth.

397 *Decrescere campum*] Accessione utriusque exercitus medium quod erat minuebat spacium: ita enim fuerant vicinitate densati, ut campus qui medius fuerat interiret. *Lactant.*

398 *Clypeus clypeis*] Est Poëtica verborum collocatio ad versum rotundandum, numeros rerum parum attendere solita. Estque Homericum Iliad. N. Φράξαντες δόρυ δουρὶ, σάκος σάκει, κ. τ. λ. Quod aliquatenus expressit Furius citante Macrobio lib. VI. cap. 3. 'Pressatur pede pes, mucro mucrone, viro vir.' Et Virgil. Æn. X. 'Trojanæ acies, aciesque Latinæ, Concurrunt, hæret pede pes, densusque viro vir.' *Barth.*

400 *Suspiria fumant*] Ex ardore utique vicinorum sibimet repugnantium. *Lactant.*

401 *Casside cristæ*] Splendorem galearum invicem vicina arma reddebant. *Idem.*

402 *Coni*] Cacumina galearum. *Idem.*

405 *Cruoribus aurum*] Necessitas enim belli, aurum aut perdit, aut mutat. *Idem.*

406 *Vitæ prodiga*] Mortem non curans. Horat. 'Animæ prodigum Paulum.' *Idem.*

408 *Solida nive*] Definitio est grandinis.

411 *Libyæ Boreas*] Flante enim aquilone hic serenum est, pluit in Africa: unde Lucan. 'Et nostris reficit sua rura serenis.' *Idem.*

415 *Sudes*] Temere sumta et inartificiosa quælibet tela sudes vocat. *V. Schol.* Inter jacula habet et Maro libro XI. 'Aut saxa sudesque Subvectant.' Et fine libri: 'Tela manu trepidæ jaciunt, ac robore duro Stipitibus ferrum, sudibusque imitantur onustis.' *Pali acuti* pro telis. *Vet. Schol.* *Et mutua perdunt*] Concursu telorum utrinque frustrabantur. *Lactant.*

418 *Non una morte sagittæ*] Quæ et ferro perimant, et veneno. *Idem.*

421 *Nunc turba recedit*] Modo pelluntur, modo resistentes occupant locum, quem amiserant. *Idem.*

428 *Hypseus*] Hic est qui fuit principium pugnæ. *Idem.*

432 *Hic et mente Lacon*] Lacones potentissimos dicit esse virtutis: ideo hunc Menalcam fortem memorat, tam mente, quam gente. *Crudi*] Aut quia incolæ Eurotæ fluminis plagis prædurantur ad patientiam agonici certaminis, unde Horat. 'Nec me tam patiens Lacedæmon agon.' Ipse διαμαστίγωσις dicitur. *Idem.*

434 *Ne pudor in tergo*] Hastam pectori infixam retrahit, ne post tergum exeundo, vulnus infame videretur. *Idem.*

437 *Taygeta*] Mons Laconum, Libero et Apollini sacer. *Laudataque verbera matri*] Centauricæ, quam Orestes de Scythia transtulit; consueverat enim humano sanguine placari: cujus cum simulacrum in Laconiam delatum fuisset, ne quod piaculum nasceretur intermissione solemnis sacrificii, neve crudelitate Græciæ populus obediret, inventum est, ut inter se impuberes pueri de sustinendis verboribus contenderent, ac se in hanc patientiam provocarent: et super aram Dianæ impositi flagellis verberabantur tam diu, donec ex corpore humano sanguis flueret, qui instar esset sacrificii: hi autem appellabantur βωμονῖκαι. *Idem.* *Laudataque verbera matri*] Notat Spartanorum rituum in educatione puerorum. De quo Tertullianus ad Martyres: 'Nam quod hodie apud Lacedæmonios sollemnitas maxima est διαμαστίγωσις, *flagellatio*, non latet. In quo sacro ante aram nobiles quique adolescentes flagellis affliguntur astantibus parentibus et propinquis, et uti perseverent adhortantibus.' Meminit Cicero Tuscul. II. allusit Plautus Captiveis, ubi Parasitos 'Lacones plagipatidas' vocat. Videndus et Seneca de Providentia cap. 4. Originem non ita vulgatam tradit Lactatius, simulachrum Dianæ quod in Tauris fuerat, et humano sanguine consueverat placari, in Laconiam transtulisse Orestem, et ne intermissione sollennium numen offenderetur, inventum ut pueri super aram impositi tamdiu flagris cæderentur, donec sanguis efflueret, qui instar sacrificii esset. Adi Ovidium ex Pont. III. Eleg. 7. Hæc origo videtur fuisse hujus moris, quem tamen postea Lycurgus, forte desitum, revocavit, et fortitudinis patientiæque palæstram esse voluit. *Bernart.*

440 *Tacet arcus Amyntæ*] Celeritas jaculantis expressa est, ut ante peremptus occumberet, quam sonus de arcus tensione cessaret. *Lactant.*

444 *Truncumque tamen percussit*] Optime, nam dextram intelligit. vulgati contra rationem Latini sermonis: *truncumque*. Bernart.

447 *Guttur Iphis*] Sane lascivire videtur iste versus. Nec, opinor, corripuisset Statius priorem in *Iphis*. Denique in nullo eum scripto invenimus. Videtur ejus auctor fecisse: *Abas in fronte cruenti.* Sed sic quoque deleatur. A Guil. Cant. codice provenit. *Gron.*

449 *Inachidæ gemini*] Græci gemini geminos Thebanos aggressi sunt, quodam casu per errorem belli, et cum eos occidissent geminos per ignorantiam, querebantur; quoniam et geminos esse se meminerant. *Lact.*

455 *Laudat ab alto victum*] Minoris Dei posuit sacerdotem, ne potioris meritis derogaret. *Idem.*

457 *Illustrat utrimque*] Tydeum et Æmonem dicit, quorum virtus in alternis belli partibus pro Deorum favore laudatur. *Idem.*

464 *Ecce una receptas*] Post ambages emensas concurrunt in unum alveum. *V. S.* Utitur his Papinianis verbis ad Petronium male castigandum Joh. Bourdelotius, quem vide apud *Barth.*

466 *Mixti*] Ne alter alterius nomen incurrat. *Lactant.*

473 *Ne dixeris Argos*] Quasi negaverint tibi sepulturam. *Idem.*

474 *Arde*] Tuo tibi telo concedimus sepulturam. *Idem.*

478 *Ægeæ Veneris*] Oppida hujus nominis plura recenset Stephanus, quorum aliquod fano Veneris insigne fuisse hinc apparet. Verior tamen videatur Opinio Veteris Scholiastæ, qui Venerem Ægæo mari prognatam intelligit. De qua re vide Mythologos et Homeri sive Homeridæ hymnum in eam. Plura ejusdem fana et cognomina, quam aliis omnibus scriptoribus, memorantur a Pausania. *Barth.* *Mæra sacerdos*] *Mæra* proprium nomen est sacerdotis. *Lactant.*

479 *Prohibente Dea*] Excusavit cur illis Venus auxilium non tulerit. *Id.*

484 *Pleuronis alumnos*] *Pleuron* civitas Ætoliæ, apud quam cum mortem Meleagri suæ sorores deflerent, in aves dicuntur conversæ: ut supra: 'Fletaque cognatis avibus Meleagria Pleuron.' *Idem.*

486 *Hunc turmis obsessum*] Quid opus tergiversari? Omnes scripti: *obversum.* Neque aliter Lactantius. Intelligit versum fuisse in suos et laborasse retinendo illos, ut locum servarent, nec præ metu aut cederent aut fugerent. Itaque aggressus illum a tergo Hæmon: eoque *ignaro* ait incidisse Thebanam bipennem, nihilque omnino contra conantem facit. Lib. IX. 'inque eadem sese vestigia semper Obversus cunctis profert.' *Gronov.*

489 *Utrimque tempora*] Ex utraque parte divisum est caput. *Lactant.*

491 *Non hoc metuens*] Insperato et novo mortis genere periit. *Inopino limite*] Quia vitæ limes semper est incertus. *Idem.*

494 *Sævus uterque*] Quia neuter adjuvat decertantes, et Apollo et Liber. *Idem.* *Victis Hyperiona jungit*] Non magis, opinor, hoc quam Phœbo aut Apolline aliquo milite uteretur: etsi fuerint tam ridiculi librarii, ut a Virgilio equum Mezentii Phœbum dictum putarent. Scripti, *Hyperenora.* In quo cur contarentur, editoribus causa nulla fuit. *Gronov.*

496 *Hasta viri trans pectus*] Reformo in pulchriorem sententiæ habitum ex Lipsii scripto libro, in quo *per* pro *trans*, rectissime: vult enim hastam per armos et pectus transiliisse, et parmam secum abstulisse. *Bernart.*

503 *Fida soror*] Noverca enim sorori vult Herculem repugnare. *Lactant.*

507 *Sed mitto agnoscere*] Subaudis, genus huic magnum nobileque. *Sed* aposiopesin fecit. Virgil. 'Quos ego: sed motos præstat componere fluctus.' *Idem.*

508 *Comminus Hylum*] Hylus et Amphitryon Herculis et Omphales filii. hic autem Æmon genus Herculis ducit tantum: hoc autem dicit, tanta mihi tui est reverentia, ut contra voluntatem tuam nec pro liberis repugnarem. *Idem.*

511 *Quantum hæc*] Docet Poëta ingenio virtutem cedere. Nam id ait oratio Herculis blandientis. *Idem.*

515 *Tu patrem, cœlumque mihi*] Dicit se Minervæ auxilio ad cælum usque perductum, monstra vincendo. *Idem.*

516 *Habe totas, si mens exscindere, Thebas*] Sic nobis affirmat interpungendum Bernartius. Leviter tamen

aurem vellimus, ut meminerit melius esse: *si mens, excindere Thebas*. Gronov.

518 *Mulcet honos*] Pugnacem ejus animum et Herculi repugnanti minime cessurum mulcet ejus honorifica oratio. *V. S.*

519 *Vultus*] Ejus genuina venustas, quæ ante ab ira erat superata. *V. S.* *Erecti pectoris*] Medusæ crines serpentibus constabant, caput autem in Ægide sua seu clipeo, quem pectori applicabat cum Hercule pugnatura, Minerva habebat. *Vet. Schol.* *Vultus*] Decor, quem paulo ante ira mutaverat. *Lactant.*

521 *Tela rotat*] Quia jam Æmon tela irrita jaciebat. *Idem.* *Manumque agnoscit, &c.*] Exemplo Maronis de Turno, abeuntibus pariter divis: 'Sed neque currentem se, nec cognoscit euntem, Tollentemve manu, saxumque immane moventem.' Sentit vim suam non amplius adesse, agnoscit se deteriorem viribus. Pariter loquitur in fine hujus libri: 'vultuque occurrit, et amens Lætitiaque iraque ut singultantia vidit Ora, trahique oculos, seseque agnovit in illo.' *Barth.*

524 *Impetit*] Composuit sibi verbum 'impeto te.' *Lactant.*

525 *Margine parmæ*] Extremitate scuti. *Idem.*

528 *Humeri libare*] Perstringere aut leviter tangere. *Idem.*

535 *In latus iras*] Horat. 'obliquum meditaris ictum.' *Idem.*

537 *Certa indignatus*] Certa spicula, mortem peragentia, sive quæ possent ferire: indignatus Tydeus est, Prothoum felici lacerto in hostem spicula certa torquere. *Idem.*

546 *Gaurano*] Gaurus mons Campaniæ, nimis vitibusque contextus. *Idem.*

547 *Utrumque nemus*] Suum et vitis. *Idem.*

551 *Ipsa diu inspectis latum, &c.*] Lipsii liber: *Ipsa diu potitis.* Unde elegantis ingenii et doctrinæ juvenis Gerardus Buitewegius noster, dum nuper una deambularem, acute elicuit, *Ipsa diu positis*, et refert ad themma natalitium: placet rei et amicissimi hominis causa. *Bernart.*

554 *Amissum Musæ flevere*] Septem mihi codices his oculis ingesserunt: *muta flevere sorores.* Addit octavum Lindenbregius. Nec ab hac lectione recedere fas fuit. Quid enim tam vulgare quam nimium dolorem obmutescere et includere vocem? Sed dicent, Musas nunquam esse mutas. Sed temere: neque fuit illa in hæresi Statius. Epicedio in patrem: 'Stant circum attonitæ vatem, et nil dulce sonantes Nec digitis nec voce, Deæ: dux ipsa silenti Fulta caput cithara, qualis post Orphea raptum Adstitit, Hebre, tibi.' *Sorores* ex præcedentibus facile intelliguntur Musæ. Ut cum Ovid. Met. IV. 'et in facinus traherent Athamanta sorores.' Ubi ex præcedentibus non possunt intelligi nisi Furiæ. *Gronov.*

557 *Soceros*] Tantæ constantiæ erat hic Atys, ut licet regnum et familiam Œdipi infortunia multa concuterent, non deseruerit tamen amorem sponsi. *Vet. Schol.* *Nec tristibus actis Aversatus erat sponsam*] Nox in hac sententia, cujus tenebras qui penetrare possis non video, nisi vocibus paulum compositis et correctis: *socerum nec tristibus actis, Aversatus erat sponsam.* Sensus: Atym non sprevisse Ismenem, ob Œdipi et Jocastæ facinora. *Bern.*

561 *Placebant*] Ut ille transiret in fœminam, ceu spectetur sic pugnabat, quasi virtutis suæ judice spectante. *Lactant.*

566 *Surgentes*] Crescentes; quia adhuc puer erat. *Idem.*

568 *Conjuge*] Hismene scilicet. *Id.*

569 *Presserat*] Sculpserat sive cælaverat. *Idem.*

570 *Talibus*] Non validis, sed pulchris. *Idem.*

571 *Grassatus*] Extinguendo sæviens. *Idem.*

573 *Hic Hyrcana umbra*] Arabicæ sylvæ, et est Arabia inhospitalis, ut Virgil. ' Hyrcanæque admorunt ubera tigres.' *Caspius*] Subaudis Armenius. *Lactant.*

575 *Magnique sanguinis*] Tauri aut hominis. *Idem.*

578 *Solo corpore*] Non virtute Tydeum permensus est, sed corporis parvitatem. *Idem.*

580 *Aliosque sequentem*] Hos insequentem, qui propiores erant, aliis infrendentem, qui longinquiores erant, et quos attingere non poterat. *V. S.*

581 *Ætolus*] Ut vir durus et gravis. *Vet. Schol.*

587 *Hausit*] Penetravit sive percussit. *Lactant.*

588 *Haud dubium fati*] Proculdubio periturum. *Idem.*

590 *Arceat ipsum*] Seipsum dicit pudore tardari. Ne sic turpes delicatasque exuvias de hoste domum referret. *Idem.*

592 *Illudenda*] Ostendit arma morientis ita cultu ipso fuisse deformia, ut mulieribus ad illudendum tantummodo apta viderentur. *Idem.*

599 *Fallit Atys*] Ordo: lapsus Atys non fallit Menœcea clamore semianimi. *Idem.*

601 *Nec prohibent Tyrii*] Spoliabant Atys cadaver Arcades, nec repugnabant Thebani. *Idem.*

602 *Terrigenas mentita*] Qui degeneratis a genere Adrasti, et illorum virtute, qui dicuntur, draconis dentibus satis, de terra progeniti. *Idem.*

609 *Innoxia proles*] Dissimiles fratribus. *Idem.*

611 *Nec mala*] Id est, bella præsentia. *Idem.*

616 *Tacite præponderat exul*] Notat affectum humanum, qui erga miseros semper magis pronus. Jocasta apud eximium illum Auctorem Thebais: ' Utrumque quamvis diligam affectu pari, Quo causa melior sorsque deterior trahit, Inclinat animus, semper infirmo favens, Miseros magis fortuna conciliat suis.' Compar sententia apud Tacitum Annal. xII. ' Sive verum, seu periculis commendatus retinuit famam, sive experimento.' Mens: Sive revera non segnis illi indoles fuit, sive pericula et ex periculis favor hanc illi famam circumdederunt. Papinius ipse lib. II. ' Seu quos movet exul et hæsit Tristibus aucta fides.' *Bernart.*

617 *Sic Pandioniæ*] Hoc dicit propter Prognem et Philomelam, quæ filiæ Syrii * erant Pandionis, ac per hoc moribus bonis eruditæ: quæ se non oderant, ut alibi: ' Hinc atque hinc natæ melior jam sexus.' Ad mores retulit ' meliorem sexum,' non ad naturam. *Lactant.*

620 *Murmur*] Confusus sonitus lachrymantium, et sine significatione verborum. *Idem.*

624 *Quæ decepta fides*] Fides est in somniis qua vidimus decepta, quia falsa sunt quæ vidimus. *Idem.*

627 *Tractarem sensu*] Excusaum * quod illa videre dicimus in somnis, quæ habeamus in voto. *Idem.*

630 *Nescio quo*] Eleganter expressit affectum virginis Poëta: dicit se nuptiarum ordinem ignorare. *Idem.*

631 *Non sponte soror*] Dicit se casu aberrantibus respexisse oculis. *Idem.*

638 *Receptus*] Ab hostibus liberatus. *Idem.*

641 *Clypeo*] Nam super clypeum ferebatur. *Idem.*

646 *Sævus pudor*] Qui officium prohibebat. *Idem.*

647 *Summum*] Ultimum. *Idem.*

649 *Fortiter ora*] Cum ei diceretur præsens esse Hismene ejus sponsa. *Idem.*

655 *Lachrymasque in vulnera fudit*] Scripti libri: *in lumina fudit;* quod magis ad meum gustum; præcedit enim: 'Tunc quia nec genitrix juxta, positusque beata Morte pater, spon-

sæ munus miserabile tradunt Declinare genas.' *Bern.*

658 *Arma volunt*] Cædes et sanguinem spirant, velut jam primum inciperent bellare et pugnare. *Vet. Schol.* Ex quo Scholio, ipsaque rei veritate clarum, perperam facere, qui *volant* hic edendum maluerunt. Et sic Virgil. lib. XII. 'Arma volunt, fœdusque precantur Infectum.' *Barth.*

659 *Lucent ensis*] Quasi purus sanguine illum fugiunt; Tydea scilicet, quem acriter cuncti formidabant. *Lactant.*

664 *Fugiuntque tremuntque*] Nihil mutandum hoc loco, nec consentiunt libri meliores uni ex Lindenbrogianis, qui præfert, *feriuntque premuntque*. Contrariam enim his verbis sententiam ingerit Papinius; nimirum quos cominus aggressus sit Tydeus, illos fugere; qui eminus clamantem audierint, tremere vocem hominis. De magno clamore et fremitu horum Heroum multis Nuncius apud Æschylum. *Barth.*

666 *Rependere noctem*] Restituere, in qua quinquaginta insidiantes sibi Thebanos occiderat. *Lactant.*

667 *Inexpletis*] Pro inexplebilis ad cædem transtulit: vel quod ad suum animum pertinebat, quem Thebanorum cæde contentum tantorum: ubi autem sic dixit, quasi in recordationem nominis illius casu inciderit. *Idem.*

671 *Contemptum abiisse Mycenas*] Mss. *contentum*. Excudendum, *contemtum*, inquit Behotius. Immo *contentum*, ut membranæ. Hoc enim dicit: pudet pigetque contentum illorum quinquaginta insidiatorum cæde discessisse: debui protenus redire Thebas, et ipsum regem aggredi, urbemque invadere; facilis res fuisset, quando non alios propugnatores illis residuos feceram, quam quorum ignaviam imbelliamque jam experimur. Lib. II. 'ut cum Massyla per arva Armenti reges magno leo fregit hiatu, Et contentus abit.' *Gron.*

675 *Fulgore*] Ornamento diadematis regii. *Lactant.*

676 *Flammiger ales*] Aquilam dixit, quæ Jovis fulminibus servit. *Idem.*

679 *In arma palam*] Tangit illud quod occulte illi insidiatus est, et dicit se aperta luce virili modo velle confligere. *Idem.*

689 *Peccant*] Elocutio speciosissima, quæ hoc significat: cuspis missa in Etheoclem peccavit in perniciem Phlegiæ, quem percussit. *Idem.*

692 *Nocte sub atra*] In qua est molitus occidere. *Idem.*

698 *Ilia torvi*] Ad mortem tot homines, quot membra sunt. *Idem.*

705 *Densis jam consitus*] Lucanus pulchre: 'stat non fragilis pro Cæsare murus, Pompeiumque tenet. Jam pectora non tegit armis, Ac veritus credi clipeo, lævaque vacasse, Aut culpa vixisse sua, tot vulnera belli Solus obit, densamque ferens in pectore silvam Jam gradibus fessis, in quem cadat, eligit hostem.' *Barth.*

707 *Gentilis aper*] De ea gente unde Tydeus fuerat: id est Calydonius, qui a Meleagro occisus est. Et hic 'aprum' pro pelle posuit. *Nusquam ardua coni gloria*] Decusso coni ornatu nudato vertice, impressisque fragmentis galeæ, ossa sunt capitis calefacta; ut Virgil. 'Et galeæ fragmenta cavæ compressa perurunt Tempora.' *Lactant.*

708 *Gradivus*] In catalogo, cum arma ipsius Poëta describeret, ait: 'Patrius stat Casside Mavors.' *Idem.*

711 *Volvuntur in arma*] De capite in scuta cadebant. *Idem.*

713 *Sanguine torrens*] Fluvium fecerat sudoris et sanguinis. *Idem.*

715 *Lumina parma*] Quia erubescebat Minerva facere virtutem. *Lact.*

718 *Non eminet auctor*] Non est ausus gloriari Menalippus, se auctore interemptum Tydea. *Idem.*

719 *Astacydes missos*] Lanceæ hic descriptio, et ex insidiis Menalippi

jaculantis. *Idem.*

725 *Per oppositos*] Eum intuentes. *Idem.*

728 *Perit expressus*] Lucan. 'Hostilem dum torserit exeat hastam.' *Idem.*

729 *Quis ardor*] Exclamatio per interpositionem et rem magnam faciens, ut habet Vet. Scholiast. Sic libro VII. 'Olim te, Cyrrhæe pater, peritura sedentem Ad juga (quis tantus miseris honor) axe trementi Sensimus.'

732 *Latera inclinantia parma*] Ad morem priscum dixit. Duces enim in prælio morientes in clypeo veteres ponebant. Virgil. X. 'At socii multo gemitu lachrymisque Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.' Idem XI. 'At Lausum socii exanimum super arma ferebant.' Statius ipse hoc libro: 'Fertur Atys servans animum jam sanguine nullo, Cui manus in plaga, dependet languida cervix Exterior clypeo.' Pertinet huc animosum illud Spartanæ mulieris dictum, cum filio clypeum traderet: 'Aut cum illo, aut in illo.' Mens: Fac redeas non amisso clypeo, aut honeste occumbens in eo referaris. *Bernart.*

737 *Non ossa precor*] Non quæro ut membra mea honorent patriam sepulturam: non ut ossa tumulo humata serventur. Odi enim corpus, quod spiritum virorum fortium pugnantium deserit. *Lactant.*

742 *Fefellit*] Scio enim me certa in Menalippum tela torsisse. *Idem.*

743 *Atrei*] Argivi. *Idem.*

744 *Hippomedon*] Maritus Nealcis, Adrasti filius. *Idem.*

745 *Arcas*] Quia Tydeo obeunte hunc primum, Parthenopæum secundum fuisse constabat. *Idem.*

749 *Vulneris unda*] Copioso fluxu. Virgil. lib. IX. 'Reddit specus atri vulneris undam Spumantem, et fixo ferrum in pulmone tepescit.' Idem elegantissime de fumo lib. VIII. in historia Caci: 'qua plurimus undam Fumus agit, nebulaque ingens specus æstuat atra.' *Barth.*

751 *Clamantibus*] Cum admiratione faventibus. *Lactant.*

752 *Vultuque occurrit*] Quia retentus vulnere toto non potuit corpore sublevari. *Idem.*

754 *Agnovit in illo*] Tam illum exspirantem animam, quam se. *Idem.*

755 *Porgi*] Porrigi, propter versum. *V. Schol.* Virgil. lib. VIII. 'Cingite fronde comas, et pocula porgite dextris.' Valer. Flacc. fine lib. II. 'Atque ea prima duci porgens Carchesia Graio.' Papinio supra etiam 'porxi' usurpatum lib. II. Silvar. in Epicedio Glauci. *Barth.*

756 *Gliscit*] Irascendo in majus accenditur. *Lactant.*

757 *Dubitantia figi*] Quia his, quibus mors recens est, oculi videntur errare. *Idem.*

763 *Nec comites auferre valent*] Non valent Tydeo caput tollere Menalippi. *Idem.*

767 *Elysos*] Fluvius est. *Idem.* *Ilissos*] Seu *Elisos*, et Elysium, fluvius est Beatorum locorum, quem insontem vocat, eo quod insontes faciat, hoc est purificet, et opponitur Stygi, aquæ infernali, per quam dii jurabant: Dicitur Græce ἠλύσιον, ἀπὸ τῆς λύσεως, a solutione, quia animæ post solutionem vinculi corporei deveniunt ad campos hos. Virgil. Æneid. V. 'sed amœna piorum Concilia, Elysiumque colo.' Et Georg. II. 'Quamvis Elysios miretur Græcia campos.' *Lampas*] Scelera enim visa aut igni aut aqua purgantur. *Lactant.*

THEBAIDOS LIB. IX.

1 *Asperat Aonios rabies audita cruenti*] Tydeus crudelitatis arguitur, quia caput hostis moribundus absumpsit. *Lactant.*

4 *Fas odii*] Quod ultra fas et illicita crudelitate in mortui hominis cadaver ira fuerit. *Idem.*

5 *Cædis opus furebas*] Furendo peragebas. *V. Schol.* Loquutio Papiniana. Vide ad lib. III. vs. 669. Male nonnemo codicum, *ferebas.* Martis opus bellum et cædes. Virg. 'Militiam et grave Martis opus.' *Virtute*]. Crudelitate, quam virtutem isti milites putabant. Sic impietatem Capanei *Virtutem iniquam* vocat, lib. XI. initio: 'Postquam magnanimus furias virtutis iniquæ Consumsit Capaneus.' Ita crudelitatem pro virtute habuisse Cn. Pompeium scribit C. Cassius, lib. XV. Familiar. Epist. XIX. Ciceronis. *Barth.*

7 *Retro torsisse jugales*] Tanta crudelitas in scelere Tydei fuit, ut etiam cruentum numen nefas horruerit. *Lact.*

17 *Solatia lethi*] Ironicos; id est, pulchri, pro crudelis. *Idem,*

19 *Nos ferrum mite, facesque*] Quæ odia non extendunt ultra mortem. Nos tenemus ferrum et faces, illi pugnant odiis. *Vet. Schol.*

20 *Illis nuda odia*] Olere mendum videtur: et licet non varient scripti, præoptem ego *illi nuda odia.* Bern.

23 *Terræque fugam mirantur*] Admisimus scriptorum *miserentur;* id est, cum invidia fatorum et misericordiæ erga se concitandæ deplorant. Apud Tacitum Annal. I. Germanicus 'ipsius Planci gravem et immeritum casum, simul quantum dedecoris adierit legio, facunde miseratur.' *Gronovius.*

24 *Humus*] Solum patriæ suæ. *Lact.*

28 *Incestarum avium*] Humano sanguine pollutarum: sive quia cadavera eminus sentiunt. *Aura nocentem*] Id est, mortibus vitiatum, ut Lucanus: 'Aëra non sanum, motumque cadavere sentit.' *Idem.*

38 *Suadetque*] Suadere vult quod nimia virtus faciat semper incautos: sive illud magis asserit, quod interdum nimia virtus consilio careat. *Id.*

64 *Mactasti in limine Adrasti*] Meliores scitius: *mactatum.* Ut ille in veteri tragœdia: 'Mene heu servasse, ut essent, qui me perderent?' Virgilius: 'mene incepto desistere victam? Nec posse Italia Teucrorum avertere regem?' *Gronov.*

68 *Thelamona*] Hic Meleagrum dicitur unice dilexisse, ut Theseus Perithoum. *Lactant.*

70 *Quis cruor*] Quantus, quia et sanguine Tydei fuerat aspersus. *Idem. Hoste*] Non uno, sed ait hostium cruorem delere Tydei propriam. *Innumeri globi*] Nec enim unius opus tua cædes, ne globi quidem. *Pater*] Ad genus enim Martis originem referebat Tydeus. *Etiamnum lubrica*] Nondum enim cruor exaruerat aut constiterat. *V. S.*

72 *Invidit pater*] Tantæ virtutis vult ostendere Tydeum fuisse, ut etiam patris sui Martis tangeretur invidia. *Lactantius.*

75 *Hucusque*] Usque adeone furit, ut inimicos dentibus suis assumeret? *Idem.*

90 *Fixerat*] Inhæserat. *Idem.*

95 *Validam simul elicit hastam, &c.*] Corruptam et hanc scripturam arbitror. Libri veteres in eo adjuvant quod referant, *hos manes, hæc infa-*

mantia bellum Funera, quæ tamen medicina huic ægro nondum faciet vitam: auguror legendum, et nisi recte, caussam non dico, quin artem divinandi in perpetuum desinam: *validam simul ejicit hastam*. Judicabit eruditus lector. *Bernart.*

96 *Hoc*] Omnino legendum *Hæc*. Et sic optimi librorum. *Infamantia*] Hoc est, infamia quadam notantia et traducentia. Petronius Satirico: 'Dum ergo juvenes sententias rident, ordinemque totius dictionis infamant, Oportune subduxi me.' Id est, subsannant, exsibilant, irrident. *Barth.*

102 *Nulla impia monstra*] Ita Tydeum Menalippi cadavere funestatum dicit, ut corpus ejus horreant etiam feræ consumere. *Lactantius.*

105 *Orbe secundo*] Clypei: ostendit non unius tegminis Hippomedontis scutum fuisse. *Idem.*

107 *Excelso terrore*] Pro excelsi terroris. *Idem.*

108 *Ingloria*] Indecora. *Idem.*

112 *Recipit*] Irruit in hostes, recipitque se. *Idem.*

122 *Præpetis*] Aut altissime posuit volantis. Virgil. 'Quem præpes ab Ida sublimem rapuit.' Aut certe augurem sequentis. *Idem.*

125 *Cunctata*] Morata. *Idem.*

127 *Phocea*] De Phocea regione. *Tanagræum*] Arcadium. *Idem.*

129 *Dum spes nulla necis*] Nihil mutemus, sanus hic locus: tantum τὸ *spes* non prima sua notione, sed pro 'metu' accipe. *Bernart.* Eodem sensu Virg. vocem 'sperare' pro timere usurpavit, Æn. I. 'At sperate Deos, memores fandi atque nefandi.' Et alibi: 'Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.'

133 *Furto*] Clam: loquitur autem de cadavere Tydei, quod clam injecta manu Leonteus abstrahere voluerit; satis ridicule inter tot pugnantium cuneos, quot modo nominati sunt a Papinio. De *furto* multis alibi. Eleganter 'curam furari' sic dictum Petro Chrysologo, 'furtim possidere Hugoni Falcando, &c. *Barth.*

135 *Prehenso crine caput*] Id est, Tydei cadaver. *Lactant.*

136 *Minæ*] Terrores hostium. *Id.*

148 *Sed memor Elysii*] Qui scelera solet ulcisci. Non enim exciderant Tisiphones animo scelera quæ Tydeus parricidio perpetrarat: sive quod super Menalippi caput assumpserat. *Idem.* *Noxaque retexens Tydeos*] Mentem Statii adsequitur Lactantius notans non excidisse Tisiphones animo scelera quæ Tydeus parricidio perpetraverat, sive quod nuper Menalippi caput absumpserat. Sed huic non congruit verbum *retexere*, quod est dissolvere, infectum atque irritum reddere. Horat. II. Sat. 3. 'scriptorum quæque retexens.' Seneca Epist. 94. 'Omnia ista exempla, quæ oculis atque auribus nostris ingeruntur, retexenda sunt, et plenum malis sermonibus pectus exhauriendum.' Foret igitur potius, delens ex animo, quam in eo retinens. Ergo valeat, et recipiatur ex scriptis: *noxasque recensens*. id est, animo repetens recordata. In patrem: 'rerumque elementa recenses.' Lib. III. Tydeus 'prædamque jacentem Comportat gaudens, ingentiaque acta recenses.' Et tamen lib. III. 'multumque et ubique retexens, Legatum sese Graia de gente petendis Isse super regnis profugi Polynicis.' Sed hic scriptos sequimur. *Gronov.*

153 *Tenuere silentia*] Furiarum nullis crinibus sibilarunt angues. *Lact.*

156 *Admiraturque*] Quia latebat causa, mirabatur in se Hippomedon timorem. *Idem.*

157 *Inclyte*] Post Amphiaraum et Tydeum summus erat Heroum apud Achivos Hippomedon, quanquam poëta supra voce ipsius Tydei Capaneum prætulerit. *V. Schol.*

158 *Inhumata corpora*] Quæ Tydeo adjacebant, et cum eo tutabantur. *Vet. Schol.*

162 *Versare in sanguine vidi*] Potior est scriptorum librorum lectio: *lapsare in sanguine vidi*. Noster lib. v. 'vidi lapsare cruentæ Vulnere Mirmydonis.' Poëta princeps: 'Et in multo lapsantem sanguine nati.' Tacitus Hist. I. 'Lapsantibus equis et cataphractarum pondere.' *Bern.*

166 *Librabatque metus*] Dubitabat cui magis, Tydei cadaveri an Adrasto, subveniret. *Lactant.*

170 *Revocent*] Utrum se socii sui validi revocent a protegendo Tydei cadavere. *Idem.*

178 *Victorque ululatus inerrat*] Quidni cum scriptis, *aderrat?* Ut 'accidere ad aures' vocem vel sonitum dicunt. Verbum exstat et in Surrentino: 'et blandi scopulis delphines aderrant.' *Gronov.*

182 *Sive gradum, seu frena effunderet*] Mens: Sive pedes, sive eques sequeretur. Sequentia interpunctione sic illustro: *ingens Limes utrimque datus: nusquam arma, manusque quiescunt*, (*Nulla viri feritas*). Bernart.

183 *Nusquam arma, manusque*] Nusquam sunt jam ejus arma, jacula, enses, et quicquid manus vibrare solent. Miraculo hoc stupent Thebani, nulla ejus esse arma, et quiescere manus. *Vet. Scholiast.*

185 *Impune lacessere*] Delectabat Thebanos secure insultare cadaveri. *Lactant.*

196 *Gloria luco*] De venatione gloria, aut de feræ magnitudine. Luco vero aut Dianæ aut Silvani alia sunt quæ figuntur, alia quæ a pastoribus templorum tholis suspenduntur. Dentes et cornua figuntur, pelles et alia suspenduntur, ut Virgil. 'Suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi.' *Idem.*

202 *Impediunt*] Retardant. *Femur*] Hippomedontis scilicet regis Echionii. Supra enim de telo Etheoclis dixit, femur Hippomedontis fuisse transfixum, quod in aëre moratum transmissumque tantum. *Idem.*

207 *Fatorum ignarum domini*] Equum dicit ignorasse mortem domini Tydei. Hoc autem solum indignatum cum fremitu, quod majorem voluptatem caperet herus ex pedestribus pugnis, et se vacare sineret. Inepte hæc sub nomine Lactatii vetus enarrator de Hopleo intelligit. Neque illud non inscitissime, quod equum dicat lugere mortem domini. At non loquebatur isti asino Papinius, cum scriberet: *Fatorum ignarum domini*. Barth. *Frementem*] Poëtis licet equis humanos sensus dare. Dicit ergo Poëta equum Tydei doluisse mortem domini, ut Virgil. 'Post bellator equus positis insignibus Æthon It lachrymans.' *Lactant.*

208 *Audentior*] Fretus Hopleus auxilio equi audebat hostiles peditum catervas impetere. *Idem.*

209 *Nova ponderat*] Hippomedonta. *Idem.*

213 *Satiabere campo*] Cursu vel pastu. *Idem.*

215 *Extorrem*] In exilio degentem, quasi cujus umbra careat patria sepultura. *Neu tu quoque*] Ut eum ego relinquens læsi manes Tydei. *Idem.*

218 *Fulmine raptum*] Intelligi vult Poëta exhortationes Hippomedontis equum sensisse, cum fingit eum in vindictam domini tantæ velocitatis nimietate correptum. *Idem.*

219 *Similes habenas*] Non impares domini viribus. *Habenas* enim pro rectore posuit. *Idem.*

221 *Ipsum*] Partem Centauri quæ hominem præfert. *Idem.*

222 *Campus*] Subaudis, tremiscit equinam partem semiferi. *Idem.*

223 *Ille super*] Hippomedon. *Nec opina*] Quia maxima celeritate et subito nec opinantes oppressit. *Id.*

224 *Linquit truncos*] Tanta celeritate rapitur, ut decisis capitibus, prius ipse absit, quam trunca corpora in terram cadant. *Vet. Schol.* *Post terga cadentes*] Tanta celeritate

fugientibus absciderat capita, ut eo transeunte occisorum caderent corpora. *Lactant.*

226 *Signa mali*] Interpositio est, id est, hæc erant indicia de Hippomedontis exitu. *Idem.* *Signa mali*] Infinitis scriptorum locis *exundationes fluminum* pro infelicibus signis habentur. De Tiberi multis exemplis notum negotium. Plenus Julii Obsequentis Commentariolus. Vide ad Petronii Specimen Belli civilis inchoati, Horat. lib. I. Car. 2. Claudian. l. in Eutrop. Comment. *Se agebat*] Locutio Maroniana fastum et tumorem inferens, lib. IX. 'Antiphates se primus agebat,' &c. *Barth.*

227 *Illa brevis requies*] Mora fluvii fugientibus Thebanis, et tardationis Hippomedontis, parvam requiem tribuit. *Lactant.*

228 *Hospita belli*] Nova cladibus, quæ adhuc fuerat nullo belli cruore fuscata. *Idem.*

230 *Adversæ*] Contrapositæ. *Idem.*

233 *Longum*] Interpositio a mora. *Idem.*

238 *Sub undis*] Hoc est quantum poterant eorum spiritus sub undis durare. Lucan. 'Animam servare sub undis.' *Idem.*

239 *Turpe latent*] Pro turpiter cælantur. *Idem.*

240 *Sed vincla tenent*] Calciamentorum stricturæ. *Idem.*

241 *Deducit pectora*] Mergit aut trahit fluminis alveo. *Idem.*

245 *Turba latent*] Piscium multitudo. *Idem.*

247 *Emicet*] Scilicet delphinus. *Carinis*] Ut magis eligat carinis illudere, quam insequi pisces. *Idem.*

251 *Quatit arenas*] Titubat equus flumen ingressus, et quærit campum ubi firmos solet gressus infigere. *Idem.*

253 *Relicto*] Quia jam prope ripam evaserat fugiens. *Idem.*

254 *Et stamine primo Ablatum tellure mori*] Sensus: Nisi primo stamine, quod Parcæ nerant, negatum illi fuisset in terra mori. Respexit veterum stultum errorem, qui anus illas in ipsa nativitatis hora unicuique inevitabiles leges præscribere credebant. Catullus in Nuptiis Pelei: 'Talia divino fuderunt carmine fata, Carmine perfidiæ quod post nulla arguet ætas.' *Bern.*

255 *Ablatum*] Negatum fatis ut in fluvio potius moreretur, quam in terra. *Idem.*

257 *Utrumque*] Et Hypseum et Hippomedonta: quoniam uterque in flumine dimicabat. *Idem.*

261 *Spicula, jam clypeosque, leves arcusque remissos Unda vehit*] Piget et pudet minuta hæc monere: et tamen nisi æternum caligare velis, legendum: *Spicula jam clypeosque leves arcusque remissos Unda vehit.* Bernart.

265 *Efflantesque animas*] Doctrinam Homericam, Sinesio celebratam, sequitur. Nimirum in *aqua* exstinctorum *animas* cum corporibus interire, non valentes penetrare vim undæ, et per eam ad cælestia eniti. Vide Justo Lipsio, summo viro, notata libro III. Physiologiæ Stoicæ cap. 17. *Barthius.*

274 *Resolutus*] Amplexu fratris liberatus flumen evadere. *Idem.*

277 *Nodato gurgite*] Quia astringit vertigo fluminis natantes, et non dat spacium evadendi. *Idem.*

280 *Mille modis leti*] Quia mori cœperat unusquisque, sic Lucan. 'Mille modos inter lethi, mors una timorem, Qua cœpere mori.' *Idem.*

281 *Induit*] Totum pertransiit. *Id.*

282 *Auctor*] Qui vulnus infixerat nusquam parebat, Virgil. 'Neque enim his telis, nec vulneris auctor.' *Idem.*

283 *Effugiens hasta*] Dum impetu gurgitis traheretur invenit. *Idem.*

290 *Certior*] Id est, fixior sedens equum magis titubabat: sive *certior*, velocior. *Lactant.*

293 *Palæmon*] Ex duobus geminis

nomen alterius. *Idem.*

294 *Vive superstes*] E contrario ait Virgil. 'et fratrem ne desere frater:' hic ut deserat fratrem hortatur. *Idem.*

295 *Non decepture parentes*] Id est, ut in unius vultu desinant parentes ex similitudine filiorum errare. Virgil. 'At nunc sæva dedit vobis discrimina Pallas.' Lucanus: 'Et amissum fratrem lugentibus offert.' *Idem.*

299 *Stridebit*] Hæc enim in sepulto cadavere umbras facere opinabantur. *Vet. Schol.* Tydeum sepulchro honoratum supra ex Pausania notatum est. De 'stridore umbrarum' vide notata Casp. Gevartio ad lib. II. Silv. 1. Et Josepho Antonio Salasio ad Petronium p. 336. Hunc etiam Papinii versum citat Priscianus lib. x. p. 898. Edit. Puschianæ. *Barth.* *Inhumatus ad ignes*] Neque circa vestros rogos flebilis umbra Tydei et stridorem et lamenta dabit, dolens quod ipsa non meruerit rogum. *Lact.*

300 *Pabula monstris*] Ut Virgil. 'Piscesque impasti vulnera lambent.' *Idem.*

301 *Primordia solvit*] Hoc est, cum corpus non fuerit concrematum redigetur in pulverem, et redibit in principium sui: quia omnis caro dicitur esse terrena: quam opinionem secutus Lucanus ait: 'quam sol nimbique, diesque longior, Emathiis resolutam miscuit.' *Idem.*

307 *Caphareo*] Caphareus mons est Eubœæ insulæ, juxta quem Græci propter cautes asperas passi sunt tempestates; ut ipse in Achilleide: 'Caphareus nocturnaque signa Exeret, et dirum pariter quæremus Ulyxem.' *Lactant.*

318 *Depellere famæ*] Memoria præterita repetere, et oblivionis squalorem damnumque pellere. *Idem.*

319 *Hismenide*] Ex Hismeni fluminis filia Hismenide natus Priamides. *Idem.*

321 *Prima die*] Quando natus est. *Idem.*

324 *Adulantem*] Adulatur, alludit, ac blanditur: interdum supplicat. *Idem.*

326 *Subit obvius*] Id est, contra fluvium natat. *Idem.*

327 *Revertitur amnis*] Cum natante puero in originem suam recurrit. *Idem.*

328 *Non Anthedonii tegit hospitis, &c.*] Nihil pote melius hac lectione scriptorum librorum: qui supposuerant *inguina portus*, litare debuerant bonæ Menti. Glaucum intelligit, cui Anthedon patria. Papinius Prometii: 'Subitis qui perdidit inguina monstris Glaucus, adhuc patriis quoties allabitur oris, Littoream blanda feriens Anthedona cauda.' *Bernart.* *Anthedonii*] Anthedos civitas Glauci, qui Deus maris est factus gustata herba, qua pisces mortui animam receperunt. *Inguina*] A qua parte transformatus fuerat. *Lactant.*

330 *Caræ matris*] Matris Matutæ, Leucothoæ. *Vet. Schol.*

331 *Tardumque ferit*] Verbere exagitat delphinum, a quo portabatur Palæmon. *Lactant.* *Ferit*] Properans ad matrem, instigat vectorem Delfinum. *Vet. Schol.*

332 *Clypeusque insignis*] Pluribus historiis insculptus et coloribus variatus. *Idem.*

333 *Celatur origine gentis*] Gentis sive generationis pictura nitebat. *Lactantius.*

337 *Ire putes*] Ad picturæ laudem Poëta mobilitatem immobilibus dedit. 'pelago credas innare revulsas Cycladas, aut montes concurrere montibus altos.' *Idem.*

338 *Non discolor*] Non dissimilis mari multarum incremento aquarum. *Idem.*

341 *Lerna*] Palus Græciæ, in qua serpens plena capitibus eminebat. *Idem.*

342 *Deumque Altrices*] Liberi pa-

tris et Herculis. Ergo numinum hæc sunt fluenta. *Idem.* *Deum qui Altrices*] Scripti omnes: *Deumque.* Probe: modo distinguas: *Sacrum amnem, sacrum, (et miser experiare) deumque Altrices irrumpis aquas.* Gronov.

344 *Opposuit cumulo sed densior amnis*] Fieri non potest quin attentus lector hic hæreat, cui adjutorium libri veteres; *se densior.* Perspicue rectum, ideoque non timide in contextu recepi *Bernart.*

345 *Vulnus retentum*] Quod opposita mole aquarum conatus est fluvius retardare: sive *vulnus* hastam dixit, ut Virgil. 'illum ardens infesto vulnere Pyrrhus Insequitur.' *Lactant.*

347 *Utræque*] Ambæ fluminis ripæ. *Idem.*

348 *Cava*] Quia naturaliter loca concava gravius sonant. *Idem.*

350 *Mater*] Cum in extremo voce moriens matrem vocaret, extremum spiritum unda superveniens clausit. *Idem.* *Flumina*] Cum vocem hanc edidisset, suffocarunt eum aquæ intrantes os. *Vet. Schol.* Pariter autem matrem in ore habebat jam suffocandus Pætus apud Propert. lib. III. Eleg. 6. 'Pæte, quid ætatem numeras, quid cara natanti Mater in ore tibi est? Non habet unda Deos.' Pariter Alcyonem conjugem Ceyx apud Ovid. lib. XI. 'Sed plurima nantis in ore Alcyone Conjux... Dum natat absentem, quoties sinit hiscere fluctus, Nominat Alcyonem, ipsisque immurmurat undis.' *Barth.*

351 *Glaucarum*] Viridium Nereidarum. *Lactant.*

353 *Furibunda*] Attonita. *Idem.*

359 *Confinia ponti*] Id est, in qua parte se mari jungebat Hismenos, mutans colorem et saporem. *Idem.*

361 *Halcyone*] Ceyx filius Luciferi habuit uxorem Halcyonem, a qua cum prohiberetur ire ad consulendum Apollinem de statu regni sui, naufragio periit: cujus corpus cum ad uxorem delatum esset, illa se præcipitavit in pelagus. Postea miseratione Thetidis et Luciferi conversi sunt ambo in aves marinas, quæ 'halcyones' vocantur. Notandum autem cum de muliere dicimus, hæc halcyone facit, cum de avibus, hic et hæc halcyone, hi et hæ halcyones, id est, aves marinæ, quæ hyeme in mari nidificant, et pullos nutrire dicuntur, qui dies septem tranquillissimum faciunt pelagus. *Lactant.*

369 *Reclinat*] Supinat, ut mortuorum vultus possit rimari. *Idem.*

372 *Impulit*] Retorsit ad fluvium. *Idem.*

376 *Tribuere parentes*] Quia dicit Aristoteles post annorum millia et Nymphas et Faunos perire. *Idem.*

377 *Nostro*] Ex mortali puella in Nymfam mutata genuerat eum, ideoque mori Crenæum oportebat. *V. Schol.* Sed male: nam Ismeni filia hæc erat, et ex Fauno pepererat istum Crenæum. *Barth.* Aristoteles dicit post certa annorum millia et Nymfas et Faunos perire, quia commistione mortalium provenerunt. *V. Commentat.* *Regnas*] Regno tibi per me et meum patrem debito. Faunus erat pater Crenæi, mater amnis Ismeni filia, quam non nominat noster Poëta. *Vet. Schol.*

378 *Mitior heu misero*] Qui in sidera raptus non sit. *Lactant.*

383 *Undarum*] Propter Ismenon. *Nemorum*] Propter Faunum. *Idem.*

386 *Ambitus*] Quia rogabant tibi in matrimonium sociari. *Idem.*

390 *Dure parens*] Hismene immisericors pater. *Idem.*

397 *Justa tuorum*] *Justa* dicuntur solemnia funerum. *Idem.*

398 *Non hic solum*] Habetis causam aliam lachrymarum propter Hypseon funere filium quem postea Capaneus occidit. *Idem.* *Accensure nepotem*] Sed cum infinitis aliis gentilibus tuis ab uno homine interfectis. *Vet. Schol.*

401 *Nondum Nereida*] Cum adhuc

in Nympham minime mutata fuisset, et fieret Dea juxta Hismenum, ubi fuerat demersa. *Lactantius.*

402 *Leucotheam planxisse ferunt*] Fabulam Ino et Melicertis tangit, pueris jam decantatam, vel ex uno Ovidio Metam. IV. quem non exscribo: illud obiter sciat juventus, Ino hanc, Matutam matrem, ab antiquis dictam; eandemque esse cum Aurora. Cicero Tuscul. I. 'Ino Cadmi filia nonne Leucothea nominata a Græcis, Matuta habetur a nobis?' Lucretius lib. V. 'Tempore item certo roseam Matuta per oras Ætheris auroram defert, et lumina pandit.' Si de Matuta plura desideras, adi Plutarchum in Camillo, et Problem. Ciceronem de Nat. Deor. III. Livium lib. VI. *Bernart.*

403 *Respuit infans*] Palæmon videndo matrem suam flentem undas torsit, quæ illam ad se traxerunt: constat autem eam dolore præcipitasse se, postquam invita filium projecit in mare. *Lactant.*

406 *Amnis in agros*] Pluviis frugum meliora incrementa proveniunt. *Idem.*

407 *Quanquam obstrepit ipse*] Quamquam strepitus aquarum impediebat auditum, tamen auribus filiæ lamenta percepit. *Idem.*

410 *Urna*] Ita enim fluviorum simulachra pinguntur, quasi amnem urnis effundant, ut Virgil. 'Cælataque amnem fundens pater Inachus urna.' *Idem.*

411 *Scrupea limo*] Lapidosa loca circa mare, vel flumina, *scrupea* dicuntur. *Idem.*

412 *Fluviique minores*] Quasi nunquam eatenus visum, et parentem videlicet, et recepturum suum. Crassa ignorantia. Et sane non adfuerunt eatenus illi fluvii ulli concilio Deorum. Cui advocati (ut fieri solitum constat ex Claudiano et Sidonio, veridicis præter cæteros, talium auctoribus) poterant spectari toti, seniores sedentes, juniores erecti, III. Raptus: 'Nec non et senibus fluviis concessa sedendi Gloria, plebeio stat cætera more juventus.' Sidonius Paneg. Soceri, Aviti Augusti: 'Inde priores Consedere Dei, fluviis quoque contigit illo, Sed senibus, residere loco.' Omnes igitur illi vel nulli adfuerunt concilio, vel cæci fuerint, non visa magnitudine sui illius vicini; vel post ejus visum sunt prognati demum. *Barth.*

423 *Falsa*] Anthiopam Nyctei filiam stupravit Jupiter, in Satyrum versus, matrem Zeti et Amphionis. Ideo *falsa cornua*, quia cornuti sunt Satyri, quorum imaginem falsam sibi sumpserat Jupiter. *Idem.*

424 *Disjungere Phœben*] Hoc contigit cum Hercules nasceretur; nam tres a Luna continuatæ sunt noctes. Lucanus in Catagonio: 'Thebais Alcmene, qua dum frueretur Olympi Rector Luciferum ter jusserat Hesperon esse.' *Idem.*

425 *Deceptaque fulmina vidi*] Quia indisposite fulmen Semelen extinxit. Primam ergo fabulam Europæ dicit. Secundam Alcmenæ, in qua ter geminata est nox. Tertiam Semeles, quam fulmine suo Jupiter incendit. Quartam Ledæ, quam Jupiter prope flumen viciavit, mutatus in cygnum. *Idem.*

426 *Præcipuosque*] Increpans dicit præcipuos se Jovis filios educasse, id est, Herculem Liberumque. Unde cum Semele matre certum est Liberum fulminatum, sed a Jove Mercurioque perceptum, et femori Jovis insutum, ad nascendi esse tempora reservatum. *Idem.*

428 *Flagrantem Bromium*] Bacchus enim, cum natus est, 'merus ignis' fuit, a Nymphis aqua infusa compositus. *Barth.*

429 *Funera porto*] Cadaverum molem. *Lactant.*

434 *Clamatus sacris*] Clamore sacrorum repertus. *Idem.*

435 *Thyrsos*] Quibus Liberi caput ornatur. *Idem.*

437 *Strymonos*] Thraciam dicit. *Id.*

439 *Admonet*] Nec tibi in mentem venit: bis accipiendum est, ut sit, nec te, nec manus tuas, parentum nutritorum immemor. *Idem.*

442 *At tu*] Jam totam iracundiam torquet ad Hippomedontem. *Pueri*] Miseratione puerum vocat. Ut Virgil. Pallantis pueri. Quem alibi magnum Heroëm repræsentaverat. *Potentem*] Quem tu me potentiorem censes, quoniam filium meum occidisti. Sed non redibis ad eum de me triumphans. *Vet. Schol.*

445 *Ni mortalis ego*] Sive est in me mutata natura. *Lactantius.*

446 *Infrendens*] Minaciter sonitum dentibus dans. *Infrendere* enim est proprie dentes irascendo quatere, unde et 'infrendes' dicuntur pueri sine dentibus. *Idem.*

447 *Cithæron*] Ismenon in vindictam filii velut auxilia misit exercitus. *Idem.*

448 *Auxilia*] Fluenta nivium. *Pabula brumæ*] Eleganter nives pabula brumæ dixit: certum est enim nivium incremento stridorem hyemis magis augeri. *Idem.*

449 *Frater*] Ejusdem provinciæ fluminis. *Tacitas*] Vel sine stridore, quia dicitur Asopus lenis fluere; vel occultas, per latentia spiramina terrarum vires suas fluvius refundebat. *Idem.*

450 *Hiulcis*] Semiapertis. *Vet. Sch.* Virgil. Geor. II. 'Hiulca siti findit canis æstifer arva.' Hinc Servius: nimiis caloribus fissa. Catull. 'Cum gravis exustos æstus hiulcat agros.' *Barth.*

454 *Aëra siccat*] Pluviæ enim ex nebulis conceptæ terræ funduntur. Dicit ergo aquarum semina omnia ad incrementa hujus fluminis affuisse conversa. *Lactant.*

456 *Aggere*] Riparum altitudine. *Idem.*

460 *Pleiadas*] Ista sidera, cum occidunt, gravissimas tempestates commovent. *Lact.*

461 *Nigrum*] Turbidum, tempestatem significantem. Etenim si lucidus oriatur serenitatem significat, ut Virg. 'Armatumque auro circumspicit Oriona. *Idem.*

464 *Æstu*] Aquarum sonus ac fremitus Hippomedontis clypeum texit. *Idem.*

467 *Servantia*] Possidentia. *Idem.*

469 *Pugna impar*] 'Stare' dicit, cum neuter adhuc sit victor. Sic lib. VIII. de Marte: 'Stat medius campis, etiamnum cuspide sicca Armipotens.' *V. Schol.*

470 *Indignante Deo*] Hominem sibi tam diu obsistere. *Idem.*

471 *Ille*] Hippomedon ultra modum animosus. Non enim nesciebat se cum Deo pugnare, nec posse victoriam consequi. *Idem.*

473 *Fugiente*] Pedum nisu labente. *Lactant.*

475 *Subruta*] Eversa, id est, subter euntia. *Idem.*

478 *Imbelli famulante Deo*] Debili Libero. *Solumque cruorem Fœmineis*] Quem cum bacchantur ac se lacerant matres effundunt. *Idem.*

480 *Buxus*] Tibia. *Idem.*

482 *Et nube natantis harenæ*] Id est, natantis limi squalore sordentis: ad demonstrandam violentiam torrentis fluminis, fundo limum excitum in superficie aquarum rotare Poëta monstravit. *Lactant.*

484 *Oppositi*] Hippomedontis conversi: ut ostenderet viri fortis constantiam, dicit eum tarde cessisse vel numini. *Idem.*

488 *Grandine ferri*] Telorum multitudini, ne grando in terras rarius cadere putaretur. *Idem.*

490 *Quid faciat*] Exclamatio. *Idem.*

491 *Nec magnæ*] Id est, gloriæ suæ. *Idem.*

492 *Crepidine ripæ*] 'Crepido' dicitur moles eminentior in ripis. *Idem.*

493 *Undarum*] Incertum erat utrum hæc arbor ultra fluvium esset fixa, an in ipso fluvio : tamen melius in ipso fluvio accipimus stare. *Idem.*

495 *Hujus*] Arboris. *Nam qua terras*] Interpositio per interrogationem. *Idem.*

496 *Nec pertulit*] Non sustinuit arbor Hippomedonta trahentem. *Idem.*

497 *Pondere victa*] Tenentis viri gravitate vulsa est. *Idem.*

500 *Nec ultra Passurum*] Libri non discrepant: nec tamen mihi persuadent locum syncerum esse : judicent docti. *Bernart.*

502 *Huc undæ coëunt*] In locum stantis arboris unda successit, ut Lucan. 'Inque locum puppis cedit mare.' *Lactant.*

503 *Verticibusque cavis*] Omnino hæc emendanda sunt secundum authoritatem optimi codicis. Scribe : *ineluctabile cœnum Verticibus recavis cedit, crescitque barathrum.* Sic cohæret, ut debet, ordo loquendi. Nec hoc verbum de præsenti, illud de futuro tempore sermonem inducit. Vel uno hoc commate palmarium meritus est noster liber. *Barth.*

504 *Sinuosa vorago*] Cœnosæ altitudinis motus. *Lactantius.*

506 *Pudet*] Interpositio increpantis. *Idem.*

508 *Torrentis*] 'Torrentia' dicuntur flumina, quæ, subjecta montibus, facillime aquarum augentur incrementis. *Iniquis*] Magnis, sive vim inferentibus. *Idem.*

516 *Sic ego fida meis*] Tua negligentia aut odio facis, ut ego contemnar, aut pro infido numine habear. Notum autem Junonem Argis præcipue cultam. *Præda*] Insepultum Ismenus in mare rapiet. *Vet. Schol.*

518 *Busta dabas*] Quia cum vetaret Creon sepeliri, liberi occisorum ducum uxoresque eorum a Theseo, rege Atheniensium, meruere, ut, bello Thebanis illato, miseris redderet sepulturam ; invidiose Juno dicit, quoniam Hippomedontis corpus fluctus abstulerunt, Thebanorum crudelitatem nec miserationem poterit tolerare. *Lactant.*

523 *Resedit*] Peracta sive finita. *Idem.*

529 *Stupuit cruor*] Sanguis Hippomedontis, qui frigore fluvii gelatus morte, solutus aëris calore vulneribus manat. *Lactant.*

531 *Incerti*] Titubantes. *Idem.*

536 *Ordine silvas*] Quia ipsa post casum quercus ostenditur. *Idem.*

539 *Astrictis*] Timore compressis. *Idem.*

541 *Laxavit*] Nudavit, galeam adimendo. *Idem.*

548 *Ades o mihi dextera tantum*] Virgilius : 'Dextra mihi Deus, et telum quod missile libro.' *Idem.*

551 *Potentem*] Spoliorum dominum. *Idem.*

552 *Clipeumque per ærea terga*] Mirum hanc lectionem tam diu toleratam, cum et inepta esset, et scripti meliorem ostenderent. Quid est enim per loricam deprehendere clipeum ? At nos in omnibus fere membranis invenimus ; *clipeum per et ærea.* Nec vero satisfaciunt *terga loricæ*, quamvis teneant codices. Margo Arondel. vel *texta.* Quod verum est. Scribe : *clipeum per et ærea texta Loricæ :* nam sic lib. v. 'quin et squallentia texta Thoracum et vultu galeas intrare soluto Non pudet.' Pro eodem lib. III. 'magnorumque ærea suta Thoracum et tunicas chalybum squallore crepantes.' *Gronov.*

553 *Animam*] Hypsei. *Lactant.*

557 *Super assistens*] Hypseo. *Idem.*

558 *Refer huc oculos*] Ad me respice. *Idem.*

565 *Membra sepulchro*] Spolia super eum jecit quasi sepulchri vice. *Idem.*

570 *Somni turbata figuris*] Omnes scripti : *somnum turbata*, id est, per somnum. Nec enim feres, credo, quod homo doctus hic annotaverat, *somnum* esse genitivum pluralem loco

somnorum, cum credibile sit sæpius hanc Atalantæ obversatam esse speciem. Sic vs. 616. 'Sic quoque venatrix, animumque innupta remansi;' nam ita membranæ, ubi vulgo, 'animoque.' Nihil frequentius utique Poëtis. *Gronov.*

572 *Crine dato passim*] Nunquid rectius, *crine dato passum?* Ovidius: 'Passis sedet ipsa capillis, Ut solet ad gnati mater itura rogum.' Virgilius: 'Crinibus Iliades passis.' *Bern.* *Ex more*] Quo more solita erat cum procis suis cursu certare. *Lactant.*

574 *Virente*] Perenni. *Idem.*

575 *Curarum pondere*] Magnitudine: quia illi maxime turbantur, qui magnis curis urgentur. *Idem.*

578 *Exterrem*] Exulem, *extorris* enim dicitur exul, quasi exterris, id est extra terram. *Idem.*

580 *Videbat*] Ab inferiori sensu, et supra videbat intelligendum. *Idem.*

581 *Ipsum*] Filium. *Idem.*

582 *Effigiesque suas*] Portendebatur ei filium moriturum, qui est matris effigies. *Idem.*

583 *Præcipuos*] Post alias noctes hæc somniis gravior videbatur. *Idem.*

584 *Nox misera*] In qua videt somnium, quod Poëta dicturus est. *Erexit*] Excitavit sollicitudine. *Idem.*

585 *Fœlici robore*] Fructiferi roboris. Enarratio somnii noctis ultimæ. *Idem.*

587 *Numenque colendum Fecerat*] Longe suavius, *colendo;* quod in scriptis. Ipsa religionem ei addiderat cultu suo. Martialis interpres optimus VIII. 24. 'Qui fingit sacros auro vel marmore vultus, Non facit ille Deos: qui rogat, ille facit.' Quem locum et Gruterus hic annotarat. *Gronov.*

589 *Arma*] Dentes, ut Virgilius: 'Tum demum movet arma leo.' *Lactant.*

590 *Figere*] Virgilius: 'Sacra ad fastigia fixi.' *Idem.*

592 *Impedit*] Adoperit. *Idem.*

593 *Fessa*] Somnio, quod vidit. *Idem.*

598 *Lyæum*] Bacchum: per hoc portendebatur Thebanis occidendum Parthenopæum: nam Thebæ Libero patri dicatæ sunt. *Idem.*

600 *Abrupere oculi*] Experta est falsos quos in somniis passa est. *Idem.*

605 *Sub Eoo*] Matutino tempore. *Idem.*

606 *Quercus*] Quam viderat fuisse præscissam. *Idem.*

608 *Signa*] Venatoris insignia. *Id.*

610 *More nihil Graio*] Non Græcorum more delector. *Aspera*] Ubi homines immolabantur sacris. *Idem.*

612 *Thyasi*] Chori virginum et puerorum, qui Libero hymnos canunt. *Idem.*

614 *Thyrsos*] Hastas pampineas. *Idem.*

615 *Tetricis*] Severis sive horribilibus. *Idem.*

617 *Culpam*] Quod sum neglecta pudicitia viciata. *Idem.*

618 *Ostendi*] Subaudi, tibi Diana. *Trementem*] Mox natum. *Idem.*

622 *Quid trepidæ noctes*] Interpositio cum interrogatione. *Idem.*

625 *Ampla*] Majora. *Da visere tantum*] Si victorem non possum, restitue quæso Diva vel victum. *Idem.*

626 *Tuaque arma*] Venationis, id est, sagittas. *Preme*] Compesce nefanda somniorum omina. *Idem.*

627 *Delia*] Vocativus est. *Idem.*

628 *Mænades*] Bacchæ, quoniam in somnis quercum viderat, a Libero patre et Bacchis forte præscissam. *Idem.*

630 *Cui penitus*] Quare me vehementer huc trahit suspicio, ut putem orbitatem mihi significari, arboris casu. *Idem.*

632 *Dictynna*] Ob id dicta Dictynna Diana. Briton Martis filia virgo Cretensis Dianæ dicata. Huic cum Rex Cretensium Minos stuprum vellet inferre, illa se jecit in mare, illataque est retibus piscatorum, quæ

Græce δίκτυα nominantur, a quibus hujus corpus extractum est: insula tamen Creta pestilentia laboravit, quam evadere penitus nequissent, nisi templum Dianæ instituissent, eamque Dictynnam vocassent, a retibus. *Labores*] Deprecor te Diana per maternos dolores, sive quibus tu edita es, sive per omnium parturientium gemitus. *Idem.*

635 *Audiat ille precor*] Intelligi potest. Sed ad longe meliorem sententiam præeunt scripti: *Audiat ille prior.* Bern.

636 *Maduisse Dianæ*] Tanta miseratione Atalanta conquesta est, ut videretur etiam simulacro numinis movisse lachrymas. *Mænalon astris*] Tanta est Mænalios altitudo, ut cacumen ejus astris videatur insertum. *Lactant.*

638 *Verentem crinibus aras*] Manifesta corruptio, quam norma versus spernit: vet. *verrentem*, exigua, sed aureola emendatio, quam ut liquido veram in contextum admisi: respicit morem priscum: crinibus enim passis templa matronæ in suppliciis (proprium in hac re hoc verbum) 'verrebant.' Livius lib. III. 'Stratæ passim matres, crinibus templa verrentes, veniam irarum cælestium exposcunt.' Idem lib. XXVI. 'Matronæ circa Deum delubra discurrunt, crinibus passis aras verrentes.' Apuleius l. v. 'Tunc Psyche uberi fletu rigans Deæ vestigia, humumque verrens crinibus suis.' Mamertinus Panegyrico ad Maximianum: 'Matres Italæ pensa manibus abjecerunt, parvos liberos abreptos ad templa traxerunt, ibi ædes sacras passo capillo suo quæque verrebat.' *Bernart.*

641 *Qua semita lucet*] Diis eam partem tantum ad transitum datam significat, quæ summum aërem infimumque conjungit, qui locus est circa circulum lunæ. De quo Lucanus: 'Qua niger astriferis connexis axibus æther, Quaque patet terras inter lunæque meatus.' *Lactant.*

644 *Colla*] Parnassi juga. *Idem.* *Cum fratrem nube corusca*] Lego: *Cum fratrem in nube corusca Aspicit haud solitum visu.* Sensus: Vidit Diana Phœbum in nube, non eo vultu quo consueverat. *Bernart.*

647 *Sidere mixto*] Bene per occasionem figmenti poëtici naturalem exposuit rationem: tunc enim eclipsis fit solis cum luna trigesima est, et ad signum idem venit, et orbem ejus obscurat. *Lactant.*

650 *Labdacias*] Thebanas a patre Labdacio. *Idem.* *Labdacidas, germana, cohortes*] Primum illud vocabulum, quoties usurpat Statius, format a 'Labdacides.' Itaque infra: 'indignantesque fremebant Labdacidæ.' Itaque non magis potest dici 'Labdacides cohors' quam 'Tyndarides Helena' aut 'Priamides Polyxena.' Atque etsi a 'Labdacis' dici possit eo casu 'Labdacidas,' credibile tamen est eo abstinuisse propter ambiguitatem. Scribe: *Labdacias, germana, cohortes.* Gronov.

653 *Pudet irritus*] Quia Amphiarao auxilium ferre non potuit. *Lactant.*

656 *Coëgi*] Conjunxi. *Idem.*

658 *Antra*] Ubi oracula Apollinis dantur. *Idem.*

663 *Confusa vicissim*] Interposuit suam Poëta personam, quam verbis Dianæ posuit: ordo ergo et sensus talis est: Si mihi eum non licet de prælio liberare, certe extremum decus et solatia mortis concedam, ne inultus occumbat. Ut sit parenthesis ex persona Poëtæ: *confusa vicissim Virgo refert.* Idem.

667 *Et nostris fas sit*] Quasi primum tunc cruentarit sagittas suas humano sanguine Diana. Quid Nioben ostentantibus undique Tragœdiis respondebit? Quid cum totam Cretam iracundia sua pene delevisset? Vide ad vs. 632. *Barth.*

668 *Libandaque fratri*] Osculata

est fratrem. *Lactant.*

683 *Illum*] Parthenopæum. *Idem.*

684 *Tunc passus habenas*] Virga aut voce in Venatione ante hanc expeditionem regi consuetus. De Numidis pariter Claudian. Bell. Gild. 'Sonipes ignarus habenæ Virga regit.' Vide Silium Ital. in lib. I. ubi 'Virgæ rationem' indicat. *Barth.*

685 *Discolor*] Maculosus. *Ambit*] Operit. *Lactant.*

686 *Tigris*] Pro pelle tigridis. *Unguibus armos*] Currente equo mota pellis equi armos cædebat. *Idem.*

687 *Colla sedent nodis*] Plena sunt musculis. Virgil. 'Luxuriatque toris animosum pectus.' *Castigata jubarum*] Pexa et collecta juba in cervice equi sedebat ornata. *Idem.*

688 *Nemorisque notæ*] Signa venationis equo sub pectoris prima parte pendebant. *Idem.*

689 *Lunata*] In modum lunæ curvata. *Idem.*

691 *Noverat unum*] Interpositio: et bene *unum*, quia, nisi pietate victa filii, nunquam venatrix fœminea opera contigisset. *Idem.*

692 *Collectus*] Cinctus sive strictus. *Idem.*

697 *Catenas*] A parte enim galeæ descendunt catenæ, quæ ab ictu colla sedentis defendant. *Lact.*

704 *Multumque severis*] Supra præmissa Parthenopæi pulchritudine his est vitanda laudatio. Ipse tamen formæ laudem aspernatur, et ut cælet pulchritudinem suam irascitur. *Idem.*

707 *Natorum memores*] Ne filiis suis paria acciderent, si ipsi necem Parthenopæo pene adhuc puero intulissent. Scelus enim putabatur talem perimere, et timebatur Nemesis. *Vet. Schol.* *Intentaque*] Contra Parthenopæum parata ætatis misericordia revocantur tela. *Lactant.*

713 *Quod inquit*] Dubitantis est. *Idem.*

716 *Cruda*] Immatura. *Idem.*

722 *Et nunc illa*] Mater scilicet Atalanta. *Idem.*

723 *Limina lasset*] Rogando fatigat, ut Horatius: 'Prece qua fatigent Virgines sanctæ minus audientem Carmina Vestam.' *Lactant.*

724 *Ululanda*] Formidanda sive luctuosa. *Idem.*

725 *Moriture parenti*] Matri tuæ tantum peribis, cui soli morte tua ingeres luctum. *Idem.*

730 *Coryton telis*] *Coryton* thecæ arcus solius dicitur, sicut 'pharetra' sagittarum, et 'sagma' scuti: nunc vero *coryton* pro pharetra posuit. *Idem.*

731 *Ambrosio liquore*] Conservante ab omni damno. Si fatum tollere Diana non potuit, potuit viventem tamen excolere usque ad mortem: *Vet. Schol.* Ubi 'excolere' est exornare, honorare, colere. Vide Advers. Barthii. 'Ambrosius' autem 'Succus' Poëticis Divis omnis divinæ opis, omne auxilium salutare. Sic apud Maron. Venus vulnerato filio Ænea, lib. XII. 'spargitque salubres Ambrosiæ succos et odoriferam Panaceam.' *Barth.*

733 *Conscia miscet*] Ipse est Hecate, quæ invocatur a Magis. *Lactant.*

739 *Getula*] Afra. *Idem.*

741 *Ungues*] Quibus nocet. *Idem.*

742 *Indignatur*] Cum leo unguibus aptum venationi se jam senserit, indignatur matris venationibus nutriri. *Idem.*

745 *Prima Tanagræum*] Eubœum, Tanagreus civitas est Eubœæ, ut ipse in catalogo: 'Mille sagittiferos gelidos de colle Tanagræ.' *Lactant.*

746 *Margine parmæ*] Inter limitem scuti vel galeæ. *Idem.*

748 *Sacri*] Execrabilis: seu quia Diana ejus sagittas infecerat. *Idem.*

749 *Sævit in Eurytion*] Præterquam τὸ *sævit* hic fatuum, vel eo poterat hæc lectio intoleranda videri, quod Εὐρύτιος non est Græcum, sed Εὐρυτίων. Homerus Odyss. Φ. Κένταυ-

ρον ἀγακλυτὸν Εὐρυτίωνα. Εὔρυτος Εὐρυτίων, ut Ἥφαιστος Ἡφαιστίων. Sine cunctatione igitur admittatur, quod offerunt scripti: *Sævius Eurytion*, nimirum, turbatus est. *Gronov.*

754 *Explevit*] Ambos illius oculos obcæcavit. *Lactant.*

758 *Addit*] Occidit. *Abantiadas*] Abantis filios, quos supra memoravit, 'Non ego Abantiadas.' *Idem.*

759 *Et male dilectum*] Quia dilectus inter vos non pietatis est, sed libidinis. Notandum ergo quod hic *male* scelerate significat, quia incestum ostendit: ideo quasi impii ipsius tantum mortem expressit. *Idem.*

764 *Non forma Lanum*] *Lamum* habent meliores libri. Quæ est vera lectio exemplo Maronis lib. IX. 'Lamirumque, Lamumque, Et juvenem Serranum, illa qui plurima nocte Luserat, insignis facie.' Lamo ergo tribuit de proximo sumtam Serrani formam Papinius. Est alioquin Lamus Ciliciæ fluvius, qui regioni nomen dedit Lamusiæ apud Stephan. et urbs Læstrigonum apud Homer. Odyss. K. *Barth.*

768 *Præceps*] In præcipitio posita, sive in montis latere ædificata. *Candida*] Propter columbas. *Lactant.*

769 *Non excipietis Amyclæ*] Minime in suam patriam revertitur. Amyclæ civitas Laconiæ regionis. *Idem.*

772 *Quis crederet arcum*] Post terga mittebat sagittas fugiens, sicut Parthi. Lucan. 'Et melior cessisse loco quam pellere virtus.' Virgilius; 'Fidentemque fuga Parthum versisque sagittis.' *Idem.*

774 *Nunc latere alterno*] Nunc ex hoc, nunc ex altero latere sese invertens, sagittas hostibus Thebanis immittit. *Dubius*] Ut nesciant, nec cavere possint, unde incidant sagittæ. *Conamina*] Intentionem sagittas emittendi. *Vet. Schol.*

777 *Labdacidæ*] A patre Labdaco. *Lactant.*

778 *Amphion*] Filius Amphionis, Zeti fratris. *Quæ funera*] Quantas mortes. *Idem.*

783 *Infra*] Nec dignus ira hostis, contemptibilis. *Idem.*

787 *Fama movet*] Si vis gloriose mori. Hic exercitus dicit Parthenopæus, Thebanorum debilitati etiam puerilia arma sufficere. *Idem.*

793 *Nocte silenti*] Epitheton noctis: seu quod sacra a Thebanis tacite celebrantur. *Idem.*

795 *Vertice mitras*] Mitra incurvum pileum, de quo dependent buccarum tegmina. Et oratorie crimen objectum est ex habitus qualitate. Virgil. 'Et tunicæ manicas et habent redimicula mitræ.' *Idem.*

802 *Lumine diro*] Convenienti hastæ; sive aspero, quod lux ferri oculos terreat. *Idem.*

804 *Devius hastam*] Aviæ hastæ motus. Virg. 'dato vertit vestigia tergo.' *Idem.*

807 *Omni stetit*] Nihil de vivo vultu mutavit in conspectu rectissimo. *Idem.*

808 *Pudico*] Casto. *Idem.*

810 *Mandaverat*] Commendaverat. *Idem.*

811 *Vultum Dea dissimulata*] Dicimur 'dissimulare,' quod non præferimus, quod capimus celatum. Ut alibi noster: 'tamen ore nitebat Dissimulatus honos:' quem ipse suppresserat, vetuerat parere. Ergo Diana non potest dici *dissimulata vultum* Dorcei, quem adsumpserat et præ se ferebat. Lege: *Hujus tum vultu dea dissimulata;* id est, sub hujus figura vel facie latens Dea. Nam se dissimulabat ipsa. Et sane Dan. codex habet *vultu*. Gronov.

813 *Parce parenti*] Bene furenti filio nomen matris apposuit, ut ablatio cari nominis puerum festinato suo retardaret interitu, ut vel matri parceret: quippe quam pro gloria sua contemnere cupiebat. *Lactant.*

818 *Cultus*] Spolia Amphionis. *Id.*

825 *Tempestiva*] Oportuna. Ho-

ratius: 'Desine matrem tempestiva sequi viro.' *Idem.*

826 *Mediam se ferre*] Ad vim et gravitatem pertinet. *Vet. Schol.* Sane gradum non levem hæc locutio infert. Virgil. Æn. II. 'Qua se, dum regna manebant, Sæpius Andromache ferre incomitata solebat.' *Barth.*

828 *Temperet*] Disponat, aut ordinet. *Lactant.*

840 *Solo post hæc devicta pudore*] Longe mihi probatius, quod in scriptis etiam fere omnibus inveni: *post hæc evicta pudore.* Gron. *Pudore*] Subaudi, cessit, et avertit a Parthenopæo faciem. *Lactant.*

843 *Turbidus Orion*] Quia hic Dryas Orionis fuit filius, qui immissu Dianæ scorpii ictu periit: turbidus autem quia stella ejus tempestatem movet; sive fortis vel incontinens, quippe qui nimio amore Dianæ flagravit. *Idem.*

844 *Inde furit primum*] Ex illa causa, quia patrem ejus Diana sagittis occiderat. Unde Horat. 'Virginea domitus sagitta.' *Idem.*

845 *Arcades*] Comites Dianæ. *Id.*

847 *Fugiunt Pheneique phalanges*] Τὸ *fugiunt* non est in sincerioribus libris: sed tantum, *Thelephe æque phalanges;* nam quod Schottus profert Observ. II. 29. *pereunt Tegeæque phal.* est a mala manu: et facile refutatur, quia jam præcedenti versu habitatorum Tegees mentio facta. Conjicio: *Æpytiique-duces Thelpusææque phalanges.* *Thelpusa* urbs et ager in Arcadia. Vide Pausaniam lib. VIII. *Gronov.*

849 *Servat vires*] Dum hostes insequuntur. *Lactantius.*

851 *Præcedunt nubila mortis*] Circumvolant: id est, mens Parthenopæi turbabatur vicinæ mortis adventu. *Idem.*

856 *Obarsit*] Effulsit, vel resplenduit. Avus enim Dryas Neptuni filius fuit, Jovis et Mercurii: idcirco duorum numinum armis gerebat insignia. *Idem.*

859 *Hiscere ripam*] Ut se submergat, et fugiat aquilam. *Idem.*

864 *Expedit*] Ad sagittandum parat. *Idem.*

867 *Aonii*] Dryantis. *Idem.*

868 *Nervi sonori*] Arcus Parthenopæi inciso nervo. *Idem.*

869 *Ictus*] Quos Parthenopæus paraverat perierunt. *Idem.*

874 *Poplite sistit*] Per sedentis poplitem equum percussit. *Idem.*

876 *Conscius*] A Diana intelligitur Dryas occisus, ut ipsa superius promiserat dicens: 'et nostris fas sit sævire sagittis.' *Idem.*

881 *Et prensis concussa comis*] Nam morituris solent erigere capita, comas concutiendo sive vellendo, quasi revocent illius sensum. *Idem.* *Et prensis concussa comis*] Ritus (hic a Lutatio observatus) alibi mihi non lectus. Scio præsecari solere crines morientibus, unde illud Virgilii; 'Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem Abstulerat:' (Macrobius Satur. v. cap. 19. videatur:) sed nihil ad lucem hujus loci. *Bernart.*

884 *Incidente*] Irrumpente. *Lact.*

889 *Arma tenenti*] Ne audita morte mea, te aut se interficiat. id est, statim ut veneris ne dicas me occisum fuisse. *Idem.*

890 *Dic merui*] Dic meæ matri, ex mea persona merui occidi, quia te revocantem me ab intentione belli non sum secutus; et merito pœnas dedi. *Idem.* *Invita capessens Arma puer*] Mss. magno consensu *capesse.* Idque verum esse agnosces, modo recte interpunxeris: *Dic: merui, genitrix. pœnas invita capesse. Arma puer rapui*] Dignus fui perire, qui te offenderim, et injussu tuo arma rapuerim, nec vel in ipso prælio tui reverentia parcius me periculis objecerim. Resuscita igitur iram tuam, ut patientius doleas, et cogita Deos maternæ majestatis vindices, teque adeo ipsam, licet invitam, et graviores, justas ta-

men, de me pœnas expetivisse ob contumaciam et temeritatem. Hoc velut ultionis solatio luctum mitiga. Vox Corbulonis se ferientis, ʼΆξιος, quod scelesto Principi nimium credidisset, apud Dionem. *Gronovius.*

894 *Lycæi*] Mons enim hic Arcadiæ altissimus. *V. S.* Inter insignes ejus regionis recenset Strabo lib. VIII. Et Plinius lib. IV. c. 3. 'Jovis Lycæi fano' ibi celeberrimo diversi, quod *ad montem*, κατὰ τὸ ὄρος, Strabo, in montem collocat Plinius. *Barth.*

901 *Præbuit*] Interpositio per Poëtæ personam. *Idem.*

902 *Me dedignante solebat*] Quia quasi vir fortis volebat ornatibus decorari. *Idem.*

907 *Ingratæ munus suspende*] Quæ me non potuit inter bellum protegere. *Idem.*

THEBAIDOS LIB. X.

1 *Obruit Hesperia*] Hesperia occidentali. *Lactant.*

2 *Properata*] Festinata. *Idem.*

3 *Miseratus opes*] Miseratus est Jupiter triste esse perire illos, qui nec Thebani fuerant, nec Argivi, sed utriusque partibus auxilio venerant. *Id.*

5 *Panditur*] Abscessu militum patefactus est campus, quorum acie antea tegebatur. *Deformis sanguine*] Horridus sive confusus. *Idem.*

7 *Orba rogis*] Sepultura carentia. *Idem.*

8 *Inhonora cohors*] Turpis visu. Claudian. 'Nunc inhonorus, egens, perfert miserabile pacis Supplicium.' Bello Gildon. Vide et lib. II. vs. 629. Exprimitur Virgilius de Deiphobo: 'Truncas inhonesto vulnere nares.' *Barth.*

9 *Ineuntibus arma*] Anastrophe, pro euntibus in arma, id est ad bellum. *Lactant.*

10 *Angustæ*] Nimia multitudine. *Late cepere reversos*] Quia pauci redierant. *Idem.*

11 *Par utrinque dolor*] Quia utriusque partis magna clades extiterat. *Id.*

12 *Quatuor errantes*] Amphiarai, Tydei, Hippomedontis, Parthenopæi. *Idem.*

13 *Viduæ moderantibus alni*] Gubernatoribus destitutæ. *Moderantibus* pro moderatoribus, participium pro nomine. *Idem.*

15 *Animus*] Audacia: hinc enim fiducia Thebanis accreverat, quod quatuor Argivorum duces eximii extincti fuerant sorte bellorum. *Idem.*

17 *Contenti rediisse*] Quibus sine gloria incolumibus in patriam rediisse suffecerat. *Idem. Dat tessera signum*] Tessera antiquis breve lignum, cui signum inscriptum vel insculptum: hinc Polybius lib. VI. πλατεῖον tesseram vocat et Plinius lib. XVI. cap. 18. Ligustrum, cujus lignum molle et tractabile, tesseris aptissimum scribit. Usus Tesseræ qua in pace, qua in bello. In pace præcipue triplex. Nam aut 'frumentaria' ea, aut 'ludicra,' aut 'hospitalis.' Frumentaria civibus tenuioris fortunæ in principio cujusque mensis distribuebatur; ea accepta ad horrea publica ire licitum; petitum frumentum gratis. Meminere compluries Jurisconsulti nostri. Ulpianus De Jud. lib. LII. 'Si libertis suis tesseras frumentarias emi voluerit, quamvis major pars hæreditatis in provincia sit, tamen Romæ debere fideicommissum solvi, dicendum est: cum apparet id testatorem sensisse,

ex genere comparationis.' Paulus de Leg. XLIX. 2. 'Si Titio tessera frumentaria legata sit.' Ludicra, a principibus luxu diffluentibus introducta. Vid. Xiphilinum Nerone. Hospitalem juventus ut intelligat, scire debet Hospitii necessitudinem non inter privatos modo, sed reges, populos, oppida, veteribus contrahere sollenne. Livius lib. v. de Timasitheo Liparensi: 'Hospitium cum eo Senatusconsulto factum est, donaque publice data.' Et libro VII. 'Nihil nobis tota nostra actione P. C. difficilius neque molestius est, quam quod cum Eumene nobis disceptatio est, cum quo uno maxime regum et privatim singulis, et (quod magis nos movet) publicum civitati nostræ hospitium est.' Hospitii hujus contracti signum (signate inter privatos) tessera erat, quæ utrinque dabatur. Plautus Pœnulo: 'Si ita est, tesseram conferre si vis hospitalem, eccam attuli. AG. Agedum huc ostende: est par probe, nam habeo domi. PŒ. O mi hospes, salve multum. nam mihi tuus pater, hæc mihi hospitalis tessera cum illo fuit.' Allusit lepide, uti solet, idem Comicus Cistellaria: 'hic apud nos jam Alcesimarche confregisti tesseram.' Novam, sed aptam more suo, ab hoc ritu vocem formavit Tertullianus de Præscrip. 'Communicatio pacis, et appellatio fraternitatis, et contesseratio hospitalitatis, quæ jura non alia ratio regit quam ejusdem sacramenti una traditio.' Memini aliquando erudite de hoc loco disserentem me audivisse, eruditissimum Theologum, Petrum Bernartium, cognatum meum, virum plane (veris, non ambitiosis laudibus utor) antiquæ vitæ, doctum pariter et probum. Ad bellum jam venio, in quo frequens etiam tesseræ usus, signate ad colligendum militem, ad excubias, ad pugnam. De tessera ad colligendum militem accipiendus est Virgilius VII. 'Classica jamque sonant: it bello tessera signum:' Et Papinius noster l. VII. 'longo fugit ordine velox Tessera.' De ea quæ ad excubias aperte idem Statius: 'dat tessera signum Excubiis, positæque vices.' exempla passim obvia in historia Romana. Nec ideo tamen velim existimes, Papinium, more suo, Græcam litem Romano jure decidere. Nam et apud Græc. tesseræ hujus usum fuisse diserte asserit Pausanias Phocicis: imo apud Persas Xenophon, lib. III. et VII. Tesseram ad pugnam fuisse, elicias ex Taciti loco Historiarum III. 'Eadem utraque acie arma, crebris interrogationibus notum pugnæ signum:' recte ait, 'interrogationibus;' nam vocalis ea. Hirtius de Bello Africano: 'Cæsar signo Felicitatis dato, equo admisso in hostem ire contendit.' Respicit hanc etiam Suetonius Octavio, cap. 16. 'Sub horam pugnæ tam arcto repente somno devinctus, ut ad dandum signum ab amicis excitaretur.' Denique scito uti 'frumentariæ tesseræ' erant, ita 'oleariæ,' quibus oleum, 'cœnariæ,' quibus cœna, 'nummariæ,' quibus nummi præberentur, fuisse. Postremo observabit juventus, Principum ævo ita inolevisse tesserarum usum, ut per tesseram quælibet mandata darentur. Suetonius Galba: 'Sollenni forte spectaculo plaudentes inhibuit, data tessera ut manus penulis continerent.' Ammianus: 'Per tesseram edicto itinere:' dico, 'Principum ævo' frequentiæ caussa; nam libera Republica etiam usus. *Bernart.*

19 *Ultro*] Voluntate, non sorte cogente. *Idem.*

21 *Lux crastina*] Quæ nos victores efficiet. *Idem.*

23 *Secundis*] Faventibus. *Idem.*

27 *Tumet*] Superbit. *Idem.*

29 *In manibus merces*] In promptu est præmium laboris nostri. *Idem.*

35 *Jam vestras*] Ad incitandum virorum fortium animos spem prædæ monstravit, ut Lucan. 'Superest pro

sanguine merces, Quam monstrare meum est.' *Idem.*

40 *Adversaque terga*] Excubiarum inter se officia diviserunt. *Idem.*

43 *Sub noctem*] Per noctem. *Idem.*

45 *Fauces*] Luporum. *Idem.*

47 *Quod superest*] Siquidem nil aliud potest facere. *Idem.*

49 *Supplex in limine templi*] Scripti propemodum omnes: *in margine templi:* quod spernendum non fuit; nam vulgatum ejus interpretatio est. Ad Marcellum: 'Maroneique sedens in margine templi Sumo animum.' *Gronov.*

53 *Saxa terunt*] Ita suppliciter humi procubuerunt, ut vultibus suis templorum tererent limina. *Lactant.*

56 *Peplum etiam dono*] Peplum est vestis candida, aureis clavis picta, sine manicis, quod simulachris fiebat. Sed hoc peplum primum est ab Atheniensibus institutum, quod matronæ suis manibus faciebant: et inter triennium numinibus offerebant. *Lactant.*

59 *Ubi*] In ipso peplo. *Floret*] Splendet. *Lactant.*

60 *Incenditur*] Splendet. *Idem.*

61 *Desponsa*] Sponsa designata. *Id.*

62 *Timide positura pudorem*] Bonum hoc, sed non germanum. Libri veteres siquidem consensu lectionem præferunt, talento contra non caram: *timide positura sororem*, acute, et quo verbo omnem Venerem complector, Papinio meo digna sententia. Mens: Timide Junonem vincula naturæ rupisse, et a sorore ad uxorem transiisse: quod peculiariter ipsi convenit: τὸ *pudorem* translatitium est, et omnibus commune. Quis tam inamœnus ut elegantissimam hanc emendationem non exosculetur? *Bernart.*

63 *Lumine demisso*] Nam virginitas cum pudore deponitur fœminarum. *Lactantius.*

68 *Tumulumque rebellem*] Synecdoche, a parte totum, et tumulum in quo natus est Liber rebellem contra Junonem. *Idem.*

73 *Fors dedit*] Casus occurrens. *Id.*

74 *Vallum*] Thebanorum. *Idem.*

77 *Gemineeque Tonantis*] Indignata est Juno vacuis in astris geminos Jovis in Thebana urbe concubitus. *Idem.*

83 *Suspenditur*] Curvatur; ut ipse alibi: 'suspendit Pelion arcu.' *Id.*

84 *Occiduæ*] In occidentalibus partibus constitutæ. *Idem.*

85 *Æthiopasque alios*] Mauros dicit occidentales. *Idem.* *Æthiopasque alios*] Nam duplices Æthiopes, Occidentales et Orientales. Homerus Odyss. A. Αἰθίοπες τὰ διχθὰ δεδαίαται, ἔσχατοι ἀνδρῶν, Οἱ μὲν δυσσομένου ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνιόντος. *Bern.* *Nulli penetrabilis astro*] Hoc est, nullius sideris lumen admittens. *Lactant.*

86 *Iners*] Quietus. *Grave*] Pigrum sive obscurum. *Idem.*

87 *It*] Vadit. *Idem.*

91 *Silentia pennis*] Alata quidem, sed pennas non elevantia. Silentia ideo 'pennata' fecit, quia per silentium cogitationes celerrime volant hinc inde. Alludit simul stridorem aut sonitum volantium pennarum silentio contrarium. *Barth.*

93 *Errare*] Moveri. *Lactant.*

106 *Ipse autem vacuus*] Ante hunc versum sex alios e Mss. prolatos Lindenbrogio, post et An. Schotto, nos quoque in sex codicibus invenimus, et sunt omnino excellentis Poëtæ. Quod ipsum Somnum passim fictum posuit Vulcanus, idem fecit in regia Martis lib. VII. 'cælataque ferro, &c. ubique ipsum, sed non usquam ore remisso Cernere erat: talem divina Mulciber arte Ediderat.' Quam scite autem, quæ maxime causantur somnum, aut in eum desinunt, ea diversis in diætis cum Somno jacent! Sic Virgilius in sexto ea locavit in aditu inferorum, quæ vicina sunt morti, aut secundum mortem creantur, aut in morte sunt, ut observat Servius. 'Voluptatem' primam, cujus juxta vivum exemplum apud Petronium in hac-

chanali Quartillæ, Homerum Jovis in Ida, Virgilium Vulcani, qui 'placidumque petivit Conjugis infusus gremio per membra soporem.' Inde 'laborem:' unde Terentio Phædria: 'Opus faciam, ut defatiger usque ingratis ut dormiam.' Silius lib. VIII. 'sitimque Avertunt fluvio somnique labore parantur.' Additur 'Bacchus,' de quo Noster alibi: 'tuoque Baccho In serum trahor ebrius soporem.' Silius lib. VII. 'composuit luctantia lumina somnus, Somnus, Bacche, tibi comes additus.' Expertus Cyclops in Odyssea. Nec temere, quod Amor *Martigena* potissimum cum Somno cubat; nam Martis amor per somnum deprehensus est. Simonides: Σχέτλιε παῖ, δολόμηδες, Ἀφροδίτα τὸν Ἄρεϊ δολομαχάνῳ τέκεν. Cicero de Nat. Deor. III. 'Ex ea et Marte natus Anteros dicitur.' 'Interius tectum' exquisite, ut Propertius I. 5. 'Ulteriusque domos vadere Memnonias.' Quod non cepit scriptor cod. Gall. qui dedit 'tecti.' At ego vereor, ne sic quoque Persius dixerit Sat. VI. 'Hæc cinerem ulterior metues.' Quod sequitur, Virgilii est in septimo: 'tecti medio in penetralibus altis.' Sed *Et cum Morte jacet*, quia consanguineus leti sopor. Refert Pausanias in Eliacis instar fœminæ duos pueros sopitos, album dextra, nigrum sinistra sustinentis: et indicare titulos, alterum Somnum, alterum Mortem esse, mulierem Noctem utriusque nutricem. Convenientissime mox: *nullique ea tristis imago;* quia somnum morti jungentibus nec terror nec dolor. Ut hoc libro vs. 311. 'Nescius heu rapitur fatis, hilarisque sub umbras Vita fugit, mortisque feræ lucrata dolores.' Ovidio inter centauros 'sopitus vinis et inexperrectus' Aphidas occiditur: igitur 'Mors caruit sensu,' l. XII. Quod autem Paris. et Tolet. cod. *Cernitur hæc species autem:* hominis stolidi commentum est, qui sententiam, ut putabat, laborantem explere voluit. Nostri sex illi versum hunc illibatum servant: *Ipse autem vacuus curis hum.* Gron.

107 *Stipatus flore tapetis*] Vix ausim spernere, quod est in nonnullis: *stipatos flore tapetas Incubat.* Nam et sic lib. I. 'altosque inferre tapetas,' et lib. II. 'Assyriis exstructa tapetibus.' 'Incumbere' autem sic habes lib. VI. 576. 'Palladios non inscius haustus Incubuit.' *Idem.*

119 *Discolor*] Per arcum suum venire et redire credebatur in cœlum. Ovid. 'Labique ut somnum sensit in artus Effugit, et remeat, per quos modo venerat, arcus.' *Barth.*

139 *Æthera curru fertur*] Scripti codices et editio princeps: *cursu fertur:* quod omnino mavelim. Somno siquidem non currum, sed alas Poëtæ adfingunt. Euripides Hecuba: ὦ πότνια χθὼν Μελανοπτερύγων μᾶτερ ὀνείρων. Tibullus II. 'Postque venit tacitus fulvis circundatus alis Somnus, et incerto somnia nigra pede.' Propertius: 'Dum me jucundis lassam sopor impulit alis.' Silius lib. X. 'quatit inde soporas Devexo capiti pennas, oculisque quietem Irrorat.' Nec visum nostro dissentire, quinimo signate hoc eodem libro: 'cum vero humentibus alis Incubuit.' et Achilleidos I. 'totis ubi somnus inertior alis Defluit in terras.' *Bern.*

142 *Quamcunque supervolat urbem*] Itane tantum urbes supervolavit, et ibi scopuli, freta, silvæ? Lege; *quacunque supervolat orbem;* ut plane Arondel. *Gronov.*

147 *Campus*] Thebanorum posuit terram. *Lactant.*

148 *Summisere*] Suppressere. *Id.*

150 *Errare*] Dormitare. *Idem.*

153 *Vultus*] Descriptio altius dormientis. *Idem.*

157 *Castris*] Argivorum. *Idem.*

160 *Repens*] Repentinus. *Lymphantibus*] Furentibus. *Idem.*

168 *Sive novum*] Quia Thiodamas

in locum Amphiarai fuerat constitutus. *Idem.*

166 *Stimuli*] Quibus premebatur a numine. *Idem.* *Nudusque per ora*] In optimis membranis: *multusque per ora Stat furor.* Ut Virg. Georg. I. 'cum se nux plurima silvis Induet in florem.' Lib. III. 'bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix.' Omnes autem sequenti: *trepidas incerto sanguine reddit Exhauritque genas; non tendit.* Et recipere debuissent. Est enim quasi dixisset, *exhaurit redditque*, ὕστερον πρότερον. Ovidius Met. II. 'Dum redit itque frequens.' Lib. VIII. 'si dant adimuntque figuras.' *Gronov.*

167 *Stat*] Plenus est, ut Virgil. 'Stant et juniperi.' *Incerto*] Trementi sive ambiguo, quia modo rubor, modo pallor ora ejus mutaverat, ut Virgil. 'Cui plurima fanti Ante fores subito non vultus, non color unus.' *Tendit*] Inflat, ut Lucan. 'Tendatque cutem pereunte figura.' *Lactant.*

169 *Sparsa*] Rotata hac atque illac coma, ut Virgil. 'Non comptæ mansere comæ.' *Idem.*

170 *Sic Phryga*] Quos in templo Matris Deum Gallos appellant. *Cruentum*] Cruentatum. *Idem.*

171 *Consumptaque brachia ferro*] Britannicus codex, cujus excerpta Patricius Junius V. CL. olim per Jo. Adamum Schragium, Argentoratensem JC. virum egregium, ad me misit, pro *ferro* habet *furor.* Alter optimus quod eodem loco primum habuit, erasum est dubiis notis, *furor* an *buxus* fuerit scriptum. Itaque cœpi dubitare an potuerit fecisse Papinius: *consumptaque brachia buxus Scire vetat.* Ea namque incitatrix furoris in sacris Berecynthiæ non minus quam æra Corybantum. Virgilius lib. IX. 'Tympana vos buxusque vocat Berecynthia matris Idææ.' Ovid. Fast. IV. 'Tibia dat Phrygios, ut dedit ante, modos.' Et rursus: 'Exululant comites, furiosaque tibia flatur.' Valer. Flac. lib. I. 'Obruit Idæam quantum tuba Martia buxum.' Lib. II. 'sacris hinc ignibus Ide Vibrat, et horrisonæ respondent Gargara buxo.' Lib. III. 'at barbara buxus Si vocet, et motis ululantia Dindyma sacris, Tunc ensis placeatque furor: modo tela sacerdos Porrigat, et justa sanguis exuberet urna.' Ubi videtur scribendum: 'et jussa sanguis exuberet ulna.' Brachii videlicet. *Gronov.*

172 *Quatit ille sacras*] Respicit morem horum fanaticorum, qui in simulato isto luctu pectora sibi tundere soliti pinu. Claudianus: 'Cymbala ferre licet, pectusque illidere pinu.' Lampridius Commodo: 'Isiacos vero pineis usque ad perniciem pectus tundere cogebat.' *Bernart.* *Pinus sacras*] Consecratas faces. *Lact.*

174 *Respersa*] Polluta sanguine, quem furens laniato corpore suo fuderat, ut Virgil. 'Sparsi rorabant sanguine vepres.' *Idem.*

175 *Arbor*] Pinus, quæ colitur in sacris Matris Deum, sub qua jacuit Attis, Matri Deum dilectus. *Idem.*

176 *Domumque verendam signorum*] Alludit ad ædiculam sive templum, in quo, religionis causa, Aquila et signa servabantur in exercitu Romano: Herodotus lib. IV. 'Ὡς δὲ ἐσέπεσε εἰς τὸ στρατόπεδον, εἴς τε τὸν νεὼν ἔνθα τὰ σημεῖα καὶ τὰ ἀγάλματα τοῦ στρατοπέδου προσκυνεῖται. *Postquam in castra venit, et id sacellum in quo signa et imagines exercitus adorantur.* Nec velim te mirari quod introducit duces apud signa, seu in principiis, consultantes: nosti enim quam Papinius amet exprimere Romanos mores. illi vero præcipuos castrorum actus apud signa celebrabant. Jus illic dictum. Livius lib. XXVIII. 'Tribunos tamen jura reddere in principiis sinebat.' Concionari inibi solet Imperator. Tacitus: 'Contractos in principia milites jussit cum silentio audire:' litteræ publicæ ibi lectæ. Spartianus Pescen-

nio: 'Itaque misi litteras recitandas ad signa.' Juramenta illic exacta. Tacitus: 'Jurejurando peti cautum apud signa.' Animadversio denique nonnunquam et illic. Frontinus Strateg. lib. IV. 'M. Cato memoriæ tradidit in furto comprehensis dextras esse præcisas, aut si lenius animadvertere voluisset, in principiis sanguinem missum.' Dico 'nonnunquam,' quia ut in oppidis animadversio extra muros, ubi et carnifex et vespillones habitabant, (Cicero pro Rabirio, Artemidorus lib. I. c. 4. Tacitus Annal. XI. videntur,) ita alias in castris extra vallum. Consule Senecam de ira lib. I. cap. 16. Tacitum Annal. I. Hirtium de Bello Africano, Calphurnium Declamatione VII. in ipso argumento. *Bernart.*

179 *Subiti proceres*] Tumultuarii, qui paulo ante fuerant privati. Novi, ut Lutatius. Ita 'non subiti clivi' cum cura et consilio sensim parati aut enati, lib. VI. vs. 260. Et sic 'subitus Thyodamas,' recens in locum Amphiarai electus aut veniens, lib. VIII. vs. 365. *Barth.*

180 *Loca desolata tuentur Regibus*] Id est, spoliata seu relicta. *Desolatus* siquidem *μονωθεὶς*, *solus relictus*. Tacitus Annal. I. 'Mox desolatus aliorum discessione.' Idem lib. XII. 'Desolatus paulatim etiam servilibus ministeriis.' Virgilius lib. XI. 'Disjectique duces, desolatique manipli.' Inibi: 'sat funera fusi Vidimus, ingentes et desolavimus agros:' colonis videlicet ad bellum abductis. Cui compar sententia Papinii nostri lib. V. 'Delectas cui desolavimus urbes:' abductis civibus. Et lib. I. 'quod desolata domorum Tecta vides.' Et lib. IX. 'Desolatumque magistro Agmen.' *Bernart.*

181 *Seque huc crevisse*] Id est, ad hos honores provectos se dolebant: ideo quod, occisis ducibus, per calamitatem provecti sunt. *Lactant.*

182 *Fregit iter*] Id est, a gubernatore deserta est. *Idem.*

184 *Aut laterum custos*] Quia navis latera custodiendo servabat. *Idem.*

186 *Domino tutela minori*] Hoc est, novo gubernatori: qui in locum defuncti successit, non minus conservandæ navis sibi creditæ crescit studium. *Idem.*

192 *Nox fœcunda*] Fraudibus opportuna. *Idem.*

196 *Miserumque diem*] Quo victi sumus. *Idem.*

197 *Frangite portarum*] Undique nos fractis portarum claustris in hostes immittite. *Idem.*

198 *Hoc tumulare*] Sepelire: id est, pœnam quam hostibus tentamus inferre, pro sepultura erit extinctis sociis nostris; quasi ultione gaudeant interemptorum manes. *Equidem*] Per ironiam dictum est, id est, revera hæc oportunitas nobis etiam per diem contingit, ideoque debemus differre, hoc est, ne faciendi occasio pereat, differri non debet. *Idem.*

201 *Plausere secundæ*] Illa ipsa die præcedente mihi successum bonum nunciarunt aves, et nunc etiam addicunt. *Vet. Schol.* Vere: nam de Noctis prospero Augurio sequitur infra versu 216. 'iterum, ecce, benignæ Noctis aves; sequor, et, comitum licet agmina cessent, Solus eo.' *Barth.*

202 *Ipse, ipse*] Ut fidem vaticinationi suæ faciat, iterum se ab Apolline, ut hæc dicat, admoneri significat, ut Virgilius: 'Ecce iterum stimulat.' *Soluta*] Hiatu divisa. *Lactant.*

206 *Tune inquit*] Invehentis verba. *Idem.*

207 *Redde*] Hæc interpositio est. *Idem.*

210 *Edocui lapsus*] Avium volatus ostendit. *Idem.*

214 *Sternendi*] Non contra vigilantes cominus pugnabimus, sed contra dormientes. *Idem.*

216 *Benignæ noctis*] Demonstrative; etenim dum loquitur, iterum

prosperum augurium. Virgil. 'Ecce iterum stimulat.' *Idem.*

218 *Solus eo: atque adeo*] In optimis pluribusque video: *Solus eo, solus. venit ille.* Neque aliter scribendum. Sic supra: 'Sacrum amnem, sacrum.' Alterum condiderunt, quibus abruptum videbatur: *venit ille:* itaque istam commissuram interposuere. *Gronov.* *Quassat habenas*] Quasi denuo Amphiaraus revertatur ad superos, quod est iræ indicium, quod tardabant ire. *Lactant.*

221 *Corde Deus*] Ac si corde omnes Apollinem aut Amphiaraum recepissent. Corda insidebat talis furor. Virgilius: 'Os rabidum, fera corda domans.' *Barth.*

226 *Sortem undique poscunt*] Ut vel sortes exigant qui mittantur. *Lactant.* Sorte enim, quod notum satis, pleraque imprimis, quæ militiam concernebant, peracta sunt, et creditum, sortis jactura nemini fieri injuriam.

227 *Gaudet in adversis*] Hactenus pene animum despondens, recreatur. Ut Virgil. 'Æneæ tacitam pertentant gaudia mentem.' *V. Schol.* Locus autem Virgilianus ad ista parum facit: non enim despondebat animum Æneas, ut Adrastus, quem ex tali re etiam apud Inferos pallore induit idem Maro. *Barth.'*

229 *Fætura*] Equarum soboles. *Lactant.*

231 *Certare*] Cursu contendere. *Idem.*

233 *Terga boni*] Sessioni utiles. *Idem.*

234 *Natus*] Naturaliter aptus. *Id.*

236 *Nec deest cœptis*] Imo consentiebat. *V. Schol.* Voce pariter utitur lib. XI. vs. 276. 'Deest servitio plebes.' In optimo tamen codice expressissimis literis hoc loco scriptum est: *Nec deerat cœptis.* Quod pronunciem recipiendum, cum alioquin unica syllaba hac vocula utatur, ut lib. VIII. vs. 236. Ita Maro lib. X. 'Deest jam terra fugæ.' Lucret. lib. I. 'Talibus in rebus communi deesse saluti.' *Barth.*

237 *Ad Argos*] Gentis nostræ, quæ virtutis erat plena. *Lactant.*

242 *Nunquam apta latenti Turba dolo*] Lectio hæc a manu scriptis est. Nec quin germana sit quisquam sanus, aut pro sano, dubitaverit. Vulg. *nondum apta.* Bernart.

247 *Imperiosus*] Crudelis et imperio quodammodo abutens. Claudianus: 'Eques Gelonis Imperiosior.' Strennior, nempe, et strictior. 'Imperium' jussio cum auctoritate et effectu. Sedul. lib. III. 'Quantum imperii fert jussio Christi.' Inde *imperiosus* Paullinus Petrocorius lib. IV. de B. Martino: 'fixa rebellant Imperio jumenta truci.' *Barth.*

249 *Insuper*] Super electos. *Lact.*

250 *Aptus suadere*] Aptus dandis consiliis. *Jactat*] Gloriatur. *Idem.*

251 *Non cessisse patri*] Dat operam ne videatur patri esse dissimilis. *Ordine deni*] Deni comites singulos duces sequebantur, ut cum his triginta proficiscerentur ad bellum, quod Thebanis etiam potuissent per diem horrorem inducere. *Idem.*

252 *Agmen*] Hi pauci etiam non dormientibus, et diverso pugnantibus, sine dubio suffecissent. *Idem.*

255 *Gremio*] Hoc est fidei. *Idem.*

257 *Galeamque subit*] Armatur. *Id.*

258 *Ense gravat*] Non dixit *donat*, sed *gravat:* quia ponderosus erat. *Idem.*

259 *Superosque sequi*] Quasi impius. *Idem.*

260 *Quid enim*] Interrogative. *Id.*

265 *Peracti*] Perfossi. *Idem.*

269 *Cernitis expositas turpi marcore cohortes* (*Pro pudor!*) *Argolicas, hi ne ausi obsidere portas*] Pessime ab interpunctionibus laborans locus: tu rescribe: *Cernitis expositus turpi marcore cohortes, (Pro pudor!) Argolicas hi ne ausi obsidere portas?* neque enim, quod ineptissime vulgata præ se fert, somno obruti Græci jacebant, sed Thebani. Et indignatur vates, somnolentos hos, ausos fuisse obsidere

Argivorum castra. *Bernart.*

270 *Hi ne ausi*] Debiles et somno dediti. *Lactant.*

271 *Servare viros*] Obsidere: ad emphasin dictum. Ad hoc enim venerant Thebani, ut Argivos ne fugerent custodirent. *Idem.*

272 *Transit*] Cito occidit. *Idem.*

274 *Signare queat*] Numero diffinire. *Idem.*

277 *Hunc temere*] Negligentem et sine cura aliqua dormientem. *Explicitum*] Extensum. Lucan. 'Et omnem Explicuit per membra virum.' *Idem.*

278 *Gressibus illapsum clypeo*] Qui scilicet sero victus somno, dum stabat, defecit ac corruit. *Idem.*

280 *Acclines*] Stantes, aut incumbentes clypeis dormientes. *Idem.*

286 *Debile ferrum*] Non ferrum debile, sed qui occidendo utebantur ferro debiles facti sunt. *Lactant.*

287 *Caligantes iræ*] Incertæ perturbationes, sive sedatæ. *Idem.* Scribendum forte, ut Barthius autumat, non *sedatæ*, sed *satiatæ*.

288 *Caspia*] A mari Caspio, quod est inter Armeniam et Pontum. *Lactantius.*

289 *Rabies*] Fames. *Idem.*

291 *Confudit maculas*] Pulchritudinem macularum cruore perfusa turbavit. *Doletque Defecisse famem*] Dolet expletum fuisse desiderium comedendi. *Idem.*

294 *Inanes*] Debiles, sine effectu. *Idem.*

301 *Volvitur*] Lumine solvit, id est, ad mortem suam eorum oculos, in quem tela laxaverat somnus. *Idem.*

304 *Traxerat in somnis cythara*] Maculosum hoc, eluunt scripti: *traxerat insomnis*, id est, pervigil; vide quæ notavi ad lib. II. *Bernart.*

305 *Nullos visurus Alimenus ortus*] Hoc nomen vitii arguit codicum varietas. *Palmenus, Parmenus, Alinenus, Almenus*, alii atque alii habent. Lindenbrog. notat, *Ialminus.* Hoc proximum vero. Scribendum enim: *nullos visurus Ialmenus ortus.* Hoc nomen Bœoticum esse credas vel Homero Iliad. B, ubi 'Ἀσκάλαφος καὶ Ἰάλμενος υἷες Ἄρηος, Aspledonensium et Orchomeniorum duces. Quos et rursus appellat Iliad. I. Idemque nomen vel ejus Patronymicum restituendum est vs. 510. 'Pronus Achemenides ferratæ robora portæ Torserunt.' Sane longe aberat a Thebis proles magni Achæmenis. Nec valde prudenter Lindenbr. *et Alemenides*, quasi non esset Ἀλκμήνη. Behottius observat e Mss. *et Almenides.* Ego in tribus *hyalmenides*; in optimo, *Yalmenides* notavi. Ergo: *Pronus Ialmenides:* nam et hic Thebanæ partis. *Gronov.*

307 *Cogente Deo*] Premente somno. *Lactant.* Expressio ex parte est Maroniana: 'Et juvenem Serranum, illa qui plurima nocte Luserat, insignis facie, multoque jacebat Membra Deo victus.' *Barth. Mediaque jacebant Colla relapsa*] Magno consensu scripti: *Colla relicta.* Quod tamen nondum satisfacit mihi. Et puto subesse verbum, quod non uno loco pridem apud eum corruptum fuit: *mediaque jacebant Colla reclina lyræ.* Ovid. Met. X. 'posita cervice reclinis.' Manil. lib. V. 'nivea cervice reclinis.' Neque enim causa est, cur non et *reclinus* dicatur. *Gronov.*

309 *Exigit*] Transadigit. *Cava testudine*] Antiptosis, pro 'cavæ testudini.' *Lactant.*

310 *Et digitos*] Poëtice dictum, ut morientis digiti citharæ fila pulsarent, ut Virgilius: 'Semianimesque micant digiti, ferrumque retractant.' *Idem.*

313 *Crateras paterasque*] Inversi crateres fuderunt merum, quo abundantia sanguinis repulsum jacentes replevit crateres. *Idem.*

314 *Implicitum*] Dum dormiunt mutuis se tenent amplexibus. *Haurit*] Perfodit, penetrat. *Idem.*

316 *Nescius heu*] Vide Barth. ad-

vers. Comment. l. xxxi. c. 8. *Nescius*] Quia dormiens morti dimittitur. *Hilaris*] Quia sine sensu doloris in fata decessit. *Lactant.*

320 *Proflatu*] Anhelitu. Virgil. 'anhelum Proflabat sub luce Deum.' *Idem.*

323 *Fractumque perit*] Succisum, interruptum. Voluit enim proloqui; sed morte interveniente non potuit. *Idem.*

324 *Fors illi*] Dubitando dixit Poëta, quia conjectura erat potius, quam veritas quod dicebat. *Idem.*

326 *Quartà soporiferæ superabant tempora nocti*] Veteres noctem in quatuor vigilias distribuere solitos, omnes sciunt: respicit huc Papinius. Illud non perinde vulgatum, Romanos initio in ortum et occasum solum diem distribuisse, adeo ut in xii. Tabulis, nusquam horarum facta fuerit mentio. Censorinus auctor et Plinius lib. vii. 'Duodecim tabulis ortus tantum et occasus nominatus: post aliquot annos adjectus et meridies. Accenso Coss. id pronuntiante.' Recte 'pronuntiante' dicit, quia horæ postea inventæ, non signo campanæ vel instrumento, ut hodie apud nos, sed arbitrio solius magistratus dividebantur. Varro lib. v. de Lingua Latina: 'Hoc idem Cosconius in actionibus scribit, Prætorem Accensum solitum tum esse jubere, ubi ei videbatur horam esse tertiam, inclamare horam esse tertiam, itemque meridiem et horam nonam.' Deinde excogitatum, ut dies, sicuti et nox, semper esset xii. horarum, quæ pro tempore anni, longiores vel breviores forent; horæ vero clepsydris discriminarentur. Nox præterea quatuor vigilias haberet, singulæ vigiliæ tres horas, et quando vigilia mutaretur, signum daretur buccina. Vegetius lib. iii. cap. 8. Livius lib. vii. Propertius lib. iv. videntor. *Bernart.*

327 *Cum vacuæ nubes*] Toto rore vacuatæ. *Honor*] Lux. *Non omnibus astris*] Quia serena nocte non omnes stellæ æquali splendore fulgent. *Lactant.*

328 *Bootes*] Septentrionem dixit, qui hebescit solis adventu. *Idem.*

329 *Defecit opus*] Defecerunt mortes. *Idem.*

336 *Madidas*] Cruore perfusus. *Id.*

338 *Nondum ablutus*] Nondum se sacerdotali purificaverat ritu. *Idem.*

340 *Si non dedecui*] Si monitus tuos non indecenter effeci, sive non dehonestavi. *Tulique prementem*] Pertuli urgentem, quia vatis præceptum impetiit numen. *Idem.*

342 *Crudus honos*] Cruentus a nobis præbetur. *Idem.*

343 *At patrias si quando domos*] Si nos feceris ad patriam remeare. *Idem.*

345 *Exige tauros*] Tot tauros immolabo, quot hostes occidi. *Idem.*

347 *Fato urgente*] Quia perituri sunt. *Hopleus*] Hic Tydeo fuit et militia et amore devinctus. *Idem.*

350 *Vitam indignantur*] Malentes mori, quam vivere. *Vet. Schol.* Ait, non ferebant æquo animo superstites esse suis regibus. Sic infra hoc libro vs. 774. 'Insignemque animam mucrone corusco Dedignantem artus pridem, mœstamque teneri Arripit.' Ad finem lib. ix. 'Sævumque minatur Indignans veniam.' *Barth.*

355 *Sævit inops tumuli*] Quia diu vixerit: Parthenopæus autem immatura morte consumptus est. *Patientior artus*] Figurata locutio; quamvis patientiores artus habeat. Id est, Tydei membra dura sunt, et non cito tabescunt, nec, ut adolescens Parthenopæus, multis sit lachrymis dignus. *Lactant.*

361 *Errantes*] Insepultus. *Idem.*

362 *Idem ardor miseró*] Eadem ego quoque cupiditate succendor. *Idem.*

363 *Mens humilis*] Debilitatus animus. *Idem.*

365 *Arcanæ*] Secretæ noctis domina. *Idem.*

367 *Alio descendere vultu*] Quia dicitur luna mutata ad silvas figura descendere: nam eandem etiam Dianam dicunt, unde Virgil. 'Astrorum decus et nemorum Latonia custos.' *Idem.*

374 *Assiliunt*] Ratio et res ipsa postulant, scribendum *absiliunt*. Hoc est, subito et cum impetu recedunt, secedunt, disjunguntur. Inscite cum suo *crepitant* Lactantius. Ita infra vs. 379. 'Absiliunt pontes, tectique trementis Saxea frena labant.' *Barth.*

375 *Astra*] Pro cælo: nam dissilientibus nubibus cælum patet. *Ostenditur orbis*] Mundus apparet. *Lactant.*

376 *Accepit radios*] Id est, Dymas. *Eadem perciitas Hopleus*] Eadem luce qua radios acceperat Dymas. *Idem.*

377 *Dant signa*] Significant sibi invicem, se quæsita invenisse cadavera. *Idem.*

379 *Ceu reduces*] Tantus amor et veneratio erat, ut non minus gauderent cadaveribus repertis, quam si vivis denuo ministrare possent. *Vet. Schol.*

380 *Nec verba ausi*] Papiniana locutio, 'audere verba.' Sic lib. VIII. vs. 62. 'Ausus iter,' 'audere bella,' &c. *Barth.*

381 *Prope sæva dies*] Silentii causam exposuit. *Indexque minatur*] Adventus diei raptorum cadaverum proditionem minatur. *Lactant.*

383 *Exhaustas*] Finitas. *Pallere tenebras*] Lucis adventu noctem finiri. *Idem.*

384 *Et fors ingentibus ausis*] Inviderunt viris fortibus fata, quibus semper rarus felicitatis est eventus. *Idem.*

385 *Animisque propinquant*] Animorum cupiditate, licet adhuc non parvo disjungerentur spatio, tamen spe et properandi studio jam sibi castra videbantur tenere. *Idem.*

386 *Decrescit onus*] Spe brevioris viæ minuebatur corporis magnitudo. *Idem.*

394 *Timentque Non sibi*] Mire Poëta animantium cadavera expressit affectum. *Idem.*

399 *Curavit*] Ad hoc Epytus miserat telum, ut Hopleum occideret. *Idem.*

400 *Æpytus*] Unus et præcipuus comitum Amphionis. *Vet. Schol.* Eundem Epytum portam unam ex Thebanis statione statuisse memoratur, lib. XI. vs. 239. 'Nuncius exanimi suspensus pectora cursu Epytus ad Regem, portæ statione relicta Tendit.' Quo loco suspensus illud Horatianum explicat non bene a Julio Scaligero notatum: 'Sublimi fugias mollis anhelitu.' *Barth.*

404 *Nesciat*] Si non sentiat interventu mortis amici sibi corpus auferri. *Lactant.*

406 *Juncta Dymas*] Amphioni et Epyto qui præcesserant. *Idem.*

408 *Neutri fiducia*] Nec in precibus spem salutis relictam videbant. *Idem.*

414 *Ut lea*] Simili comparatione usus est etiam in animositate Hippomedontis, dum Tydei cadaver ab hostibus defensaret: 'Imbellem non sic amplexa juvencum, Infestante lupo, tum primum fœta tuetur Mater.' *Idem.* *Ut lea*] A summo amore hujus feræ erga liberos seu scymnos hanc potius nominavit, quam patrem Leonem. Ita eidem illam præferunt alii. Valer. Flaccus lib. III. 'Non aliter gemitu quondam lea prolis ademtæ Terga dedit, sedet inde viis, inclusaque longa Pervigilant castella metu: dolor attrahit orbes Interea, et misero manat juba sordida tabo.' Ubi Juba ποιητικῶς omnem notat prolixiorem comam Leonis aut villos ipsos. *Barth.*

420 *Jam læva viro*] Jam manus sinistra Dymanti fuerat præscissa, licet hoc instantius prohiberet Amphion. *Lactant.*

424 *Fulminei*] Id est, an fulmine excussi utero matris. *Idem.*

425 *Inoamque fugam*] Quia cum Ino se præcipitaret in mare, meruit numen fieri. *Vestrique*] Ad incutiendam misericordiam hostibus, per infantiam numinis adjurat, ut Parthenopæi pueritiæ parceretur. *Idem.*

427 *Hic pater*] Apud vos. *Idem.* *Pulveris haustus*] Minimi, paucissimi. *Vet. Schol.*

428 *Jacentis Vultus*] Quia dixerat illum superius supinum trahi, quemadmodum solent jacentes supplicare. *Lactant.*

430 *Immo ait Amphion*] Adhuc ignoravit Amphion extinctos vigiles suos. *Idem.*

437 *Ut afflictos turbarem ego proditor Argos*] Veteres, nec dubito quin sincerius, *turparem ego.* Lucretius libro I. 'Aulide quo pacto Triviai virginis aram Iphianassai turparunt sanguine fœde Ductores Danaum delecti.' Vetus Poëta apud Cic. Tusc. Quæst. lib. I. 'Hæc omnia vidi inflammari, Priamo vi vitam evitari, Jovis aram sanguine turpari.' Tacitus Histor. v. 'Sue abstinent memoria cladis quod ipsos scabies quondam turpaverat.' *Bernart.*

438 *Nil emimus tanti*] Proditione civium meorum nec vitam meam, nec Parthenopæo quærimus sepulturam. *Lactant.*

446 *Memores superabitis annos*] Virtutis vestræ gloria temporum longitudo vincetur. *Idem.*

448 *Admittet*] Suscipiet, id est, participes suæ gloriæ faciet. *Idem.*

450 *Dolum*] Raptorum regiorum cadaverum. Nam cædem suorum nondum resciverat Amphion, ut clarum faciunt sequentia. *Vet. Schol.*

452 *Abscissos*] Capita Dymantis et Hoplei. *V. S.* Omnes meliores Codices, hic et alibi, uno sigmate scribunt hanc vocem. 'Scissus' tamen ubique legitur, non 'scisus.' *Barth.*

456 *Arma rubere*] Sanguine perfusa rubescere. *Lactant.*

463 *Opus arcanum*] Quod perfecerat in insidiis. *Idem.*

470 *Qui tremor*] Tali tremore perculsus est, qualis solet invadere fulminatos. *Illicita*] A longinquo epitheton traxit, eo quod non liceat tangi loca, ubi jaceant fulminati. *Idem.*

473 *Ipse ultro convertit equus*] Ex fide librorum sic edi volui. Vulg. interpolatitie: *convertit equis.* Bernart. *Retorto pulvere*] Retro contorto: nam pulvis illic erigitur quo homines. *Lactant.*

477 *Congerie*] Sanguinis collectione. *Semianimumque*] Semianimorum. *Id.*

478 *Extrahit*] Imminuit cadavera. *Idem.*

479 *Impedit axes*] A cursu retardat. *Idem.*

483 *Delituit virtus*] Nocte per insidias pugnans. *Idem.*

484 *Pulvere*] Certamine. *Idem.*

485 *Sunt et mihi*] Sicut Thiodamanti. *Provida dextræ*] Non avium aut Deorum: ut Virgilius: 'Dextra mihi Deus, et telum quod missile libro.' *Idem.*

486 *Horrendi furores*] Timendus meus furor propter virtutem et strictum gladium, non illos fœmineos motus, quibus Apollo Thiodamantem instabat. *V. Schol.*

487 *Alacer*] Paulum erectior quam ante, ob successum insidiarum. *V. S.*

488 *Argolicusque gener*] Princeps jam Argivorum, post obitum Tydei, Polynices, minime enim Thebanis favebat. *V. Schol.* *Tristior augur*] Quoniam prodere non poterat futuram calamitatem. *Lactant.*

491 *Specula ab alta*] Fœminino genere dixit. *Idem.*

493 *Est ubi dat vires nimius timor*] Verissimum est: et, ut ocellus Historicorum Curtius inquit: 'Ignaviam quoque necessitas acuit, et sæpe desperatio spei causa est.' Imbibet victor; et si sibi suisque consultum velit, nunquam spem omnem hosti abscindet. *Bern.*

495 *Audax animis Spartana juven-*

tus] Credo scripsisse auctorem: *audax animi Spartana.* Et sane ita liber optimus. *Gronov.*

497 *Taygeti*] Mons Laconicæ regionis. *Rigidi Eurotæ*] Frigidi. *Eurotas* fluvius Laconicæ regionis. *Lact.*

498 *Spectate*] Laudate. *Idem.*

499 *Nemeæo in pulvere fœlix*] Modo in Nemeæo agone victoria coronatus: hic Alcidamas in agone, quem in honorem Archemori Adrastus celebravit, adversus Capaneum cœstibus dimicavit, ut superius Poëta testatur: 'Tandem insperatus nuda de plebe Laconum Prosilit Alcidamas.' *Idem.*

501 *Tyndarides, nitidi moriens, &c.*] Qui spuriam hanc lectionem intruserunt, vellem mihi dicerent qua fiducia hoc fecerint: libri veteres, quos non dubitavi audire: *primis quem cæstibus ipse ligarat Tyndarides, nitidi moriens convexa magistri, &c.* Mens: Alcidamam ad cœstuum certamen a Polluce formatum morientem sustulisse oculos in cælum, ubi magister ejus sydus, quod statim etiam tanquam abominaretur discipuli mortem, se abscondit. Noster lib. VI. 'Sed socii fretum Polluce magistro Norant, et sacras inter crevisse palæstras.' Seneca Philosophus Medea: 'Sed Castore cum suo Pollux cœstibus aptior.' Arnobius lib. I. 'Castores, equos unus domitare consuetus, alter pugillator bonus, ideo non Castor sed Pollux dicitur.' Nec recedit ab his Virgilius dum ait: 'Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis Cyllarus.' Nam, ut ibidem inquit Servius: 'Castor domitor equorum fuit, sed fratrem pro fratre posuit Poëtica licentia.' *Bernart.* *Convexa*] Plaga cœli, in qua lucet stella Pollucis, quam refert Poëta propter mortem cultoris sui nominis in occasum fuisse conversam. Unde superius, 'Sed socii fretum Polluce,' &c. *Lactant.*

503 *Lacænæ*] Ledam dicit, quam Juppiter in cygnum mutatus compressit. *Idem.*

504 *Falso olore*] Proprie dictum, quia non cygnus, sed Juppiter in cygnum versus ad Ledam venerat. *Idem.*

507 *Erudit genitrix*] Quia mater Alcidamæ nympha fuit venatrix. Quæ sine dubio flevit, quod ita fortem nutrierat, itaque bellicosum, ut audacia virtutis suæ fretus occubuisset incautus. *Idem.*

510 *Alcmenides*] Patronymicum. *Idem.*

511 *Terserunt*] Clauserunt. *Idem.*

512 *Profindunt inarata*] Plures *Perfringunt.* Binæ optimæ membr. *Profringunt.* Quod non videtur insuper habendum. Quasi dicat, protelo frangunt, usque et usque frangere pergunt. Tale verbum est Virgilii Georg. III. 'Et pede prosubigit terram.' Quod imitatus Valerius Flaccus lib. IV. 'et fulmina Cyclops Prosubigit.' *Gronov.* *Pangæa*] Mons Macedoniæ, vel Mænala. *Idem.*

519 *Solvitur interea*] Irruperunt Argivi Thebanorum vallum, nec illos vis ulla potuit ab impetu retardare. *Lactant.*

523 *Abruptum mirantur agi*] Sumptum videtur ex Homeri Iliad. M. apud quem Hectoris equi pariter describuntur resistentes, et timentes, in summo labro fossæ: *οὐδέ οἱ ἵπποι Τόλμων ὠκύποδες· μάλα δὲ χρεμέτιζον ἐπ' ἄκρῳ Χείλει ἐφεσταότες.* Locum hunc ita edi volui, cum in vulgatis turpi errore legeretur: *Abruptum mirantur equi.* Probas scio lector, et geminationem a mala manu fuisse vides: illud uno verbo, occasione hujus vocis *abruptum*, moneo, eleganti metaphora Tertullianum adversus Praxeam dixisse, 'si tam abrupte utamur,' id est, tam præcise et sine limitatione: et Valerium lib. VIII. cap. 1. 'abruptæ spei,' id est, spei perditæ, prorsus abscisæ. *Bern.* *Mirantur agi*] Agi se mirabantur equi a sedentibus, per abrupta. *Lactant.* *Impetus iræ*] Stultissima lectio. Lege

nunc impetus ire, Margine ab extremo, nunc sponte in frena recedunt. Equi est saltum audentis, et tamen retro se reducentis, descriptio. Cum *ira* tamen illa sua delirarunt Lindebrogii, Bernartii, Aldi, atque aliæ editiones. *Barth.*

524 *In frena recedunt*] In vestigia redeunt; modo abeunt alacritate transeundi, modo timore altitudinis retrorsum redeunt. *Lactant.*

527 *Remoliri*] Disrumpere, avellere. *Idem.*

532 *Nigrasque*] Semiustas. *Idem.*

533 *Arsuras glandes*] Nam sunt plumbeæ: Plumbum enim solet nimietate jactus calefactum liquefieri. *Idem.*

535 *Mœnibus*] Pro eversione mœnium ipsis mœnibus pugnabatur. *Id.*

536 *Fenestræ*] Ex omnibus muri foraminibus propugnant Thebani. *V. S.* Pessime nonnulli libri *faretræ.* Non nostri, qui sapiunt melius. Posterior ætas tales *fenestras*, quia quadris cancellis erant munitæ, 'quarnellas' vocabat. Gulielmus Brito lib. VII. vs. 668. 'Balista queat jaculari, Arcusque sagittas Quas, ubicunque patent quarnelli, sive fenestræ, Obsessi nequeunt toties impune cavere.' *Barth.*

537 *Ceraunia*] Montes Epyri excelsi, qui illis propius navigantes infestant. Unde Lucan. 'Scopulosa Ceraunia nautæ Summa timent.' *Lactant.*

542 *Imber atrox*] Telorum densitas: etenim peculiare est poëtis, belli impetum cœli tempestatibus comparare. *Idem.*

544 *Falcato*] Falces habente. Hoc genus armorum etiam Sallustius describit. *Idem.*

547 *Ocreis*] Crurum tegminibus, quibus in curru hærentibus trahebantur. *Idem.*

548 *Mirandum*] Miserandum. *Id.*

549 *Fumantes rotæ*] Propter nimiam celeritatem. *Vet. Schol.* Potest et ad arenæ levem sparsionem dici. Ut fine Æneid. XI. 'Æneas fumantes pulvere campos Prospexit.' Sed parum apte. *Barth.*

552 *At tuba*] Argivorum. *Lactant.*

553 *Amaro*] Terribili. *Idem.*

555 *Sua damna*] Quia occidebantur. *Idem.*

556 *Dira intus facies*] Horrenda luctus species impleverat civitatem. *Idem.*

557 *Lymphatam*] Timoris magnitudine furiatam. *Idem.*

559 *Circumfusa tenebris*] Fugere velint, et palant fugibundi, sed cæcatis mentibus nesciunt quorsum aut quo pacto debeant se imminentibus malis eripere. *Vet. Comment.*

563 *Consumpsit ventura timor*] Peracta putabantur timoris magnitudine, quæ nondum evenerant sorte bellandi. *Idem.*

571 *Ipsæ tela viris*] Quia in calamitate nullus pudor est fœminis prodire in publicum, vel aliquo pro patria fungi officio. *Idem.*

574 *Sic ubi puniceo pastor rapturus ab antro Armatas exegit apes*] Virgilius Georg. IV. 'penitusque repertæ Pumicibusque cavis exesæque arboris antro.' *Bernart.*

575 *Armatas exegit apes*] Omnes scripti, *erexit.* Et quid cessarunt accipere? Est enim excitavit, irritavit, rigidis et strictis esse aculeis coëgit. Libro II. 'præceps cum cominus egit Ira sues, strictisque erexit pectora setis.' Sulpicia: 'Turba rigens strictis per lutea corpora telis.' *Gronov.*

577 *Deficientibus alis*] Lassatæ vi volandi, vel vi coactæ. *Vet. Schol.* Illi de fumo natæ consentit et glossographus in optimo Codice, qui superscripsit *lassitudine ex suffocatione.* Ita mente habuerit Papinius illa Virgiliana Æn. XII. 'Inclusas ut cum latebroso in pumice pastor Vestigavit apes, fumoque implevit amaro; Illæ intus, trepidæ rerum, per cerea castra Discurrunt, magnisque acuunt

stridoribus iras, Volvitur ater odor tectis,' &c. Plura de fumo ad apes Rerum Rusticarum scriptores imprimis Columella. *Barth.*

581 *Serit*] Dispergit, immittit. *Lactant.*

583 *Reverentia regis*] Perturbationis magnitudine nulla reverentia regiæ personæ apud sollicitos erat. *Idem.*

584 *Computet annum*] Ut computato tempore exilii, anno integro solus Polynices regnum teneret. *Idem.*

586 *Tenebras*] Cæcitatem patris. *Idem.*

587 *Noxæ*] 'Noxa' est pœna, 'noxia' culpa ipsa. *Idem.*

588 *Inde alii*] E diverso alii contraria sentiebant, dicendo: olim quidem istam fidem sequi debuimus, ut Polynicen minime pelli pateremur; nunc vero cœpto semel prælio est acriter dimicandum. *Idem.*

592 *Quiane ante duci*] Ironicôs, cur modo futura non dicam, qui ante cum ventura prædicerem, ita sum libenter auditus? *Lactant.* *Quiane ante duce*] Mss. *Quiane ante duci.* Virgilius: 'Quiane auxilio juvat ante levatos.' Idem: 'Heu quianam tanti cinxerunt æquora venti.' Catullus: 'quemne ipsa reliqui.' *Bernart.*

596 *Vacantibus*] Cæcitate vacuatis. *Idem.*

597 *Vincamur pietas*] Hoc est, decreveram quidem tacere: sed miseratione victas patriæ, me silere futura non patior. *Idem.*

599 *Flammarum apices*] Hoc genus sacrificii καπνομαντεία dicitur, quia ex divisione ipsius fumi futura monstrantur. *Idem.*

600 *Et clara tamen*] Per medium splendentem apicem victoria Thebana monstratur. *Fastigia lucis*] Summum culmen exortæ flammæ. *Idem.*

602 *Ancipiti gyro*] In utraque partem. *Idem.*

603 *Dubio Tyresiæ*] Id est, ignaro, per cæcitatem nesciebat, quæ sacrificia signa monstrarent. *Illuminat umbras*] Dat oculos cæco, nunciando signa quæ facta sunt. *Idem.*

604 *Ille coronatos*] Sive flamma in coronam versa, sive quia aræ omnibus sacrificiis coronabantur. *Idem.*

607 *Insana levat*] Furore divino sacerdotis crines horrebant. *Deducta*] Patefacta. *Idem.*

608 *Consumptum*] Senectute horridum vultum lætitia futuræ victoriæ credens immutatum in pristinum juventutis nitorem. *Lactant.*

611 *Sed limite duro*] Victoriam nobis quidem numina pollicentur, sed dura sententia: quia aliter evenire non poterit, nisi se Menœceus occiderit. *Idem.*

617 *Communia lugens*] Quia adhuc patriæ ruinas impatienter ferebat, nedum filii orbitatem. *Idem.*

623 *Libyco*] Tyrrheno. *Idem.*

625 *Ora canentis*] Creon Tyresiam suppliciter rogabat, ut funestam sibi Deorum voluntatem taceret: quia pro salute patriæ unius hominis mors negari non poterat. Poposcerant enim numina, ut pro Thebana victoria Menœceus, unus qui de semine illorum superfuerat, qui satis draconis dentibus nati fuerant, se voluntarie traderet morti. *Idem.*

628 *Quis stimulos*] Ita veteres, et sine dubio recte. Vulgat. *Nunc age cui.* Bernart. *Pulchræ mortis*] Gloriosæ, virtuosæ. *Vet. Schol.* Eodem modo Virg. 'Pulchramque petunt per vulnera mortem.'

630 *Mens homini transmissa Deis*] Nemo enim talem, nisi Diis hortantibus, susciperet mentem, qualem Menœceus accepit. *Lactant.*

631 *Digesta*] Ordinata. *Idem.*

632 *Diva*] Incipit jam erumpere in rem magnam decantandam, velut afflatus a Musis, quas modo invocaverat, nihil ante horum scivisset. *V. Schol.*

637 *Affixerat ignes*] Stellas virorum fortium dicit transeunti honorem re-

ferre virtutis, quia ipsius merito possederant cœlum. Dicit autem Liberum, Herculem, Castorem, Pollucem, quos ardens evexit ad æthera virtus. *Lactant.*

639 *Mutare genas*] Transfigurare se in aliam formam. *Idem.*

640 *Responsis ut plena fides*] Ut Thyresiæ responsis fides promptior haberetur, quæ jubebant perire Menœceum. *Idem.*

643 *Mollior*] Suavior. *Idem.*

644 *Descendunt vestes*] Vestes defluunt. Solet enim virtutis simulacrum depingi succinctum. *Idem.*

645 *Vitta comis* (*nam laurus erat*)] Sensus: Virtutem, cum se assimularet esse Mantho, tantum vittas sumpsisse, non laurum, ut decebat vatem: quia laurum semper penes se habet, ideoque non habuit necesse aliunde petere. *Bern.* *Nam laurus erat*] Laurus commune est vatum et virorum fortium decus. *Lactant.*

646 *Sic Lydia conjunx*] Omphale, cui Hercules per amorem inservisse perhibetur. *Idem.*

648 *Perdere Sydonios*] Quia Herculem non decebat muliebris habitus, quia mole membrorum mollia rumpebantur. *Perdere* est aliquid male imitari. *Sydonios amictus*] Vestem purpuream dixit. *Idem.*

649 *Et tympana rumpere*] Quæ nimietate percutientis frangebantur. *Id.*

650 *Dignumque juberi*] Dupliciter hoc sentiendum. Id est, neque indignum cui post mortem fierent sacra, neque indignum cui talia juberentur. *Idem.*

653 *Mavortius*] Bellicosus. *Idem.*

654 *Atque omnia*] Id est, in omnibus. *Idem.* *Omnia fratres*] Id est, ad omnia. Virgil. lib. IV. 'Omnia Mercurio similis, vocemque coloremque.' Æmonem filium Creontis fuisse, ipse Pater indicat, lib. XI. vs. 290. 'Quid enim misero super unicus Æmon?' Et ipse Menœceus 'unanimem fratrem' vocat hoc libro vs. 721. *Barth.*

655 *Tu prior*] Melior, major. *Circumcumulantur*] Mortuorum cadaveribus, quos occiderant. *Lactant.*

656 *Omne*] Scilicet Menœcei vulnus letale erat, et nulli ictus in vanum cadebant. *Idem.*

657 *Necdum aderat virtus*] Talia Menœceus necdum instigante numine faciebat. *Idem.*

660 *Renident*] Sanguine perfusa nitidiora fiunt. *Idem.*

663 *Cadmi de sanguine*] Nec hic dubitandum fuit, cum scripti fere omnes, cum Lactantio: *armifero Cadmi de semine:* hoc est, de Spartis, quos seminarat, ille 'Martis operti Agricola.' Creon, pater hujus, filius erat Menœcei, nepos Penthei, cui pater Echion e Spartis. *Gronov.*

665 *Plus concipe*] Plus virtutis suscipe. *Lactant.*

668 *Cuncto patriæ*] Mortem libenter amplectere, pro salute omnium Thebanorum. *Idem.*

670 *Certa tui*] Certum habet patria tua tanto se a te amore diligi, ut pro ea te libenter offeras morti.

673 *Seseque in corde reliquit*] In animo Menœcei penitus virtus insedit. *Idem.*

677 *Invasit*] Arripuit. *Idem.*

682 *Fixit*] Occidit. *Idem.*

683 *Armigeri fixum excipiunt*] Meliores et pars maxima, *fessum*, ut de Menœceo intelligatur, quem armigeri et officiosi comites, alii acceptis ab eo armis levarunt, alii dextra data aut humeris manui suppositis innixum pro more principum sustinuerunt, alii aliter prosequuti sunt. *Gronov.*

697 *Dignantur stimulare*] Vult pater ab ætatis decrepitæ assertione responsa destruere. Dicit enim Tyresiam jam nimia senectute non posse vera responsa proferre. *Idem.*

698 *Fraude dolosa*] Quid si hoc immissu regis Etheoclis dolose Tyresias fingat? sumus enim regi pro nostra nobilitate suspecti, ne illi succedamus in regnum. *Idem.*

702 *Quæ verba deorum*] Forte regis hæc verba sunt, quæ nos responsa credimus numinum. *Idem.*

704 *Male cuncta ministrat Impetus*] Verissima gnome: et celeres plerumque celeris pœnitentia, sed eadem sera atque inutilis, sequitur. *Bernart.*

705 *Hoc, oro*] Si fas est filium orari a Patre, oro vel obliviscaris hujus rei, vel differas eam, donec melius auctorem ejus cognoscas. *Vet. Comment.*

707 *Timorem Pervenias*] Quomodo ego tibi timeo, sic tu timeas liberis tuis: id est, sic ad id ætatis pervenias, ut pater sis. *Lactant.*

717 *Teque iterum sævis iterumque*] Postulante libro scripto, lege versus suffragante, hanc lectionem admisi. Vulg. *sævisque iterum.* Bernart.

719 *Implicitus*] Totus occupatus et impeditus. Lucan. lib. III. 'Implicitas magno Cæsar terrore cohortes Ut vidit.' Et Horat. arte Poëtica: 'eripere atris Litibus implicitum.' Valer. Flaccus, lib. VI. 'Implicitos miseraque in veste revinctos Confodiunt.' *Barth.*

720 *Quin et monstrantibus illis*] Diis utique sibi devotum juvenem rationem fallendi patris moventibus. Nam securum eum deceptu fraudis effecit. *Lactant.*

725 *In me insaniret*] Sive in templo positus Apollo talia prædicaret, ut meis auribus divinantis numinis verba perciperem, non facile credidissem. *Id.*

729 *Vix illum*] Vix illum sauciatum vulnere de hostium medio potui liberare, inter utrasque acies Argivorum et Thebanorum. *Idem.*

733 *Fugam revocare*] Sanguinis fluxum arte medicinæ restringere. *Idem.*

734 *Æchiona petam*] Et hoc nomen Græcis, opinor, incognitum; nam 'Echion' prima brevi. Scripti *Æthiona* vel *Actiona*. Lege: *Eetiona petam.* 'Ηετίων Homero satis frequens. Et hoc vocabulo aliis Thebis aliter imperantem interfecit Achilles. *Gronov.*

735 *Caligine pectus*] Ut magis timeat Hæmoni vulnerato, quam perituro filio Menœceo. *Lactant.*

739 *Agit æquore campi*] Observa tu qui in studiis tyro. Æquor Latinis scriptoribus, quidquid planum est: nec solum de mari, sed etiam de terra, fluvio, et cælo dici. Noster lib. XII. 'Jamque in pulvereum furiis hortantibus æquor Prosiliunt.' Lucret. lib. III. 'Volvitur, et plani raptim petit æquora campi.' Cicero: 'Babylonii in camporum patentium æquoribus habitantes.' Virgil. Æn. IV. 'Viridesque secant placido æquore silvas.' Accius Atreo: 'Sed quid tonitra turbida torvo Concussa repente æquora cæli Sensimus sonore?' Papinius Theb. I. 'Horrendos etenim latices Stygia æquora fratris.' *Bern.*

740 *Nunc equitum cuneos*] Ejicit. *Lactant.*

741 *Moderantum*] Regentium equos. *Currus*] Pro equis. *Idem.*

743 *Laxat*] Solvit. *Fumat*] Anhelat. *Idem.*

747 *Deferat*] Fundat. *Idem.*

749 *Pelopea phalanx*] Omnis exercitus Achivorum. Sic *Pelopeia mœnia* universam Græciam Asiæ oppositam notant Maroni Æn. II. 'Ultro Asiam magno Pelopeia ad mœnia bello Venturam.' Notissima virtus et fortuna ejus Herois Provinciæ Peloponneso titulum dedit, quæ sane fuit totius Græciæ nobilissima, nec minima portio. *Barth.*

751 *Ullius ætas*] Nullius ætas aut virtus Capaneum poterat ab impetu virtutis suæ tardare. *Lactant.*

754 *Vices*] Alternos impetus. *Id.*

757 *Augustior*] Venerabilior. *Id.*

759 *Exempta manifestus*] Nudo capite cœpit magis agnosci. *Idem.*

760 *Despexitque acies hominum*] Quasi ipse jam Deus, vitam pro gloria contempturus. *Idem.*

761 *Convertit campum*] Ad orationem suam pugnantium ora vultusque

convertit. *Idem.*

765 *Ferte retro bellum*] Retro agite hostes in fugam. *Captæque impingite Lernæ*] Ut qui nunc victores sunt Argivi, vincantur, et qui insequuntur fugiant. *Idem.*

768 *Domos, connubia, &c.*] Paucis verbis omnem felicitatem indicavit. Deorum templa, id est, Religionem, patriam, agros, urbes, conjugia, sobolem, conjunctim vovens prosperari. *Vet. Comment.* Ita in Carmine Seculari Horatius, primum omnia vota conjungit; deinde per partes explicat, ut per faciles partus, per feracitatem, et felicia connubia, et sic deinceps: 'Alme sol, curru nitido diem qui Premis et celas, aliusque et idem Nasceris, possis nihil urbe Roma Visere majus.'

770 *Si non attonitis*] Si non divinantis Tyresiæ verba stupefactus accepi. *Attonitis*] Timidis. *Attoniti* enim dicuntur, quos fragor tonitrui in unum locum defixit: quos Græci vocant * hoc est stupentes. *Lactant.*

773 *Exorate*] Consolamini. *Idem.*

787 *Concinitur*] Collaudatur. Ordo: Concinitur vulgo, eum populus conditorem urbis suæ vocabat, et Cadmo atque Amphione meliorem dicebat. *Idem.*

788 *Veris honore soluto*] Apertis rosis. *Idem.*

791 *Lachrymabilis*] Quia dolebat fraude deceptum a filio, et eum iratus nolebat flere. *Idem.*

793 *Lustralem*] Lustrare civitatem humana hostia Gallicus mos est; nam aliquis de egentissimis pelliciebatur præmiis, ut se ad hoc venderet: qui anno toto publicis sumptibus alebatur purioribus cibis, denique certo et solemni die, per totam civitatem ductus ex urbe, extra pomœria saxis occidebatur a populo. *Idem.*

796 *Coitu revoluta notavi*] Quando filii coitus in matrem rediit. Ut ipse alibi: 'proprios monstro revolutus in ortus.' *Idem.*

805 *Quæ mala pignora fudi*] Optimi: *quæ male pignora fudi*; hoc est, infeliciter, magno malo et luctu meo. Ut Ovidio: 'Dumque male optatos nondum premis inscius axes.' Noster: 'et in tumulos si quid male fœta reliquit Mater.' *Gronov.*

806 *Effloruit armis*] Quia de serpente illo, cujus Cadmus severat dentes, Creon Menœcei pater a serpentibus duxit originem; queritur ergo mater Menœcei, omnia illum a patre habuisse, et nihil de matre, et inde illum amore mortis abreptum. *Lact.*

810 *Nolentibus fatis*] Quia ante diem periisti. *Idem.*

812 *Hæc manus*] Tua scilicet, quæ te occidit. *Idem.*

813 *Viden'*] Syllaba cum naturaliter longa sit, tamen eam corripuit, secutus authoritatem Maronis dicentis: 'Viden' ut geminæ stent verticœ cristæ.' *Consumpserit ensem*] Quia totum pectore recepit ferrum. *Idem.*

814 *Haud quisquam*] Non tantum ab hoste fuisset infixus gladius. *Idem.*

816 *Perosam*] Odio habentem consolantes. *Idem.*

819 *Tellure relictos*] Quia solam terram intuebantur. *Idem.*

822 *Saxi*] Speluncæ, in qua filios edidit vel educabat. *Idem.*

824 *Præter*] Juxta tigridem orbam. *Idem.*

825 *Ubi enim*] Interrogative, quia nusquam videbat filios, quibus alimoniam lactis pararet. *Idem.*

827 *Hactenus arma, tubæ*] Jam de humanis pugnis dictum sit. Restat nunc ut Jovis cum Capaneo bellum memoretur, ad quod opus putat non unius Musarum, sed omnium omnino succursu et inspiratione. *Barth.*

828 *Comminus*] Mox insequenti. *Tollendus*] Carminibus altius efferendus. *Lactant.*

831 *Profunda*] Inferna. *Idem.*

833 *Arma Jovem*] Invidiose se contra Jovem Capaneus armavit, ut gloriosa morte periret. *Idem.*

836 *Mortalibus iræ*] Ludibrio habere Deos res humanas dicit, ut alii infiniti auctores, quosque velint magnis malis afficere, iis successibus rerum optabilibus prius illudere. *Vetus Schol.*

844 *Incenditur ignis*] Nitore clypei repercussus splendidior fit. *Idem.*

847 *Quid sacra juvent*] Quid prosit Thebanis mors Menœcei sacris inventa. *Idem.*

848 *Ex alterno*] Mire describit scalis ascendentem. *Idem.*

850 *Vidit Aloidas*] Othus et Ephialtes, Aloi filii, tantæ audaciæ fuere, ut montibus constructis cœlum expugnare niterentur: et icti fulmine in tartara mersi sunt. *Idem.*

853 *Cardine summo*] Summo discrimine. *Vet. Schol.*

858 *Spes nulla sagittis*] Et meliores et plures: *spes unde sagittis?* Nimirum interdum quo caremus cujusve potiundi vel difficilis vel nulla copia est, de illo dicebant: 'unde illa res mihi?' et, 'unde illam rem mihi?' et 'unde illud?' Quod genus propemodum sepultum aut transmissum primi revocavimus in usum in Diatribe, plurimaque eodem congessimus, si secundam editionem dabitur parare. Nam quis speret jaculis aut sagittis muros posse defendi? Noster lib. VI. 'Unde ego bella tibi Thebasque ignara timerem?' id est, nec enim timebam bello aut a Thebis tibi noceri posse, lib. VII. 'timent thyrsos nuptarum et prælia matrum. Unde tubas Martemque pati?' *Gronov.*

867 *Sævit enim*] Duo membranacei veteres libri non agnoscunt hunc versum. Agnoscit optimus, et optime quidem. Non enim potest commode abesse, et est eruditior, quam pro insititio. 'Salum' omnis vis aquarum. Virgil. Æneid. I. 'Perque undas, superante salo, perque invia saxa Dispulit.' *Barth.*

874 *Carmenque imbelle secuti*] Quia Amphione cantante fuisse dicuntur constructæ. *Lactant.*

879 *Absiliunt*] Dissolvuntur. *Idem.*

886 *Inservante*] Custodiente Junone, ne quid pro Thebis diceret Liber. *Gemit infestante noverca*] Ora optimi: 'vel *inservante*.' Et videtur in suis invenisse Lindenbrogius, qui sic edidit: placetque, ut sit, sollicitis et trucibus eum oculis denotante, adspiciente. Verbum alioqui proprium Statii. Lib. VI. 'piget inservare; peritque Venturi promissa fides.' Lib. VIII. 'dedit inservare volucres.' Hoc et Lactantius habuit, et vetusta quædam editio pridem occupavit. *Gronov.*

888 *Cunabula flammæ*] Ubi sunt mea cunabula. *Idem.*

889 *Auctor Apollo*] Quia Apollinis oraculum Cadmus secutus ædificavit Thebas. *Idem.*

891 *Dubitat Tirynthius*] Ideo inducit Herculis dubium favorem, quia et ab Argivis, et a Thebanis ducebat originem: ab Argivis, propter patrem a Perseo venientem; nam Perseus Danaës filius; ejus filia Gorgophone; Gorgophones Electrion; Electrionis Amphitryo; Amphitryonis Hercules: a Thebanis vero propter uxorem Megaram, Creontis filiam, de qua suscepit Oxeam et Creontiadem: quas furore correptus occidit. *Idem.*

895 *Tritonia*] Hæc etiam Argivis favet. De Junone autem nemo dubitet, quam Homerus Argivam nominat. Bene ergo *tacita*; ubique Juno tacens describitur, unde ei oratio necessitate datur. Unde Virg. 'quid me alta silentia cogis Rumpere, et obductum verbis vulgare dolorem?' *Id.*

897 *Non tamen hæc turbant pacem. Jovis ecce quierant Jurgia*] Levicula interpunctione illustro sententiam quæ in densa nocte: *Non tamen hæc turbant pacem Jovis: ecce, &c.* Bern. *Pacem Jovis*] Ocium, quo iracundia carebat. *Lactant.*

920 *Pro fulmine pendent*] Desperatione fulminis solliciti sunt, id est,

timent ne non valeat fulmen perimere Capaneum. *Idem.*

926 *Renovare faces*] A te mihi suppeditandi sunt ignes, unde meam quercum accendere et Thebas exurere possim. *Vet. Comment.*

928 *Fugere in nubila*] Ex Euripedis Phœn. 1200. ' comis ' decenter *cristas* fecit Papinius. Nec illud ἀνφερδοῦτο melius reddere poterat. Lib. v. vs. 587. de eodem: ' Moti tamen aura cucurrit Fulminis, et summas libavit vertice cristas.' *Barth.*

936 *Fumantia muris*] Ut eos corporis sui igni succenderet. *Lactant.*

937 *Sed membra virum*] *Sed* pro ' nisi.' *Idem.*

938 *Paulum si tardius*] Nonnulli libri inserunt exclamationem *O si*, quod annotatum de suis etiam Bernartio. Optimus noster nihil mutat, neque est cur quicquam novandum arbitremur. Locum ubi ictu fulminis periit Capaneus adnotavit Pausanias lib. IX. via nim. a Platæa ad Electridem portam ducente, secutus Æschylum, qui ibi ab eo pugnatum dicit. Fabulati sunt de mortuo alii, vivis redditum, memorante Apollod. lib. III. Quod jam ante nobis indicatum existimo. *Barth.*

THEBAIDOS LIB. XI.

1 *Expiravitque receptum, &c.*] Una cum anima. Indicant hæc corpus Capanei incombustum permansisse, quod infra mox clare dicit: ' Ille jacet laceræ complexus fragmina turris Torvus adhuc visu.' Quod concordat Physicorum nonnullorum traditis, Fulminis ignem nullum corpus consumere. Vide Minutium Felicem Octavio. *Barth.*

4 *Signavit muros*] Excussit. *Lact.*

5 *Fragmina turris*] Quæ cum ipso est fulminata. *Idem.*

12 *Temerator matris*] Tityon, Latonæ concubitum violenter affectans, Apollinis est peremptus sagittis, et a Jove apud inferos perpetua pœna damnatus. *Idem.*

14 *Volucres*] Secundum Homerum, qui dicit, viscera Tityonis gemino vulture exedi, non uno, ut Virg. dicit. *Idem.*

21 *At vaga palantes*] Hanc lectionem scripti libri et editio princeps approbant, sententia flagitat. Vulg. *Aut vaga.* Bernart.

24 *Galeæque tonant*] Velut tonitru insonant. *Lactant.*

26 *Cælique tumultu utitur*] Jovis fulmine audaciam dimicandi plebs Thebana conceperat. *Idem.*

27 *Massylla per arva*] Terras Africæ. *Idem.*

29 *Rauci tunc cominus ursi*] Ut ingenue loquar, non satis percipio cur raucedinem ursis tribuat. Fuit cum divinarem legendum, *ravi tunc cominus ursi*, a colore deducto epitheto. Sed adhuc delibero. *Bernart.*

32 *Hinc premit Eurymedon*] Ex parte altera Eurymedon dux Thebanorum premebat, cujus in catalogo fecerat mentionem, ' Proximus Eurymedon qui pastoralia Fauni Arma patris.' *Lactant.*

35 *Juvenemque patrem*] E diverso dicit Pythonem cum Adelphilo bellum movere, pari pœne ætate pollentes: et istorum meminit in catalogo. ' pater est natusque, sed ævi Confudere modos.' *Idem.*

39 *Ex agmine vallum*] Licet libri nihil mutent, tamen magis γνήσιον, me judice, *examine vallum.* Bernart.

42 *Alternis procumbit*] Male obtemperatum Bernartio sic reponenti, cum

omnis manus scriptorum: *Alternus procumbit ager.* Quasi quicquam frequentius quam hoc adjectivum pro adverbio poni. Ut lib. v. 'alternaque pectora mutant.' Quid hoc aliud quam alternatim vel alternis? Lib. VI. 'Et jam alterna manus frontemque humerosque, &c. lacessit.' Hoc ipso libro: 'quid alternos vultus pallorque ruborque Mutat?' Sic et libro præcedente vs. 796. 'ut alterni (placet hoc tibi fulminis auctor!) Œdipodionii mutent diademata fratres.' Sic scripti. Vulgo 'alternis.' *Gron.*

45 *Pubes Tirynthia*] Juvenes dicit qui cum Agyleo fuerant, Herculis filio, qui stipitibus et sagittis dimicabant, non gladiis: ut in catalogo: 'flavent capiti tergoque leonum Exuviæ, gentilis honos, ac pineus armat Stipes, inexhaustis artantur tela pharetris.' *Lactant.*

46 *Exuvias imitata Dei*] Suspecta hæc mendi dudum habui: sed idem liber scriptus deduxit me ad veri latebras; præfert enim: *imitata tui*, lego, *imitata sui*. Bernart.

47 *Nemeæ in sanguine terga*] Vel invitis omnibus libris scribe: *Nemeæa.* hoc est, vacuæ leonum pelles. Lib. IV. de iisdem: 'flavent capiti tergoque leonum Exuviæ.' Et ideo hic: *pubes Tirynthia alumni Exuvias imitata dei.* Quæ frustra dudum suspecta mendi Bernartius habuit, et putat se rem magnam præstitisse substituto, *sui.* Nam ipse lib. VIII. 'dulces Superos atque omne ex ordine alumnum Numen ubique sacri resonant Pæanes.' *Gronov.*

50 *Enypeus*] Hic tuba Thebanos in bellum excitare solebat, sed tum amens fugam civibus suadebat. *Lact.*

56 *Tuba sola peregit*] Ennius: 'Cumque caput caderet carmen tuba sola peregit, Et pereunte viro raucum sonus ære cucurrit.' *Idem.*

62 *Vacua valle*] Ab humano cultu. In deserta vestigiis omnibus valle. *Vet. Schol.* Peragentem inducit sacra infernalia, educendæ Megæræ, qualia solita poëtis asseribi Manium Elicitoribus, Tisiphonem. *Barth.*

65 *Attollit*] Erigit. *Lactant.*

68 *Et pater Ætnæos iterum*] Bene *iterum*, quia paulo ante fulminaverat Capaneum, nunc iterum adversus Furiam fulmen requirit. *Idem.*

74 *Rarescunt tenebræ*] Furiæ, inquit, abscessu tantum inferis lucis accessit, quantum adventu ejus dies splendoris amisit. *Idem.*

75 *Dextræque innixa*] Scribendum *innexa*, hoc est manum manui implicans, Bernartianis, nostris, Lindenbrogii codicibus sic volentibus. *Barth.*

76 *Hæc germana tenus*] Supra irascentis Ditis verba ad Furiam hæc fuerant: 'sed quid ego hæc? i, Tartareas ulciscere sedes Tisiphone.' *Lactant.*

80 *Nec precium*] Nec operæ precium fuit diu mansisse apud Superos tantis factis stragibus. *Idem.*

84 *Hæc ego*] Quæ hactenus facta sunt sibi Mars cum Bellona vindicat, nunc ego ad singulare impellam. *Id.*

85 *Manifestus in umbris*] Quia similitudo gestorum apud Inferos extitit. *Idem.*

88 *Horrendus ab astris*] Capaneum quoque, sed modice fuisse se dicit audacem. *Idem.*

91 *Bella deum*] Aut Martis et Bellonæ, aut Apollinis et Minervæ. *Id.*

92 *Fatiscunt*] Lassantur. *Idem.*

94 *Taxus*] Quia Furiæ de taxo arbore dicuntur faces habere. *Idem.*

97 *Martia*] Qualia Mars solet efficere. *Idem.*

107 *Jam pater est*] Hoc est jam cœpit Œdipus circa filios meliora vota habere, et patris circa juvenes affectum tenere. *Idem.*

109 *Assuetumque larem*] Diuturno jam tempore habitatum, ex quo nimirum Laium occiderat, et matrem duxerat, Furiæ habitabant domum Œdipi. *Vet. Comment.*

120 *Incestare diem*] Inquinare, impuram facere. Idem Maro: 'totam-

que incestat funere classem.' Parissime de Dite Claudian. Rapt. Pros. lib. II. 217. 'tua cur sede relicta Audes tartareis cœlum incestare quadrigis?' Superorum res incestari aspectu infernalium multis habent Tragœdiæ in fabulis Herculis. *Barth.*

124 *Dignusque mea procumbere dextra*] Variant libri: et plures quidem: *aususque meam contemnere dextram:* sed meliores: *aususque mea procumbere dextra.* Quod verum censeo, et prægnantius sensu quam verbis: ut sit, ausus mereri, ut procumberet mea dextra. *Gronov.*

127 *Sat funera mensæ*] Dicit Juppiter adhuc sibi Tantali horrere convivio, in quo Pelopem prædictus pater numinibus apposuit epulandum. *Lact.*

128 *Lycaonis aras*] Lycaon rex Arcadiæ Jovem suscepit hospitio, cumque vellet explorare an numen Juppiter esset quem in domo susceperat, humanas ei carnes apposuit: quod cum Juppiter agnovisset, domum ejus incendit, ipsumque mutavit in lupum, unde Græce λύκος dicitur *lupus.* Idem.

129 *Astra Mycenas*] Quia Atreo et Thyeste parricidis epulantibus, refugo sole nox festina prævenit. Astra vero pro nocte posuit. *Idem.*

131 *Stat parcere cœlo*] Bebottius notat e suis, *soli:* et sic Britannicus. Sed optimus Berneg. adscriptum habet: 'vel *mundo.*' Quod maxime placet. Neque enim Statius minus quam alii veteres 'mundum' pro cœlo usurpat. Lib. III. Amphiaraus: 'immensi fruitur caligine mundi.' *Gronov.*

137 *Vestigat*] Intentis oculis observat et inquirit. *Vetus Schol.* Et Virgil. Æn. VI. 'Ergo alte vestiga oculis.' Servius: 'require omni intentione.' Ita 'in umbra vestigare' omnem animi intentionem, etiam demto visu, designat Valerio Flacco lib. II. vs. 116. 'famamque vagam vestigat in umbra.' *Barth.*

139 *Exeat*] Declinet. *Dubiae nutabant*] Terent. 'Dum in dubio est animus paulo momento huc illuc impellitur.' *Lactant.*

141 *Æger consilii*] Tristia cogitans, sive consilio imbellis. *Idem.*

143 *Monstra Deum*] Infelicia monstra Deum, id est, non desunt prodigia futurorum. *Sic ire parabat*] Non sic parabat viro suo occurrere quo nunc scilicet corpus ejus quæsitura est. *Idem.*

144 *Viro tædas*] Non putat his se tædis ad rogum viri esse venturam. *Idem.*

145 *Cur mæsta insignia tantum Fleverat*] Ænigma hoc, solvam tamen etsi non sim Œdipus. Interpunge: *cur mæsta insignia? tantum Fleverat.* Bern.

150 *Acherontis operti*] Obscuri, tenebrosi. Nemo enim certe scire potest, quid sit post mortem futurum, disceptantibus et semper incertis Philosophis. *Vet. Schol.*

151 *Diva ter admoto*] Cum iteravit eum percutere Furia incipit amare mortem per fratricidium ardens amore sceleris, ut interficiat fratrem. *V. Schol.*

163 *Quæ merui (scis nempe socer) licet alta recondas Vulnera, et afflictum generi vereare pudorem. Ille ego sum*] Vitiosissima interpunctio, tu distingue: *nunc saltem exolvere fas sit Quæ merui: scis nempe socer, licet alta recondas Vulnera et afflictum generi vereare pudorem.* Bernart.

167 *Patria regnoque*] Extra fines patrios te coëgi bella suscipere. *Lactant.*

175 *Vidi ego me propter*] Optimi: *Vidi egomet propter.* Et scholion, 'juxta.' Quod merito probamus vel ob Terentianum: 'interdum propter dormiet.' *Gronov.*

178 *Ululat mihi*] Quia mea causa amisit filium Parthenopæum. *V. Schol.* *Mihi*, in me, mea causa. Clau-

dian. IV. Cons. Hon. 'tibi mille ruebant Per fluvium, plenæ cuneis immanibus, alni.' Scilicet tuæ gloriæ causa, ut tu eas superares. *Barth.*

191 *Neges urnaque reponas*] In scriptis undecim reperi: *Alitibus fratrique tegas urnamque reportes*. Et invenerunt in suis alii. Quam conspirationem qui spernere ausim? *Alitibus fratrique tegere* est ab alitibus et fratre defendere, ab illorum injuria prohibere. Et 'tegere' alioqui verbum funebre. Virgil. lib. VI. 'Ossaque lecta cado texit Corinæus aheno.' Nec minus exquisitum, *me reportes urnam*, hoc est, meos cineres reliquiasque in urna, per metonymiam continentis: cum ero quod digitis quinque levatur onus. Martialis IX. 79. 'Absentemque patri rettulit urna rogum.' Thebaid. VIII. 'nec attonito saltem cinis ibo parenti.' *Gronov.*

194 *Summittitur*] Solutis nivibus minuitur. *Lactant.*

200 *Fidas*] Casside caput Polynicis obduxit Furia Tisiphone, ne fideles admonitiones Adrasti posset exaudire. *V. S.*

202 *Sic omnia vicit*] Quæcunque moram faciebant exire. *Lactant.*

203 *Injecit equo*] Invitum et ignorantem semetipsum raptat. *V. Schol.* Ita infra de adveniente Eteocle vs. 388. 'subito cum matre repulsa Eumenis ejecit fractis Eteoclea portis.' *Barth.*

209 *Inferno prævertit vota Tonanti*] Propinat ex scripto Bernartius, *pervertit*: idque genus sermonis notum sit vel ex uno Plauto. Ego vero undecumque id ignotum mihi fateor. Scio *perversa vota* esse Papinio diras: *perversaque vota secunda*. Sed nemo dixit unquam 'pervertere vota Plutoni.' Merus hic error librarii. Recte autem *prævertit*, id est, intercepit et avertit a Jove et aliis diis ad Plutonem. Florus II. 4. 'Mox Ariovisto duce vovere de nostrorum militum præda Marti suo torquem. Intercepit Jupiter votum.' *Gronov.*

211 *Licet Argos*] Quamvis Græci tibi serviant, et ipsi sacrificia debeant; tamen et nos amare, quia multa apud nos, ob stuprum Europæ, amoris gaudia perfecisti. *Lactant.*

213 *Thyasos*] 'Thyasi' chori, sacra ducentium Liberi patris, sive certamina satyrorum. *Idem.*

216 *Tyrios nimium*] Propter sui vultus imaginem, et bene *nimium*, quia adventum Jovis armati ferre non potuit, vique fulminis interiit. *Idem.*

218 *Adsertor*] Tuorum et tuæ urbis Vindex et Tutor. *Vet. Schol.* Donatus in Adelph. act. II. scen. 1. Vide ad illum Terent. locum notas Doctiss. Lindebrogii. *Regia cœli*] Palatium divorum. Vide Ovid. Met. I. *Barth.*

221 *Agnovimus ignes*] Fulmina quæ miseras in Semelen. *Lactant.*

223 *Votivum*] Sacrificio Jovis dicatum taurum, qui Hæmus dicebatur. *Idem.*

233 *Imperat*] Erat enim consuetudinis, ut si prima sacrificia minime fuissent accepta numinibus, secunda aruspex sacrificia repararet, donec viderentur esse suscepta. *Idem.*

235 *Accedere vestes*] Per membra compasci. Hercules enim victo Acheloo, Deianiram duxit uxorem: qui cum ad fluvium pervenisset, Nesso dedit Centauro transferendam. Quam cum ille in flumine comprimere voluisset, ab Hercule est sagittis extinctus, qui vestem dedit Deianiræ suo sanguine tinctam, ut se ulcisceretur, et dixit illi, si vellet perpetuo se ab Hercule diligi, daret eam illi vestem induendam. Unde cum Hercules Iolem secum captam adveheret, Deianira verita, ne ei pellex præferretur, hanc vestem Herculem induit, quam ille indutus, cum veneni afficeretur incendio, in Œta monte rogum voluntate conscendit. *Lactant.*

238 *Victor Nessus*] Venenum ab eo oriundum. *V. Schol.* Sunt qui 'naphtam' fuisse autument, qua et coronam Medea, &c. tinxerit. Vide Plin. lib. II. cap. 105. Doctissimus medicus Leon. Fuchsius ad Nicol. Myrepsum 'Petrolei' genus esse autumat. 'Colamen Bituminis Babylonici' accipit Dioscorides lib. I. cap. 101. *Barth.*

256 *Trepidæque exspectant prælia vaccæ*] Vaccæ, prope dixerim, fuerunt qui nobis hoc subjecerunt præ constanti membranarum scriptura: *exspectant prælia valles.* Horat. Epod. II. 'Aut in reducta valle mugientium Prospectat errantes greges.' Ovid. Met. v. 'Tigris ut, auditis diversa valle duorum, Exstimulata fame, mugitibus armentorum.' Noster lib. II. 'veluti dux taurus amata Valle carens.' Martial. III. 58. 'Truces in alta valle mugiunt tauri.' Dubitem hinc ego dicere 'valles mugire?' Neque igitur, exspectare illas prælia taurorum? Quid, cum Virgil. Georg. III. 'sed tota æstiva repente Spemque gregemque simul?' Ubi Servius: 'Loca pro animantibus posuit.' *Gronov.*

257 *Non desint Regi comites*] Acutissime idem liber scriptus, *non desunt regni comites.* Notat signate aulæ illa mancipia, quibus nihil magis familiare, quam omnia Principum sive honesta, sive inhonesta, laudare. 'Perpetuum malum Regum (Curtii verba sunt) quorum opes sæpius assentatio quam hostis evertit.' Verissima vox, quæ utinam personet aures magnatum! *Bernart.* *Sine mœnia pulset irritus*] Membratim ista legenda sunt, ut videantur a multis satellitibus dici: ut alterius sit: *sine mœnia pulset Irritus.* Alterius vero: *ille autem fractis huc audeat ire Viribus?* Alterius item: *hic furor est miseris instare periclo.* Lactant.

263 *Belli libertate*] In pace non laturus tantam loquendi libertatem impune. *V. Schol.* Ratio hujus libertatis est: Non audebat Creontem ob tam libera verba interficere Eteocles, ne occulta hactenus multorum in se odia suscitaret, et erumpere faceret in propatulum. Neminem enim latebat perfidiam ejus omnium patriæ malorum causam esse. *Barth.*

275 *Amnis*] Hismenos. *Lactant.*

281 *Phocidos sonoræ*] A Phoco Æaci filio, quem Peleus et Thelamon occidisse dicuntur, civitas nomen accepit. *Sonoræ* dixit, dantis responsa. *Idem.*

284 *Et e grege sanguis*] Pecus ignobile: *de grege* enim, de multitudine vulgari dixit. *Idem.*

285 *Primitiis ararum*] 'Primitiæ' proprie dicuntur primæ fruges Diis oblatæ. *Rite nefasto*] *Rite* pro *ritu* posuit; expiatio enim fuerat civitatis mors Menœcei. *Idem.*

289 *Oracula nectit*] Tecum responsa componit. *Idem.*

298 *Non fallis, ait*] Nec cælas, inquit, quid tuus animus hac oratione festinet. Non luges filium, sed me pugnante regnare desideras. Laudare mortem filii et præconiis debebas efferre, qui pro patria periit, non dolere. *Idem.*

301 *Insano voto*] Maximo tuo, sed incongruo desiderio prætendis funus Menœcei. Re autem ipsa doles super vita mea, quo semoto speras te Thebis regnaturum. *V. Schol.*

302 *Premis*] Dictis opprimis et persequeris. *V. S.*

320 *Promissum caput, &c.*] Fabulam ob oculos ponunt, qui de magno numero nunc supersunt, Euripides in Bacchis. Ovid. Met. III. Nonnus et alii. Præcipue autem caput Pentheo a matre avulsum canebatur. Ovid. 'ululavit Agave Collaque jactavit, crinemque per aëra movit, Avulsumque caput digitis complexa cruentis,' &c. *Barth.*

321 *Non ferre ipsæ vestigia natæ*] Margo optimi et quædam in contextu

membranæ: *non ferre piæ vestigia natæ*. Nec rejecerim, quando hic melior sexus Œdipodæ liberorum. *Gronov.*

323 *Crudescunt*] Juvenescunt, aut novi fiunt. *Lactant.*

29 *Integrata resurgit*] Ex integro inchoat. *Idem.*

334 *Improba lumina*] Quæ spectatura sunt fratrum singulare certamen. *Idem.*

337 *Obnixi*] Cum conatu stricti. *Idem.*

338 *Me miseram, vinces*] Prius tamen hæc arma necesse est experiare domi, ut nos ante prosternas. *Idem.*

344 *Sanxi*] Sancire est summopere, et ut ultra non possis, confirmare. Dictum alibi. *Barth.*

345 *Ore cæco*] Alludit ad excœcationem Œdipi, de qua Fabulatores. *Barth.*

358 *Non duraturus*] Senio non perventurus: id est, senectutis impedimento ad summum murum evadere non poterit. *Lactant.*

361 *Incessentem*] Invadentem, pulsantem, aut ferientem. *Idem.*

371 *Regi*] Etheocli, propter amorem Polynicis: dicitur enim cum eo concubuisse. *Idem.*

373 *Liceat vultus fortasse supremos Noscere dilectos*] Quis dubitabit quin legendum ut ex scriptis reposui: *supremum?* Bernart.

375 *Illum gemitu, &c.*] Eteoclem. *Exsertum ensem*] Jam parata arma dicitur deponere, matre hortante. *Vet. Schol.* Audisse autem se hæc scite virgo dicit, non enim propter turbam accedere poterat Eteoclem, ut supra memoratum est, vs. 354. *Barth.*

383 *Cæperat*] Sola enim Antigone poterat Polynicem a singulari cum fratre certamine removere. Supra enim de ipsa dixerat Furia: 'blandamque precatur Antigonem; timeo paulum ne nostra retardet Consilia.' *Lactant.*

391 *Mater, et, o patria*] Stulte inculcatum est τὸ *et:* sive ipsi tribuas Eteocli, sive Poëtæ quasi interponenti hoc quoque eum dixisse. Nimirum recte bonæ satis et multæ membranæ, jamque olim editum fuit: *Mater: io patria, o regum incertissima.* Præcedenti libro: 'Fulmen, io, ubi fulmen?' nam *regum* quidem, non *regni*, credo, in omnibus scriptis. *Gronov.* *Incertissima*] Ante cruentum pugnæ dubia. *Lactant.*

400 *Palla*] Chlamyde. *Idem.*

401 *Mæoniis*] Lydiis, de hac enim regione fuit Ariadne lanificii peritissima, quæ Minervam provocavit, et ab ea in araneam est mutata. *Idem.* *Opus ipsa novarat Mæoniis Argia modis*] Cur Mœoniis? quia ex Lydia (ita postea est vocata Mœonia) fuit Arachne lanificii peritissima, quæ Minervam provocavit: haud inepte hoc dixeris. *Bernart.*

406 *Serpentibus augent*] Equorum jubas augent Furiæ, adjectione serpentum. *Lactant.*

411 *Et ipsi Armorum fugere Dei*] Mars et Minerva. *Idem.*

414 *Cruda*] Aspera: dicit Minervam opposita Gorgone visus suos cælasse. *Idem.* *Cruda virago*] Bellicosa et pugnarum tractatrix, Minerva. *V. S.* Sic 'ferox Diva' eadem lib. II. vs. 715. Servius ad Æneid. X. 'Crudus, cum ad animum pertinet, asperum et crudelem notat.' Scholiast. Horat. III. Od. 11. Viraginem Minervam dicit etiam lib. IV. Silv. 5. 'Mea carmina Regina Bellorum virago Cæsareo paravit auro.' *Barth.*

428 *Sed quid apud tales? quis non sua*] Malim ego: *Sed quis apud tales?* Mens: Erat quidem reipsa venerabilis Adrastus, sed quæ veneratio apud eos, quibus nec pignora curæ? *Bern.*

429 *Exter honos*] Sic jam ante Canterum fuit editum. Insolens tamen illud *Exter:* etsi legerit ita quoque Priscianus. Vidit in compositione quoque aliquid esse scabri Bernartius, corrigitque: *Sed quis apud tales?*

Immo Modius in Novantiquis. Ego notavi optimos quoque, immo fere omnes codices habere aut *Alternos* aut *Externos*. Berneggeri, quæ mearum omnium membrana vetustissima: *Alternos:* et supra scriptum *Thebanos et Argivos*. Mihi quidem momentis rationum, quantum in hoc arcto otio et præcipiti festinatione licet, libratis, hoc propensissimum visum est. Nam vel *Exter* vel *Externus*, utrique certe, qui poterat dici, qui alterius socer esset? qui cum utriusque parentibus communes nepotes habebat? alteri dicat statim: *nec tu mihi sanguine longe?* Scribatur: *Sed quid apud tales, queis nec sua pignora curæ?* Sed quid possent seu valerent cum majestas regis, tum veneratio senis, apud eos, qui jam vincula sanguinis, qui conjunctionem uteri sanctissimam ruperant? *Alternos tamen ille rogat:* nihilominus ille modo hunc, modo illum aggreditur, et quidem precibus: quod et mox facit: *te deprecor hostis, Te gener et jubeo.* Fratres enim proprie *Alternos* intellige. Ovid. Met. v. 'sed et hunc et Persea vultu Alterno spectans.' Quid dicemus ad auctoritatem Prisciani? nempe aut pervetustum esse mendum, aut ei memoriam imposuisse. *Gronov.*

431 *Ne perstate animis*] Ne perseverate his furoribus. *Vetus Schol.* Virgil. Æn. v. 'Nunc quoque mens eadem perstat mihi.' Et Æn. II. 'Talia perstabat memorans, fixusque manebat.' Lucan. lib. III. 'crebra percussus cuspide perstat.' *Barth.*

438 *Pontus Cyaneos vetuit*] Quoniam aqua non vetuit sibi montes collidi. *Lactant.*

441 *In digitis amenta videt*] Lorum seu ligamen intelligit, quo mediam hastam veteres religare solent, ut jaci longius posset. Duxit hinc elegantem Metaphoram Tertullianus, adversus Marcionem lib. IV. 'Injustitiæ auctorem et dominatorem totius sæculi nummum scimus, cui famulatam videns Pharisæorum cupiditatem, amentavit hanc sententiam, Non potestis Deo servire et mammonæ.' *Bern.*

442 *Ac fata*] Hactenus medius inter pugnaturos Arion, morabatur ne possent per liberum campi spatium concurrere. *V. Comment.* Lutatius et Bernartiani (ut ipse ait) libri *monentem* legunt. Non male, cum fatidicus semper fuerit iste Adrasti equus. Sic habent et nostri duo libri, nec non Behottiani, et receperunt idem Lindebrog. et Gevart. *Barth.*

446 *Palluit amisso veniens in Tartara cælo*] Plutonem intelligit, et fabulam respicit, qua Jupiter, Neptunus, Pluto, universi hanc machinam divisisse sorte finguntur. *Bern.*

447 *Indulsit*] Instituit. *Lactant.*

452 *Venerabile*] Formidandum. *Id.*

455 *Iterare aciem*] Denuo bellum instaurare. *Idem.*

456 *Opponere*] Objicere se pugnantibus fratribus. *Idem.*

459 *Non habitu*] Non læta, sed tristis. *Idem.*

465 *Animantum*] Animas habentium, id est, hominum. *Idem.*

469 *Post Pyrrham*] Post diluvium, cui sola cum Deucalione suo superstes fuisse Pyrrha perhibetur. Itaque ejus nomine diluvium censetur. Horatius: 'grave ne rediret Seculum Pyrrhæ, nova monstra questæ.' Vide Claudian. Bello Gildon. Fuit autem diluvium hoc, Pyrrhæ nomine nominatum, in sola Thessalia. *Barth.*

471 *Auxilium tentemus ait*] Recte scripti omnes, *Auxilio:* modo bene interpungas: *speculataque tempus Auxilio, tentemus, ait, licet irrita coner.* Utrumque elegantius: 'tempus auxilio,' ut sæpe Livio: 'locus insidiis;' et 'tentemus,' sine casu nominis. *Gronov.*

473 *Quanquam mæsta deæ*] Cum pietas de cœlo descenderet ad terras, licet mœsta esset, tamen quocumque ibat per nubes nigras, claram sui numinis lucem trahebat. *Lactant.*

485 *Numen iners*] Pietas, quæ bel-

la dissuadet. *Idem.*

488 *Furiarent*] Instigarent. *Idem.*

490 *Cadmus erat*] Dentes draconis de quibus cohors armata prosiluit. *Idem.*

491 *Rogat*] Convenit. *Idem.*

494 *Ora reducentem*] Vultum suum retro tollentem. *Idem.*

495 *In lumina pallam*] Faciem suam chlamyde protegebat, ne Furiæ vultum videret. *Idem.*

496 *Questura*] Nequaquam cogitato etiam hoc Papinius scripsit. Quomodo enim auditurus erat Jupiter, aut quid in eo spei habere poterat, quam paulo ante eundem conviciis incessentem et cælum ejus exsecrantem induxit vs. 462. ‘ Sævumque Jovem, Parcasque nocentes Vociferans, seseque polis et luce relicta,’ &c. *Barth.*

500 *Prior occupat*] Feriturus prævenit, ac tela disponit. *Lactant.*

502 *Per orbem*] Per medium scutum conata est transire. *Idem.*

508 *Minor umbra dolorem*] Astysmos, id est, urbane; *minor umbra*, dixit, victi regis, ut Horat. ‘ Medumque flumen gentibus additum Victis minores tollere vertices.’ *Idem.*

510 *Plaga*] Vulnus metum immisit. *Idem.*

526 *Rimantur*] Pervestigant. *Acerbo*] Torvo. *Lactant.*

527 *Telluris*] Subaudis ‘ intererat:’ id est, non a se multum aberant, sed comminus sua ora cernebant. *Idem.*

529 *Signa tubarum*] Neglectu suo plus excitabantur ad scelus. *Idem.*

530 *Fulmineos*] Fortes. *Idem.*

536 *Facinusque peractum*] Tanta inerat sævientibus feritas, ut cum nulla sibi adhuc vulnera intulissent, tamen jam se scelus perfecisse credebant. *Idem.*

542 *Justius*] Justior in scelere Polynices videbatur pro denegato sibi imperio. *Idem.*

543 *Quam male jam plumis imis tegit inguina thorax*] Insigne mendum, parva labe contractum: nam litterulam detrahe, et germanam lectionem effeceris: *Qua male.* Bernart. *Plumis*] Laminis, ut Virgil. ‘ Quem pellis ahenis in plumam squamis.’ *Lactant.*

546 *Magis ac magis æger*] Polynices scilicet viso fratris vulnere imminebat. *Idem.*

547 *Atque increpat hostem*] Non possis accipere aliter quam Eteoclem hoc facere. At verba sunt Polynicis. Scripti, *hosti*. Lege: *nec parcit cedenti, atque increpat hostis. Cedenti*] Eteocli. *Hostis*] Polynices. *Gronov.*

550 *Rebusque exercita egenis*] Has vires exilia calamitatesque nutrierunt. *Lactant.*

567 *Jam lætus frater fratris sub corde*] Variant codices. *Jam lætus fati*, quod dedit Lindenbrog. ex eo accepit, quod nonnulli habent *fati*, sed cum picta super virgula, quæ literam caninam significat. Alii, *fraterno in corde*, et *fratri fraterno corde*. Sed princeps ille Berneggeri: *fratris non frater corde reliquit.* Idemque inveni in codice Bavar. Monaciensi. Neque ausim refutare: licet, explices, non fraterno animo. Nihil erant illa priora: hoc demum lætus erat, hoc maxime placebat eorum, quæ tanquam minime frater fratri fecerat. Pertinent huc illa, quæ notavimus alibi similia Ovidiano: *pugnat materque sororque.* pro affectu materno et sororio. Tum illud *non frater* dixit, ut alibi: ‘ Horrendum non matris opus. *Gronov.*

569 *Quietas*] Quia in mortem ipsam usque sceleratus es. *Vet. Scholiast.* Qui non emendabant vitam et desinebant malitiam, neque confessi essent, ut punirentur, eos pessime puniri credebant apud Inferos. Virgil. ‘ Gnosius hæc Rhadamantus habet durissima regna, Castigatque auditque dolos, subigitque fateri, Quæ

quis apud Superos (furto lætatus inani) Distulit in seram commissa piacula mortem.' *Barth.*

575 *Consumite pœnas*] Omnia supplicia transeundo subite. *Lactant.*

578 *Una dies*] Stat tantum. *Idem.*

579 *Prælia reges*] Execranda fratrum prælia soli noverant reges, penes quos est et opprimendæ libertatis ambitus, et sæviendi crudelitas. *Idem.*

582 *Mortem imperfectam*] Cæcitatem, ut ipse in primo, 'longaque animam sub nocte trahebat.' *Idem.*

583 *Utraque canities*] Et capitis, et barbæ. *Idem.*

584 *Genæque intus*] Sedet intus abactis ferrea lux oculis. *Idem.*

587 *Puppe relicta*] Charon. *Idem.*

588 *Exosus manes*] Odio habens mortuorum sæva supplicia. *Idem.* *Nigri sulcator Averni*] Veriorem lectionem præferunt calamo exarati, *pigri sulcator Averni.* Noster Epiced. in patrem: 'pigro transmisit Averno Causa minor.' Idem lib. VIII. 'Tunc regemunt pigrique lacus, ustæque paludes.' *Bernart.*

590 *Nec ipse diu*] Nihil mirum: cum nec Cerberus Inferis extractus diem tulerit. Ovid. Met. VII. 'Est via declivis, per quam Tirynthius heros Restantem, contraque diem, radiosque micantes Obliquantem oculos, nexis adamante catenis Cerberon attraxit.' Et Theseus ab Inferis rediens, in Hippolyte queritur apud Senecam: 'vix cupitum sufferunt oculi diem.' *Barth.*

592 *Exspectent sæcula ripis*] Notione non cuilibet e plebe litteratorum nota *sæcula* pro 'hominibus' posuit: nec id sine ratione, vel auctore. Enimvero uti recepta apud Latinos phrasis est, 'væ ætati tuæ,' pro 'væ tibi;' ita cum ætas hominis 'sæculo' concludatur, non absurde Poëtica licentia, pro 'homine' *sæcula*, Noster usurpavit. Præsertim cum locupletissimum auctorem habeat Lucretium lib. V. 'inde loci mortalia sæcla creavit.' Et inibi: 'Tum tibi terra dedit primum mortalia sæcla,' id est, 'homines.' Et iterum: 'Lanigeræque simul pecudes et bucera sæcla,' pro ipsis 'bubus.' *Bern.*

608 *Per arida serpunt*] Cæcitatem aridam dixit, eo quod, deficientibus oculis, lachrymarum origo cessaverit. *Lactant.*

609 *Molles*] Quia sunt animi molliores. *Idem.*

610 *Exequialia mortis*] In morte vestra lachrymas fundo, quæ exequiis consequentur. *Idem.*

611 *Nimiumque mei*] Minime a meis criminibus discrepantes. *Idem.*

620 *Et pater et genitrix*] Quia sceleratus in hos fueram, regnoque a filiis ejectus et oculos præterea amiseram in furorem versus, per eum devovi filios meos. Unde si justi fuissent, Dii debebant attendere non meas, sed Furiarum ipsarum voces, neque ita crudeli parricidio eos innocentes de medio tollere. *V. Schol.*

627 *Talia conquestus*] Interpolarunt homines invenusti, et extruserunt proprium Papinio verbum, *dequestus;* quod scripti agnoscunt. Noster lib. I. 'similesque notos dequestus et imbres.' Sidonius lib. IX. Epist. 9. 'Longum tacere nos vir sacratissime in commune dequestus es.' *Bernart.*

637 *Multaque*] Multaque in Deos convitiata, et de incesto cubili plurimum conquesta. *Lactant.*

638 *Et nati furiis*] Filii nuptiis. *Et primi conjugis*] Laii prioris mariti. *Id.*

639 *Luctata est*] Conata est manus anilis virorum fortium opus implere. *Idem.*

641 *Sanguine lectus*] Cruore suo infelicis lectuli purgavit incestum. *Id.*

644 *Qualis Marathonide silva*] Marathon mons Atticæ regionis, in quo Icarus est occisus: ad quem locum Erigone filia ejus cane præeunte pervenit, et se nimio luctus dolore laqueavit, fortioribus ramis electis, ne forte infirmioribus fractis, mortem

corporis ruina declinaret. Pinus autem in qua pependit regionem illam sua umbra vastabat: ut placaretur extincta, ora in humanam speciem ipsi formata in eadem arbore suspendebant, et pastorum congressibus cantibusque diem illum celebrem faciebant. Quod Virgilius aliud agendo perstrinxit: 'tibique Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.' *Idem.*

646 *Nodum*] Laqueum, quo se regina suspenderat. *Lactant.*

647 *Ramos moritura legebat*] Busl. *ligabat*. Respicit fabulam, qua fingitur Erigone Icari filia, Penelopes soror, a Baccho in specie uvæ compressa, cum patrem a pastoribus insuper occisum reperisset, seipsam de arbore suspendisse, sed ramo fracto in terram decidisse, inter astra translatam, et signum Zodiaci factam, quod Virginem appellant. *Bernart.*

651 *Illi Pugnarunt*] Hujus emolumenta. *Vet. Schol.* Idem sensus deprehensus a nobis est in illo, initio hujus Operis: 'alternaque regna profanis Decertata odiis.' Hoc est certando utrique Hæredi amissa. Talem solebant pugnam olim pugnare Arcades, qui proverbio locum dederunt. Vide Hesychium. *Barth.*

661 *Primum adeo sævis imbutus amoribus aulæ Indicium*] Ignotus ille, sed magnus Auctor Thebais, ab hac mente: 'tam ferum et durum geris Sævumque in iras pectus, et nondum imperas? Quid sceptra facient?' Et Seneca Thyest. 'Ut nemo doceat fraudis et scelerum vias, Regnum docebit.' Adeo omnes fere cum Pindarico illo Tantalo: μέγαν ὄλβον καταπέψαι οὐ δύνανται. *Magnam felicitatem concoquere non possunt.* Bern.

674 *Seniumque recessit*] Nimia senectus dicitur *senium*. Terent. 'Ut illum Dii Deæque omnes perdant senem, qui me hodie remoratus est.' *Lactant.*

677 *Jam ne vacat sævire Creon*] Jam non doles interitum filii, sed contra mortuos furibundus irasceris? *Idem.*

679 *Calcare ruinas*] Afflictorum regum insultare casibus. *Idem.*

680 *Jam tumulis junctos socios, jam manibus arces*] Pessime quæ de verbis, qua de interpunctionibus affectus locus. Sed Pharmacum ex scriptis quod huic ægro faciet vitam: *Jam tumulo victos, socios jam manibus arces?* Bernart.

682 *Nova contrahis*] Cur parce usurpas jura tua, cur ea contrahis, quæ extendere debebas? Rudis, inquit, adhuc es, nec expertus quid tyranno liceat. Sciendum est hæc quasi Furiæ ore loqui Œdipum, et sic adhibiti sunt gestus in recitando. *V. Schol.*

683 *Anguste metiris*] Longe plus licet Thebano regi, quam quod tu nunc agis. Utere plenius in me tyrannide tua exemplo præcessorum Regum. *V. Schol.* *Metiris honores*] Ut exilium imperes ei quem potes occidere, cur non sævius aliquid imperas? Ista mihi parva sunt quæ minaris exilia, qui sponte supplicia in me majora perfeci. *Lactant.*

685 *Quin protinus imbuis enses*] Quinimo imbue, id est, in me auspicare innocentem cædem, quasi novus tyrannus. *Idem.*

686 *Satelles*] Id est, armiger, qui me possit occidere. *Idem.*

704 *Nec tibi sit virtus*] Id est, nulla in te sit fortitudo animi, qua possis adversa magnanimiter ferre. *Idem.*

705 *Satis omina sanxi*] Satis imprecatus sum. *Idem.*

720 *Sublimis et armis Septus*] Ut inclitum et virtuosum Regem decebat. *V. Schol.* Aliter tamen Papinius lib. I. vs. 147. de regno Thebano Œdipi illo tempore. Non erant, inquit, tunc in ea civitate 'impacatis Regum advigilantia somnis Pila, nec alterna ferri statione gementes Excubiæ,' &c. *Barth.*

723 *Cui nunc ex agmine tanto Una*

comes] Mirantur vicissitudinem hanc, qui ea tantum prospiciunt quæ ante pedes sunt; at non illi quos altiori quadam aura cana Prudentia afflavit. Didicerunt quippe a sapientissimo Romanorum: 'Horæ momentum interesse intra solium et aliena genua.' Et velut in Euripo sursum deorsumque omnes volvi. Nec tamen ideo dejiciuntur cum serio imbiberint ejusdem Sophi monitum: 'In secundis nemo confidat: alternæ sunt vices rerum. Quid exsultas? ista, quibus veheris in summum, nescis ubi te relictura sint. Quid jaces? ad imum delatus es? nunc est resurgendi locus.' *Bern.*

743 *Exarmatus ab ævo*] Dentibus et unguibus obtusis imbeilis redditus. *Vet. Schol.* Ita Sil. lib. I. vs. 410. 'Nec non serpentes diro exarmare veneno.' Et de iisdem Calpurn. Eclog. v. 'ipse videbis Serpentum cecidisse minas, non stringere dentes Ulla potest uncos,' &c. *Barth.*

749 *Supplicis indulget*] Veniam Œdipo sub certa conditione promittit. *Lactant.*

753 *Habitabilis umbris*] Ubi filii se tui mutuis vulneribus peremerunt. *Idem.*

754 *Qua bellum*] Thebanæ et Argivæ gentes moverunt. *Idem.*

756 *Destituunt*] Occulte fugiunt. *Lactant.*

THEBAIDOS LIB. XII.

1 *Inclinaverat*] Occidere fecerat, id est, nondum omnia astra adventus extinxerat Solis. *Lactant.*

2 *Trepidos ubi jam Tithonia*] Hoc ab illis est ortum, qui veteris orationis filum melius nectere docere voluerunt. Scripti: *trepidas subito.* Perinde est ac si foret, 'cum subito.' Ovid. Met. III. 'Vix bene Castalio Cadmus descenderat antro, Incustoditam lente videt ire juvencam.' Lib. IV. 'Postera nocturnos aurora removerat ignes, Ad solitum coiere locum.' An et hic facient, 'ubi coiere?' *Gronov.*

5 *Dircæa*] Thebana. Ut Dirce pro universis Thebanis rebus, infra vs. 610. *Barth.*

9 *Munimina valli*] Quamvis fugati essent Argivi, tamen exire de civitate Thebani metuebant. *Lactant.*

10 *Reserare audacia portas*] Nondum audebant terrore præteritorum malorum omne portarum spacium reserare. *Idem.*

13 *Prima labat*] Virgil. 'Dum trepidi egressique labant vestigia prima.' *Idem.*

23 *Cruenti duces*] Luctus et Dolor monstrant viam; nimirum dum suos quisque charos et propinquos quærit per cadavera. *Vet. Schol.*

28 *Queruntur*] Virtutis malo imputant, quæ perierint. *Lactant.*

29 *Digeritur*] Ordinatur. *Idem.*

30 *Cum scapulis hastisque manus*] Omnes scripti: *capulis.* Unus quem ego viderim Buslid. habet alterum, sed ita, ut ultro subnotato puncto τὸ *s* indicet vacare. Hic igitur si creditus auctor Bernartio, *scapulas* hic inculcanti, auctoritatem defugiet. *Capuli* sunt gladiorum, quibus perinde, ut hastis, manus immortuæ. *Gronov.*

35 *Lusit Fortuna parumper*] Decepti opinione sua homines, *ludi* dicebantur a Fortuna, cuique pleræque omnes nationes omnem in res humanas castigandas et illudendas potestatem

dabant. Qua de re eleganter Plin. lib. II. cap. 7. Et Ovid. ex Ponto lib. IV. 'Hæc Dea non stabili quam sit levis orbe fatetur, Quæ summum dubio sub pede semper habet.'

38 *Vacuique dolores*] Non possunt dici vacui *dolores*, nisi pro supervacuis, inanibus, vanis. Is autem non est sensus hujus loci. Scribe, *vacuique doloris*: id est, qui carent dolore, qui mala belli mortibus suorum non sentiunt. Lib. V. 'et vacuis fluviorum in vallibus errat.' *Gron.*

57 *Accipit*] Subaudis, 'ignis.' *Idem.*

58 *Argivus haberi*] Id est, non sepeliri sicut Græci. *Idem.*

62 *Sed bellicus agger*] Instrumentorum belli exaggeratio. *Idem.*

64 *Acervos*] Exuviarum hostilium moles. Exuviis enim hostium extruebatur regibus mortuis pyra: quem ritum sepulturæ hodie quoque barbari servare dicuntur, quem 'strabas' dicunt lingua sua. *Idem.*

65 *Pacifera lauro*] Triumphali sive victrici. *Idem.*

75 *Acerbas*] Acerbum facis. *Lactant.*

84 *Eadem dies*] Unius igitur diei res duobus libris decimo et undecimo complexus est Papin. Et hoc quidem Antimachicum est. *Barth.* *Misere*] Hoc deplorandum est, inquit, te tantæ virtutis hominem eo die fatis cessisse, quo exstinxere se mutua cæde pessimi isti fratres. *Vet. Schol.*

85 *Fratres*] Una sorte et eadem die, cum nefandis fratribus bellorum fortunam conjunxit. *Lactant.*

88 *Libamenta*] Dona sacrata sive pueris initia mortis. *Idem.*

89 *Regimen dextræ*] Sceptrum sive regalis virga. *Frontisque superbæ*] Vincula, diadema. Ostendit Poëta Creontem regni insignia in ardentis filii pyram jecisse. *Idem.*

94 *Funera Lernæ*] Cadavera Argivorum. Quia jam tu combureris, ne, quia causa tui interitus fuerunt, etiam mortui, componantur, veto eos sepeliri. De Lerna supra dictum est, quantum satis fuerit. *Vet. Schol.*

104 *Abreptum*] Iracundia enim nimia ei deliquium animi faciebat. *Vet. Schol.* *Comites* summos amicorum notant, lib. X. vs. 157. 'Novum comitem bonus instigabat Apollo.' Et vs. 343. 'Calydonius Hopleus Mænaliusque Dymas, dilecti Regibus ambo, Regum ambo comites.' *Barth.*

123 *Impia conjux*] Proditrix. Eryphilen significat Amphiarai uxorem, quæ, monilis cupiditate ducta, latebras conjugis prodidit, quam postea filius in vindictam patris occidit. *Lactant.*

130 *Duplex littus*] Ionium et Ægeum. *Idem.*

131 *Isthmiaco*] Corinthio. *Genitrix*] Leucothea. *Idem.*

132 *Noctivagumque*] Mulierum Argivarum gregem significat. *Noctivagum* ideo, quia quærentes maritorum cadavera nocte vagantur incertæ. *Eleusis*] Civitas non longe ab Athenis: quamvis Eleusis propriis luctibus serviat. In sacris enim hujus civitatis mysteria sunt Cereris, Proserpinæ raptum dolentis.

133 *Arcanos*] Secretos, sive sacrificiorum ignes ostendit. *Extulit*] Elevavit. *Idem.*

134 *Ipsa per adversos*] Ipsa Juno et avia monstrabat itinera, et refovebat corpora mortuorum: mandat simul curam Iridi, quæ ambrosiis succis perfundens ea debere solvi vetabat. *Idem.*

135 *Ne plebs*] Ne conjuncta fugientium multitudo a cœpto deterreatur. *Idem.*

137 *Functa*] Mortua. *Idem.*

138 *Roribus*] Liquoribus suis. *Id.*

139 *Obstant*] Repugnant. *Idem.*

140 *Fatiscant*] Ut occisorum corpora putredine non ante solvantur, quam rogos accipiant; et est ordo: ante flammas non fatiscant. *Idem.*

145 *Mota*] Propter virgulta et arbores. *Vet. Scholiast.* Horatius: 'Seu

virides rubum Dimovere lacertæ, Et corde et genibus tremit.' 'Novum tumultum' dicit qualem ante non audiverat, nec in ea solitudine exspectabat. *Barth.*

149 *Funusne peremptis speratis*] Speratisne vos mortuis sepulturæ solatia posse præstare? *Lactant.*

152 *Annumerat*] Servat. *Idem.*

155 *Busiridis aras*] Hic rex Ægypti fuit, advenas solitus ad aras mactare; postremo adventu Herculis exemplo suo immolatus est. *Idem.*

156 *Odrysiique*] Diomedes Thracum rex equos habebat, quos humanis carnibus nutriebat. Hos Hercules, occiso Diomede, ad solita pabula, id est ad gramina, mollita feritate revocavit. *Siculosque licebit*] Jupiter Ætnam Nympham compressit: quam cum Juno persequeretur, illa Terræ imploravit auxilium, et in sinu ejus recepta, enixa est geminos, necdum partu maturos: hos Terra intra gremium suum tamdiu fovit, quamdiu lex uteri postulabat: postea enixa est, unde Palici, id est, bis geniti sunt appellati. Hos autem immites fuisse, et humano sanguine placari consuetos, fabula disserente confirmatum est. Quod videtur etiam strictim tetigisse Virgil. 'Et implacabilis ara Palici.' *Idem.*

158 *Nec conjugalia supra Funera*] Utrum solves secundam syllabam τοῦ *conjugalia*, an males *connubialia?* An denique *conjugialia?* ut apud Ovidium Met. lib. v. 'nec conjugialia festa Qui canat, est clamor.' Et lib. vi. 'Nec mea virginitas, nec conjugialia jura.' Sed mirum est utrobique in tribus membranis haberi *conjugalia.* Gronov.

162 *Absentesque animas ad inania busta vocatis*] Adumbratus ex Virgilio locus Æn. iii. 'Ante urbem in luco, falsi Simoëntis ad undam, Libabat cineri Andromache, Manesque vocabat Hectoreum ad tumulum: viridi quem cespite inanem, Et geminas, causam lachrymis, sacraverat aras.' Respicit uterque Poëta ad κενοτάφιον, cujus præclarum apud Xenophontem exemplum lib. vi. Expeditionis Cyri; ubi militibus, quorum reliquiæ reperiri non poterant, inane sepulchrum statuitur. Vide Tacitum Annalium i. et ii. Suetonium Claudio cap. 1. Marcellinum in Vita Thucydidis: Lampridium Severo: Vopiscum Floriano. Denique Jurisconsultos nostros, Macianum lib. vi. de Rer. Divisione: et Ulpianum lib. v. de Relig. et Sumpt. Funer. ubi disces cenotaphium non fuisse apud veteres religiosum. *Bernart.*

164 *Thermodontiaco*] Thracio, a fluvio Thermodonte, Thraciæ regionis. *Lactant.*

166 *In mores hominemque*] In humanam consuetudinem, id est, ut mortuos sepulturæ concedat, bello cogendus est Creon. *Idem.*

168 *Uno vultus pallore notati*] Quanto melius veteres, *pallore gelati?* Bernart.

177 *Hic non fœminea*] Sed omnino virilis fortitudinis. *V. Schol.* Melior hic est Vetustissimorum librorum lectio: *At non fœminea.* Ita Claudianus: 'At non magnanimi virtus Stiliconis eodem Fracta metu.' *Barth.*

179 *Dura pericli*] Causa mariti furtim cremandi. *Lactant.*

181 *Rhodopes*] Mons Thraciæ. *Id.*

182 *Innuptis*] Amazoniis. *Idem.*

189 *Nunc mitis conjunx*] Vitiosissima interpunctio. Tu mecum rescribe: *Nunc hospes misere, primas nunc sponsus ad aras.* Tangit iterum, sed occulte, more suo, ritum priscum, quo sacrificium signate inter nuptiarum sollennia. Tacitus Annal. xi. de Silio et Messalina: 'Haud sum ignarus fabulosum visum iri, tantum ullis mortalium securitatis, in civitate omnium gnara et nihil reticente, Consulem designatum, cum uxore Principis, prædicta die, adhibitis qui obsignarent, velut suscipiendorum liberorum causa, convenisse: atque

illam audisse auspicum verba, subisse, sacrificasse apud deos, discubitum inter convivas, oscula, complexus: noctem denique actam licentia maritali.' Scriptor ignotus Octaviæ: 'vidit attonitus tuam Formam Senatus, tura cum superis dares, Sacrasque gratas spargeres aras mero, Velata summum flammeo tenui caput.' Terentius Phormione: 'Si argentum acceperit, ducenda est uxor, ut ais: concedo tibi spatium quidem tandem apparandis nuptiis; vocandi, sacrificandi dabitur paululum.' Valerius Flaccus, VIII. Argonaut. 'Inde ubi sacrificas, cum conjuge venit ad aras Ausonides, unaque adeunt, pariterque precari Incipiunt, ignem Pollux undamque jugalem Prætulit.' Qui locus alterius cujusdam ritus memorem me reddit Jurisconsultus l. penult. § 1. de Donat. inter Vir. et Uxor. 'Virgini in hortos deductæ ante diem tertium quam ibi nuptiæ fierent, prius quam ad eum transiret, et prius quam aqua et igni acciperetur.' Dionysius Antiquitatum II. de Romulo, raptas Sabinas suis conjungens, 'Nuptias inter eos his conditionibus concilians, ut ignis et aquæ ejusdem participes essent, quemadmodum adhuc et nostra ætate fit.' Causam hujus ritus reddidit Lactantius de Origine Erroris lib. II. cap. 10. de aqua et igne agens: 'Alterum enim quasi masculinum elementum, alterum quasi femininum; alterum activum, alterum patibile; ideoque a veteribus institutum, ut sacramento ignis et aquæ nuptiarum fœdera sanciantur, quod fœtus animantium calore et humore corporentur et animentur ad vitam.' Videndus Varro de Lingua Latina lib. IV. Ovidius Fastorum IV. Nonius etiam in Titionem et in Felix. Erit fortasse aliquis, cui extra limitem extraque oleas (quod dicitur) ire videbor: non eo; noto hæc talia, ut intelligat juventus Papinium scribentem Epith. Stellæ et Violantillæ: 'procul ecce canoro Demigrant Helicone Deæ quatiuntque novenæ Lampade sollennem thalamis coëuntibus ignem, Et de Pieriis vocalem fontibus undam.' Respicit vetustissimum hunc ritum et ipsas Musas ea quæ ad sollennia gestasse vult. *Bern.*

217 *Vis nulla dolenti*] Nunquam est animi magnitudo, quæ perducat ad mortem. *Lactant.*

218 *Hortaris euntem*] Verbis dehortantibus cohortaris. *Idem.*

224 *Nocte velut Phrygia*] Sacra matris nocte Phrygibus colebantur in monte Dyndimo, in quibus se Galli abscindere consueverant. Quod genus sacrificii strictim Virgilius tetigit: 'Ite per alta Dyndima.' *Idem.*

226 *Dux vesana chori*] Non memini mulieres quoque fuisse in sacris Magnæ Matris, quæ se cruentarent. An igitur de archigallo loquitur ut fœmina? Id sic quidem nimis insolens videtur. An scribendum: *pinigeri raperit Simoëntis ad undam Dux vesane chori.* Gronov. *Cujus Dea sanguine lecto*] Cujus sanguine placari vult Cybele. *Vet. Schol.* In optimo libro alia est lectio: *cui jus Dea sanguine lecto Ipsa dedit ferri, et vittata fronte notavit.* Non est fortassis Librariorum aut nasutorum hominum hæc scriptura, cum de Modimperatrice Sacrorum horum clarus sit sermo. Nihil tamen mutamus. *Barth.*

229 *Aliis rediturus ab undis*] In occidentem vergens sol, necesse est ab orientis partibus oriatur. *Lact.*

232 *Nec frangit iter*] Non minuit vel deflectit. *Idem.*

234 *Novalia*] Agrorum loca, quæ verno tempore scrobibus factis vinetis aptantur. *Idem.*

235 *Per fluvios secura ruit*] Cur non audiam veteres: *Per fluvios secura vadi?* Bernart.

236 *Infesta cubilia*] Lactant. legit *incessa*, inhabitata vel obsessa exponens, quam veram scripturam puto:

et recte editum Lindenbrogio. Gulielmus Canterus lib. II. Nov. lect. cap. 8. legendum censet: *Per fluvios secura ruit, somnosque ferarum Prater, et horrendis insessa cubilia monstris.* Quæ sane elegans lectio est, et ut puto veteribus libris debita. Placet itaque recipi hanc, dissentiente licet Lutatio. *Barth.*

243 *Supinantur*] Inclinantur. *Lact.*

244 *Devexa*] Latera. *Idem.*

246 *Exacti*] Finiti sive conclusi. *Non blanda*] Non falsa. A blandimentis enim inducimur: ut Terentius: 'Nisi me lactasses amantem, et falsa spe deluderes,' id est, blandimentis induceres. *Idem.*

247 *Egena sepulchri*] Cadavera sepultura carentia. *Idem.*

248 *Busta*] Corpora semiusta. *Æstuat aër*] Graviter exhalat. *Idem.*

259 *Qua stipata manu*] Qua multitudine comitata, Ironicῶs, id est, nulla. *Idem.*

272 *Ausonium Siculumque latus*] Nunc huc nunc illuc se obvertens. Claudianus de Lybico et Italico latere, longe illustriori sensu, eadem in re 'fulvis Adnatat umbra fretis, extremaque lucis imago Italiam Libyamque ferit, clarescit Etruscum Littus, et accenso resplendent æquore Syrtes.' Nec absimiliter Sil. Italicus lib. II. in re tamen alia: 'Ardent tecta Deum, respondet imagine flammæ Æquor, et in tremulo vibrant incendia ponto.' *Barth.*

290 *Parum lucentibus astris*] Et habere fingebatur facem modo, et talem quidem facem, quæ cæteris incensis arboribus comparari possit. Magna hic iterum oblivio est, quam auget postea cum iterum lampadem Argiæ tradit, ut vs. 349. 'aliamque ad busta ferebat Antigone miseranda facem.' Quomodo aliam, nisi aliam haberet jam Argia?

293 *Theseos ad muros*] Ad Atheniensis civitatis muros. *Lactant.*

295 *Fatiscere vano*] Fatigari errore superfluo: quia mariti corpus inveniri non poterat. *Idem.*

301 *Ter noctem Herculeam*] Juppiter, cum Alcmenam Amphitryonis uxorem amasset, et ad eam corrumpendam demutatus in Amphitryonis venisset specie, ne adventu diei concubitus minueretur voluptas, jussit triplicem illam noctem fieri, quia triplices cursus luna peregit: ex quo compressu Alcumenæ Hercules dicitur natus. Merito ergo 'noctem Herculeam' dixit, in qua conceptus est Hercules. *Idem.*

302 *Officio*] Beneficio. *Idem.* *Cultrix placidissima nostri*] Malim, *placitissima:* mihi maxime grata et placens. *Gronov.*

305 *Nimbosum*] Nebulosum. *Lact.*

306 *Orbita*] Rotarum via. *Idem.*

307 *Hunc quoque*] Id est, somnus, qui præcedit bigas tuas, jugales occupet Thebanorum, eosque laxet in somnum. et est ordo: Hunc quoque soporem. *Idem.*

309 *Vix ea conscissis manum Dea*] Corruptissima hæc sunt si qua alia. Quid enim *conscissis manum?* portenta verborum, uti vides; sed noli dubitare quin legendum sit ex veteri: *cum scissis magnum Dea nubibus orbem Protulit.* Bernart.

310 *Fulgorque recisus*] Lucente enim Luna necesse est ut stellarum minuatur splendor. *Lactant.*

312 *Infuso lumine*] Lachrymis pleno. *Idem.*

314 *Texta*] Quæ mariti vestibus impresserat texendo. *Mæret*] Cælatur, sive nigrior fit. *Idem.*

332 *Nempe mihi jaces*] Mihi interemtus es, mihi victus es. Tibi (tu) enim, ut solus regnare posses, interemisti fratrem, et regno sic te imposuisti. *Vet. Schol.*

333 *Dicebam*] Utinam mihi paruisses. Dicebam enim tibi: Mane hic, regna in meo regno; ne committe te tanto periculo. *Vet. Schol.* Tὸ *Dicebam* neglecta consilia meliora expro-

brat. Auson. Epig. XIII. 'Dicebam tibi, Galla, senescimus, effugit ætas, Utere rene tuo, casta puella anus est. Sprevisti; obrepsit non intellecta senectus, Nec revocare potes, qui periere dies.' *Barth.*

335 *Hic tibi longus honos*] Hoc est, sine successoris metu. *Indivisa potestas*] In patria perpetuum fueras possessurus imperium. *Lactant.*

338 *Sed bene habet, superi: gratum est, Fortuna peracta est Spes longinqua viæ*] Lego: *Sed bene habet superi: gratum est fortuna.* Bern. *Gratum est fortuna*] Fortunæ sorte concessum cadaver invenimus. *Lactant.*

347 *Durabat*] Conjugis scilicet.

348 *Natus erit*] Thessandrus scilicet, filius Polynicis. *Idem. Polynice*] Non quod sic nominetur filius noster, sed quod patrem in eo videbor amplecti, et mecum habere. *Vet. Schol.* Alluditur illud Virgilianum Didus: 'Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset Ante fugam soboles; si quis mihi parvulus aula Luderet Æneas, qui te tantum ore referret.' *Barth. Fovebo*] Solabor viduitatem meam similitudine tua, nec secundas nuptias superstite filio cupiam. *Lactant.*

350 *Petitos*] Desideratos. *Idem.*

352 *Timeri*] Caveri. *Idem.*

353 *Contractæ vices*] Frequentiores congregationes, quia *vices* dicuntur militum custodiæ, qui ad vigilandum sibi vicissim succedunt. *Excubat*] Excubias præstat. *Idem.*

360 *Contra videt ire Menœtes*] *Contra ire* pro contra venire; alumni scilicet. *Idem.*

367 *Nocte mea*] Quæ soli mihi debebatur, ne quis me ab egregio opere impediret. *Vet. Schol.* Optime: 'qua mihi soli concessum erat, exire.' *Lactant.* Sed errat, nihil enim tale concessum erat Antigonæ; aut mendosus est, et legendum: 'soli conclusum erat exire.' In quam sententiam propendet animus. *Barth.*

377 *Si misera es*] Si æque luges. *Idem.*

379 *Polynicis ad ignes*] Subaudis *veni.* Idem.

384 *Cedo, ten' pudet! heu*] Jamdudum exturbassent, si intellexissent, quod est in omnibus scriptis: *Cedo, tene pudet! heu.* Cæterum ego, quæ adhuc putavi meas esse primas partes et luctus et officii erga fratrem, nunc a te victam esse me fateor, tibique concedo, quæ tam longo itinere prior tamen ades: tu potius tene atque amplectere funus, quod ut tenerem ipsa tractaremque, dum supremo officio mando, veni, sed pigre seroque. *Gronov.*

391 *Longius Argia*] Multa narranda sunt. *Lactant.*

392 *Sacrum*] Exequiale. *Idem.*

395 *Gentile solum*] Patriam, quæ tamen cara omnibus, propriis bonis et commodis parentum vel Luciliano scito prælata: 'Commoda præterea patriæ sibi prima putare, Deinde parentum; tertia jam, postremaque, nostra.' *Barth.*

413 *Tepido Pado*] Propter incendia, quæ paulo ante restinxerat. *Lactant.*

415 *Flentes stabant ad flumina*] Liber optimus: *flentes sta circum flumina silvæ.* Inter versus additæ literæ deficientes *nt*, ut sit *stant circum.* Quæ scriptura rem celeriorem reddere videtur. *Gron. Silvæ Heliades*] Phaëthontis sorores, quæ flendo in populeas arbores sunt demutatæ. *Idem.*

416 *Ultima oscula*] Quæ necessaria etiam pene putabantur curando a curis corpori. Ita Corippus de jam componendo a Justino Justiniano, lib. III. 'Ut Pius ingrediens corpus venerabile vidit, Incubuit lacrymans, atque oscula frigida carpsit Divini Patris, verbisque dolentibus inquit.' Vide eo loco Commentaria Dempsteri. De iisdem Tibullus lib. I. Eleg. 1. 'Flebis et arsuro positum me, Delia, lecto Tristibus et lacrymis oscula mixta dabis.' *Barth.*

419 *Putribus*] Cadente in cinerem lignorum structura quiescunt. *Lact.*

421 *Cui torrere datum*] Subaudis Pyrrhæ, cui concessum est urere cadavera mortuorum. *Idem.*

423 *Seu dissensuros*] Idem liber, *discessuros.* Ut Seneca in Œdipo: ‘pugnax ignis in partes duas Discedit.’ Vide ad III. de Benef. 37. *Gronov.* *Dissensuros*] Discordantes, sive in duos apices dividendos. *Lactant.*

429 *Fratris primos ut*] Multo vividius optimi et pars major: *Ecce iterum fratres. Primos ut contigit artus Ignis edax.* Nimirum, qui jam nulli esse credebantur, subito apparuerunt rursus fratres, quales fuerant, discordes et dissociabiles. En iterum specimen horum fratrum. *Idem.*

431 *Exundant diviso vertice flammæ*] Lucanus I. ‘Vestali raptus ab ara Ignis, et ostendens confectas flamma Latinas Scinditur in partes, geminoque cacumine surgit, Thebanos imitata rogos.’ *Bernart.*

433 *Commiserit ignes*] Ita rogi flamma divisa est, ut et hoc instinctu Furiæ perpetratum credatur. *Idem.*

434 *Minax*] Eminens. *Conatur uterque*] Se ab invicem separare. *Idem.*

440 *Cingula Frater erat, cernisne ut flamma recedat? Concurratque tamen*] Interpungo: *Cingula, frater erat, cernisne ut flamma recedat, Concurratque tamen?* Bernart.

449 *Ipse malorum*] Quæ per diem fecerant, ea ante oculos versabantur in somniis. *Idem.*

451 *Indagine*] Inquisitione. *Lact.*

463 *Ad regem*] Custodes trahebantur ad regem, ut dicerent quid vidissent, quasque tenerent. *Idem.*

464 *Actæis*] Quia primo Athenæ ‘Actæ’ dictæ sunt. *Idem.*

465 *Phoronæas*] Argivas. Phoroneus rex Argivorum, qui primus Junonem honore sacrificii decoravit. *Idem.*

466 *Cœtumque gementem*] Argivarum mulierum multitudinem. *Idem.*

467 *Honorem*] Reverentiam. *Idem.*

469 *Obtenta*] Obducta seu apposita. *Idem.*

470 *Præferre*] Majus efferre. *Id.*

472 *Una*] Pariter trunco sermone, in articulata voce, seu semipleno sermone. *Idem.*

473 *Causas novere malorum*] Buslid. *movere.* Posses cogitare: *nec dum causæ movere malorum, Jamque gemunt.* Sed non sollicito vulgatam. Statim autem, invitis licet omnibus libris, lege: *Dea conciliis se miscet utrisque;* id est, cœtibus: non *consiliis.* Gron.

478 *Geticæ volucres*] Hirundines ex Atticis quidem mulieribus, sed in terra tamen Thracia, versæ. Proverbium est notissimum, ‘Hirundine loquacior.’ *Duplices thalamos*] Duarum sororum. Notissima res vel ex Ovidio. Apollodorus lib. III. compendio narrat omnia. *Barth.*

481 *Concessa potentum ara deum*] Hanc aram Cic. libro Tusculanarum Misericordiæ nominat, ejusque Terent. meminit: ‘Nec tu aram tibi, nec deprecatorem pararis.’ *Lactant.*

484 *Vota repulsa*] Quia illa nunquam miserorum vota contempsit. *Idem.*

486 *Placare querelis*] Nullo sacrificio, nec sumptuosis litationibus, sed solis miserorum lachrymis, pietate opulentum numen placari consuevit. *Idem.*

488 *Lachrymis*] Non igni hæc altaria sudare consueverunt. *Idem.*

491 *Mite nemus*] Quia non est austeritate numinis terribile. *Insigne verendo*] Pro insigniter reverendo. *Idem.*

492 *Supplicis arbor olivæ*] Per quam pax petitur supplicando: et in secundo diximus, hanc ab Atheniensibus *εἰρησιώνην* dici, a Græcis autem reliquis *ἱκετηρίαν*. *Supplicis* autem *olivæ*, non quod ipsa sit supplex, sed quod omnes qui figant hac supplici-

ter utuntur. *Idem.*

95 *Et trepidos*] Supplices. *Horret egenis*] Horridior fit miseris. *Idem.*

497 *Fama est*] Scilicet Atheniensium. *Post busta paterni*] Hillus Deianiræ et Herculis, et reliqui ex eodem nati, postquam Hercules terris abiit, pulsi ab Eurystheo Athenas confugerunt, a quibus postquam tam facile auxilium meruerunt, hanc aram consecrasse memorantur, asserentes apud Athenas tantummodo sedes Misericordiam posuisse. *Idem.*

499 *Credere dignum*] Minus dicit quam res habet. *Idem.*

501 *Ceu leges hominemque*] Primi enim Athenienses inter bona reliqua legum tabulas invenerunt: sic ergo huc confugiunt, ceu ad leges et humanos ritus. *Idem.*

503 *Sic sacrasse loco*] Ovidius de Athenis ad quas venit Invidia: 'Ingeniis opibusque et festa pace virentem, Vixque tenet lacrymas, quia nil lacrymabile cernit.' *Idem.*

505 *Fortuna recederet aris*] Ut ne casus quidem læderet, qui ad has aras confugissent; quamvis meliorem fortunam debemus accipere regis, aut potentioris fortunæ viri: et vult hoc loco intelligi poëta, nulla vi potentum religionem hujus aræ posse perfringi. *Idem.*

506 *Jam tunc innumeræ*] Liber optimus punctis habet subnotatum τὸ *tunc*, et supra, *procul;* quod contemnendum non videtur. Vult plurimis etiam longinquis populis hanc aram notam et saluti fuisse. *Gronov.*

510 *Vicit et Œdipodæ furias*] Mox vicit, quia nondum factum est: hoc tantum significat. Œdipus expulsus Creontis imperio confugit Epicolono, in quo locus erat Furiis consecratus; sed misericordia Atheniensium illa sede est erutus, hospitaliterque tractatus. Hanc tragœdiam Aristophanes scripsit. *Funus Olynthi*] Olynthus est civitas Athenis serviens, hæc se auctoribus Lastene et Eutycrate Philippo tradidit, ob quam culpam placuit Atheniensibus evertere civitatem, quo comperto ad aram Misericordiæ confugerunt. *Lactant.*

511 *Summovit Oreste*] Quia Orestes cum post absolutionem fureret, ad hanc aram Pylade amico trahente confugit, et resipuit. 'Matrem autem summovit,' Virgiliane. Nam sibi imminere non furia sed mater videbatur occisa, ut armatam facibus matrem et serpentibus atris confugit. *Ultricesque sedens in limine diræ Summovit* ait, quasi sequentis matris umbram religio aræ summoverit. Illic enim, ut supra dictum est, furore purgatus est. *Idem.*

513 *Turba priorum*] Asyli prior turba discessit Argolicis matribus venientibus. *Idem.*

420 *Laurigero subeuntem Thesea curru*] Sumptum a Romanis moribus; nam, apud Græcos non usus. Dico uberius peculiari de Triumpho libro. *Bern.*

522 *Hilaris tuba*] Non bellica, sed festivalis. *Vet. Schol.* Calpurnius Ecl. I. 'Pacis opus docuit, jussitque silentibus armis Inter sacra tubas, non inter bella, sonare.' De 'triumphalibus tubis' triplici in pompa loco prodeuntibus notavit doctiss. Panvinius lib. de Triumpho. Ad differentiam alterius 'civilis tuba' dicitur P. Chrysologo Serm. IX. *Barth.*

533 *Populos in semet agebat Hippolyte*] In diversas abiere sententias Scriptores qui hanc historiam tangunt. Clidemus siquidem, vetus Historiographus, tradidit Amazona, quæ fuit Thesei uxor, Hippolytam vocatam, quem sequitur Statius noster. At Isacius Antiopen dictam voluit; cui accedere videtur Plutarchus Theseo, semper eam Antiopen vocans, etsi contrariæ sententiæ meminerit. Subscribit etiam Seneca Tragicus Hippolyto: 'Immitis etiam conjugi castæ fuit, Experta sævam est barbara Antiope manum.' Qui versus

Antiopen occisam a Theseo innuunt, quod Hyginus et Ovidius etiam tradidere: sed ab iis recedit Pausanias, qui signate Atticis: Ἐσελθόντων δὲ ἐς τὴν πόλιν, ἔστιν Ἀντιόπης μνῆμα Ἀμαζόνος· ταύτην τὴν Ἀντιόπην Πίνδαρος μέν φησιν ὑπὸ Πειρίθου καὶ Θησέως ἁρπασθῆναι. Τροιζηνίῳ δὲ Ἡγίᾳ τοιάδε ἐς αὐτὴν πεποίηται. Ἡρακλέα Θεμίσκυραν πολιορκοῦντα, τὴν ἐπὶ Θερμώδοντι, ἑλεῖν μὴ δύνασθαι. Θησέως δὲ ἐρασθεῖσαν Ἀντιόπην (στρατεῦσαι γὰρ ἅμα Ἡρακλεῖ καὶ Θησέα) παραδοῦναι τὸ χωρίον· τάδε μὲν Ἡγίας πεποίηκεν. Ἀθηναῖοι δέ φασιν, ἐπεί τε ἦλθον Ἀμαζόνες, Ἀντιόπην μὲν ὑπὸ Μολπαδίας τοξευθῆναι, Μολπαδίαν δὲ ἀποθανεῖν ὑπὸ Θησέως· καὶ μνῆμά ἐστι καὶ Μολπαδίας Ἀθηναίοις. *Ad urbem propius accedenti Antiopes Amazonis monumentum in conspectu est. Hanc certe Antiopen a Theseo et Pirithoo raptam scriptum reliquit Pindarus. Trœzenius vero Hegias hæc propemodum de ea scripsit: Herculem non prius Themiscyran, ad Thermodontem amnem, quam diu oppugnarat, cepisse, quam Antiope Thesei amore capta (in ea enim oppugnatione Herculi socium fuisse Theseum) oppidum tradiderit. Hæc Hegias. Athenienses vero, cum ad urbem Amazones adventarent, a Molpadia sagitta confixam Antiopen memorant, Molpadiam a Theseo occisam: est enim et Molpadiæ apud Athenienses sepulchrum.* Eadem fere de Antiopes morte Plutarchus. *Bern.*

540 *Et ab obsessis mœstæ Pelopeides aris*] Sive ut vetus *insessis:* recte, et ex ritu veteri, quo supplices sedebant. Tibullus: 'Et Veneris sanctæ considam vinctus ad aram.' Propertius lib. II. ad Jovem: 'Pro quibus optatis sacro me carmine damno: Scribam ego, Per magnum est salva puella Jovem. Ante tuosque pedes illa ipsa adoperta sedebit, Narrabitque sedens longa pericla sua.' Interpretor hinc Tertullianum de oratione: 'Foro quum perinde faciant nationes adoratis sigillaribus suis residendo, vel propterea in nobis reprehendi meretur, quod apud idola celebratur.' Pythagoricum est. Notum enim humanioribus symbolum: *προσκυνήσαντα ἐπικαθῆσθαι. Idem.*

555 *Mitto genus*] Non dicam de cognatione nobilissima et genere. *Hominum*] Humanitatem omnem exuerunt Thebani. In hoc enim repetita hominum appellatione inducere volunt Theseum. *Vet. Schol.*

576 *Non trucibus monstris Busyrim*] Quid ais, Papini? Theseusne Busyrim occidit? Tullius tibi adsit, a memoriæ vitio non excuset. Consensu omnium Herculi hoc tribuitur: et tu ipse hujus sententiæ tibicen. Hercule Surrent. 'Non te Lerna nocens, nec pauperis arva Molorchi, Nec formidatus Nemees ager, antraque poscunt Thracia, nec Pharii polluta altaria regis.' et passim alibi. quid igitur hic tibi visum dissentire? nunquam factum, imperiti alicujus Macci glossema est, non tua scriptio. Veteres firmant qui præferunt: *monstris si non.* Lego indubitanter: *monstris Sinin.* Fuit Sinis latro celebris, quem Theseus interfecit. Idem Pausanias Corinthiacis: Ἔστι δὲ ἐπὶ τοῦ Ἰσθμοῦ τῆς ἀρχῆς ἔνθα ὁ λῃστὴς Σίνις λαμβανόμενος πιτύων, ἦγεν ἐς τὸ κάτω σφᾶς· ὁπόσων δὲ μάχῃ κρατήσειεν, ἀπ' αὐτῶν δήσας ἀφῆκεν ἂν τὰ δένδρα ἄνω φέρεσθαι· ἐνταῦθα ἑκατέρα τῶν πιτύων τὸν δεθέντα ἐπ' αὐτῇ εἷλκε καὶ τοῦ δεσμοῦ μηδ' ἑτέρωσε εἴκοντος, ἀλλ' ἀμφοτέρωθεν ἐπίσης βιαζομένου, διεσπᾶτο ὁ δεδεμένος. Τοιούτῳ διεφθάρη τρόπῳ καὶ αὐτὸς ὑπὸ Θησέως ὁ Σίνις. *In prima Isthmi fronte locus est, ubi Sinis latro, curvatis ad terram diversarum pinorum ramis, ad eos quos pugnando vicisset, arctis utrimque vinculis alligabat; ut cum in suam naturam arbores redissent, illi distraherentur. Quo ipse postea supplicii genere a Theseo affectus est.* Propertius lib. III. 'Arboreasque cruces Sinis, et non hospita Graiis Saxa, et curvatas in sua fata trabes.' Adi et Plutarchum in Theseo. *Bernart.*

586 *Athenæ*] Nil tale patiantur, quale nunc misera nostra Patria. Hoc est, ut in Expeditione pro nobis eas, et victor triumphans revertaris. *V. Schol.*

587 *Tenduntque precantes*] More supplicum et enixe orantium. Vide Advers. et ad Claud. Virgilius de Sinone. Euripedes Electra vs. 594. Θεὸς αὖ, θεὸς ἁμετέραν τις ἄγει Νίκαν, ὦ φίλα· Ἄνεχε χέρας, ἄνεχε λόγον, ἵει λιτὰς εἰς θεούς. Alia alibi. *Barth.*

595 *Sitit*] Loquendi usu militari. Ut Pyrgopolynices Plautinus: 'Nam hanc ego mihi machæram consolari volo, Ne lamentetur, neve animum despondeat, Quia se jampridem feriatam gestitem Quæ misera gestit fartum facere ex hostibus.' *Barth.*

615 *Qui gelidam Braurona*] Brauron locus Atticæ regionis in Bœotiam vergens. *Lactant.*

616 *Monichia et Pyreia*] Monichium et Pyreia juxta Pireum portum Atheniensium loca sunt. *Idem.*

617 *Marathona triumpho*] Nec dum ibi ab Atheniensibus victus fuerat Xerxes. In hoc enim loco, postquam Persarum classis extincta est, orientales a Marathonibus auxilio victi sunt. Ideo enim dixit *triumphum.* Idem.

620 *Hegaleos, Parnesque, et Lycabesos*] Montes Attici. *Idem.*

622 *Atrox Ileus*] Unum pro gente. quidam hunc regem volunt esse Tegeæ auxiliarem civem. *Hymetti montis*] Creatoris mellis bene olentis. *Idem.*

623 *Acharnæ*] In hoc loco primum Dionysia et inventa et celebrata dicuntur. *Idem.*

628 *Misit aratris*] Ceres, a Dite filiam raptam dum quærit, hospitio regis Eleusi fertur fuisse suscepta: cujus filium Triptolemum pro beneficii gratia sustulit nutriendum, cui agriculturam et inveniendi frumenti artificium Ceres ostendit. *Idem.*

629 *Et quos Calliroë novies errantibus undis*] Unde ἐννεάκρουνος Græcis dicitur. Consule Suidam et Thucydidem libro II. *Bernart.* *Callyrhoë*] Fons novem capitibus means. *Idem.*

630 *Orythyiæ*] Orythyia Erecthei filia. hanc Boreas Thracius rapuit a flumine Elyso, ex qua Zetus et Calais oriuntur. *Idem.*

632 *Ipse quoque*] Acropolin dicit arcem Thebarum, de qua Neptuno et Minervæ dicitur fuisse certamen. Percussa Neptuno terra equum dedit indicium belli. Minervæ vero olivam pacis insigne. *Idem.* *Ubi ingens Lis Superum*] Respicit fabulam qua Pallas et Neptunus de Athenis contendisse finguntur. *Bernart.*

634 *Rupibus*] Magnitudinem arboris ostendit ex umbræ æqualitate, qua obscurat. *Frangeret*] Insultaret victo Neptuno. *Lactant.*

639 *Gliscere*] Cum furore cupere. *Idem.*

645 *Naturamque ducem*] Secundum enim eam est cadavera terræ reddi, cum exinde sint profecta. Unde jus natum agnoscunt sapientes. Gracilis, Epitaphio Probinæ: 'Vita subit cælum, corpus tellure tenetur, Omnia sic repetunt jura, locosque suos.' Julia Marcella Epitaphio Claudii Fabati: 'Terrenum corpus, cælestis spiritus in me, Quo repetente suam sedem, nunc vivimus illi, Et fruitur Superis æterna in luce Fabatus.' *Barth.*

649 *Et emissa præceps iter inchoat hasta*] A ritu Fecialium Romanorum: qui sicubi bellum indicerent, hastam ferratam, aut sanguineam præustam, in fines hostium emittebant, uti ex Livio lib. I. vix ulli ignotum. *Bern.*

651 *Tremefecit*] Concussit. *Lactant.*

653 *Ventosa*] Ventis abundans. *Sibilat*] Resonat. *Idem.*

654 *Undæ*] Effusi imbres et exundantes fluvii. *Vet. Schol.* Hæc sunt hiemis indicia. Auctor Panegyrici (si sic vocare libet, cum tamen id

carmen a Panegyrico longe absit) Lucano ascripti: 'Ver fugit æstates, æstatum terga lacessit Pomifer autumnus, nimbis cessurus et undis.' Eo se ducit illud Orientii nostri, Disticho 165. 'Nemo vias pedibus, brumali tempore, carpens Non sparsus pluvia, non madefactus erit.' *Barth.*

657 *Mutat*] Atterit. *Lactant.*

658 *Ager*] Herba, quæ protrita incursu belli non nascitur. *Idem.*

660 *Frangitur*] Crispatur. *Ardent*] Splendent. *Idem.*

661 *Adeo*] In tantum. *Operi*] Itineris magnitudini. *Idem.*

672 *Cum septus*] Cum armatus esset pictu Minotauri. *Idem.*

676 *Limina*] Labyrinthi. *Gnosida filo*] Ariadnem dicit Cretensem, quæ cum Theseum amaret, et vererentur ne quamvis Minotauro occiso multiplex et perplexum Labyrinthi iter explicare non posset, quæ domus erat Minotauri, Dædalum fabricatorem operis exoravit, a quo globum fili accepit, cujus summitatem tenens ipsa Theseo intranti dedit, post se solvendum, quem ille occiso Minotauro relegens, victor regressus est. *Idem.*

680 *Regemque cruentum Despiciunt*] Et scripti et Lactantius, *Destituunt:* beneque recepit Lindenbrog. Creon autumabat se illis mortem pro magno malo dare, sperabatque futurum, ut metu ejus graviter miseræ cruciarentur. At illæ, conscientia egregii facti erectæ, et viriliter comprimentes dolorem, destituerunt exspectationem tyranni. *Gronov.*

688 *Renidens*] Cum iracundia subridens. *Lactant.*

689 *Documento*] Exempla quæ in victos edidimus, quos prohibuimus sepeliri. *Idem.*

698 *Caligare diem*] Faciente caliginem non apparere. *Idem.*

706 *Dejecit Capaneus exanguis, et ægra juventus*] Tenebricosissima sententia, quam nullus ingenii sol illustrabit nisi mecum interpungat: 'Dejecit Capaneus. exanguis et ægra juventus, Jam nec conjugibus, suprema nec oscula natis Jungit.' *Bern.*

707 *Jam nec conjugibus*] Id quod proficiscentes domo consueverant facere. Ita pro 'extrema inhumanitate' in Nerone recenset Sueton. cap. 37. 'Quod neque adveniens neque proficiscens quenquam osculo impertivit.' Illustravit rem, producto etiam hoc Papinii loco, amicus olim noster, Joh. a Wower ad illud Petronianum: 'Aut patrem reliquit utique aliquem, cui proficiscens osculum dedit.' *Barth.*

712 *Diris*] Grave olentibus. *Ægrum*] Corruptum. *Lactant.*

718 *Ducens*] Odorans. *Idem.*

722 *Non tubæ*] Animos accendere solitæ. *Vet. Schol.* Euripides ante aciem commissam utrumque exercitum per præconem monuisse ait Theseum; aliud se nihil quærere; nec vindictam quidem Argivorum; saltim ex communi Parallelon lege, ut cadavera extremo officio ne fraudarentur; ad ea nihil respondisse Creontem. *Barth.* *Pubes*] Thebana juventus. *Lactant.*

724 *Cædunt*] Quatiunt. *Idem.*

730 *Quercum*] Pro hasta. *Idem.*

733 *Ædonios*] Thracas. *Idem.*

740 *Degeneres*] Timidos. *Ira leones*] In magnam prædam feruntur. *Idem.*

743 *Triplici*] Quia tres erant gentes, quibus stipabantur ad bellum, *Idem.*

746 *Humero transmisit*] Per humeros ferrum exiit. *Idem.*

751 *Temone*] De longe missa, quasi dicat, adhuc potuit transire tertium, sed retenta est in temone. *Idem.*

758 *Ille timet revocatque*] Et numero et bonitate præstantes: *Ille tenet revocatque suos.* Nimirum Creon discedentes revocat, stantes et ambiguos jubet manere neque excedere loco. Iidem statim: *utque æqua notavit Hinc atque hinc odia;* non *ægra:*

et adscriptum uni: 'Quia ita sui relinquebant eum propter odium suæ crudelitatis sicut hostes.' Voluit eum animadvertisse juxta suis se odio esse atque hostibus, quia non parebant imperio, et nihilo secius abibant. *Gronov.*

760 *Audax morte*] Certus exitii sine consilio fit audax. *Vet. Schol.* Sic loquitur lib. VII. vs. 471. Contrarium est in illo Maronis, etsi illinc istud calorem duxerit, de Cleopatra: 'pallentem morte futura Fecerat ignipotens ventis et Iapyge ferri.' Hoc est, 'Iapyge quidem, sed ventis aliis interturbato,' secundum V. Schol. explicationem. *Barth.*

766 *Ulciscare jacentes*] Fratres videlicet in se invicem parricidas. *Lactant.*

774 *Tegmine duro*] Textu ferreo. *Idem.*

775 *Thoraca catena*] Id est, juxta eam partem ubi loricæ est medietas. *Idem.*

776 *Per mille foramina*] Per infinitos loricæ circulos. *Idem.*

782 *Accedunt*] Junguntur. *Tumultu*] Argivorum atque Thebanorum gaudentium strepitu. *Idem.*

786 *Gaudent*] Luctus mutantur in gaudia. *Idem.*

795 *Thesea magnanimum quærant prius, anne Creonta, Anne suos vidui ducant ad corpora luctus*] Lego et interpungo: *Thesea magnanimum quærant prius, anne Creonta, Anne suos viduæ ducant ad corpora luctus.* Bernart.

797 *Non ego centenæ*] Fingit se non sufficere tantarum rerum narrationi, ut tandem expediat se scribendi labore, quem tot annos tulerat. *Vet. Schol.*

798 *Tot busta simul*] Pausanias in præclara illa sua Græciæ descriptione, antiquæ caræque eruditionis thesauros aperiens, multa ad Papinii nostri illustrationem, uti advertere benevole lector potuisti, contulit. Plura largiturus ni scholiorum angustiæ nos coarctarent. In objecto totius operis, parum convenire ipsi cum illis, quibus hanc historiam describere præcipua videtur fuisse cura, initio audivisti in appendice Theseani belli: illud præcipuum habet, quod Creontem non regem, sed regia tutorem faciat: Thesei operam non a viduis, sed ab ipso Adrasto petitam adserat, nec dissimulet rumorem qui vanum arguit, quicquid de hac re scriptores tradidere. Verba ejus hæc sunt Atticis: Ὀλίγῳ δὲ ἀπωτέρω τοῦ φρέατος, ἱερὸν Μεγαμείρας ἐστὶ, καὶ μετ' αὐτὸ τάφοι τῶν ἐς Θήβας. Κρέων γὰρ, ὃς ἐδυνάστευε τότε ἐν Θήβαις, Λαοδάμαντα ἐπιτροπεύων τὸν Ἐτεοκλέους, οὐ παρῆκε τοῖς προσήκουσιν ἀνελομένοις θάψαι· ἱκετεύσαντος δὲ Ἀδράστου Θησέα, καὶ μάχης Ἀθηναίων γενομένης πρὸς Βοιωτοὺς, Θησεὺς ὡς ἐκράτησε τῇ μάχῃ, κομίσας ἐς τὴν Ἐλευσινίαν τοὺς νεκροὺς ἐνταῦθα ἔθαψε. Θηβαῖοι δὲ τὴν ἀναίρεσιν τῶν νεκρῶν ἐθελονταὶ λέγουσι δοῦναι, καὶ συνάψαι μάχην οὔ φασι. *Non longe a puteo est Megamiræ sacellum, et eorum qui ad Thebas ceciderunt tumuli. Cum enim Creon, qui Laodamantis, Etheoclis filii, tutela suscepta, Thebis imperabat, non sineret cæsorum cadavera humari, Thesei opem Adrastus imploravit. Commissa itaque inter Athenienses et Thebanos pugna, Victor Theseus in Eleusinum agrum, deportanda cadavera, atque ibi sepelienda curavit. Thebani tamen neque se quin humarentur prohibuisse, neque ullum sibi cum Atheniensibus certamen fuisse dicunt.* Hæc ille. Plutarchus etiam Theseo, adjutorem Adrasto fuisse Theseum ad recuperanda illorum corpora, qui sub Cadmeo ceciderant, refert, non quod fuderit Thebanos, sed datis acceptisque hinc inde induciis. *Bern.*

801 *Ignibus Euadne*] Hæc, Capanei uxor, nimio amore et dolore flammata, in rogum conjugis se dedit præcipitem. *Lactant.*

804 *Sorori*] Deiphilæ. *Idem.*

805 *Clamet*] Cum lamento invocet. *Idem.*

808 *Vix novus furor*] Novi carminis iteratio. *Idem.*

813 *Stravit iter*] Fama sternente benignum iter ad posteros usque proceres. *Lactant.*

816 *Tenta*] Provoces. *Idem.*

819 *Meriti, &c.*] Post meum obitum evanescet invidia, et gloria mea perennis erit. Propert. lib. III. Eleg. I. 'At mihi quod vivo detraxerit invida turba, Post obitum duplici fœnore reddet honos.' Quo loco vide pulchra et utilia quæ adnotavit plurimæ ille lectionis Joannes Passeratius. *Barth.* *Referentur honores*] Post mortem meam te honorabit invidia. *Lactant.*

ACHILLEIDOS LIB. I.

1 *Magnanimum*] More poëtarum, quibus de rebus dicturus sit proponit, estque propositioni mixta invocatio: ut apud Homer. Magnanimum: qui maluit brevem vitam cum gloria quam sine gloria longissimam, Jovi matre objectionem faciente, ut Hom. scribit. Is enim proprie magnanimus est, qui ad honestam mortem, et ea omnia quæ illam efferant, interritus est: quod ait Ari. l. IV. Ethic. *Maturantius. Æaciden*] Achillem nepotem Æaci. Nam ex Æaco Peleus natus est. Ex Peleo et Thetide Achilles. *Formidatamque Tonanti*] Id est, quam Juppiter expavit. Cum enim Juppiter Thetidis forma delectatus eam sibi in matrimonium adjungere cuperet, Prothei vatis monitu connubium ejus vitavit: cum ex ea oriturum filium cognosceret, qui patris facta superaret, majorque eo vocaretur. De quo ita Ovidius: 'Namque senex Thetidi, &c. Ergo ne quicquam mundus Jove majus haberet, (quamvis haud tepidos sub pectore senserat ignes Juppiter,) æquoreæ Thetidis connubia vitat.' *Britann.*

2 *Patrio*] Id est Jovis: qui Achillis pater futurus erat, si Thetidem uxorem duxisset. *Vetitam succedere cælo*] Id est, inhibitam Prothei vaticinatione succedere regno Jovis. *Idem.*

4 *Mæonio*] Homerico. Fuit Homerus, quod Plutarchus scribit auctore Hephoro, Creteidos et ejusdem patrui Mæonis filius; ut Aristoteli placet, a Mæone Lydorum rege Homerum pro filio educatum, et Melesigenem prius [vocatum]. *Vacant*] Supersunt non dicta ab Homero. *Maturant. Nos ire per omnem Heroa*] Ea omnia attingere: quæ ab Homero prætermissa sunt: cum is neque de ejus educatione apud Chironem scripserit, neque ut habitu fœmineo delituerit apud Lycomedem, neque ut ad bellum per Ulyssem perductus sit. *Britann.*

5 *Scyroque latentem*] Ut latuerit apud Lycomedem. Nam Thetis, rapta Helena a Paride, cum timeret ex Prothei vaticinio ne filius in bellum duceretur, eum habitu muliebri apud Lycomedem regem Scyri inter filias occultavit. Est autem ordo: Velis nos proferre tuba Dulichia latentem Scyro. Est Scyrus una ex Cycladibus insulis a Naxo quatuordecim auctore Plinio millibus passuum distans. Homeri sepulchro veneranda, longitudinis vigintiquinque millium, ante Phœnice appellata: Lycomedis olim imperio subjecta. *Idem.*

6 *Dulichia proferre*] Allusio est ad historiam quæ sequitur: Ut 'cum grande tuba (sic jussus) Agyrtes Insonuit.' Nam cum Achilles, fœmineo ut diximus habitu apud Lycomedem lateret; Ulysses sagacis vir ingenii illuc accedens una cum Diomede illum quæsiturus, inventum inter puellas regis sonitu tubæ ita accendit, ut statim depositis vestibus fœmineis arma sumpserit; sicque ad Trojam ductus est. Est igitur sensus: Da mihi, Musa, ut possim scribere quemadmodum Achilles apud Lycomedem delitescens ab Ulysse inventus sit, et excitatus ad bellum sonitu tubæ. *Dulichia tuba*] Id est, Ulyssis; qua Achillem inflammavit ad bellum; non autem tuba Homeri qua Ulyssis facta cecinit, ut quidam arbitrantur,

Dulichium una est Echinadum insularum: quæ alio nomine auctore Strabone Dolicha nominata est: olim Ulyssis ditioni subdita. *Idem.*

7 *Sed tota juvenem*] Sed volo, inquit, juvenem a tota Troja, id est ab omnibus rebus quas circa Ilium gessit, segregare: id est, nihil prorsus a me scribetur de iis quæ in bello Iliensi gesta sunt a juvene. Quod fecit Poëta: nam ejus propositum fuit hoc opere illud tantum scribere quo modo (ut diximus) a Chirone educatus sit, et ut ab Ulysse inter puellas Lycomedis inventus perductus sit ad bellum. *Idem.*

9 *Secunda*] Primam enim coronam in priore opere meruit, nunc altera coronari postulat. *Maturant.*

10 *Aonium*] Musicum. Aonia Bœotia dicitur, quod eam Aones barbaræ gentes aliquando tenuerunt. In Bœotia autem Helicon Parnasus et Cythæron loca Musis sacra: ut Virg. 'Aonas montes.' Bœoticos intellexit Musis sacros cum ait: 'Aonas in montes ut duxerit una sororum.' *Id.*

11 *Albescunt tempora primis*] Sic Mss. plures, sic Scholiastes in membr. quem beneficio Bern. Rottendorfii vidi. At inepte, inquit Gruterus. At errat; nam Noster ipse lib. IV. 'vatem cultu Parnassia monstrant Vellera, frondenti crinitur cassis oliva, Albaque puniceas interplicat infula cristas.' Virg. Æn. VI. 'Omnibus his nivea cinguntur tempora vitta.' Ovid. Met. V. 'Cererisque sacerdos Alphitus, albenti velatur tempora vitta.' Val. Flaccus lib. V. 'pars auguris alba Fronde caput vittisque ligant.' Statio ipsi Amphiaraus et Melampus lib. III. 'niveis ornati tempora vittis.' Et rursum alteri lib. VI. 'Concolor est niveis et cassis et infula cristis.' Busl. *angescunt*, formatum ex *augescunt*, quod in quibusdam invenitur. Et posset admitti, nisi alterum plures auctores haberet. Foret enim, honestiora et augusta fiunt. Ut lib. VI. vs. 61. 'parvique augescunt funere manes.' Sic enim libri etiam optimi. Vir doctissimus hinc monstrum voce ac re creavit, *anguescunt*, et piissimos vates furiarum terrore insignivit. Nec potuit contineri, quin hunc abortum agnosceret produceretque ad Livii lib. VII. 17. et lepidum ipse vocaret. *Gronov.*

12 *Dircæus ager*] Id est, Thebæ quidem testes sunt, me facta sua scripsisse, et inde coronam meruisse. *Dircæus*, Thebanus. Nam Dirce auctore Strabone fons est ante Thebas. *Britann.*

13 *Suo numerant Amphione Thebæ*] Zetus et Amphion Jovis et Antiopæ filii. Zetus rusticus, Amphion musicus, Amphion citharam a Mercurio meruit, cujus dulcedine dicitur muros struxisse Thebanos. *Lact.* *Cumque suo memorant Amphione*] Quidam et Schol. *numerant.* Plures enim plerumque magnæ urbes Conditores ob beneficia quorundam referebant. Sic Menœceus 'concinitur Cadmum atque Amphiona supra Conditor.' Sic Romulo et Camillo tertium conditorem urbis addit Africanum Silius. Senatus addere quartum voluit Augustum etiam nomine: sed invidiam refugit. Aurel. Victor de Constantin. 'Hinc pro conditore seu Deo habitus.' Eutropius apud Claud. 'tertius Urbis Conditor,' præter Byzantem et Constantinum. Ubi tamen omissus Pausanias. *Gronov.*

14 *Longe primum stupet Itala virtus*] Aptissime assentatur Domitiano, quod sæpe facit in Sylvis, sicque ejus benivolentiam sibi conciliat. Sensus est: At tu, Imperator, qui litteris et Latinis et Græcis ita præditus es, ut admirationi sis omnibus oratoribus et poëtis tam Græcis quam Latinis, æquo animo patere si a nobis prius Achilles, quam facta tua scribantur: nam imperatori se ejus gesta scripturum pollicitus fuerat. *Itala virtus Grajaque*] Ad illud certamen respex-

it, quod quinquennale Capitolino Jovi instituerat triplex, musicum, equestre, gymnicum. In quo certabatur etiam et prosa oratione Græce Latineque, ut ideo dicat omnibus oratoribus tam Gr. quam Latinis fuisse mirabilem. *Britann.*

16 *Dolet altera vinci*] Per parenthesim hæc leguntur. Sensus est: Virtus, inquit, tua litteraria dolet quod se relicta, nunc studia magis militaria sequaris, et magis in iis gaudeas eminere. Nam relictis litterarum studiis ad bella gerenda conversus est. *Idem.*

20 *Solverat Œbalio*] Nota fabula est, quo modo Paris, postquam contra Junonem Minervamque judicavit, Spartam duce Venere, quæ omnium pulcherrimam permiserat, navigavit; qua expugnata Helenam Jovis et Ledæ filiam, et una divitias ejus ac thesauros, rapuit. Cum ergo in patriam cum præda reverteretur, eum Thetis conspicata est, et statim vaticinii quod a Protheo acceperat in memoriam venit, ut scilicet filius ejus Achilles in Trojano bello esset periturus: qua re indignata in conquestionem perrupit, et supplex a Neptuno tempestatem petiit, quam impetrare non potuit; fatis enim se ille prohiberi respondit: ex quo, post longam deliberationem, sub muliebri habitu in Scyro insula Lycomedis tantisper occultare filium, dum bellum gereretur, decrevit. *Œbalio*] Laconico. Œbalus filius fuit Argoli filii Amidatis, Rex Laconiæ, qui de suo nomine provinciam dixit. Auctor Dictis Cretensis in Trojana historia. Fuit alius Œbalus Thelonis filius, cujus Virg. Æn. VII. meminit. *Pastor*] Paris, qui expositus crevit inter pastores, et antequam a Priamo reciperetur pastor fuit. *Maturant.*

21 *Dardanus*] Sic a principio dictus est; Paris autem vocatus; effugit enim propositam sibi mortem cum infans esset. Somniaverat enim, quod et Cicero scribit libro de Divinatione, Hecuba prægnans, facem se parituram qua omnis Troja concremaretur, quo insomnio territus Priamus quicquid illa peperisset jussit exponi, sed infanti filio mater pepercit, et pastoribus clam alendum tradidit. *Incautas*] Venerat enim ille ut amicus et Menelai hospes cum ille abesset: nam in Cretam navigaverat. Violato autem jure hospitii Helenam rapuit. Nihil ergo sibi cavebant. *Idem.*

23 *Culpatum*] Quod postea damnatum est. *Britann.* *Relegebat*] Navigando repetebat. Virgilius: 'sive oram Illyrici legis æquoris.' *Quæ condita ponto*] Hellespontum dicit: ita enim appellatur mare, quod a Tenedo in Propontidem tendit; eo Asia septem stadiis separatur ab Europa. *Idem.*

25 *Idæos*] Trojanos, ab Ida monte Phrygiæ Iliensibus propinquo. Est autem in scolopendræ modum, et multipes ab Homero appellatur: alius est ejusdem nominis in Creta. *Maturant.*

28 *Coëuntia Phrixi littora*] Cum Phrixus et Helle per mare Hellespontum transirent, Phrixus ascendit in arietem, pellem auream habentem. Helle natans ad caudam ipsius, se fessus tandem ponto submersit, unde mare Hellespontum nominatum est. Phrixus transiens pervenit ad Colchos, ibique arietem occidit, et ejus pellem in templo dicavit, quam Jason postea, cum Argonautis, Medea faciente tulit, et Creonti regi portavit. *Lactant.*

32 *Agnosco monitus*] Cujus fuerint monitus dicit: Prothei scilicet, qui fore prædixit ut filium in Trojano bello amitteret, nisi caveret. Protheos autem Tethios et Oceani, Auctore Hesiodo in Theogonia, filius fuit, qui et futura prædicebat, et sese in varias figuras convertebat: patria ei fuit Pallene, Thessaliæ civitas; sed

Carpatum et Ægyptum aliquando regno tenuit: et Bellona, inquit, quæ nurum Priami comitatur, faces præfert, non quæ nuptiis adhiberi solent, sed quibus Ilium sit arsurum. Noctu nubebant apud majores nostros, et propterea tres pueri patrimi et matrimi adhibebantur nuptiis; duo qui nubentem tenebant, tertius qui facem præferebat ex spina alba, nuptiis auspicatissima. Ex ea enim sibi pastores fecere qui Sabinas rapuerunt. *Maturant.* *Prothea*] Vatem. *Lactant.*

34 *Bellona*] Dea belli et soror Martis, quam et Minervam fuisse credidit antiquitas, cui ex proprio sanguine sacerdotes sacrificabant. Eam secundi Jovis filiam scribit fuisse Cicero, bellorumque inventricem atque principem: et ob id a nonnullis Bellonam appellatam esse. *Britannic.* *Nurum*] Helenam. *Lactant.*

35 *Ionium*] Nam ex insulis vicinis et mari Ionio auxilia venerunt Atridis contra Trojanos, ut Ulyxes. Incipit Ionium ab Acroceraunniis montibus, ubi desinit Adriaticum: finitur ad Maleam. Olim pars erat Adriatici, teste Pausania. Et Ionium ab Ionio Dirachi filio, quem per errorem Hercules occidit, et in mare projecit, ut illi cognomen imponeret, appellatum tradit Appianus Alexandrinus. Ægeum vero dictum a crebris insulis, quæ in eo sunt, et procul aspicientibus caprarum exhibent speciem; sive ab Ægе Amazonum regina, quæ illic periit; sive ab Ægeo Thesei patre, qui se in illud præcipitavit; sive ab Ægis maritima civitate, quod Straboni placet. *Maturant.*

37 *Tumidis*] Iratis. *Britannicus.* *Atridis*] Id est, in legem et voluntatem Agamemnonis et Menelai, qui Atrei ex Merope filii crediti sunt, cum Plisthenis fuerint. Nam Plisthenes, filius Pelopis et Hippodamiæ, cum ætate adhuc juvenili moreretur, Agamemnonem et Menelaum filios Atreo fratri commendavit, quos ut filios cum educaret, jam memoria patris abolita, ejus filii habiti sunt. *Quæretur Achilles*] Nam in fatis erat Ilium capi non posse sine armis et opera Achillis: quem quæsitum et inventum apud Lycomedem, inter puellas regias, ad Trojam perduxerunt Ulysses et Diomedes. *Idem.*

38 *Quid enim cunabula parvo*] Meus: Cur passa sum filiolum educari, seu prima rudimenta accipere apud Chironem: τὸ *cunabula* enim, seu quod idem valet, *incunabula*, (præter vulgatam,) utraque hac notione probis auctoribus notum. Suetonius, Vesp. cap. II. 'Quare Princeps quoque locum incunabulorum assidue frequentavit,' id est, 'educationis.' Arcadius Jurisconsultus, l. I. de Offic. Præf. Prætorii: 'His cunabulis præfectorum auctoritas initiata,' id est, 'his rudimentis,' seu 'principiis.' *Bernart.*

39 *Pelion*] Accusativus est Græcus. Hypallage est: id est, Achillem Pelio commisimus: et Autra pro Antris. Pelios, mons est Thessaliæ. Nam cum in Thessalia sint quattuor atque triginta montes, eorum nobilissimi sunt Cerceti, Olympus, Pieris, Ossa: cujus ex adverso Pindus et Othris Lapytharum sedes ad occasum vergentes. Ad ortum vero Pelios omnes theatrali modo ut scribit Plin., inflexi, caveatis ante eos septuaginta quinque urbibus. *Britann.* *Torvi magistri*] Id est, Chironis, quem antiquitas fabulata est filium fuisse Saturni ex Phillyra, Oceani filia, priore parte corporis hominem, posteriore vero equum. Nam cum Saturnus cum Phillyra concumberet, et Ops ejus uxor interveniret, in equum mutatus mulierem fecit gravidam. Hic autem cunctos sui temporis bonitate et justitia superavit. *Idem.*

40 *Ludit prælia*] Quasi non timeat, veluti pro ludo habet Lapytharum prælia, et eos sæpe lacessit ad pugnam. *Idem.*

41 *Patria jam se metitur in hasta*]

Aut jam se æqualem præstat patri. *Id.*

44 *Rhœteæ*] Iliacæ, Paridis scilicet. Rhœtium mons est vicinus Ilio, in quo urbs fuit ejusdem nominis, juxtaque Æanteum cum Ajacis tumulo et templo et statua quam ab Antonio ablatam et in Ægyptum asportatam Augustus Cæsar Iliensibus restituit. *Trabes*] Naves. Materiam pro forma posuit. *Maturant.*

45 *Incæsti prædonis*] Paridis. Incæstus est qui cum sanguine conjunctis coit, vel cum sanctimonialibus. Hic abusus est, et pro adultero posuit. *Idem.*

48 *Dextramque secundi*] Notandus juventuti locus; nam, ut ex sequentibus clarum, per 'secundum Jovem,' Neptunum intelligit. Jovis nomen siquidem tribus Saturni filiis commune, de eo qui cælo præesse fingebatur: exempla nusquam non obvia. *Bernart.*

49 *Per Tethyos amnes*] Malim ex manuscriptis legere, *per Tethyos annos:* ceterum tu, qui in studiis tyro, ne per seipsam Nympham rogare autumes, scito, Tethym Terræ et Cæli filiam, Oceani uxorem Poëtis esse, Deorum omnium et rerum parentem. *Idem.*

51 *Unam hiemem*] Tempestatem. *Maturant. Regem*] Nereum. *Idem.*

52 *Mensis lætus*] Id est, dapibus in mensis appositis. *Idem.*

55 *Tritones*] Monstra marina, quæ Virg. describit: 'Cærula concha Exterrent freta, cui laterum tenus hispida nanti Frons hominem præfert, in piscem desinit alvus.' *Idem.*

56 *Tyrrhenique*] Delphines, in quos Tyrrheni quidam navicularii sunt a Baccho mutati, cum acceptum ut Naxum transgrederentur nutricibus redderent alia spe prædæ pellecti ducere voluissent: quam fabulam Higynus scribit. *Idem.*

58 *Triplici telo*] Tridente. *Britann. Jugales*] Id est, Phocas, quibus currus Oceani trahi dicitur. *Idem.*

59 *Glomerant*] Volvunt. *Idem.*

60 *Pone natant*] Nam Phocis, qui et vituli marini dicuntur, pedes sunt tantum anteriores, cætera pars in caudam piscis desinit. *Pone*] Retro, id est, cauda natant, quæ pars est posterior; nam post currum intelligi non potest, cum ab iis currus trahatur. *Idem.*

64 *Ex quo*] Ex eo tempore quo. *Maturant. Jura freti*] Quæ erant ne hominibus esset pervium. *Majestatem verendam*] Quam revereri homines debuissent, et contrario elemento sese non credere: ab eo, inquit, tempore cœptum est ab hominibus contemni mare, quo Jason cum delecta Græciæ juventute, fabricata navi Argo, quam primam dicunt fuisse poëtæ, in Colchorum regionem navigavit, missus a patruo Pelia sub honoris prætextu ad vellus aureum comparandum, cujus fama orbem terrarum impleverat. Nota est fabula, quam scribit ex nostris Valerius Flaccus, ex Græcis Orpheus et Apollonius: nec Ovidius intactam reliquit. Satis constat etiam Plinio auctore longa navi primum Jasonem navigasse. *Id.*

65 *Puppis Pagasæa*] Jasonis navis ad Pagasas fabricata. Pagasæ autem civitas fuit Thessaliæ, Pherarum emporium, a quibus nonaginta distat stadiis, ab Colcho vero viginti. Quo ex loco Pelias Jasonem ac Argo navem emisit, et Pagasas quidem appellatas voluere, quia illic navem Argo compegerint, vel propter *fontes,* quos πήγας Græci vocant. Strabo. *Idem.*

66 *En aliud*] Sicut Jason auxilio usus Medeæ filiæ Œetæ regis Colchorum pellem illam auratam furto subduxit, ita et Helenam et bona Menelai Paris furto subtraxit, in quo vera de Jasone tangitur historia. *Idem.*

67 *Temerarius*] Stultus et sine consilio. Cum enim tres Deæ de malo discordiæ inter se contenderent, a Jove ad Paridem missæ sunt: is videre nudas voluit: cumque Juno Asiæ

imperium, Minerva sapientiam, Venus quamcumque vellet pulcherrimam polliceretur, ad Venerem inclinavit, et malo illo dignissimam judicavit. *Idæ*] Ubi judicatum a Paride est. *Idem.*

69 *Sic pensamus*] Quasi dicat, sic compensat et refert gratiam Venus? *Palmæ Phrygiæ*] Victoriæ, quam adepta est judice Phrygio Paride. Sic, in injuriam, et damnum nostrum, quasi dicat, Venerem si Paridi gratificatura erat, alia quidem via et ratione gratiam referre potuisse sine suo maleficio. *Britann.*

70 *Hi Veneris mores*] Ut mali aliquid semper machinetur, et tot mala veluti præmium Paridis judicii Trojanis retribuat. *Matur.* *Hoc gratæ, &c.*] Et hoc munus mihi largitur, cum in mari enutrita apud me sit? In mari nata ex genitalibus Saturni, et illic etiam educata Venus dicitur a Poëtis. *Idem.*

71 *Has saltem*] Si illam Jasonis propterea fluctibus mergere noluisti, quod semideos et Theseum vehebat, saltem has Paridis naves obrue, quæ sceleratum vehunt et adulterum. *Semideos*] Qui cum Jasone navigarunt, ut Orpheus, Castor et Pollux, Hercules. Sunt autem semidei quos ἥρωας vocant Græci, quod nati sint ex mortali. *Nostrum Thesea*] Fuit is Ægei regis Athenarum filius. Ægeus vero Neptuni. Rumor autem fuit a Pitheo materno avo dissipatum, a Neptuno fuisse generatum, et propterea inquit, 'nostrum Thesea,' id est, nepotem tuum vel filium. *Idem.*

75 *Nec tibi de tantis placeat me fluctibus unum*] Suasio est ab incommodis et miseriis suis quas passura est nisi submergatur Paris. *Britannicus.*

76 *Et Iliaci scopulos sepulchri*] Id est, Sigei promontorii, juxta quod Achilles templum habet et tumulum, qui locus Achilleum nominatur. Ilienses enim ei et Patroclo, Antilocho, et Ajaci sacrificant. *Habitare*] Residere ubi in continuis ero lachrymis. *Id.*

78 *Rector aquarum*] Nemo damnet: veteres tamen reponi suadent: *tuus ductor aquarum;* quod germanum non abnuerim: nam τὸ *ductor* pro *rector*, Papinius amat: exempla passim obvis. *Bern.*

82 *Europæ*] Cujus partem Græci tenent. *Maturant.* *Asiæ*] Cujus pars Trojanis paret, a Gadibus ad Tanaim porrigitur Europa, a Tanai ad Nilum Asia. Europam autem poëtæ pro Græcorum ponunt imperio, Asiam pro imperio Trojanorum. *Idem.*

84 *Quem tu illic natum Sigeo in pulvere*] Qualem, inquit, aspicies filium tuum in bello Iliensi? quasi dicat, magnam quidem Trojanis inferet stragem et multas cædes committet. Sicque conatur timorem ejus de filio infringere, cum ostendat ab eo universam Græcorum victoriam pendere. *Britann.* *Sigæo in pulvere*] In agro Trojano. Nam, ut diximus, Sigæum promontorium est in agro Iliensi, et urbs ejusdem nominis diruta, ut scribit Strabo. *Quanta funera*] Id est, quam multæ mulieres Trojanæ amittent filios suos, qui ab Achille trucidabuntur? *Idem.*

89 *Impellet*] Ipse manu sua Trojanos muros concutiet. Nostros muros, a me una cum Apolline fabricatos. fabula tradit Apollinem et Neptunum a Laomedonte Trojanorum rege mercede conductos Trojanos muros fabricasse; mercedem autem a Laomedonte negatam esse, quod propterea fictum est, quia Laomedon decretam pecuniam in templorum Apollinis et Neptuni ædificationem ad bellicos usus transtulit. *Maturant.* *Opera irrita*] Quibus nihil proderunt, quod a diis fuerint instructi. *Idem.*

90 *Pelea jam*] Nolito, inquit, conqueri quod mortali nupseris Peleo, nolito dolere minoribus thalamis, id est, humiliori matrimonio et minori marito quam tu mereris, teque ex Jove peperisse existima, sicuti pepe-

risses nisi fata obstitissent. Nam vindictam de filii tui sumet morte, et Græcos persequetur; non aliter faciet quam si ex eo Achillem genuisses; et sic latenter periturum innuit filium, et consolatur. Desiste autem queri Pelea et thalamos minores: figurata locutio est. *Idem.*

91 *Inulta*] Dolebis quidem, sed non inulta; id est, quin vindictam feceris de Græcis, qui filium tuum in bello traxerint. *Idem.*

92 *Cognatis fretis*] Consanguinitate conjunctis. Thetis enim Nerei est filia. Sensus est: Tunc tibi concedam ut mare tempestate perturbes, cum Græci eversa Troja domum victores redibunt. *Britann.*

93 *Caphareus*] Mons est insulæ Eubœæ editissimus, in Hellespontum perspiciens, in cujus vertice templum fuit Cælei Jovis. Ad hujus radices, vel ira Palladis vel Nauplii regis Eubœæ fraude Palamedis filii ulcisci mortem cupientis, Græcorum classis rediens eversa Troja afflicta est. Nam laborantibus tempestate facem in Caphareo succendit; illi, portum in proximo esse opinati, in asperrimos delati sunt scopulos, multique naufragium fecere. *Maturant.*

94 *Exeret*] Elevabit per suum digitum ereptas. *Pariter*] Pari odio inimicus Ulyxi factus est Neptunus, quoniam ille Polyphemo ejus filio oculum eruit: at vero Thetis Ulyxem persecuta est, quod ab eo Achilles quæsitus et ad bellum est perductus. *Idem.*

98 *Hæmonias terras*] Thessalicas. Hæmonia dicta est Thessalia ab Hæmone, a cujus filio Thessalo Thessalia est vocata. Auctor Strabo. *Detorquet*] Flectit. *Idem.*

99 *Ter conata*] Adnatantis terræ exprimit gestum. *Idem.*

100 *Æquor Reppulit*] Membranæ bonæ fidei: *Impulit.* Vereor ne hic ei sit idem vitium oblatum, quod l. II. 134. 'Impulerat cœlo gelidas aurora tenebras.' Ubi male Bernart. ex uno aut altero: 'Expulerat;' nam Statio persæpe 'impellere' est commovere, movere loco. Ut lib. IV. 'Impulerat matres Baccho meliore Cithæron.' Lib. III. 'ubi primum maxima Tethys Impulit Eoo cunctantem Hyperiona Ponto.' Et rursus: 'cui tu, Dictæe, secundas Impuleris manifestus aves.' Ovidius Met. III. 'et impellit properantibus æquora remis.' *Gronov.*

101 *Connubialia pandunt*] Id est, antra in quibus Peleus Thetidem reluctantem compressit usus Prothei vaticinio, qui ei consulenti se Thetidem tenere non valiturum, quod in varias formas mutaretur, respondit omnino illis mutationibus cedendum non esse, quod cum fecisset, tandem Dea in conjugium ejus consensit. *Pandunt*] Extendunt ad eam suscipiendam quasi gremium quoddam. *Britann.*

102 *Sinus*] Receptacula aquarum; casus est accusativus. *Idem.* *Lateque Dea, &c.*] Sperchius fluvius præ lætitia intumuit, estque alveum ingressus. Thessaliæ fluvius est et in freto Dryopico monte nascens et juxta Thermopylas erumpens, cui cæsariem sese nutrire Achilles dicit apud Homerum. Ex eodem et Polydora Achillis sorore natus est Menesthius. Auctor Strabo. Producitur penultima; quoniam Græce est *Sperchios* per ει. *Dulci*, quasi blandienti. *Maturant.*

106 *Longævum*] Jam ad senium vergentem. *Domus ardua*] Domum describit Chironis, et partim natura partim artificio factam tradit. Erat autem ad Pelei montis radices, ubi adhuc signa quæ quisque Deus reliquerat cernebantur. Omnes enim Dii nuptiis affuerunt Thetidis, et locum tenuerunt. Affuerunt et Parcæ, qui futura de Achille vaticinatæ sunt, quod scribit Catullus. Apollo quoque epithalamium et nascituri Achillis probitatem cecinit. *Idem.*

107 *Perforat*] In monte perforato et concavo est. *Longo arcu*] Veluti fornice in longum porrecta. *Suspendit*] In aëre supensum tenet: unde horti pensiles et Babylon pensilis tota fuisse dicitur, quoniam pavimentum erat testudineum. *Idem.*

108 *Sua ætas*] Propria ætas et longitudo temporis, non autem ars et hominum labor. *Idem.*

109 *Signa tamen divumque thori*] In ea, inquit, Chironis spelunca conspiciuntur et signa Deorum et lecti, et loca quæ quisque consecravit dum operam dat conviviis. *Britannic.*

113 *Nec truncæ bellis genialibus orni*] Notat pugnam Centaurorum cum Lapythis, in nuptiis Pirithoi, qui cum crateres et tela deficerent, certo Cæneum non læderent, arboribus pugnasse finguntur: Ovidius Met. XII. de hac eadem re: 'Vidi ego Petræum conantem evellere terra Glandiferam quercum.' *Bernart.*

114 *Hostes consanguineos*] Id est, Lapythas. Nam Centauri ex Ixione Lapytharum rege procreati sunt, et ex Nube, quam ei Juno in sui similitudinem objecit, cum is in cœlum assumptus eam de stupro interpellasset. Recte ergo consanguineos Centaurorum Lapythas appellat. *Britann.*

115 *Terga*] Pro tergora. *Ferarum*] Quarum carnibus vescebantur, non autem hominum, ut alii Centauri. *Maturant.*

116 *Hæc quoque dum Juvenis*] Subaudi, pertractabat, exercebat. Hoc enim dicit: Chironem dum esset Juvenis solitum fuisse feras conficere; verum ætate jam gravescente medicinæ duntaxat vacare cœpisse. *Britann.*

118 *Alumno*] Achilli. Est alumnus qui nutritur, nec non etiam qui nutrit. *Maturant.*

119 *Venatu*] Venatione in quam profectus erat. *Limine primo*] Primo domus ingressu. *Idem.*

120 *Opperiens*] Expectans. *Properat*] Urget, festinat. *Largo*] Abundanti. *Idem.*

121 *Mater*] Achillis. *Idem.*

122 *Nereis*] Una ex Nereidibus. *Erupit sylvis*] Egressus est Pelei sylvas in quibus erat, ob nimiam lætitiam quam animo concepit, et ut honoris gratia obviam occurreret deæ, etsi senex erat, et egredi domum vix solebat. *Idem.*

123 *Desueto campo*] Per quem ipse ire suetus non erat. *Ungula*] Quæ brutorum est non scissa ungulis. *Id.*

124 *Blandus dextra*] Quam Thetidi blande porrexit. *Imos armos*] Posteriores: nam superiore parte homo erat, inferiore equus: qui vero in hominibus humeri vocantur, in brutis armi potius dicuntur, unde arma appellari Festus existimat, quod inde dependeant. *Submissus*] Inclinatus, venerationis causa, ut a nobis fit quotiens quempiam magnificamus. *Idem.*

129 *Num merito trepidus sopor*] Subaudi, est. Hæc omnia a Thetide finguntur, ut honesta occasione filium a Chirone abducat; ait enim se somniis terreri, monerique a Protheo ut filium ad extrema littora Oceani Occidentalis deferat expurgandum. Non enim aliter a Chirone abducere potuisset: est igitur sensus: Non enim, inquit, mirum si per somnium multa mihi terribilia offeruntur, cum eum a te longe vagari permittas. *Britann.*

131 *Modo*] Exponit quæ signa essent, et modo, inquit, videre videor uterum meum vulnerari, ex quo futura mors filii qui egressus est significatur. *Maturant.*

132 *Livere*] Nigrescere. *Modo in ubera*] Et hoc in somnis damnum ex filio portendebat. Nam uberibus altus est. *Sævas feras*] Ut ursos, tygres. *Idem.*

134 *Iterum fere mergere*] Nam Thetis cum ex Prothei vaticinio accepisset in bello Trojano Achillem periturum, eum recens natum, ut invulnerabilis redderetur, ad Inferos detulit,

totumque in Stygia palude lavit, excepta planta pedis quæ manu tenebatur, ex quo invulnerabilis totus est factus. *Fero iterum*] Id est, videor iterum ferre per somnium ut lavem. *Britannicus.*

135 *Hos abolere metus*] Ad hæc, inquit, somnia, et terrores nocturnos levandos Protheus me monet, ut ex ordine sacri magici filium feram ad Oceanum Atlanticum, ibique purgationes de eo fiant; magi enim consensere in Oceano Occidentali Æthiopico optime expiationes fieri, unde et illud Virgilii de Didone cupiente solvi ab amore Æneæ: 'Oceani finem juxta solemque cadentem Ultimus Æthiopum locus est, ubi maximus Atlas Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.' *Idem.*

136 *Carpathius vates*] Protheus. *Carpathus* insula est juxta Ægyptum, a qua vicinum Pelagus Carpathium nominatum est. Hic aliquando regnavit Protheus relicta Pallene civitate Thessaliæ, ad quam tamen reversus est postea. *Lactant.* *Sub axe probato*] Id est, sub ea parte cæli, quam magi probavere plurimum posse ad expiationes. Lustrare, expiare et purgare. *Britann.*

137 *Fretis secretis*] Oceano Æthiopico sive Britannico longe remoto, nam rem secretam dicimus quasi separatam ab iis quæ discernuntur, sic et sobrium, quasi sebrium, id est, separatum ab ebrio. *Idem.*

138 *Genitor pontus*] Vel ut in mari nata sic dixit, vel secundum Thaletis opinionem locutus est Poëta, qui rerum principia in aquam retulit, unde aquam dici Pompeius existimat, quod sit a qua vivimus. *Maturant.* *Illabentibus astris*] Ubi pontus intepescit, id est, incalescit sole et stellis cadentibus in ipsum cum occidunt. *Id.*

141 *Trade magis*] Non mihi, sed magis, a quibus per ignota sacra expietur, et inviolabilis immortalisque reddatur. *Idem.*

145 *Non superant*] A mendo liberum hunc locum non esse, arguit structura orationis: verum præsens remedium ex manuscriptis, *nam superant tua vota modum:* quod germanum esse ego præsto. Sensus: Precibus demerendi Dii tibi, quandoquidem filius modum virtutis non servat, mandata nostra spernit, et plane intractabilis fit. *Bernart.*

148 *Vis festina*] Veniens ante suum tempus. *Maturant.*

149 *Olim*] A principio, cum mihi educandus traditus est. *Ferre minas*] Æquo animo pati. *Obire audita imperia*] Quicquid erat imperatum id exequi. *Idem.*

151 *Ossa*] Non sufficit illi Ossa qui est Thessaliæ mons objectus Septentrioni. Olympo olim conjunctum Hercules scidit. Strabo terræmotum factum esse dicit. *Pelion ingens*] Est enim editissimus mons Pelion; nam Dicæarchus vir in primis eruditus rerum cura montes permensus altissimum omnium, Auctore Plinio, prodidit undecim scilicet millium quinquaginta passuum. *Idem.*

152 *Thessalicæque nives*] Propter Othryn videtur dixisse, quem nivalem vocat. Virgilius Æneid. VII. Ipsi Centauri, quos timere et revereri Achilles deberet. *Idem.*

156 *Argivos reges*] Argonautas, qui numero quattuor et quinquaginta fuisse produntur. Ex quibus clarissimi fuere Castor et Pollux, Hercules, Telamon, Orpheus, Atalanta Schœnei, præterea Tespesii filii, et ipse navigii auctor Jason. Hi omnes ducem sibi præfecerunt Herculem veluti omnium judicio fortitudine et virtute præstantiorem. *Pinus Thessala*] Id est, Argo navis, quæ ab Argo ejus fabricatore nominata est, vel ut alii ab ejus velocitate, quam antiqui Argon appellabant: apud Pagasas, ut diximus, oppidum Thessaliæ fuit ædificata. *Britann.*

158 *Sed taceo*] Præstantior visus

est, voluit dicere. *Figit gelidum Nereida pallor*] Quasi vulnerat. Tremoris et frigiditatis causa est timor nimius. *Maturant.*

159 *Ille aderat multo sudore*] Dum sic Thetis et Chiron colloquerentur, ecce ex venatione Achilles rediit sudore et pulvere (ut videbatur) amplior, factus major quam antea esse videretur. *Idem.*

161 *Dulcis adhuc*] Nihil naturalis et solitæ pulchritudinis ipsa defatigatione amisisse videbatur. *Idem.*

163 *Vertitur*] Decurrit, ad solem autem respexit, qui per Zodiacum vertitur. *Idem.*

165 *Qualis Lycia*] Virgiliana est comparatio. Talis erat Achilles a venatione rediens, qualis Apollo est cum Lycia relicta, ubi hyemis tempore venationi operam dare consuevit; sese in Delon recipit, et depositis sagittis lyram assumit. Constat Apollinem mensibus hybernis apud Patharam Lyciæ Civitatem (a qua Patharæus dicitur) æstivis vero apud Delum responsa dare consuevisse. *Idem.*

168 *Pholoës*] Hinc Achillis animus ostenditur, qui longe lateque a finibus suis vagetur cum e Thessalia in Peloponesum transeat, ut supra 'nunc illum non Ossa capit, non Pelion ingens, Thessalicæve nives:' nam Pholoë mons est Arcadiæ regionis Peloponesicæ, dicta a Pholo Centauro qui ibi, ut scribit Diodorus, ab Hercule sepultus fuit. *Britannic.*

170 *Incitat ungues*] Ut ludentes pueri facere solent, ungues incitant catulorum, id est, ungues apprehendendo catulos incitat et irritat. *Maturant.*

175 *Patroclus*] Cum Achilles fureret adversus Agamemnonem propter Briseidem noluit egredi ad pugnam adversus Trojanos; tunc rogatus ut vel arma sua Patroclo daret, quæ manu erant fabricata Vulcani, persuadente Ulysse concessit. Egressusque Patroclus cum armis ejus susceptus ab Hectore occisus est. Illaque arma abstulit Hector. *Lactant.*

177 *Æquali fato*] Nam uterque licet dispari corporis robore, pari tamen morte cecidere in obsidione Trojana, Patroclus enim primo ab Euphorbo ad lateritum vulneratus, ab Hectore mox multis obscenisque vulneribus interemptus est. Achilles vero Paridis sagitta in templo Apollinis in planta pedis percussus occubuit. *Britann.*

180 *Fontibus Eurotæ*] Comparat Achillem Castori, cum et ipse venatione fatigatus Eurotam fluvium equo vectus subintrat. Castor et Pollux Helenæ fratres fuere. *Hic eques*, ut ait Ovidius, ille pugil, de quibus Homerus Iliad. Γ. *Κάστορά θ' ἱππόδαμον, καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα, Αὐτοκασιγνήτω.* Alludit autem ad sydus, in quo et gemini mutati dicuntur, cum inquit: *fessumque sui jubar excitat astri:* sed hic pulchritudinem per astrum accipimus, quam excitare videtur dum se abluit. Eurotas vero Laconiæ fluvius est, qui præter Spartam labitur, et in Gythium Spartanorum navale nobile erumpit. Auctor Strabo. Fontibus ad ipsos fontes Eurotæ. *Maturant.*

183 *Augent sua gaudia*] Qua re gaudebat, eadem angebatur et cruciabatur. gaudebat tanta virtute et fortitudine filii: angebatur, quod videbat fore, ut eadem virtus propediem periret. *Idem.*

185 *Vario oblectamine mulcens*] Libri plerique *nectens*. Et sane, cum tertio ante versu vox altera præcesserit, vix illam hic repetisse videtur. Scholiastes quoque sic invenit, apud quem est: '*nectens*] alliciens illam: *atto.* sollicitam: *vario obl.*] ferculorum diversitate: *elicit*] e sacculo extrahit.' Sic ille ut potuit. Fortasse scribendum: *et attonitæ varia oblectamina nectens, Elicit extremo chelyn.* Jungit aliud super aliud advocamen-

tum, quo curas ei pelleret. *Elicit* est profert, promit, advocat. Sic alibi: 'validam simul elicit hastam.' *Gronov.*

187 *Expertas*] I. e. prius exploratas; ut a cytharœdis fieri solet, qui antequam legitimum inchoënt cantum, chordas pectine, sive pollice percurrunt, ut concinnus sit earum sonus. *Britann.*

188 *Immania laudum semina*] Hyppallage est, id est, laudes immanium seminum, hoc est magnorum virorum. Sic enim apud veteres excellentium virorum facta ad Lyram decantabantur. *Idem.*

189 *Qui tumidæ superavit jussa novercæ Amphitryoniades*] Canit, inquit, quomodo Hercules per multas ærumnas monstra superaverit, ex jussu Junonis novercæ quæ Herculem omnino perdere cupiebat, vanis eum monstris objiciendo. Amphitryoniades, Hercules Amphitryonis et Alcmenæ filius. *Idem.*

190 *Crudo quo Bebryca*] Mss. *crudum:* et uterque Scholiastes. Ovidius Met. IV. 'Tendentemque manus, &c. defodit alta Crudus humo.' *Gronov.* *Cæstu*] Cæstus arma sunt pugilum a cædendo: ex corio et plumbo insuto constabant, quibus manus induebantur ad pugnandum: cæstuum autem strenuus fuit Pollux, Castor vero egregius equorum domitor. *Britann.*

191 *Obruerit Pollux*] Amycum filium Neptuni et Melites nymphæ Pollux ad certamen cæstuum provocatus interemit. *Bebryca*] Id est, ex Bebrycia, quemadmodum Cilica ex Cilicia et Thraca ex Thracia dicimus; nam Bebryciorum rex fuit; ea regio nunc Bythinia appellatur. *Idem.*

192 *Minoia brachia tauri*] Indicato a sole adulterio Martis et Veneris Vulcanus minutissimis catenis lectum cinxit, quibus Mars et Venus ignorantes impliciti sunt, et cum ingenti turpitudine resoluti sub testimonio cunctorum Deorum; quod factum Venus vehementer dolens stirpem omnem Solis persequi infandis amoribus cœpit. Igitur Pasiphaë solis filia, Minois regis Cretæ uxor, tauri amore flagravit, et arte Dædali inclusa intra vaccam ligneam, septam corio juvencæ pulcherrimæ, cum tauro concubuit, unde natus est Minotaurus qui intra Labyrinthum inclusus humanis carnibus vescebatur. Sed Minos de Pasiphaë habuit liberos plures, Androgeum, Ariadnem, Phœdram. Sed Androgeus cum esset athleta fortissimus, et superaret in agonibus cunctos apud Athenas, ab Atheniensibus et vicinis Megarensibus conjuratis occisus est. Quod Minos dolens collectis navibus bella commovit, et victis Atheniensibus pœnam statuit hanc, ut singulis quibusque annis septem de filiis, et septem de filiabus suis edendos Minotauro mitterent. Sed tertio anno Ægei filius Theseus missus est, potens tam virtute quam forma, qui cum ab Ariadne regis filia amatus fuisset, Dædali consilio iter rexit, et necato Minotauro, cum rapta Ariadne victor aufugit. De Minotauro enim fabula est, quod taliter fuisset genitus. Nam Taurus notarius Minois fuit, quem Pasiphaë amavit, cum quo in domo Dædali concubuit: et quia geminos peperit unum de Minoë, alterum de Tauro, enixa esse dicitur Minotaurum. *Lactant.*

193 *Maternos thoros*] Id est matris connubium. *Superisque gravatum*] Nam ejus nuptiis omnes, ut diximus superius, dii interfuere auctore Jove. *Britann.*

194 *Hic*] Id est tunc. *Ficto vultu*] Ideo ficto, quia anxia et sollicita erat, difficile enim est in tristitia lætitiam ostendere. *Idem.*

197 *Quanquam ibi fida parens*] Parenthesis est; subaudi, erat: sicque Poëta officium pii discipuli ostendit, qui non secius judicio Quintiliani

magistrum suum quam parentes amare debet. *Idem.*

198 *Thetis*] Chiron Achillem amplexatus saxo collapsus est: at vero Thetis extra antrum in rupibus Pelei, ad quas sonitus fluctuum vicinis cautibus illisorum perveniebat, sollicita jacuit minime dormiens, sed admodum volutans, quibus in locis occultare filium posset. *Maturant. Undisonis*] Hoc vocabulum membrana inculcat supra vers. 27. 'Nec mora et undisonis t. c. sororum Prosilit e thalamis.' Hic autem *undosis* habet: unde suspicari possis *umbrosis* scribi debere. Nihil tamen moveo. *Gronov.*

199 *Abdere terris Destinet*] Id est paret occultare. Est autem ordo: At Thetis volutat. *Britann.*

201 *Proxima sed studiis multum Mavortia Thrace*] Subaudi 'est,' ut sit sensus: Thracia quidem proxima est, sed nimis est bellicosa, et perinde a sequentibus subaudi non placet. Bonum ordinem secutus est Poëta in locorum numeratione. Nam Europæ a Scythia, prima est Thracia, deinde Macedonia, post Attica. Thrace autem declinatio est Græca. *Mavortia*] Bellicosa. *Idem.*

202 *Laudumque daturi*] Athenas dicit, quæ ob litterarum studia celeberrima habita est civitas. Ut ideo dixerit 'daturi stimulos laudum,' quod ibi homines stimulis laudum excitarentur ad virtutem.

203 *Cecropidæ*] Athenienses a Cecrope rege, qui primus auctore Strabone multitudinem in civitates XII. habitandas digessit. Quarum nomina sunt Cecropia, Tetrapolis, Epatria, Decelea, Eleusis, Aphidna, Thoricus, Brauron, Cytherus, Sphettus, Cephesia, Phalerus. Theseus vero postea duodecim illas in hanc unam congregasse civitatem denuo memoratur. *Idem.*

204 *Sestos*] Hellespontus, septem (ut dictum est supra) stadiis Europam ab Asia dividens, illic inter se contrarias urbes habet, in Europa Callipolin et Seston, in Asia Lampsacum et Abydon. Apud Sestum locus quidam Apobathra nominatur, ad quem ratis Xerxis juncta fuit. Nam ibi angustiæ illæ septem stadiorum quæ Asiam dirimunt ab Europa a Xerxe ponte junctæ fuerunt. *Abydenique sinus*] Ab Abydo denominati. *Idem.*

205 *Cycladas*] Insulæ Cyclades dictæ sunt, quod in orbem objacent. *Myconos*] Una est ex Cycladibus, sub qua gigantum novissimos ab Hercule mactatos jacere fabulantur. *Seriphos*] Est autem et ipsa ex Cycladibus, in qua ea facta vulgantur, quæ dicuntur in fabulis: Dicten piscatorem arcam adduxisse retibus, in qua Perseus cum matre Danaë positus tenebatur. Cum pater Danaës Acrisius utrunque abjecisset in mare, ista in Insula educatum fuisse Perseum proditur. *Idem.*

206 *Delos*] Hæc media est Cycladum, et longe clarissima, templo Apollinis cum oraculo celebrata et mercatu: erat enim maxime opportuna, illucque res venales, ut servi, undique convehebantur. Auctores Plin. et Strab. et propterea hospitam vocavit: sic appellatam tradit Aristot. quoniam repente apparuit enata, vel quod primum solis radiis illustrata sit, vel quod certiora illic oracula redderentur. *Maturant.*

207 *Lycomedis in aula*] Imbelli dicit et quia senex est Lycomedes, nec armis aptus, et quod ei sexus tantum est fœmineus, ut recte speret illic tutum fore filium. *Britann.*

209 *Ægæona nexus*] Rem fabulosam prosequitur; nam quæ de gigantibus traduntur fabulosa omnino sunt. Cum enim in Phlegra loco Campaniæ pugnasse scribantur, quomodo fieri potuit ut in Sicilia sit Enceladus, Othus in Creta, Typhœus in Campania, ut Inarime Jovis imperiis imposta Typhœo, Ægeon in Scy-

ro? nam modo apparet Thetidem jussu Jovis Scyrum accessisse observaturam vincula Ægeonis qui ibi relegatus erat ad scopulos. Hic autem est auctore Homero Centimanus, quem dii Briareum, homines vero Ægeona vocant. *Britann.*

210 *Centumque Dei numerare*] Nota est Ægæonis fabula, et quod ille centimanus a Neptuno ad scopulos Ægæi maris religatus fuerit. Mens Poëtæ videtur: Cum nunciatum foret Ægæonem conari effugere, et vincula dissolvere, missam Thetim, quæ rem cognosceret, Scyrim itaque prætervectam, cognovisse imbelles esse loci incolas, choreis et ludis vacare. *Bern.*

212 *Qualis vicino*] Optima et maxime congrua comparatio. Mater enim Thetis avi parituræ comparatur. Sicut enim avis angues, ventos, homines timet, ita Thetis abditura filium omnia veretur, ne inventus ad bellum trahatur, et ut avis eligit arborem, quam credit tutissimam in qua nidificet, ita Thetis post longam consultationem Scyrum deligit, in qua filium occultet. *Maturant.*

217 *Altera*] Prima cura fuit locum eligere. *Secunda*] Quomodo in eum Achillem veheret. *Idem.*

219 *Ventos*] Ne volucres advocet, an ventis ad vehendum committat, an Pelago, an Iridi traderet ferendum, quæ arcus est cælestis. Manifestum est autem radium solis immissum cavæ nubi, repulsa acie, in solem refringi, colorumque varietatem mixtura nubium, ignium, aërisque fieri, certe nisi sole averso non fit. *Idem.*

220 *Thaumantida*] Iris Thaumantia dicta secundum poëtas, Thaumantis filia: cæterum ex admiratione hoc nomen accepit, quæ admiratio de ejus coloribus nascitur. Iris dicta quod nunquam ad conciliationem mittitur, sicut Mercurius, sed ad disturbationem; et est ministra non tantum Dearum, sed et Deorum. *Lactant.* *Pasci*] Respexit Poëta opinionem vulgi, quod putat arcum illum in mare descendere, et inde etiam oriri. *Britann.*

221 *Inde fretis*] Delphines tandem placuere. *Murice acuto*] Freno ex muricibus confecto. Murices pisces sunt contextu firmiore pectinum. Est et instrumentum ferreum tribus acuminibus, quod spargi consuevit ad impediendos equites. *Maturant.*

222 *Bijuges*] Qui tamquam duo equi junguntur ad currum. *Maxima Thetis*] Uxor Oceani. Maximam dixit ad differentiam ipsius Thetidis, quæ mater est Achillis. *Idem.*

223 *Gurgite Atlanteo*] In mari Atlantico, quod Lybiam ab Occidente claudit, a Mulacha fluvio incipit, qui Mauros a Numidis separat. Abylam montèm abluit ingrediens Oceanum. *Idem.*

226 *Pectoris humani*] In quibus tantus sit in homines amor; nam delphines non tantum homini amicum animal, verum et musica arte mulcetur. *Britann.*

227 *Contagia*] Contactus. *Maturant.*

228 *Resolutum*] Profunde dormientem, solutis membris, et fluentibus. *Idem.*

230 *Ad placidas*] Cur placidæ essent subjungit, Thetis enim tacere jusserat. *Idem.*

231 *Toto orbe*] Plenilunium erat. Quando luna pleno orbe est, et tota nocte lucet. *Idem.*

232 *Cynthia*] Luna sic dicta a Cyntho monte Deli, ubi nati Apollo et Diana. *Idem.* *Prosequitur*] Refert hoc ad Chironem, non ad Lunam, ut sit, Chiron prosequitur. *Recursus rogat*] Id est, ut cito ad se redeat. *Britann.*

233 *Securus pelagi*] Id est, nihil timens mare, cum illud in Thetidis potestate sit. *Uda lumina*] Oculos et lachrymas dissimulat. *Idem.*

235 *Erecto prospectat equo*] Pieta-

tem Chironis expressit qui discipulum abeuntem quam longo potuit visu est prosecutus. Nam media parte posteriore erat equus. *Idem.*

237 *Thessala Tempe*] Locus est inter Ossam et Olympum passuum quin quemillium longitudinis: per medium Peneus discurrit a Pindi profluens radicibus, gramine vestitis marginibus, aviumque concentu, et calculorum aquarumque sonitu peramœnus, nec alius locus est, cujus amœnitatem tantopere laudent poëtæ. *Maturant.*

238 *Pholoë*] Silva est Thessaliæ, dicta a Pholo centauro qui eam incolebat: qui Pholus tempore quo ab Euristeo rege Hercules missus est Thraciam, ut Diomedis equos adduceret, qui humanis carnibus vescebantur, eum hospitio recepit. Aliqui dicunt, quod eum Hercules occidit susceptus ab eo hospitio. Velius Asper Longus Pholum tradit adversum centauros ab Hercule adjutum. Cum Herculem recepisset hospitio, Asper tradit, dum sagittas Herculis stupet, qui tot Centauros occiderat, unam ex illis in pedem cecidisse; vulnere sanari non potuit. Ideo credunt nonnulli ab Hercule occisum. *Lactant.*

239 *Sperchius*] Fluvius cui suas comas Achilles devoverat si redisset. Pater autem Narcissi fuit Sperchius. *Idem.*

240 *Muta*] Quia prius carminibus resonabat. *Fauni*] Dii proprii fuere Latinorum, quos in silvestribus locis traditum est solitos fari, et a fando Faunos vocari. *Maturant.*

241 *Sperata connubia*] Maritum enim Achillem habere speraverant, quem tantopere amabant. *Idem.*

252 *Dedisset quos dabat*] Illud tangit quod in principio operis commemoravimus: Jovem ducturum fuisse Thetidem uxorem, nisi a Protheo monitus fuisset sibi cavendum esse a tali conjugio, quod ex eo nasciturus esset qui patris facta superaret. Sensus est ergo: O care fili, si ex Jove (ut sors ferebat) natus esses, nullus me metus pulsaret tuæ mortis, quasi dicat noli mirari quod in loca ignota te advexerim. Nam iccirco hoc feci, quod tuæ mortis tempora appropinquare cognoscebamus. Sicque suadet ab utili sibi cavendum esse, et parendum consiliis suis. *Britann.*

257 *A matre*] A me, quæ Dea sum et immortalis, et secundum Jurisconsultos loqui videtur, qui natum ex matre libera, patre vero servo, ingenuum volunt nasci. *Metuenda tempora*] Belli Trojani, in quo mihi responsum est a Protheo te periturum. *Maturant.*

260 *Si Lydia dura*] Arguit ab exemplo; quod particulare præpositum quiddam contendit ostendere. Debes muliebrem habitum assumere, quoniam Hercules quoque assumpsit: si illum non puduit, cur te pudere debeat? Fabula hoc habet: Hercules cum in Lydiam provinciam venisset, ab Eurystheo missus ab Eurytum Lydorum regem trucidandum, qui hospites necabat, captus est amore Ioles Euryti filiæ, quam alii Omphalem vocant. Fuere alii, qui Euryti sunt dicti, ut Rex Œchaliæ, et unus ex Centauris. Sed Iolen sic perdite amavit Hercules, ut in ejus gratiam neverit, et habitus femineos induerit. *Idem.*

262 *Si decet aurata*] Rursus ab exemplo arguit Bacchi, Jovis, Cenei. Et Bacchus quidem in conviviis muliebrem habitum nonnumquam assumebat. *Aurata palla*] Honestæ mulieris vestimentum est palla, i. e. tunicæ pallium, descendit autem usque ad vestigia. *Idem.*

263 *Jupiter induit artus*] Jupiter adamavit Antiopen filiam Nyctei, speciosissimam puellam; cujus dum pater suspectum haberet stuprum eam custos mancipavit. Puella ipsa cum adolevisset Dianæ se conse-

-cravit. Jupiter in habitum se vertit Dianæ, et puellam corrupit, ita ut arcum et pharetram mentiretur. *Lactant.*

264 *Cenea*] Cenis virgo fuit quæ a Neptuno pro stupri præmio meruit sexus mutationem. Fuit etiam invulnerabilis, qui pugnando pro Lapithis contra Centauros crebris ictibus fustium paulatim fixus in terra. Post mortem tamen in sexum rediit. *Idem.*

265 *Numen malignum*] Si quam perversam habes voluntatem, depone. *Britannic.*

266 *Mox iterum campos*] Removet metum diuturnæ mansionis apud Lycomeden. Hypallage est, id est, reddam te campis et lustris Centauricis. *Idem.*

267 *Hoc decus*] Subaudi, oro te, quasi dicat per virtutem juventæ tuæ te oro. *Idem.*

268 *Experta maritum Te propter*] Si, inquit, propter te, id est, ut gignereris, sustinui Peleo homini mortali nubere. *Idem.*

269 *Si progenitum Stygis*] Nam Achilles, ut supra recitavimus, parvulus a matre in Stygia palude lotus est, ex quo toto corpore invulnerabilis factus est, excepta ea parte pedis qua detentus fuit. unde dolet mater totum lotum non fuisse. Nam ea corporis parte a Paride percussus sagitta interiit. *Amne severo*] Id est Styge horrenda, per quam, ut scribit Virgilius, ‘ Dii jurare timent, et fallere numen :’ quod secundum fabulas ideo est, quia dicitur Victoria Stygis filia bello Giganteo Jovi favisse, pro quo beneficio Jupiter ei tribuit, ut Dii jurantes per ejus matrem non audeant fallere. *Idem.*

270 *Tuta*] Si minus honesta. *Parumper*] Ad breve tempus. *Maturant.*

271 *Nil nocitura animo*] Animi enim robur et virtus nihil infringetur. *Reductis*] Retro conversis, ut pueri faciunt, qui indignanter aliquid oblatum refugiunt. *Idem.*

272 *Quidve parant oculi*] Videbatur enim lugere velle. *Idem.*

275 *Obstat*] Resistit, refragatur, quominus matri obtemperet. *Genitorque roganti*] Tribus inquit impediebatur Achilles ne habitum indueretur muliebrem, quod injuriam majestati paternæ et Chironi simul facere videretur, tum autem quod egregiis adolescentiæ suæ principiis non insisteret. *Genitor*] Peleus. Nam ejus virtuti respondere minime videbatur. *Britann.*

276 *Nutritor*] Chiron, quod ejus disciplinam abjiciat. *Cruda*] Dura et aspera principia, quod ab egregiis adolescentiæ suæ principiis discedat, quæ magna et præclara omnibus facinora pollicebantur. *Idem.*

277 *Igne juventæ*] Invenit aptam comparationem : nam ita se, inquit, habebat Achilles, quemadmodum equus juvenis indomitus, qui domitoris manibus non facile cedit. Sicque ostendit Achillem diu matri restitisse, demum precibus fatigatum acquievisse. *Igne*] Fervore. *Idem.*

279 *Honore superbo*] Quod adhuc alterius potestati non fueris obnoxius ; nam nunquam servivisse honorificum et gloriosum est homini. *Id.*

281 *Dominique negat captivus*] Noster et quatuor Grut. *dominique gemit captivus inire Imperia.* Ut lib. I. ‘ nec alterna ferri statione gementes Excubiæ.’ Sic etiam Scholiastes : ‘ *lupis*] lupatis scilicet frenis in similitudine dentium lupi factis. *capt.*] frenatus, servituti redactus. *ge.*] gemitu ostendit, quod cum dolore sustineat.’ Sic denique codex Put. *Gronov.*

283 *Quis deus*] Admiratur Poëta, unde Thetidi tanta calliditas, et unde Achilli tanta fuerit patientia, ut illa sic eum occultare cogitaverit, hic vero sic parere. *Attonitæ*] Nimio dolore et sollicitudine pene obstupescenti. *Maturant.*

284 *Quæ mens attraxit Achillem*] Membr. *detraxit*. Et sic Schol. '*quæ mens*] quod consilium. *de.*] mitigavit. *indo.*] difficilem flecti.' Fregit ac depressit. *Gron.*

285 *Palladi littoreæ*] Palladis sacrificia a puellis celebrabantur, quod ea Jovis filia et virgo et innupta putabatur. *Littoreæ*] Nam in littore templum erat Palladis, ut infra: 'Scyros erat, placidique super Tritonia custos Littoris.' *Diem honorum*] Id est sacrificiorum. *Britannic.*

289 *Floribus hastam*] Thyrsos intelligit: Justinus epistola ad Zenam et Zerenum: "Ὥσπερ αἱ βάκχαι διὰ σχήματος εἰρηνικοῦ τὰς λόγχας ἐν τοῖς θύρσοις περιφέρουσιν. *Velut Bacchæ per speciem habitumque pacis lanceas in Thyrsis circumferunt.* Adi Plinium lib. XVI. c. 36. *Thyrsus* nihil erat quam hasta frondibus et pampinis involuta, absque ferro. *Bernart.* Sed Barthius vult *Armaturam Minervæ* floribus aspersam Statium intellexisse.

293 *Quantum virides*] Maxima pulchritudo Deidamiæ, quæ tantum superabat sorores quantum Venus ipsa Nereidas superaret, si illis adjungeretur, et quantum Diana anteit Naiadas, quæ sunt fontium et fluviorum Deæ, sic dictæ παρὰ τὸ νάω, quod est *fluo*. Maturant.

297 *Purpura vultu*] Hoc dicit, ex vultus splendore vestes illuminatas, et omnem corporis ornatum factum pulchriorem. *Britannic.*

298 *Blandior auro*] *Blandior* legendum est, et non *blandius aurum*, ut sit sensus: Lucem blandiorem auro et omni ornamento accessisse ex splendore vultus, sicque in puella miram pulchritudinem ostendit: est autem *auro* dativus. *Idem.*

299 *Ipsi Deæ*] Palladi, quam formosissimam fuisse scribunt poëtæ. *Pectoris angues ponat*] Hoc est, si ægidem, tegmen scilicet pectoris, in cujus medio caput erat Gorgonis, cujus capilli serpentini fuere. et ægis quidem est, dum tegit imperatoris aut numinis pectus, alias thorax, vel lorica vocatur. *Maturant.*

300 *Placetur*] Mitior fiat. *Exempta casside*] Deposita galea. *Maturant.* Cum enim hæc Dea benigna videri voluit, dicitur ægidem et cassidem deposuisse.

302 *Temeratus pectora*] Synecdoche est, id est pectora non habens adhuc temerata, violata, et correpta. *Motu*] Scilicet amoris. *Britannic.*

303 *Diriguit*] Obstupuit. *Idem.*

304 *Nec latet haustus amor*] Jam amor inquit Achillis patebat. *Fax vibrata*] Id est amor immissus et infusus. *Idem.*

305 *Lucem*] Splendorem, et pulchritudinem. *Idem.*

306 *Tingit*] Ex interno, inquit, ardore amoris, vultus rubore suffundebatur: tingit ergo, rubore aspergit. *Idem.*

307 *Lactea Massagetæ*] Duplex est comparatio: sic Achilles vario colore etiam infectus modo pallebat, sicuti Massagetæ pocula inficiunt, cum equinum sanguinem cum lacte miscent, et quemadmodum ebur inficitur, cum notis distinguitur purpureis, quod Lydiæ mulieres facere solebant. Ovidius: 'Mœonis Assyrium fœmina tingit ebur.' Massagetæ populi sunt Scythiæ Asiaticæ nobiles: ii cum per deserta discurrunt equorum suorum sanguinem in sinistri pedis vena haustum bibunt. Idem Sarmatas Bisaltas ac Gelonos factitasse legimus. Martialis: 'Venit et epoto Sarmata pastus equo.' *Maturant.*

310 *Flamma recens*] Novus amor hospita sacra discutiat: immensam amoris vim ostendit. *Britannic.*

411 *Turbæ securus*] Id est turbam contemnens, tanquam puellarem. *Immemor ævi*] Quasi oblitus ætatis muliebris et sexus; nam deforme est homini in sexum muliebrem ruere,

et aliquid violentum facere. *Idem.*

313 *Ut pater armenti*] Eclipsis est, id est ita, inquit, ad amorem incendebatur Achilles, ut juvencus, qui futurus est pater armenti, inflammatur conspecta vacca. *Quondam*] Tempus futurum hoc loco significat, alias præteritum. *Idem.*

317 *Spectant hilares*] Quasi dicat, ita et matrem lætam fuisse perspecto amore filii. *Idem.*

319 *Hosne, &c.*] Malim, *Hasne;* nam de virginibus loquitur. *Gronov.*

320 *Quid tale sub Ossa*] Sensus est et ordo: Quid tale unquam vidisti sub Ossa, et jugis Peliacis? *Ossa*] Mons Thessaliæ. *Britann.*

321 *O si mihi jungere curas*] Hæc dicit, ut magis Achilles inflammetur ad sumendum habitum muliebrem. Est enim sensus: Utinam contingat mihi videre aliquem puerum ex te quem sinu meo excipiam. *O* et *si* optantis sunt, quæ nunc junguntur: nam singula ante ponebantur. *Idem.*

323 *Visusque superbos Obliquat*] Placet, quod est in membr. *visusque protervos Obliquat.* Petulantes, lascivos, incipientes frangi desiderio Veneris significat. Ut ille apud Terentium *aspectat limis.* Sic in Saturnalibus: 'Et ridens Jocus et sales protervi.' Theb. IX. 'thyasi ludusve protervæ Noctis.' Et hic mox: 'exercere protervas Gymnadas.' Nec aliter Bernartii codex, et duo Gruteri. Tertius, *paternos.* Gronov.

324 *Vestes*] Viriles, ut induat femineas. *Leviore*] Placatiore. *Maturant.*

325 *Ambiguum*] Non repugnantem, sed quasi dubitantem. *Cogit volentem*] Qui tamen nolle videri volebat. *Idem.*

326 *Innectitque sinus*] Sex Gruteri et aliquot inspecti nobis: *Injecitque sinus.* Quod magis ob oculos ponit occupantem tempus Thetidem et festinantem. Plauto: 'conjicere in humeros pallium.' *Gronov.*

329 *Ac sua dilecta*] A collo suo ad nati collum propria transtulit ornamenta: est autem monile ornamentum colli mulierum, et ornatus equorum a collo præpendens. *Maturant.*

330 *Picturato limbo*] Picturis distincto, est autem pingere etiam acu variare. Virgil. 'Pictus acu chlamydem.' Lymbus vero fascia est, quæ ambit extremitates vestium secundum antiquum ritum. *Idem.*

331 *Fandi pudorem*] Ut pauca loquatur. Silentium enim mulierem decet, quod Sophocles ait. Dido apud Virgilium breviter loquitur, et demissis in terram oculis. *Idem.*

332 *Qualiter*] Pulchra est comparatio; et est ordo ac sensus: Talis erat imago Divæ immutantis natum; nam ex viro feminam faciebat, et sic ex illa imagine viri aliam formabat. *Ceræ victuræ*] Id est, cum victuræ membra statuæ inter se accipiunt formas pollice artificis. *Idem.*

335 *Luctata*] Non diu informando Achillem laboravit. *Idem. Superest nam plurimus*] Hoc dicit, haud difficile matri fuisse ita componere filium ut mulier probaretur, quia in eo præter vires inerat decor et pulchritudo quædam, ut sexui femineo valde accederet. Nam, ut Homerus scribit, omnium Græcorum speciosissimus fuit et fortissimus. *Britann.*

344 *Sic ubi virgineis*] Hæc comparatio ad studium duntaxat pertinet, quo in ornando filio Thetis utitur. Hecate, Diana, quæ eadem et Luna est, et sic vocatur quod longe radios et lumen suum jacit. ἑκὰς enim *longe* est. Hesiodus in Theog. Hecatem dicit non esse Proserpinam, sed aliam Asteries sororis Latonæ filiam, et Persei fratris Astræi, cui Jupiter vim et potestatem in omnia concessit elementa, unde Hecate existimatur vocari, ἑκατὸν enim significat *centum,* quia infinitas habuit potestates. Orpheus in Argonaut. triplicem hanc dicit esse, et tria habere capita, dex-

trum equi, sinistrum canis, medium hominis, et quidem rustici. Virgilius: 'Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.' *Pharetris*] Venatione. *Maturant.*

345 *Ad patrem*] Jovem. *Fratrem*] Apollinem, nam Apollo et Diana Jovis et Latonæ filii fuere. *Idem.*

346 *Mater*] Latona. *Exerta*] Nudata. *Idem.*

347 *Latentes*] Subductas, quod venatrices faciunt. Virgilius: 'Nodoque sinus collecta fluentes.' *Idem.*

348 *Sparsosque studet componere*] Non contemnendus liber: *sparsosque tumet componere crines.* Quasi dicat ipsam hoc officio superbire, ambitiose in eo ostentare, ut ornatrices solent apud dominas; nedum mater apud talem filiam, ex qua toties illi, si vatibus fides, 'pertentant gaudia pectus.' *Gronov.*

349 *Hanc germanam*] Pronunciatione adjuvandum est, ut sic rex facilius decipiatur, quasi dicat, recte soror potest dici Achillis, nam per omnia illi similis est, quæ Pelydora appellata est. *Britannic.*

351 *Nonne vides, &c.*] Hæc per parenthesin leguntur. Bene removet regi suspicionem virilitatis. Nam in ore aliquid adhuc virile retinebat. *Fratri*] Nititur probare sororem esse Achillis a viribus corporis. *Idem.*

352 *Arma humeris arcumque animosa*] Astute hæc proponit ne si forte quid tale peragat, vir esse putetur. *Idem.*

353 *Ritu Amazonio*] Nam Amazones eorum Scytharum uxores fuere, qui per factionem optimatum domo pulsi in Cappadociæ ora juxta amnem Thermodoonta consederunt, ubi per multos annos spoliare finitimos consueti, conspiratione populorum per insidias trucidantur. Eorum igitur uxores videntes exilio suo additam orbitatem arma sumpserunt, finesque suos summoventes primo, mox inferentes bella defendunt. Nubendi quoque finitimis animum omisere. Tandem pace armis quæsita, ne gens interiret concubitum finitimorum ineunt. Si qui mares nascerentur interficiebantur; feminas vero non ocio, neque lanificio, sed armis, equis, venationibus exercebant inustis infantium dexterioribus mammis, ne sagittarum jactus impediretur, unde Amazones dictæ sunt ab α quod est sine, et μαζὸς, *mamma.* Duravere autem usque ad tempora Alexandri magni. *Idem.*

355 *Sacra*] Ut Palladis quæ canephoria vel cistophoria vocabantur, quoniam ea cistis inclusa nobiles virgines certo anni tempore in arcem ferebant, quod Ovid. scribit. *Frange*] Vince, doma sexum muliebrem, ne corrumpatur; facile enim nisi custodiatur labefactari consuevit. *Maturant.*

357 *Solvendus*] Dissolvendus. *Id.*

358 *Gymnadas*] Ludi sunt palæstrici gymnades qui et gymnici vocantur, in quibus nudabantur. Hos primus Lycaon in Arcadia excogitavit. Auctor Plin. γυμνὸς Græce *ludus* est, γυμνὸς et *exercitatio*: γυμνάζω, *ludo*, et *exerceo*, γυμνάζουσα, *femina quæ ludit.* Hic pro ludis posuit, ac si diceret, nolito concedere, ut gymnadas exerceat, vel gymnadas imitetur. Non vult ludos exerceri, in quibus Achilli necesse sit nudari. Spartanis mos fuit, ut nudæ puellæ inter luctantes viros exercerentur, quod scribit Propertius lib. III. *Idem.*

361 *Vidisti modo*] Admonet servandas esse diligentissime puellas, quoniam paulo ante Paris raptam Helenam in patriam reportavit. *Mutua jura*] Commercia gentium, et jus humanæ societatis, mutua, quæ mutuo servantur, 'ut non facias aliis quod tibi non vis fieri.' *Idem.*

364 *Quis Divum*] Cum ii volunt quem decipere, nemo potest resistere. *Barth.*

366 *Electus*] Hoc ipso agit gratias Deæ, quod se unum ex omnibus elege-

rit, cui filiam commendaret. *Maturant.*

367 *Scyriadum*] Ibi habitantium puellarum. Ita 'Scyrias Deidamia' apud Ovid. de Arte Am. lib. I. *Barth.* *Defigere*] Sic intente intueri, ut ab Achille oculos non dimoverent. *Maturant.*

369 *Emineat*] Supereminueat, et anteeat alias, tum claritate corporis, tum pulchritudine. *Idem.* *Humeros, ac pectora fundat*] Idem Langianus: *quantumque humeros a pectore fundat.* Quem cur non et hic audiam? *Bernart.* *Fundat*] Porrigat, ostendat quod virorum est. *Maturant.*

372 *Idaliæ*] Comparatio est. Idaliæ autem volucres columbæ sunt Veneri sacræ propter satum frequentem et coitum. Idalius vero mons est Cypri Veneri sacer, de quo Virgil. 'Aut super Idalium sacrata valle recondam.' *Maturant.* *Idaliæ*] Columbas autem Veneri consecratas esse commenta est antiquitas hoc modo, Venerem et Cupidinem in campis lascivientes in contentionem devenisse, uter plures sibi colligeret flores, et cum Cupido alarum suffragio plures videretur collecturus, Peristeram Nympham in Veneris auxilium surrexisse, inde Cupidinem indignatum nympham illico in columbam mutasse, quam deinde Venus in tutelam suam assumpsit. Alii autem rei veritatem persequentes Peristeram apud Corinthios insignem fuisse puellam, quæ in plurimorum amplexus venit. Quam ob causam ab ipso Cupidine, id est, libidinis stimulo in columbam versam dixere, περιστερὰ enim Græce, *columba* dicitur Latine. *Britann.*

379 *Multum cunctata*] Conjunge multum cum cunctata, ut sit multum *cunctata in limine,* Id est, remorata. *Idem.*

381 *Novissima*] I. e. vale, quod a discedentibus postremum dici solet. *Idem.*

382 *Longe cervice*] Quo gestu esse latentes solent, vel sic se convertebat ut quoad posset filium ad Scyrum intueretur. *Maturant.*

384 *Cara mihi*] Oratio est qua Scyro filium commendat, et præmia pollicetur taciturnitatis. *Idem.*

385 *Depositum ingens*] Quod enim majus depositum esse potest filio? *Idem.*

387 *Creta Rhea*] Hæc fabula est. Saturnus, postquam a Themide oraculo comperit a filio regno se posse depelli, natos ex Rhea uxore devorabat, quæ natum Jovem pulchritudine delectata nymphis commendavit in monte Cretæ Dictæo, ubi eum aluerunt apes, et adhibiti sunt Curetes et Corybantes, qui tinnitu æris prohiberent audiri pueri vagitum. Unde ipsi sunt matris Deum ministri. Ut autem fingatur Saturnus filios suos comesse hæc ratio est, quia dicitur Deus esse æternitatis et seculorum. Secula autem annos ex se natos in se revolvunt, inde Græce Κρόνιος quasi Χρόνιος, id est, *tempus,* dicitur. Ergo *quo more tacebat Creta Rhea,* id est, quia illic certe Jovis nutritus est, ne a Saturno patre occideretur; sic tu, o Scyros, commendatum tibi Achillem absconde. *Lactant.*

388 *Instabili fama superabere Delo*] Major, inquit, erit fama et nomen tuum quam Deli insulæ, quæ Apollinis oraculo toti orbi notissima fuit. *Instabili,* rem fabulosam prosequitur, quæ sic se habet. Jupiter, simulatque Latonam gravidam fecit, Asteriæ ejus sorori vim inferre conatus est: verum puella fugiens numinum miseratione in coturnicem conversa est, quam Græci ortyga vocant. Jupiter autem in Aquilam mutatus cum eam rapere vellet, divino usa auxilio in lapidem transformata est, qui diu sub aquis latuit; cæterum Jupiter precibus Latonæ motus eum super aquas efferri fecit. Præsentiens deinde Juno Latonam ex Jove gravi-

dam immisso Pythone serpente eam per omnem terram persecuta est, quæ tandem cum ad littora pervenisset a sorore sua suscepta est, ibique peperit Dianam et Apollinem in Cyntho monte, qui insulam nantem adhuc instabilemque cernentes amplius errare passi non sunt. Unde est illud Virgilii, 'At pius arcitenens oras,' &c. Ait ergo *Delo instabili*, quia ante diu fluctuata est. Eam Solinus scribit appellatam esse Ortygiam, quia ibi primum visæ sint coturnices, quas Græci ut diximus ortygas appellant. Aristoteles Delon appellatam esse prodidit, quoniam repente apparuerit enata. Æglostenes Cynthiam, alii Asteriam, Lagiam, Chlamydiam, Cynethum, Pyrpilem igne ibi primum reperto. *Britann.*

389 *At ventis et sacra fretis*] Ex præceptis artis insulam commendat ab ea re, quam impetrare cupit: ut scilicet ita fugiat strepitum bellorum et naves Græcorum, ut tranquilla semper consuevit esse et receptaculum duntaxat nympharum. Est ergo ordo: At tu tellus sacra ventis et fretis, et domus tranquilla Nereidum, et insula juranda nautis inter Cycladas ubi procellæ Ægeæ frangunt saxa, ne admitte carinas Danaas. *Id.*

393 *Thiasos*] Saltationes, choreas Liberi, id est, Liberalia. Originem belli Thebani taliter historia refert, Herculem cum Colchos iret perdito Hyla post peragratam Misiam navibus Trojam venisse, a cujus portu cum eum Laomedon arceret, occisus est, et ejus filia Hesiona belli jure sublata comiti Telamoni tradita est, qui primus ascenderat murum, unde natus est Teucer. Nam Ajacem ex alia constat esse natum. Tunc Hercules Priamum quoque redemptum a vicinis hostibus in patrio regno locavit, unde est Priamus dictus ἀπὸ τοῦ πρίασθαι, id est, emere. Cæterum quæ de liberata dicuntur Hesiona constat esse fabulosa. Postea cum excrevisset, Priamus volens repetere sororem, profectus est cum legatis Salamina, ubi constabat eam regnare, et minime eam repetere valuerunt, Græcis dicentibus eam habere jure bellorum; unde commotus Priamus misit Paridem cum exercitu, ut aliquid tale abduceret, aut uxorem regis aut filiam, qui dum ambulasset sollicitavit Helenam, Menelai uxorem, quæ cum ei consentire noluisset egressus est ille et civitatem obsedit, qua eversa Helenam rapuit, unde et postea a marito * recipi meruit. *Lactant.* *Nihil utile bellis*] Astute monet bellica illic non tractanda, ne qua spes Græcis sit petendi illinc auxilii, ut sic Achilles ibi tutius lateat: est enim ordo: Doce famam narrare hoc, videlicet, hic tantum Thyasos celebrari, et nihil utile bellis. *Britann.*

394 *Dumque arma*] Sensus est: Volo Achillem ut virginem tantisper apud Lycomedem esse dum bella ad Trojam parantur. *Idem.*

395 *Alternum orbem*] Asiam et Europam. *Interfurit*] Præpositionem detractam nomini addidit verbo. *Id.*

396 *Cedo equidem*] Per parenthesim legendum est: quasi dicat, concedo quidem, et patior eum esse ut virginem apud Lycomedem. *Idem.*

397 *Europa*] Græci; nam Græcia illa in Europa est. *Maturant.*

398 *Dulcibus furiis armorum*] Omnes enim prompti ad bellum rapiebantur pro vindicta facienda, quæ dulcis solet esse: vel *dulcibus furiis*, quoniam ob violatum Menelai amorem bellum suscipiebatur, vel quod dulce hominibus consuevit esse arma tractare et bellum gerere. Apparatus autem belli contra Trojanos describitur. *Idem.*

Regum] Agamemnonis et Menelai, qui de injuria apud omnes conquerebantur, et omnibus supplicabant auxilium postulantes. *Idem.*

399 *Atrides*] Menelaus. *Idem.*

400 *Cui nupta domi*] Scilicet rapta fuerat, vel, quod melius est, Agamemnon, qui majoris erat auctoritatis, cui nupta domi, scilicet, est Clytemnestra, quam et ipsam rapi posse sicut Helenam dicebat. *Idem.*

401 *Asperat*] Auget, et in majus extollitur. *Facinus Iliacum*] Factum Paridis. *Sine Marte*] Non in bello, quod tolerabilius fuisset, sed in pace, cum nihil tale suspicarentur. *Idem.*

404 *Fœdus*] Quod dicit fœdus historiam tangit, quæ refert, quod Trojani cum Græcis fœdus habuerint, unde etiam Paris amicabiliter est susceptus hospitio, et sic commisit adulterium. *Lactant.* *Geminæ terræ*] Asiæ et Europæ. *Maturant.*

405 *Maneat populos*] Locus est concitandæ indignationis, a majori ad minus: qui læsit majores, quomodo is a minoribus lædendis abstinebit; qui injuriam fecit regibus, quid is faciet in privatis? *Idem.*

407 *Nec tantum exciti, bimari*] Non solum, inquit, ad bellum venerunt qui Peloponesum incolunt, sed et qui extra Isthmum habitant ad Hellespontum. Peloponesus enim peninsula inter duo maria Ægeum et Ionium circuitum quingentorum sexaginta trium millium passuum colligit, ut scribit Isidorus. Angustiæ unde procedit Isthmus appellatur: ait ergo poëta *Isthmia claustra*, id est angustiæ, unde incipit Peloponesus. *Vallo bimari*] Hoc est, duobus æquoribus. Nam Isthmi latera, ut diximus, Ægeo et Ionio abluuntur, in quorum medio habitatur colonia Corinthus. *Britann.*

408 *Umbo Maleæ*] Malea promontorium est Laconicæ, quo, ut scribit, tota fere regio includitur.

409 *Sed procul admoti*] Sensus est: Et ad bellum illos motos esse qui Hellespontum incolunt. *Idem.* *Sed procul admoti*] Nostri et quidam Gruteri et Schol. *amotæ.* ut referatur ad *gentes.* Lege igitur: *Nec tamen exciti, &c. Et procul amotæ.* Gronov. *Semita Phrixi*] Id est Hellespontus, ab Helle Phrixi sorore nominatus: nam Phrixum Athamantis filium novercæ insidias declinantem una cum sorore Helle e Græcia fugisse constat, quorum uterque cum, ex Deorum oraculo, ex Europa in Asiam aureo arieti insidens transfretaret, virgo in mare delapsa Hellesponto nomen dedit; Phrixus vero in pontum proficiscens Colchos pervenit, ubi cum ex oraculi præcepto arietem sacrificasset, pellem auream in templo Martis suspendit. Lege Diodorum. *Semita*] Ideo semitam dicit, quia Hellespontus septem duntaxat stadiis Europam ab Asia dividit, illic habens inter se contrarias urbes, in Europa Callipolin et Seston, in Asia Lampsacum et Abydon. *Idem.*

411 *Alligat unda superni*] Hoc dicit, et eas gentes esse commotas ad bellum, quæ ad Propontidem habitant. Nam ab Hellesponto in Pontum naviganti occurrit Propontis, id est pars illa maris quæ se expandit: nam ubi primum mare se coarctat, Hellespontus vocatur, Propontis ubi expandit; ubi iterum pressit, Thracius Bosphorus, ubi iterum effundit Pontus Euxinus: unda igitur maris Superni, id est Propontidis. *Idem.*

413 *Æra domant*] Modo ponitur quomodo erectæ sunt urbes ad studia belli. *Temesæ*] Urbs Græciæ, apud quam optimum nascitur ferrum. *Maturant.*

422 *Messanaque tradunt*] Non culpo. Verum tamen elegantius: *Messanaque tendunt*, haud dubie ad morem priscum, quo funibus machinæ solent tendi. *Bernart.* *Pylos Messanaque tradunt*] Quod e suo notat Bernartius, quinque Gruteri et mei cum Scholiaste firmant: *tendunt*, hoc est, funibus intenta fabricant. *Gronov.*

423 *Postibus altis Arma*] Ex postibus, inquit, domuum arma avellebantur. Hocque ex consuetudine est Ro-

manorum, in quorum foribus et circa limina excellentium animorum imagines erant, affixis hostium spoliis, quæ nec emptori refringere liceret, quæ etiam, dominis mutatis, domus ornamenta erant. Eratque hæc stimulatio summa et ingens, exprobrantibus tectis quotidie imbellem intrare in alienum triumphum. *Britann.*

424 *Arma patrum*] Id est quæ majores illic suspenderant. *Idem.*

425 *Raptum Superis*] Ablatum ex templis. *Efferat*] Ad opus impium et ferum parat. *Idem.*

426 *Umbræ veteres*] Subaudi, sunt, ut sit sensus, nusquam sunt sylvæ veteres, quia succidebantur. *Idem.*

427 *Taygeta*] Mons est Taygetus Laconiæ, non grandis admodum, cæterum excelsus et erectus, ex Aquilonis parte Arcadiæ radices contingens. *Idem.*

428 *Jam natat omne nemus*] Navium multitudinem ostendit, quas supra mille fuisse produnt. *Idem.*

430 *Innumeros*] Quos numerat ipse. *Quod rostra liget*] Id est e quo fiat munimen rostrorum navium, quæ in bellis adhibebantur. *Muniat arma*] Id est, thoracas aliaque arma munita reddat fortis. *Maturant.*

432 *Squalentes*] Vel fulgentes, a squamis piscium, quæ splendent, quamvis squalere sit interdum sordidum esse, vel *squalentes*, quod in formam squamarum conficiatur lorica. *Sanguine, &c.*] Propter enses et spicula dicit. *Idem.*

433 *Bibat*] Hauriat sanguinem ex his more bibentis. *Maturant.*

435 *Nigris*] Aut mortiferis, aut, quod magis placet, nigris ante politionem. *Idem.*

436 *Aut lentare arcus*] Id est, incurvare et flectendo facere arcus. *Fundere glandes*] Id est, pilas plumbeas conflare, quas prisci funda jaciebant. *Idem.*

437 *Torrere sudes*] Palis enim adustis antiqui in bello utebantur. Virgil. 'Stipitibus duris agitur sudibusque præustis.' *Conis*] Dicitur Conus pinna illa galeæ in qua cristæ defiguntur. *Idem.*

438 *Hos inter motus*] Cum universæ, inquit, Græciæ urbes ad tantum bellum summa alacritate pararentur, sola Thessalia angebatur quod Peleus esset senex, et Achilles immaturus qui ad bellum mitteretur. *Britann.*

441 *Terras Pelopis*] Peloponesum, Moream. *Maturant.*

442 *In transtra*] Tabulata navium in quibus stant remigantes. *Idem.*

444 *Stagna*] Aquæ. *Suos fluctus*] Nam cum soleat ex vento hyems caveri, nunc ex tanta perturbatione maris, ex tanto numero navium tempestas agitabatur, commotis fluctibus. *Suos*] A navibus commotos. *Idem.*

446 *Deficit æquor*] Quasi non capax, hyperbole, ὑπερβάλλω, *transjacio*, seu *transcendo*, hic veritatem superat, non omnino mentitur, sic cum dicit. *Consumunt*] Id est, non restat aliqua pars venti, quæ non sit accepta a velis, quasi tanta erat velorum copia, quod ventos omnes capiebant, hyperbolice. *Idem.*

447 *Hecateia*] Id est, Dianæ consecrata. Nam in Aulide Dianæ ædes fuit memoratissima multis sæculis ante Trojanum bellum, ut scribit Plinius, exædificata. In cujus luco cervam ab Agamemnone confossam fuisse constat, pro qua coactus est Iphigeniam filiam immolare Dianæ. Hecaten enim Dianam dicimus, qua appellatione est et Luna et Proserpina. *Aulis*] Aulis nobis est portus terræ Phocidis, ubi classis primo consedisse dicitur Græcorum, qui in eo conjuravere se in Græciam non ante reversuros quam Ilium everteretur. *Britann.*

448 *Expositis*] Extrapositis in mare. *Crepidine*] Crepido, a crepando, scissura saxorum. *Dorsi*] Superficiei. *Maturant.*

449 *Aulis*] Dico, &c. appositio. *Littora*] Appos. *Idem*.

450 *Juxta*] Sed tamen in adversa parte. Euripus Mare dividit Bœotiam ab Eubœa, unde corruptum vocabulum est, volentes dicere Euripon, Nigripo ndixere: in littore Bœotiam versus Aulis est, quæ portus est Bœotiæ. In contrario littore ejus maris Eubœam versus promontorium est qui Caphareus dicitur. *Idem*.

451 *Caput latratum*] Quasi tumultu fluctuum affectum. *Ille*] Capha. *Pelasgas*] Græcas, quanquam Pelasgi proprie sint Thessaliæ populi. *Idem*.

453 *Sævæ noctis*] Qua Græci illisi scopulis ex Nauplii insidiis naufragium fecere. *Britann*.

454 *Cœtus ibi armorum*] Subaudi, congregatur, aut aliquid tale. *Fatalis*] Nominativus est, id est, Cœtus exitiosus Trojæ. *Idem*.

455 *Juratur*] Nam, ut diximus, conjuravere Græci domum non prius reversuros quam Troja eversa esset. *Donec Sol annuus*] Hoc dicit, Dum in Aulide Græci congregantur annum unum transivisse. *Idem*.

457 *Sparsa*] In diversas urbes. *Dissona*] Propter diversas linguas, Æolicam, Ionicam, Doricam, Atticam, et communem. *Maturant*.

459 *Sic torva feras indago*] Immo *curva*, ut scripti, ut Scholiastes: '*indago curva*] circuitu facta. *claudit*] ambit.' Ut ipse Statius in Leone mansueto: 'curvaque indagine clausus.' *Gronov*.

460 *Admotis paulatim*] Quod paulatim in angustum redeunt, ubi omnes arctatæ restrictæque capiuntur. *Matur*.

461 *Ignem*] Quem faciunt venatores ad terrores ferarum, ut fugiant quo velint. *Idem*.

462 *Avia*] Sylvas densas. *Idem*. *Suum decrescere montem*] Qui subjungitur hic versus, *Donec in angustam*, et in aliis reperitur membranis et a Scholiaste agnoscitur: '*cesiderunt*] venerunt. *angustam*] non revera, sed brevis esse videtur propter multitudinem affluentium; vel quod ibi angustantur et coarctantur et coadunantur.' Denique nec ignoravit eum Maturantius. *Gronovius*. *Decrescere*] Igne scilicet, vel quia descendentibus a monte minor videtur, quam cum essent in summitate. *Maturant*.

467 *Sed quanquam*] Sensus est: Quamvis Græcorum duces quisque per se virtutibus plurimum polleret, Achilles tamen ad bellum expetebatur. Hocque ad Achillis laudem spectat, sine quo Troja capi non poterat. *Gemini*] Agamemnon et Menelaus. *Britann*.

469 *Tydides*] Diomedes filius Tydei. *Sthenelus*] Capanei regis fuit filius ex Euadne uxore, qui in bello Trojano egregiam operam navavit: in equo inclusum fuisse Virgil. testatur: 'Tisandrus Sthenelusque duces et dirus Ulysses.' *Premant*] Urgeant et sequantur, vel certe superent. *Cogitet annos Antilochus*] Quasi dicat: Quamvis audacius se in bellum ferat, quam anni adolescentiæ patiuntur; nam is admodum juvenis in bellum profectus est. *Idem*.

470 *Antilochus*] Quem, ut nostri dixerunt, Hector interemit, ut Quintus vero poëta Punicus, Memnon Auroræ filius, post Hectoris cædem. Filius fuit Nestoris Pylii. *Ajax*] Telamonis filius, qui cum duodecim navibus Salaminiorum venit in bellum. *Coruscet*] Compendiose dictum, id est, coruscando gerat. *Septem reges armenti umbone*] Id est, umbonem septemplicem, id est, septem tergoribus bubulis contectum. *Idem*.

471 *Atque æquum montibus*] Accedunt mei Put. codici exhibenti, *mœnibus*. Scholiastes: '*mœnibus*] ejus vires innuit esse maximas.' Homerus de Ajace Iliad. H. φέρων σάκος ἠΰτε πύργον. *Gronov*. *Orbem*] Clypeum magnum ad similitudinem montis,

hyperbole. *Maturant.*

473 *Ardet*] Huc usque dependet oratio, quod, quamvis omnes isti essent contra Trojam, tamen omnes desiderabant Achillem. Et est figura anacolyton. *Idem.*

474 *In Hectora*] Contra Hectora. *Idem.*

476 *Quis enim*] Rationes quare ita exposceretur. *Alter*] Ut Achilles. *Idem.*

477 *Effossa*] Manibus, dum reperet. *Cujus*] Alius, præterquam Achillis. *Ab ortu*] Quasi ab ipso tempore nativitatis. *Idem.*

478 *Cruda*] Quod antequam aptus et maturus esset, ad disciplinam data sint. *Idem.*

479 *Cui linea cæli*] Commendatio est a genere, ut jure poscendus sit ad bellum Trojanum, utpote qui divino auxilio plurimum niti possit. Nam Peleus, pater Achillis, natus est ex Æaco, Æacus ex Ægina et Jove. Ergo Achilles pronepos est Jovis. *Britann.*

480 *Quemve alium Stygios, &c.*] Hoc est ex historia, ut diximus, superius. Nam Thetis cum fatorum ordine sciret Achillem in bello Trojano periturum, ad Inferos eum detulit, totumque in Stygia palude lavit extra plantam pedis, quæ manu tenebatur, unde invulnerabilis est factus. Hoc igitur dicit, ut ostendat magnam spem habendam esse in homine invulnerabili. *Idem.*

481 *Nereis*] Thetis filia Nerei. *Ferro perstrinxerit artus*] Morem lavantium se in balneis respexit, qui strigilibus utebantur ad sudorem detergendum. *Perstrinxerit*] Deraserit; nam stringere est radere, ut ait Marcellus. *Idem.*

483 *Cedit turba ducum*] Quamvis, inquit, ducibus turpe videtur ab uno Achille superari, æquo tamen animo rem ferebant, ejus virtuti minime invidentes. *Idem.*

484 *Sic cum bellantes*] Hæc comparatio tota est ad summam Achillis laudem, in quo non minus universa Græcia spem suam vincendæ Trojæ collocaverat, quam omnes Dii in solo Jove adversus gigantes. *Idem.* *Sic cum palantes Phlegræa*] Bernartius, *pallentes*, ut complures libri, et Scholiastes. Ego tamen hæreo binis meorum binisque Gruteri, in quibus, *bellantes.* Theb. x. ‘ tumidæ post prælia Phlegræ.’ *Gronov.* *Phlegræa in castra coirent Cælicolæ*] Phlegræi campi sunt in Campania, non longe ab Acherusia palude et Cumis, ubi gigantes, auctore Strabone, cum imperium cæleste affectarent, a Diis profligati sunt, in quorum pugna cum multi fulminibus e cælo dejecti interemptique essent, reliquos qui superfuerunt ad Leucam oppidum Calabriæ ab Hercule pulsos tradunt confugisse, contractosque subiisse terram, quos ideo arma contra Deos tulisse fictum est, quia terra ipsa suapte virtute præliorum concitatrix est. *Britann.*

485 *Odrysiam hastam*] Id est, Threiciam: nam Odrysii populi sunt Thraciæ: Thracia enim domicilium est Martis. *Idem.*

486 *Libycos*] Gorgoneos et Medusæos, nam Gorgades, auctore Pomponio Mela, insulæ sunt in Oceano Æthiopico, ubi tres sorores cognominatæ Gorgones regnasse dicuntur, Euryale, Sthenio, et Medusa, quæ miræ fuisse pulchritudinis produntur. Medusam tradunt circa littora solam ambulantem amatam fuisse a Neptuno, quæ cum illam persequeretur Neptunus, jam fessa in templum Palladis refugit; in quo ardens Deus illam compressit. Unde turbata Minerva crines ejus mutavit in angues, quia Neptuno per capillos maxime placuerat, fecitque ut omnes Medusam aspicientes in lapides converterentur. *Tritonia*] Dicta est, auctore Herodoto, a Tritonide palude Libyæ, juxta quam temporibus Ogygis regis apparuisse virginali ætate fertur, ex

cujus nomine et ipsa Tritonia dicta est. Ut autem tradit Diodorus, nomen accepit a Tritone fonte Cretæ, juxta quem ortam esse ex Jove fabulantur, et nunc quoque eum fontem ubi nata est huic Deæ consecratum. *Angues*] Id est, ægida; nam ægis munimentum est pectoris æreum habens in medio Gorgonis caput, quod munimentum, si in pectore numinis fuerit, ægis vocatur, si vero in pectore hominis, sicut in antiquis imperatorum statuis fuit, lorica dicitur; unde Martialis: ' Dum vacat hæc, Cæsar, poterit lorica vocari: Pectore cum sacro sederit, ægis erit.' *Idem.*

487 *Delius*] Apollo, a Delo insula ubi natus est. *Idem.*

488 *Natura*] Omnium rerum creatrix et parens. *Idem.*

492 *Consultant tempora*] Id est, consilium capiunt de tempore et navigationis et belli gerendi. *Idem.*

493 *Vatem Calchanta*] Thestoris Trojani fuit filius, vates maximus, qui cum circa principia belli a Trojanis missus esset cum multis muneribus ad Delphicum oraculum, responsumque accepisset, ut omissis Trojanis Græcorum felicitatem sequeretur, ad eos transivit. *Idem.*

494 *Protesilaus*] Unus de ducibus Græcis, qui primus obiit ad Trojam. *Huic*] Protesilao, ideo ipse magis quam cæteri locutus. *Maturant.*

495 *Primæ mortis*] Quod ita fatum, quod primus ingressus contra Trojam primo moreretur. *Tripodum*] Tripodes, mensa trium pedum, propter tempus præsens, præteritum, et futurum, quæ vates considerant. *Idem.*

500 *Sordet*] Nullo propemodum in precio est in comparationem Achillis. *Heros Calydonius*] Id est Diomedes Tydei filius, a Calydone, civitate Ætoliæ, ubi regnavit, denominatus, qui una cum Sthenelo ad bellum venit cum navibus octoginta. *Britann.*

501 *Ajax*] Duo enim fuere, unus filius Telamonis, alius filius Oilei, qui minor alio fuit viribus et tempore, oriundusque a Locride regione contermina Ætholiæ. *Maturant.*

502 *Nos quoque*] Subaudi, sordemus. Et loquitur de se ipso. *Britann.*

504 *Aut cur serta comis*] Nam vatis caput lauro præcinctum erat. Est enim laurus Apollini consecrata. Sensus est igitur: Cur ergo omnia vatum ornamenta geris, si prædicere non vis quæ quærimus? per parenthesim enim leguntur. Est enim ordo: Dic ocius quibus oris abditus sit, id est absconditus. *Nam fama nec antris Chironis*] Nam inde mater, ut dictum est, abducens ad Lycomedem regem Scyri detulerat. *Idem.*

508 *Eia irrumpe Deos*] Fecerunt Parisiis: *Eia irrumpe moras.* Valde male. Tolerabilius quidam: *Eia age, rumpe moras.* Saltem hoc Latinum est. Sed non mutanda vulgata. Theb. III. ' Quid me Persei secreta ad culmina montis Ire gradu trepido superumque irrumpere cœtus Egistis?' Silius Italicus libro I. ' Ast ubi quæsitas artis de more vetusto Intravit mentes Superum.' Noster Theb. III. ' cœlo mentem insertasse.' *Gronov.* *Laxa*] Aperi, vel vexa, quasi per vim, secreta ipsorum elicias, trahas manifesta nobis, ut indignatus loquitur. *Maturant.*

509 *Laurigerosque ignes*] Sensus est: Si unquam vaticinandi furorem concepisti, nunc cum summa aviditate fac concipias. *Laurigeros*] Furores Apollineos. *Si quando*] Subaudi, cupide hausisti. *Avidissimus hauri*] Id est, concipe. *Britann.*

510 *Arma horrenda*] Astute vacationem militiæ ei promittit. *Idem.*

511 *Imbelles*] Non convenientes, non aptas bello. *Idem.*

518 *Deprendit*] Cum Apolline plenus esset, omnia hæc videbat, nunc cœtus Deum in aëre. *Maturant.*

519 *Sagas*] E quibus præsagia ca-

piuntur per auspicium. *Dira Licia*] Id est, ipsas Parcas et umbras Stygias. *Idem.*

521 *Rapit*] Mente consulendo; ita enim per flammarum motus solebant judicare, ut Tiresias in Thebaide, quando judicavit Menœtium moriturum pro patria. *Caligine*] Fumo, per καπνομαντίαν. *Idem.*

522 *Pascitur*] Sorbendo fumum, vel quantum ad animum judicando. *Idem.*

523 *Loco*] Quem nutarent huc illinc. *Idem.*

524 *Mugitibus*] Quia vates non videbantur ipsi loqui, sed alii intrasse majori voce, quam humana, unde Virg. 'per centum tonat ore Deos,' tonat, dixit. *Idem.*

525 *Oppositum*] Quia nimio furore lingua loqui impeditur, et accidit ut nimia iracundia quis nequeat loqui. *Idem.*

526 *Quo*] Loquitur per furorem, videns Thetidem filium asportantem, tanquam esset præsens. *Idem.*

528 *Meus*] Quasi mihi debetur et Græciæ: aliqui dicunt responsum esse matris. *Diva*] Quasi dicat, si tu es Dea, et ego habeo Deum in pectore, unde non eris potentior me, omnino habeo eum. *Idem.*

532 *Occidimus*] Eo quod fortem virum inter omnes Cycladas non potuerit ponere in pejori loco, quam in Scyro, inter mulierculas. *Idem. Lycomedis tellus*] Id est, Scyrus insula. *Conscia*] Propter Deidamiam dictum, quæ sola Achillem noverat. *Britann.*

533 *Veniunt*] Dum vestiuntur a matre, quia ita videre videbatur. *Maturant.*

535 *Raptus*] Ab oculis meis; et quædam virgo mihi incognita eum rapuit: omnia videtur videre quæ supradicta sunt de Thetide occultante Achillem: virginem hanc Deidamiam intellige, quæ causa fuit cur Achilles vellet latere. *Idem.*

538 *Hærentem*] Mente cogitantem. *Ithacum*] Ulyssem. *Calydonius Heros*] Id est, Diomedes, ex Calydone civitate Ætoliæ. *Britann.*

540 *Si te cura trahit*] Melius scripti: *Si tua cura trahit.* Tuum consilium, res a te suscepta et gerenda. Sequenti versu, *Tethyos adversæ*, non est 'iratæ nobis,' ut habet Scholiastes; sed accipiendum ut Theb. VIII. vs. 358. 'Qualis ubi adversi secretus pabula cœli Nilus et Eoas magno bibit ore pruinas.' Sic enim et plures et meliores, non 'aversi,' ut vulgatur. Polum Antarcticum intelligit. Et bene Lactantius: '*Adversi*, meridiani.' *Gronov.*

543 *Fœcundum*] Callidum. Virg. 'Fœcundum concute pectus.' *Lactant.*

544 *Quis vatum*] Bene ab ea re hominem commendat, quam cupit exhiberi, id est ut industriam suam ostendat. Sensus est: Reperietur ne aliquis vates qui in casibus dubiis cognoscendis sit te melior? *Britann.*

557 *Hybla*] Oppidum est Siciliæ nobilitatum præstantia mellis; ut Hymetum in Attica. *Idem.*

558 *Carbasus auras*] Id est, ita jam omnia parata erant ad navigandum, ut nihil præter ventum expectaretur. *Idem.*

559 *In transtris hilaris sedere juventus*] Multo eruditius scriptorum: *et in remis hilaris sedere juventus:* ut et Lindenbrogius dedit. *Juventus in remis* sunt juvenes remiges vel remos manibus tenentes et moventes. Theb. IV. 'sic Ambracii per litora ponti Nauticus in remis juvenum monstrante magistro Fit sonus.' Tale libro eodem: 'procul ipse gravi metuendus in hasta Eminet.' Lib. VII. 'Turbidus aëria Capaneus occurrit in hasta.' Valerius Flaccus lib. I. 'trifida Neptunus in hasta Cœruleam fundo caput extulit.' Lib. V. 'in vittis geminæ cum lumine tedæ Colchis,'

id est, vittata. Eodemque: 'pariterque levi Cytisorus in hasta.' *Gronov.*

560 *At procul*] Proponit in hac quarta parte hujus libri quomodo fuit cognitus Achilles, et primo proponit eum cognitum, deinde quomodo fuit cognitus. *Procul*] A loco isto ubi erant Græci. *Maturant.*

562 *Conscia culpæ, &c.*] Verissimum dictum, et facilius flammam ore compresseris, quam accusante conscientia securus sis: enimvero ut eleganter prudentissimus historicus inquit, 'Suus cuique animus ex conscientia spem præbet,' planeque: 'Conscia mens ut cuique sua est, ita concipit intra Pectora pro facto spemque metumque suo.' Nihil itaque consultius quam serio sibi persuadere, 'licet omnes Deos hominesque celare possimus, nihil tamen avare, nihil injuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum.' *Bernart.*

565 *Exolvitque*] Rupit pudorem in Achille, id est, postquam fecit ut Achilles pudorem deponeret. *Rudem*] Novum et primum, quem antea in nulla alia muliere amiserat. *Britann.*

566 *Comitem*] Deidamiam. *Idem.*

569 *Resumit*] Respiciendo. *Matur.*

571 *Sertis*] Jaciendo in eam serta et canistros et thyrsos, leviter tamen. *Idem.*

577 *Quo vertice*] Subaudi sit, id est discit libenter, docente Achille, cantare ad lyram qualis sit Peleus, et qualis Achilles. Nam ipse se simulabat sororem Achillis. *Pelion*] Mons Thessaliæ. *Britann.*

580 *Ipsa quoque*] Nunc contra ostendit a Deidamia Achillem instructum ad opera muliebria. *Validos proferre*] Id est artus prævalidos, præpositionem enim detractam nomini addidit verbo. *Idem.*

583 *Sonum*] Quod viri, non mulieris esset vox. *Pondus*] Vires; nam interdum, dum Achilles eam stringeret amplexando, videbatur sentire vires non muliebres. *Maturant.*

584 *Fugit*] Quia abdita solum cum Deidamia quærebat. *Sese*] Deidamiam nimium respiciendo. *Idem.*

585 *Intempestivus*] Quod medio sermone suspiraret, quod ex amore erat, hæc omnia miratur. *Idem.*

586 *Aperire*] Volentem eam comprimere. *Idem.*

587 *Levitate*] Nesciebat quod facere vellet, tamen fugiebat quadam lascivia puellari: et hoc modo prohibet fateri. *Idem.*

593 *Lucus Agenorei*] Describit locum in quo primum Deidamia stuprum est passa. *Orgia*] Sacrificia, orgia Græçe, Latine cerimoniæ dicuntur. *Bacchi Agenorii*] Id est Thebani ex sanguine Agenoris; nam Cadmum Agenoris tradunt ex Phœnicia ad investigandum Europam sororem a rege missum ea lege, ut aut virginem secum reduceret, aut in Phœniciam non rediret, et cum diutius quæsitam virginem non inveniret in Bœotia ædificatis Thebis permansisse, ubi ex Hermione uxore, Veneris filia, Semelem, Inonem, Autonoëm, Agavem, ac Polydorum progenuit. Quarum Semelem, cum Jupiter Dei majestate assumpta cum tonitribus et fulgure descendisset, gravidam fecit; illa prægnans, cum neque fulguris neque tonitrus vim ferre posset, edito per abortum filio igne expiravit. Jupiter infantem (ut tradit Diodorus) nymphis educandum misit per Mercurium Nysam, quod antrum est inter Phœniciam et Nilum, unde ab Jove Nysaque appellatus est Dionysius. *Agenorei* igitur quia ex Cadmo Agenoris filio originem ducit, qui Thebas ex oraculi responso condidit. *Britann.*

595 *Trieterica*] Sacra erant Bacchi, ita denominata, quod cum Bacchus in Indiam cum exercitu transisset, triennio post multis cum spoliis in Bœotiam rediit, primus omnium triumphans elephanto Indico

vectus. Unde Bœotii cæterique Græci, Thraces quoque, in memoriam expeditionis Indicæ sacra Trieterica ei instituerunt, unde in multis Græciæ urbibus tertio quoque anno mulieres conveniunt, apud quos de more virgines thyrsum ferunt in honorem Dei Bacchantes, eique per cœtus sacrificantes hymnos et cantus renovant. *Britann.*

596 *Scissumque pecus*] Utrum tympana quæ ex pellibus conficiuntur? Nam tibiis, tympanis, tintinabulisque sacrificia Bacchi celebrantur, unde inferius, 'Bacchæaque terga, mitrasque Hnc tuleris,' id est tympana, an nebridas intelligit: nam pellibus cervorum incinctæ mulieres sacra peragebant, quod ideo faciebant, ne, ut scribit Plinius, dormientes supra eas serpentium accessus timerent. *Idem.*

597 *Trabes*] Id est hastas, quos thyrsos dixere. Eæ erant aculeatæ, et hedera sive pampinis obtectæ. *Furores*] Nam furiis agitatæ ferebantur, unde Menades dictæ sunt a *μαίνομαι* verbo Græco, quod significat *furo.* Idem.

609 *Demisit*] Deorsum misit, ne impediret eum jaculantem. *Nebrida*] Pellem cervi, quam ferebant, quam Plinius dicit hoc efficere, ne dormientes supra eam serpentum accessum timeant. *νεβρὸς*, *hinnulum*, sive *pullum cervi*, significat. *Maturant.*

610 *Sinus*] Demissæ nebridis, ut quando exertam manicam ludentes pila cingunt zona, ne impediantur. *Idem.*

615 *Talis ubi ad Thebas*] Talis, inquit, erat Achilles, qualis post anni relaxationem ad Thebas conspicitur Bacchus cum armatur adversus Indos. *Britan.* Nam ut Bacchus apud Thebas mollitiem exercet, ut mulier, apud Indos means, istam deponit, sumens virilem habitum; ita Achilles, dum puellari habitu gestiret, decora videbatur virgo, sed postquam ad jactandum ventum est, tunc vir apparuit.

616 *Evius*] Bacchus. Nam plurima ei cognomina ab rebus quas egit sunt ab hominibus indita: Bacchum enim alii a mulieribus, quæ Bacchantes illum sequebantur, dixere, alii a torculari quo vinum exprimitur Leneum. Quidam Bromium a tonitru, qui in ejus ortu contingit. Triumphator etiam appellatur, quod primus (ut dictum est) omnium de Indis elephanto invectus triumphaverit. Evius insuper cognominatus est, quod cum in bello giganteo dilaniatus a gigantibus (ut scribit Orpheus) fuisset, Juppiter eum quærens magnis clamoribus et lamentationibus ita appellabat: Evoë, id est, bone fili. Nam *εὖ*, *bene*, *υἱὸς* Græce, *filium* sonat Latine. *Britannic.*

617 *Mitramque levat*] Aufert in bellum proditurus. *Mitram*] Nam si quando Liber ex potu caput agitaret mitra caput alligabat, unde et *μιτροφόρος* dictus est, reges vero posteri pro mitra caput diademate vincire soliti sunt. *Idem.*

618 *Hostiles*] Pro hostes posuit. *Indos*] Nam exercitum secum non tantum virorum, sed etiam mulierum circumducens, in Indiam transivit, qua triennio post (ut dictum est) debellata in Græciam triumphans reversus est. *Idem.*

623 *Æra*] Cymbala; nam tibiis cornibus cymbalum et tintinnabulum agebantur. *Idem.*

624 *Quonam*] Tmesis est, id est, quonamusque? *Idem.*

628 *Sperchie*] Fluvius est Thessaliæ, in quem se demittebat jubente Chirone, ut aptior esset ad sustinendum aquarum impetum: hoc ostenditur in fine operis. *Idem.*

629 *Promissasque comas*] Consuetudo enim erat apud antiquos, ut quis, prout libitum erat, diversis Deabus vel fluminibus crinem aut barbam suam voveret. *Lactant.* *Promissas*] Hoc est, ex historia, nam (ut

scribit Homerus) Peleus Sperchio comam flavam Achillis promiserat, si is e bello Trojano in patriam incolumis reverteretur, quam comam Achilles Patroclo defuncto largitus est. *An desertoris alumni*] An me impudentem appellant alumnum, qui deserui magistrum meum? Ordo est: An dicor esse nullus honos alumni desertoris? ut dicimus, nullus honos impii discipuli. *Britann.*

638 *Patrocle*] Nam Patroclus cum Opunte Æanem puerum Amphidamantis filium iratus inter ludendum peremisset, confugissetque ad Peleum, (ut scribit Homer.) ab eo una cum Achille filio ad Chironem missus est, ut eisdem pariter moribus et disciplinis imbuerentur. *Idem.*

639 *Nec probaris*] Non probaveris te virum saltem in amore, quasi arguat se, quod quamvis in omnibus dissimularet virum, saltem in amore non debuisset dissimulare. *Maturant.*

644 *Rubuerunt*] Pudore affecta sunt, utpote virginis pudicæ. *Idem.*

647 *Signa*] Nam clamoribus dabatur signum sacris, unde: 'nocturnusque vocat clamore Cytheron;' unde ubi illa exclamavit, violentia illata sorores et aliæ putarunt exclamasse, ut signum daret illis. *Idem.*

651 *Peliacis*] Id est, Thessalicis. nam Pelion mons est Thessaliæ. *Nivibus*] A laboris perpessione sumpta est commendatio, sic enim per labores virtus perficitur, nam frigoribus et laboribus assuefactus est a teneris annis, Chirone ita instruente; unde Horatius: 'Multa tulit, fecitque puer, sudavit et alsit.' *Britann.*

652 *Neque ego hos cultus*] Favorabilem se facit commendanda puella: sensus est, nunquam ego has vestes muliebres sumpsissem, nisi te prius vidissem in littore. *Idem.*

657 *Pater ante*] Anthypophora est, quasi puella dixerit se vereri ne a patre interimatur, et is respondeat, ante pater tuus et tota denique insula igni et ferro penitus vastabitur, quam patiar te a patre interfici, et nostrum matrimonium solvi. *Idem.*

659 *Sævo funere*] Quod Achilles interficeret Lycomedem. *Maturant.*

660 *Funere*] Quod pater te interficiat, et ego in uxorem non habeam, quamvis exposuerit. *Omnia*] In omnibus; nam ostendam me esse virum. *Idem.*

661 *Sed arreptum taceas celesque pudorem*] Restituo: *sed ereptum taceas celesque pudorem;* et hanc conjecturam non recuso exigi ad obrussam. *Bernart.*

662 *Regina*] Deidamia filia regis. *Britann.*

663 *Quanquam olim suspecta fides*] Hæc per parenthesim leguntur, ut sit ordo: exterrita est, et horruit. *Suspecta*] Ne mulier non esset qualem simulabat. *Idem.*

664 *Et facies multum mutata fatentis*] Id est, longe alia visa est facies, et apparentia in eo. *Fatentis*] Ostendentis se esse virum. *Idem.*

668 *Ille diu deceptus amor*] Jam aperit in quam partem deliberatio pendeat, ut scilicet omnia celet patrem. *Ægra*] Sollicita; nam ægrum dicimus, cujus tam animus quam corpus languet. *Idem.*

672 *Ægros*] Molestos, qui ægritudinem afferunt. *Britannic.*

673 *Occuluit*] Texit. *Stata*] Id est, statuta, et legitima. *Idem.*

674 *Index*] Quod pueros indicet, et in lucem mittat; nam ob eam rem parturientibus præesse fertur, quod statim nata operam nutricis præstitit Latonæ matri parturienti Apollinem. *Lucina*] Diana, quæ parturientibus præesse dicitur, nomenque accepit a luce, eo quod in lucem fœtus proferat. *Idem.*

ACHILLEIDOS LIB. II.

Jamque per Ægæos] Hoc libro describit poëta navigationem Ulyssis et Diomedis ad Scyron insulam, ubi Achillem habitu femineo delitescentem invenerunt inter puellas regias. *Laërtia*] Id est Ulyssis, nam Laërtæ filius fuit ex Anticlea. *Britann.*

2 *Innumeræ mutabant Cycladas auræ*] Celeri, inquit, ventorum flatu Cycladum multæ præteribantur, sicque transeundo mutabantur. *Idem.*

3 *Paros Olearosque*] Ex Cycladibus sunt, quæ ut diximus initio duodecim fuisse produntur in Ægæo sitæ. Paros autem lapidem producit quem Parium appellant ad marmoreas sculpturas aptissimum. *Latent*] Naturale enim est, ut quanto magis ab uno loco digredimur, e conspectu nostro is subtrahatur, et contra ea nobis magis appareant, quibus appropinquamus, unde infert, 'Ante oculos,' &c. *Idem.*

4 *Bacchica Naxos*] Ex Cycladibus una est, Baccho consecrata; nam Naxii ferunt hunc Deum apud se nutritum, ob eamque rem insulam sibi acceptissimam esse, Nysiadamque a nonnullis dici, vina habentem præcipua. Virg. 'Bacchatamque jugis Naxon.' *Idem.*

5 *Crescente Samo*] Quia quanto magis ad eam appropinquabant, tanto melius cernebant, unde major videbatur; ideo crescere videbatur. *Opacat*] Umbrat: erant enim jam apud eum maris locum, quo Delos umbram exporrigit. *Maturant.*

8 *Arcitenens*] Apollo, cui peritia sagittandi tribuitur et gloria. Unde est illud Ovidii: 'Ista decent humeros gestamina nostros, Qui dare certa feræ, dare vulnera possumus hosti.' *Cynthi*] Mons est Deli Apollinis simul et Dianæ ortu insignis. *Britann.*

9 *Impulit*] Immisit ut propitium et secundum. *Dedit omnia*] Confirmavit omina venti prosperitate. *Id.*

11 *Fatorum evertere leges*] Audi veteres: *fatorum vertere leges.* Bernart.

15 *Frangebat*] Vel quia sol, cum est in Occasu, breviores radios jacit, unde fracti videntur, respectu radiorum meridiei, cum est supra caput nostrum, vel quia cum vadit ad Occasum, pars solis sub orizonte, pars supra est: unde videtur partem radiorum ad nos, partem ad antipodes jam jacere: ideo *frangebat* dixit. *Maturant.*

19 *Resumere*] Recedentes a portu naves remis deducuntur, donec altum mare, ubi ventis vela concedunt nautæ; cum autem appropinquant ad portum, tunc etiam malignitate aquarum venti minus potentes sunt, unde remis adjuvant ventos, ideo dicit: *resumere portum, et zephiros, &c.* id est, jam deficientes propter vada jam inita. *Idem.*

21 *Magis indubitata*] Id est, magis certa et manifesta erat. *Britann.*

22 *Placidique super*] Subaudi a superiore, erat. Est autem templum Palladis de quo superius: 'Palladi littoreæ celebrabat Scyros honorum Forte diem.' *Idem.*

23 *Amicæ deæ*] Nam Pallas Græcis semper favit in bello Trojano. *Idem.*

28 *Littoreæ*] Quæ erat in littore extra urbem, qua speculabatur venientes. *Maturant.*

29 *Ediderat*] Nuntiaverat regi suc-

cedere carbasa ignota. *Sed Graia*] Cognoscebat esse Græca, sed cujus essent nesciebat. *Idem.*

35 *Segnes eunt*] Paulatim incedunt nullo vigore animi ostenso. *Vet. Schol.*

37 *Alterno sermone serunt*] Verbum rei accommodatum invenit: bene enim dixit serunt, quia campum patentem præmisit, sumptum ab agricolis, qui agros suos semine replent. *Britann.*

39 *Ambiguo sub pectore quiddam*] Lege ex Mss. et Scholiaste: *namque ambigue sub pectore quondam Verso;* id est jamdudum. Ut 'olim' in dicto genii, si credibile est, apud Ammianum: 'Olim, Juliane, vestibulum ædium tuarum observo latenter, augere tuam gestiens dignitatem.' *Gronov.*

41 *Bacchæaque terga*] Id est, tympana quæ, ut diximus, in sacris adhibebantur, improprie tamen terga dixit pro tergora. *Britann.*

42 *Nebridas auro*] Pelles Bacchantium intelligit. Papinius hoc eodem libro: 'Ut vero a tereti dimisit nebrida collo.' Tacitus: 'Feminæ pellibus accinctæ assultabant velut sacrificantes vel insanientes Bacchæ.' Videndus tibi omnino Athenæus lib. XIII. quo de Pyrrhica saltatione agit. *Bernart.*

43 *Hisne gravem*] Interrogative pronunciandum est, quasi dicat, his armis Achilles armandus non est contra Trojanos. *Britann.*

46 *Ultro confessum*] Præoccupat futura. Nam Achilles, harum rerum ostensione spreta, scutum et arma capiet, ut in sequentibus patebit. *Idem.*

56 *Nomina quæras*] Si, inquit, eorum regum audivisti nomina, quibus potissimum confidit Agamemnon, hic est Diomedes unus ex illis vir fortissimus, quem Tydeus genuit meliorem de tanta stirpe, id est de omni turba Græcorum, quasi dicat de omni Græcorum multitudine Diomedes est præstantior. *Idem.*

58 *Tanta stirpe*] Stirps Diomedis Tydeus, qua genitus est. Melior autem dicebatur patre, armorum virtute. Nam alias facile poterat, cum pro improbo homine decantatus sit Tydeus Æschylo, Val. Flacco, et aliis. Auson. 'Conditus hic genitore bono melior Diomedes, Crimen ob uxoris pulsus dotalibus agris.' *Barth.*

63 *Medio*] Non expectata fine, quasi non putans honestum libenter aliorum secreta audire, quasi diceret, quicquid sit Dii secundent, interim domum meam venies. *Vagis*] Id est ipse vagus. *Maturant.*

66 *Illustrate*] Quasi adventu vestro ornate. *Idem.*

72 *Velut ille*] Abundat *ille*. Ordo est: Adit Ulysses totos Penates, veluti venator tenens cubilia prædæ indubitata, legit arva multo Molosso. *Britann.*

73 *Legit*] Percurrit. *Molosso*] Cane Epirotico: nam Molossia pars est Epiri optimis canibus insignis. Virg. 'Acremque Molossum Pasce sero pingui.' *Idem.*

75 *Porrectum*] Prostratum, fusum humi. *Idem.*

79 *Jure*] Merito, ut decet muliebrem sexum timere. *Alia*] Præter Achillem. *Matur.* *Vix celat*] Quin ipse eloquatur et palam se prodat. *Novos*] Quales ante nunquam conspexerat. *V. S.*

81 *Vel talis*] Etiam talis, id est, in habitu muliebri, quod dedecebat fortem virum viros fortes in habitu muliebri videre. *Vel*] Ergo pro etiam. Virgilius: 'Vel Priamo miseranda manus.' *Maturant.*

83 *Ire jubet*] Id est, prodire in conspectum advenarum Regum. *V. Schol.*

84 *Subeunt quales*] Eo (inquit) ordine se habebant puellæ regiæ in accubatione, quo Amazones cum epulantur. Hæcque comparatio in hoc est, ut puellarum discumbentium ostendat numerum, et ordinem deco-

rum. *Mæotide ripa*] Mæotis palus est quæ Cimmerio Bosphoro commissa Tanaim amnem ex Rhiphæis montibus defluentem accipit, dictaque est a μαῖα, quod significat nutricem, eo quod Euxinum et Cimmerium Bosphorum uberi aquarum effusione efficiat, alatque. *Britann.*

85 *Getarum*] Getæ Thraciæ sunt populi, Daci a Romanis dicti. *Idem.*

88 *Prælibat*] Libare, est unumquodque leviter degustare, unde *prælibat*, id est oculos jacit, modo in hanc, modo in illam, non firmando oculos in una tantum. *Maturant.*

89 *Latuit mensura jacentis*] Respicit veterem accumbendi ritum: sed nescio an satis caute prisco illo ævo usurpatum scribat. Homerus sane non accumbentes, sed sedentes semper Heroas introducit. *Bernart.*

90 *Erectum genas*] Figuratus est sermo, id est, genas erectas habentem in oculos audacia virili. *Britann.*

92 *Defigit*] Annotat. *Comitique*] Diomedi. *Idem.*

93 *Quod nisi præcipitem*] Nisi, inquit, Deidamia Achillem blandimentis retinuisset, statim eum duces Graii cognovissent. *Idem.*

97 *Crinale reponeret aurum*] Fasciam auream notat, quam instar diadematis in fronte gerebant virgines nobiliores. Virgilius de Camilla: 'Pro crinali auro, pro longæ tegmine pallæ, Tigridis exuviæ per dorsum a vertice pendent.' *Bernart.*

99 *Epulis bis terque repostis*] Notat divisionem cœnæ, quæ antiquis triplex, in Antecœnam, Cœnam proprie dictam, et Mensam pomorum. Antecœna erat missus primus, qui et Gustatio, seu gustus, atque etiam promulsis dicebatur, quod primam sitim antiqui fere mulso sedarent. Cœna missus secundus erat, in quo præcipui cibi. Mensa pomorum missus tertius in quo bellaria. Vide quæ notavit late Lipsius noster Antiquarum lect. lib. III. Ad ea quæ Lipsius de Promulside notavit, adde locum hunc Tertulliani de Pallio: 'Vereor sane ne parva sit ista trutina, cum Drusillanus et quidam servus Claudii quinquagenariam promulsidem ædificat, suprascriptis fortasse mensis necessariam.' Posuit 'promulsidem' pro ipso 'promulsidario,' id autem est vas quo promulsis continetur. Ulpianus lib. XI. §. argento, de auro et arg. leg. 'scutellas vel promulsidaria contineri.' *Bern.*

100 *Paterisque invitat Achivos*] Suavius meo animo in quibusdam: *paterisque hortatur Achivos.* Noster in Hercule Vindicis: 'Sic mitis vultus, veluti de pectore gaudens Hortetur mensas.' Et sic etiam vetus Scholiastes: '*Rex*] Lycomedes. *prior illo. Achi.*] Ulyssem et Diomedem et hor. illos. pateram ut satis bibant, ita dicens.' Ubi tamen aliquid excidisse videtur. *Gronov.*

103 *Quæque ætas*] Servat decorum, ut 'laudator temporis acti Se puero.' *Dolopas*] Populos in extrema parte Thessaliæ, qui bello navali a Lycomede superati fuerunt: nam alii populi Pyrrho dati sunt. Pater Myrmidones, filius Dolopas habuit. 'Myrmidonum Dolopumve' Virgilius. Aliqui dicunt Dolopas fuisse sub Phœnice magistro Achillis in bello Trojano, de quo Homerus nullam facit mentionem. *Maturant.*

104 *Quæ signa triumphi*] Ne vanum putaret quod dixerat, ideo subjungit hostium spolia conspici potuisse in muris. *Britann.*

107 *Nunc ipsi, &c.*] Inseritur hic versiculus: *Possem, plena forent mihi gaudia; namque juvarem, Nunc ipsi, &c.* Versum hunc inficetissimum insulsissimumque expunximus: quia nec erat in membranis bonæ fidei, nec illum agnoscit Scholiastes. Sic enim ille: '*Saltem si*] Ex quo non possum illuc. *sobo.*] esset mihi. *quam*] sobolem esset. *aptum*] quam congruum mihi. *mittere bello*] ad bellum:

vel mittere libenter: vel *quam aptam*, congruam et convenientem ad pugnandum eo possem libenter mittere bello. *nunc ipsi*] vos, &c.' Ex quibus utcumque scriptis liquet jam tum dubium fuisse, præcedenti *aptum*, an *aptam*, legi oporteret. Sed rectius *aptam: Saltem si soboles, aptam quam mittere bello*. Postquam de se optavit, et pristinam virtutem suam recordatus est ex more senum heroum, adjungit: saltem, si mihi esset soboles, quam bello aptam mittere liceret; haberem aliquod defectarum mearum virium solatium. Sic enim explendus sensus, non ut isti stolidi auctores fatui versus fecerunt. Theb. III. 'necdum apta doloribus ætas.' Theb. IV. 'Non hæc apta mihi nitidis ornatibus, inquit, Tempora.' *Gronov.*

108 *Quando novos*] Cum interrogatione et desiderio dictus. *Britann.*

110 *Quis enim non visere gentes Innumeras*] Astute ea proponit, quibus excellentis animi juvenis ad bellum inflammari potest. *Idem.*

114 *Montes spoliavimus*] Arboribus, scilicet ad navium ædificationem. *Id.*

116 *Arma patres*] Quasi dicat, patres filios ad bellum hortantur, tanto unusquisque tenetur studio evertendæ Trojæ. *Irrevocatar*] Irrevocabilis, quasi quæ nullo modo retineri possit. *Idem.*

117 *Unquam tantæ data copia famæ Fortibus*] Nunquam (inquit) viri fortes opportuniorem comparandæ sibi gloriæ occasionem nacti sunt. *Idem.*

119 *Vigilique hæc aure trahentem*] Sic quidem Scholiastes: sic et Priscianus. Mihi tamen potior auctoritas membranarum, quæ præiverunt mihi ad illum, quem dixi, exturbandum versum viam, liquido habentium: *vigilique hæc aure bibentem*. Cujus quidem illa interpretatio videtur. Propertius: 'Incipe, suspensis auribus ista bibam.' Horatius: 'sed magis Pugnas et exactos tyrannos Densum humeris bibit aure vulgus.' Et noster: 'Has bibit usque rogus.' Et sæpe similiter. *Gronov.*

121 *Quisquis proavis*] Attende astutam commemorationem simul et promissionem honorum: sensus enim est: In hac quidem expeditione eximius honos exhibetur, pro ea qua quisque virtute præditus est. *Britann.*

124 *Timidæ matres cessant*] Vix cohibentur ipsæ mulieres quin in bellum ruant. *Idem.*

125 *Multum steriles*] Abominatio et devotatio ejus, qui vir sit, et non sequatur hunc exercitum; scilicet ut nec senex nec juvenis quicquam boni ex eo unquam possit provenire. Oblique autem omnia diriguntur ad sensum Achillis. *Schol. Vet.*

127 *Exisset stratis*] Toris, quibus sedebat ad mensam. *Maturant.*

129 *Complexa*] Scilicet jungendo ulnas, ut tanquam hospitem honoraret, præberetque animum. *Hæret*] Firmatur Achilles. *Idem.*

130 *Cœpto sermone*] De cœpto sermone remittat, non autem sermonem remittit; nam prosequitur sed non ad cœptum propositum, sed ad aliud, tamen, ne videretur tantummodo respectu filiarum loqui, si his recedentibus finem loquendi fecisset. *Idem.*

136 *Virili*] Quod aliquod virile habent, ut Amazones videantur, non molliciei muliebri tantum deditæ, sed quasi malis animi studiis virilibus aptæ, tanquam aliquid virile saperent, quod præcipue propter Achillem dicit. *Idem.*

137 *Occurrit*] Sermone obviam procedit. *Quid*] Scilicet diceres? et est figura quæ dicitur κατὰ τὸ σιωπώμενον: per silentium et taciturnitatem aliquid dicitur, vel innuitur: σιωπάω, σιωπῶ, *taceo* significat, unde participium a passivo, &c. *Ferentes*] Facientes. *Idem.*

139 *At dabimus*] Verbo usus est ludis apto, id est, eas exhibebimus vi-

dendas in iis sacris. *Cunctabitur*] Morabitur vos. *Britann.*

140 *Excipiunt*] Scilicet promissa. *Idem.* *Spes*] Quia curabant ibi stare aliquandiu, quo possent Achillem detegere, quo causam oblatam sibi accipere. *Maturant.*

141 *Cætera*] Præter ea quæ Ulyssem capiebat. *Idem.*

142 *Longa*] Cupienti diem. *Idem.*

143 *Somno*] Id est, nocte, ne contrarius sibi sit auctor. *Idem.*

146 *Thalamis Scyriades ibant*] Putarim scribendum *Scyreides*, inquit Gruterus. Certe ita legit Scholiastes, a quo forte hanc conjecturam sumpsit ille; habuit enim. Sunt igitur illius hæc verba, vel potius hi apices: '*nec mi.*] sicut ille veniendo afferebat dona. *cire.*] i. filiæ Licomedis ita dictæ a Chiro insula.' Ubi vides, quid corrigendum sit. *Gronov.*

149 *Qualis*] Hæc comparatio sumitur de rapina Proserpinæ quod tempore quo rapta est Juppiter jussit Veneri et Palladi et Dianæ adesse ibi. Unde Claudianus: 'Accelerat præcepta Venus, jussuque parentis Pallas, et infelix terret quæ mænala cornu, Addunt se comites.' *Maturant.*

151 *Sponsa tyranni*] Hoc est Proserpina uxor Plutonis; nam Pluto, cum ex Inferis ad Superos egressus esset fundamenta Siciliæ inspecturus (quæ tunc Typheo superimpositam insulam abjicere conante aperiebantur, et lucem usque ad Inferos mittebant) Proserpinam in Campis Ætneis flores legentem conspexit; eamque ad Inferos ductam matrimonio sibi conjunxit. Solinus vero scribit in Sicilia campum Ætneum esse floridum et semper vernantem, ubi et demersum foramen aspicitur per quod Ditem ad raptum Proserpinæ exeuntem fama est habuisse lucem: ommitto quæ ab Eusebio, Augustino, et Varrone traduntur de Proserpina. *Britan.*

153 *Æra*] Quæ facta erant in modum semispherarum ex ære, quæ sphæram conficiunt, eo quod Ceres, Cybele, et Terra eadem fertur, his in sacris utebantur, collidendo clamorem movent. *Maturant.*

154 *Terga*] Tympana, ἀπὸ τύπτω, *verbero*. Idem.

157 *Quoque pii Samothraces*] Pios Samothraces dicit quia rerum divinarum cultores extitisse produntur, hincque maxime probatur quod tradunt Samothraces ante Deucalionis diluvium aliud quoque antea magnum apud eos extitisse. Id primum ab Hostio Cyaneo deinde ab Hellesponto erupisse tanta aquarum inundatione, ut Asiæ magna pars, juxta mare sita, fuerit absumpta diluvio, plana quoque Samothraciæ ora, crescente mari vastata est; decrescente deinde mari accolas vota Diis fecisse, salutemque consecutos, circum insulam salutis terminos statuisse tradunt, erexisseque aras in quibus sacrificarent; adeo ut palam sit ante diluvium eam insulam habitatam, hincque Dardanum Jovis et Electræ filium edoctum fuisse a patre ceremonias initiandi, quas haud fas est audire nisi initiatos. Hic postea in Asiam transiens Deos Penates in Phrygiam advexit, quos mox Æneas in Ilium ex Phrygia detulit. Horum autem sacrorum ministri Caberi, et Corybantes, et Curetes sunt nominati, qui in sacris armisonam quandam cum saltibus agilitatem edebant. *Brit.*

158 *Pectine Amazonio*] Id est, ordine, qui ab Amazonibus in choreis servatur. *Modo*] Nunc. *Quo citat orbe Lacenas Delia*] Id est, eo gyro agebantur, quo puellæ Lacenæ celebrantes sacra Dianæ. Nam Dianæ palustre templum in Laconicæ ac Messeniæ terræ finibus est, ubi utriusque populus commune sacrificium conventumque celebrabat. In eo profectas feriatum virgines Messenii procaciter incestarunt, unde cum

Messenii nullis violatores pœnis multassent, conflatum est bellum. *Idem.*

159 *Intorquet*] Immiscet, et saltando implicat. *Suis Amyclis*] Nam Amyclæ civitas est Laconiæ, ubi hæc celebrabantur, tota autem regio Menelai imperio subdita. *Idem.*

161 *Vices*] Saltationum alternationes. *Idem.*

164 *Sic indignantem*] Ita (inquit) se habebat Achilles in neglectu saltationis, ut Pentheus, cum Bacchi sacrificia contempsit. Nam Pentheus Echionis et Agaves filius, Thebarum rex, Liberi patris sacra contemnens, cum eo accessisset, ubi illa celebrabantur, ab Agave matre temulentia et furore percita, interemptus est, unde a luctu sortitus est nomen: nam πένθος significat *luctum*. Pagus autem, ex quo Pentheus deductus, et discerptus fuit, Scolus appellatur, in ora Asopia sub Cithærone: auctor est Strabo. *Idem.*

166 *Laudata*] Laudantur prius, quod recte omnia fecerint, deinde dimittuntur. *Vet. Schol.*

169 *Hospitii*] Hoc apud antiquos maxime observabatur, ut hospites tam recipiens quam receptus invicem donarentur, ut Virgilius Æneam apud Didonem, et alias apud Acestem inducit, quæ dona ξένια vocabantur, id est, hospitalia, ξένιος, hospitalis, unde Ζεὺς ξένιος, *Juppiter hospitalis*. *Laboris*] Saltationum. *Maturant.*

170 *Legunt*] Capiant. *Idem.*

171 *Rudis*] Lycomedes, non cognoscens causam donorum. *Idem.*

172 *Varium*] Πολύτροπον Homerus; quod Horat. 'duplicem' vertit: 'Et cursum duplicis per mare Ulyssei.' 'Varius' hominem ambiguæ fidei et versipellem designat. *Barth.*

174 *Respondentia*] Sonantia, quod pulsata reclament. *Maturant.*

176 *Arma*] Quæ tamen propter Achillem posita erant. *Idem.*

177 *At ferus Æacides*] Bellorum; nam in his versatus erat, unde sanguis in eo cernebatur. *Idem.*

181 *Nusquam mandata parentis*] Subaudi, sunt, id est, mandata matris omnino obliviscitur, quæ jusserat eum habitu femineo illic delitescere. *Britann.*

182 *Nusquam occultus amor*] Non amplius, inquit, recordatur amoris secreti Deidamiæ suæ, sed tota mens est circa bellum Iliense. *Idem.*

183 *Ut leo*] Hac comparatione ostendit, ita ad res bellicas Achillem excitari armorum aspectu, ut leo jam mansuetus in cædem irritatur, si domitoris arma sibi minantia aspexit. *Idem.*

187 *It jurata fides*] Si ad leonem referas, id est, quam jure in domitorem servare debebat, si ad Achillem, quæ matri et Deidamiæ sincere præstanda fuit. *It*] Abit, et non præstatur. *Idem.* *It jurata fides*] Admisimus e codice Puteano: *Ejurata fides:* quod tam est elegans ipsum, quam ineptum alterum: neque enim leo unquam juraverat, nec memini legisse: *it fides:* ut sit, negligitur, abit, abjicitur. Nec juvat *juratam* dici quasi 'promissam,' ut interpretatur Scholiastes. Nuspiam invenies 'jurare' pro quocunque modo promittere, sed promittere testibus et vindicibus diis advocatis. Sed 'ejurare' dicimus et omne id, quod cum ante habuerimus et præ nobis tulerimus, abjicimus et omittimus. Ut 'ejurare bonam copiam, liberos, parentes, patriam:' et sic 'fidem.' *Gronov.*

193 *Semiferi*] Centauri; nam corporis pars posterior in equum desinebat, anterior vero in hominem surgebat. *Britann.*

194 *Te Dorica classis*] Huc respicit illud, quod superius dictum est: 'Omnis in absentem belli manus ardet Achillem, Nomen Achillis amant, et in Hectora solus Achilles Poscitur.' *Idem.*

195 *Suspensis signis*] Dubiis, et incertis, quasi quæ nihil audeat te ab-

sente, vel *suspensis*, nondum e suo loco motis, ad tantam expeditionem, sed melior est prior sententia. *Idem.*

197 *Sine*] Permitte. *Palleat*] Timeat, et revera. *Ida*] Apud Trojam, alia apud Cretam: de Trojana intellige. Ide nominativus Græcus; Ἴδη dicitur quemadmodum Κρήτη, Creta. Ἴδη, η in e, et in a vertitur. Ide et Ida dicitur. *Perfida*] Propter Paridem, qui hospitalia jura fregit, in raptu Helenæ. *Maturant.*

198 *Et juvet hæc audire patrem*] Callide illum incendit ad bellum, affirmans hoc fore jucundum patri; nam excellentis animi filius ad præclaras virtutes, in gratiam patris, accendi solet. *Britann.*

201 *Fugiunt*] Puellæ regiæ. *Idem.*

203 *Intactæ*] Quasi dicat; sponte vestes cecidere, indignatæ tantam virtutem per eas turpiter occultari. *Maturant.*

204 *Brevior*] Respectu Thyrsi, qui longior est hasta bellica. *Consumitur*] Id est, sumitur vel consumitur tractando. *Idem.*

205 *Mira fides*] Quasi acclamatio est in ejus magnitudinem, qui sumptis armis visus sit et Ulysse et Diomede longe altior. *Britann.*

206 *Calor Martius*] Furor, et armorum cupiditas. *Idem.*

207 *Confundit*] Quod tanta erat lux, et adeo erat inflammatus ipse, ut tota ipsius domus esset attonita præsentia, et visus est jam major Ulysse et Diomede. *Maturant.*

217 *Me tibi care pater*] Mira arte composita est oratio ad iram regis minuendam; nam ea omnia proponit, quibus molestum esse non debet regi, si filia ab se compressa sit cum ab diis originem ducat. Deinde puellam excusat ab imbecillitate sexus omnem culpam in vires suas transferens. *Care pater*] Patrem appellando, multum ponderis attulit ad mitigationem. *Dubium dimitte pavorem*] Quasi rex metueret, ne is non esset, quem sibi Tethis servandum cum puellis suis tradiderat, ergo: *dimitte pavorem.* Britann.

220 *Gratior*] Tu gratior mihi ipse Peleo patre et Chirone, hoc enim plurimum potuit lenire ejus iracundiam. *Idem.* *Gratior, &c.*] Cur non audiam veterem, egregia emphasi: *Gratior es magno?* Bernart. *Parente*] Peleo. *Fas dixisse*] Quia a patre, eo quod esse habeamus, maxime omnium debemus. *Maturant.*

221 *Chirone*] Qui fuit præceptor, qui loco patris habetur, unde Alexander solitus erat dicere se magis debere Aristoteli, quam Philippo, quod a patre esse tantum, a præceptore bene esse accepisset. *Idem.*

223 *Te Peleus nato socerum*] Certifico te, quod volente patre et matre mea tu socer mihi es, et ego sum gener tibi. *Vet. Schol.*

224 *Utroque ex sanguine*] Nereum scilicet a sanguine materno, Jovem vero a sanguine paterno. *Britann.*

226 *Degeneresque videmur*] Quasi dicat, non videmur degeneres. *Idem.*

227 *Num renuis? Junge ergo*] Male cohærent: etenim si renueret, nequaquam profecto dextram porrigeret natamque illi polliceretur. Nimirum invasit hæc idem mendum, quod alibi quoque inolevisse alias notavimus, et scribendum: *Non renuis.* Silentium et habitum Lycomedis vultumque non aversum pro consensu accipit Achilles, eoque pignus ejus dextram flagitat. Neque accepit aliter Scholiastes: '*n. re.* serio legam vel interrogative: si non renuis, vel non re. tanquam Lycomedes dixisset: Achilles non renuo.' *Gronov.*

229 *Quis his obstare lacertis*] Ab imbecillitate sexus puellam excusat, omnem in se culpam transferens. *Britann.*

230 *Flammas*] Amores et amplexus. *Idem.*

231 *Luere*] Persolvere, et pati. *Pono arma*] Quasi paratus ad dan-

das pœnas, nec in bellum prodibo. *Idem.*

234 *Jamque avus*] Subaudi, a superiore, es, quasi qui hoc sæpe cupiveris, ut supra, 'quando novos dabit hæc mihi turba nepotes.' *Idem.*

235 *Turba*] Id est nos tres, Achilles, Deidamia, et Pyrrhus, quasi dicat, si sumes arma contra nos, jam sumus una turba contra te, sed pueriliter, dicas ergo: Immitis turbæ sumus nos omnes, quotiens tractabitur ensis inter nos, quoniam sumus juncti sanguine, postquam ex nata tua filium suscepi. *Maturant.*

237 *Etsi caræ comperta injuria natæ*] Etsi, inquit, multa erant, quæ regi Lycomedi suadebant Achillem continendum esse domi, et quod filiæ vis illata ab eo jam cognita erat, et quod Thetis oraverat ne eum a se amitteret, tamen fatis adversari non est ausus, quæ Achillem ad bellum destinaverant. Injuria comperta cognita, quæ postulabat ei ab uxore non esse discedendum. *Britann.*

238 *Thetidis mandata*] Nam Lycomedi indixerat ne a se abire pateretur, sed inter puellas suas aleret, ut lectum est superius: 'Intus ale, et similes inter seclude puellas: Littore præcipue portuque arcere memento, Vidisti modo vela Phrygum.' *Idem.*

240 *Fatis*] Nam Deorum voluntate hæc omnia tam mirifica accidere videbat. *Vet. Schol.*

241 *Fac velit*] Occurrit, quæ posset fieri objectioni. Si, inquit, ipsa mater filium domi continere voluisset, filius matris obedientiam abjecisset; quasi dicat non mirum esse si a Lycomede retentus non sit. *Fac velit*] Subaudi, retinere. *Ipsam*] Emphasim habet, quasi quæ filio legitima quadam ratione imperare potest. *Britann.*

242 *Abnueret genero se jungere tali*] Quamvis injuria affectus videretur Lycomedes, non tamen talem generum repudiandum censebat. *Idem.*

243 *Vincitur*] Æquior fit in Achillem. *Idem.* *Pudibunda*] Peccantis naturam expressit. *Idem.*

244 *Veniam nec protinus amens Credit*] Subaudi esse datam, et ideo placat patrem. *Idem.*

245 *Opposito Achille*] Id est, Intercedente Achille, aut opposito, id est objecto, quasi in eum vim et culpam derivans. *Idem.*

246 *Mittitur Æmoniam*] Deest ad, ut sit ad Æmoniam, hoc est, Thessaliam, de qua superius multa diximus. *Magni facti*] Magnum factum appellat, et quod gener factus sit regis Lycomedis, et ab universa Græcia in bellum poscatur. *Idem.*

248 *Alnos*] Modicas naves, armatis militibus instructas. *Schol.*

249 *Deducit*] In pelagus duci et parari jubet. Virg. Georg. I. 'Quando armatas deducere classes, Aut tempestivam silvis evertere pinum.' *Barth.* Et notandum ex Britannico *Deducere*, esse de terra in aquam ducere, ut 'subducere' contra est de aqua in terram. Ut Virgil. 'Deducunt socii naves.' Et alibi: 'Subducite naves.'

250 *Consumpta dies*] Non quod tota die epulis incubuissent, sed quod in occasu solis cœnassent more majorum, qui ita soliti sunt in occasu cœnare cum tantum in die cibum semel sumerent. *Receptum*] Inter Achillem et Deidamiam. *Maturant.*

251 *Fœdus*] Connubii. *Intrepidos*] Tunc qui antea semper cum timore juncti fuerant. *Idem.*

252 *Illius*] Decorum, tanquam fortem virum inducit Achillem cogitantem de armis et Troja, Deidamiam timentem adventum diei quo abiturus erat Achilles. *Idem.* *Xanthus*] Fluvius est Troadis Simoënti junctus, qui in portum Achæorum influit. *Britann.*

254 *Auroram*] Adventu sequentis

diei. *Idem.*

255 *Occupat artus*] Complectitur. *Idem.*

257 *Partus*] Pyrrhum, inviseune unquam filium, saltem si me invisere nolueris? *Maturant.*

259 *Latebræ*] Quod nolis unquam mei meminisse, apud quam more muliebri latueris, tanquam hoc ducas tibi dedecori. *Idem.*

262 *Thalamis nostris*] Id est matrimonio nostro. Nam Thalamus proprie dicitur novæ nuptæ cubiculum. *Britann.*

263 *Hic ne est liber Hymen*] Quasi dicat, matrimonium quidem liberum nobis non est, cum non liceat nobis frui eo. Nam Hymen sive Hymeneus apud antiquos nuptiarum Deus habebatur, isque in nuptiis invocabatur. Ovidius: 'Affuit, et sertis tempora vinctus Hymen.' *O dulcia furta*] Acclamatio Poëtæ, quasi qui misereatur amoris puellæ. *Dulcia furta*] Dulces concubitus. *Idem.*

264 *O timor*] Miseretur timoris puellæ, quæ metuebat ne Achilles in bellum prodiret. *Idem.* *Eripitur miseræ promissus Achilles*] Si non habuisset eum antea, recte diceretur *promissus* maritus. Sed cum jamdudum contra vetitum et furtim eum habuerit, scribendum, *permissus*. Postquam sancte et juste illo frui concessum est. *Gronov.*

266 *Timuisse memento*] Nam de salute filii matrem fuisse anxiam testatus est poëta superius: 'Namque modo infensos utero mihi contuor enses, Nunc planctu livere manus, modo in ubera sævas Ire feras.' *Britann.*

267 *Improba*] Insanabilia. Morem ac decus muliebre optime servat, quasi dicat, scio quod peto nimis magna, quoniam videbunt te illæ Trojanæ, et cupient; et tu facies potestatem tui: unde nimis improba posco, cum velim te reverti meum. *Maturant.*

268 *Lacrymis decoræ*] Quæ pulchriorem faciunt mulierem, lachrymæ fecere decorem. *Idem.*

270 *Pensare patriam thoris*] Id est compensare, et rependere, id est non pigebit eas reliquisse patriam, modo matrimonio tibi jungantur. *Britann.*

271 *Tyndaris*] Helena Tyndari filia. *Nimium laudata incesta rapina*] Astute eam in contemptum et odium trahit, dicendo nimium laudatam turpi rapina et turpi scelere. *Idem.*

272 *Ast ego tunc primæ*] Sensus est: Tunc me mulieribus captivis narrabis, ut fabulam puerilem, id est dices me simplicitate quadam puellari a te primo concubitu compressam esse. *Idem.*

274 *Cur non ego Martia tecum*] Occurrit Achilli qui dicere potuisset eam ad arma ferenda non esse aptam. Ait ergo: Cur ego minus ad hæc apta sum, quam tu fuisti ad lanas, et alia officia muliebria. *Idem.*

277 *Mæsta solatia*] Dicit hoc Pyrrhum patri ostentans. Ex illo Maronis solatiorum mentionem trahens Æn. IV. 'Si quis mihi parvulus aula Luderet Æneas, qui te tantum ore referret, Non equidem omnino capta aut deserta viderer.' *Barth.*

282 *Fletu*] Quasi fletus spondeat, id est, sit fidejussor promissionis; nam cum juraret, et juramento accederent lachrymæ, hæ visæ sunt dare majorem fidem et robur juramento; spondere enim est pro alio promittere, ut fidejussores faciunt. *Maturant.*

285 *Rapiebant*] Venti ferebant illa verba; nam habitura effectum non erant ea verba, cum moriturus Achilles esset in bello Trojano, unde reverti non posset. *Idem.*

286 *Exuit implicitum*] Hac parte Achillis navigatio ad Trojam continetur. More poëtarum adventum diei describit, cum de nocte nulla sit facta mentio. *Britann.*

288 *Hebetem lampada*] Causam sub-

jungit, quare hebetem, propter vicinitatem scilicet noctis. *Idem.*

289 *Nondum*] Conjunge cum: *excusso ponto.* Unde putatur oriri, opinione vulgari. *Idem.*

290 *Nodatum pectora palla*] Emendatio a libris veteribus est: Vulg. *nudatum.* Bernart.

291 *Prima*] Nam antea apud Chironem nunquam arma gestaverat, unde illa prima arma fuerant. *Maturant.*

292 *Quippe*] Ratio quare ita summo mane adesset thalamo Achilles. *Cognata æquora*] Et placidum erat mare et venti commode spirabant. *Vet. Schol.* Et *cognata,* quasi per Thetidis favorem ipsi obsecundarent. *Schol.*

294 *Nil ausi meminisse pavent*] Membr. *meminisse palam.* Mussaverint fortassis aliquid: nemo certe audebat de præteritis loqui ut exaudiretur. *Gronov.*

295 *Mutatus rediit*] Ita, inquit, in conspectum omnium venit omnibus mutatis, ceu nunquam illic fuisset, sed ex Thessalia eo venisset. *Nunquam passus*] Habitando. *Britann.*

297 *Tunc ex more*] Scilicet navigantium, qui Diis marinis vino et extis taurinis litant. Virg. 'Dii quibus imperium pelagi, quorum æquora curro, Vobis lætus ego hoc candentem in littore taurum Constituam ante aras voti reus, extaque salsos Projiciam in fluctus, et vina liquentia fundam.' *Idem.*

301 *Jaciens*] Ita Diis maris sacrificabant jaciendo intestina in mare, ut apud Livium de Scipione procedente in Aphricam, dum Deis maris sacrificat, exta in mare jacit. *Maturant.*

304 *Quæsitus eo*] Discessum suum excusat, ne matris obedientiam contempsisse videatur. *Quæsitus*] Ab Ulysse et Diomede, ita universa Græcia jubente. *Sic orsus*] Id est, finivit hoc loco loqui, alias incepit loqui, ut 'Inde thoro pater Æneas sic orsus ab alto.' *Britann.*

306 *Nubes ardua incipit*] Nam nebulæ crebro in mari apparent, et oculis discedentium a littore rerum formam minorem reddunt, unde ait; 'Et Scyros longo decrescere ponto.' *Idem.*

307 *Et Scyros longe decrescere ponto*] Placet in scriptis: *longo decrescere ponto.* Solet enim interdum Statius 'longum' ponere pro lato aut longe distanti. Sic l. v. 'longo rapit arva morantia passu.' Lib. x. 'volucrum sic turba recentum Cum reducem prospexit in æthere matrem.' *Gronovius.*

309 *Confessum*] Passive, quem jam confitebatur. *Pyrrhum*] Ideo quia crispos et flavos capillos haberet, ita Græce πυῤῥὸς dicitur quasi *ruffus.* Pyrrhus dictus quoque Neoptolemus, quod juvenis admodum ad bellum missus sit, νέος, *juvenis,* πτόλεμος, *bellum.* Maturant.

310 *Pendebat conjux*] Ordo est: Conjunx pendebat e turre summa. Nam ea pendere dicuntur, quæ in aëre et loco sublimi sunt, unde et uvæ pensiles quæ domi suspensæ conservantur, et horti pensiles, qui columnis fulti in aëre sunt extructi. *Conjunx*] Deidamia. *Britann.*

311 *Ibat et ipsa fretum*] Id est, per fretum, puellæ immensum erga maritum amorem significavit, quæ oculis tam intentis navem intuebatur, ut et ipsa sibi navigare videretur. *Idem.*

317 *Vastator debite*] Mira calliditate virtutem ejus extollit, indignum esse ostendens, tantum juvenem inter mulieres desidere, sicque animum ejus a memoria Deidamiæ revocans eum ad bellum inflammat. *Vastator debite*] Destinate fatis, unde supra: 'unum illum Teucris Priamoque loquuntur Fatalem.' Nam (ut diximus) Troja capi non poterat absente Achille. *Idem.*

318 *Quem Danaum classes*] Propter id: 'Omnis in absentem belli manus ardet Achillem.' *Idem.*

319 *Erectum*] Jam suscitatum, et susceptum. *Manet*] Expectat. *In limine reserato*] Ut si dicat, ceteris jam paratis ad tantam rem. Respexit autem ad Romanorum consuetudinem, qui indicto bello et ad hostes pergentes, portam ædis Jani reserabant, neque postea nisi bello confecto claudebatur; unde est illud Virgil. 'Claudentur belli portæ.' De hoc Suetonius, Servius, et Ovidius in Fastis suis. *Idem.*

320 *Fœmineo*] Quasi dicat, commisit tantum scelus, quod vellet ut tam fortis vir lateret, et hæc verba dat, ut avertat animum a mœrore concepto. *Matur.*

321 *Ullis furta*] Quod ita magna latebra inveniretur, quæ te maximum caperet. *Grandia*] Magna non possunt occultari. *Idem.*

322 *Suspensa*] Tanquam tu non posses te defendere in bello. *Idem.*

323 *Fidem*] Quod non manifestareris. *Idem.*

325 *Suppresserat*] Quos hactenus ipsum socerum et matrem suam celaverat; ad unum tubæ sonitum propalavit. Tantæ erat virtutis. *Idem.*

326 *Nec nostrum*] Non ascribimus nobis hanc gloriam, nec te nos tam pusillanimem credidimus, ut opus esset tibi persuaderi. Si paulum commorati fuissemus, ultro te ad nostrum exercitum contulisses. *Vet. Schol.*

329 *Excusabitur Scyros*] Id est, nolo verbis, sed ense excusare; non propter ignaviam, quæ acta sunt in Scyro, acta esse. *Maturant.*

330 *Fatorum crimina*] Rejicit in fata, quod ita voluerint eum latere, sed, inquit, potius dic mihi causam suscepti belli, et primordia, ut ego juste irascar Trojanis. *Idem.*

335 *Fertur in Hectorea*] Peleus cum Thetidem uxorem duceret, ad nuptias omnes Deos excepta Discordia invitavit, quare indignata Dea inter epulantes Deos pomum aureum, in quo sculptum erat, 'Formosissimæ esto,' projecit. *Britann.*

337 *Sollicitas tenuisse deas*] Liber haud spernendus: *Sollicitas habuisse.* Cato in fr. 'me sollicitum atque exercitum habitum esse ac porro fore.' Plaut. Menæchmis: 'Qui neque leges neque æquum bonum usquam colunt, sollicitos patronos habent.' Terent. Heaut. 'Relevi dolia omnia, omnes serias. Omnes sollicitos habui.' *Gronov. Tenuisse Deas*] Nam in Ida monte Phrygiæ de Dearum forma judicavit, ubi eas nudas coram videre voluit, unde Ovidius: 'Et in altis vallibus Idæ Tres tibi se nudas exhibuere Deæ.' *Britann.*

339 *Dionem*] Venerem: nam poëtæ Dionem pro Venere sæpe posuere, ut Ovidius in Fastis: 'Hippolyte infelix, velles coluisse Dionem.' Verum Dione, ut scribit Hesiodus, et Homerus sentit, filia fuit Oceani, et Tethyos; quæ cum esset formosissima, a Jove dilecta compressaque Venerem genuit. *Idem.*

340 *Adeo lis illa tuis*] Hujus autem, inquit, discordiæ inter deas causa orta est in nuptiis patris tui, ubi pomum aureum, ut dictum est, inter Deas discumbentes projectum fuit a Discordia. *Idem.*

343 *Ira quatit victas*] Junonem et Palladem, quæ tali judicio perturbatæ Trojanis semper infensæ fuerunt. *Judex*] Paris. *Idem.*

344 *Præmia exitialia*] Id est Helenam, quæ Trojanis exitii causa fuit. *Amyclæ*] Civitas est Laconiæ, in regione mediterranea, Castoris et Pollucis patria. Hoc autem loco Poëta Amyclas a vicinitate dixit pro Sparta. *Idem.*

345 *Turrigeræ*] Nam coronam turritam dicitur gestare, et hujus fictionis talis est ratio. Cybele enim Deum mater curru vehi dicitur, quod ipsa

est terra, quæ pendet in aëre. Sustinetur autem rotis quia mundus rotatur et volvitur. Et ei subjugantur leones, ut ostendatur maternam pietatem totum posse superare. Ideo Corybantes ejus ministri cum strictis gladiis esse finguntur, ut significetur omnes pro terra sua debere pugnare. Quod autem turritam gestat coronam, ostendit superpositas terræ esse civitates, quæ turribus insignitæ sunt. Servius in Virgilium. *Idem.*

351 *Inde dato passim*] Ordo est, et sensus: Nos inde, id est, ex tanta injuria undique exciti, id est, valde commoti, coimus ultores. *Idem.*

352 *Quisque sibi*] Nam unusquisque sua interesse arbitrabatur, ulcisci tantum scelus. *Coimus*] Congregamur et conjungimur. *Idem.*

353 *Quis enim*] Probatio est quare unusquisque debeat ad tantum facinus vindicandum properare. *Idem.*

356 *Hæc et non fortes jactura moveret*] Quasi dicat, fortis quidem ille non est censendus, qui tali injuria non moveatur. *Idem.*

357 *Non tulit*] Ab exemplis nobilium regum suadet Paridem persequendum esse, cum et Agenor etiam Jovem omnium Deorum, et hominum rectorem, persecutus sit; nam cum Jupiter Europam Agenoris filiam in taurum versus asportasset, Cadmus a patre, ut supra dictum est, ex Phœnicia ad investigandam Europam sororem missus est, ea conditione, ut aut secum virginem duceret, aut in Phœniciam non rediret, qui cum puellam non inveniret, in Bœotia ædificatis Thebis desedit. *Idem.*

360 *Et Scythico raptam*] Non æquo, inquit, animo Æeta tulit Medeam suam abduci ab Argonautis, sed eos statim armis et classe insectatus est: cum enim Jason Thessalus Æsonis filius navi longa extructa cum quatuor et quinquaginta sociis ad Colchos pervenisset, indeque vellus aureum, quod in templo Martis asservabatur, abstulisset beneficio Medeæ, quæ templum ingressa draconem pellis custodiæ incubantem, semperque, ut ferunt fabulæ, vigilem, veneno peremit, Medeam secum duxit; patrem autem Æetam cognita re tradunt Argonautas insecutum, plures juxta littus comperisse, et commissa pugna Iphitum unum ex Argonautis Eurystei filium occidisse, postremo adaucta utrinque cæde Æetam regem a Meleagro interemptum esse. *Prolem*] Medeam, quam ei et Circem et Calcyopen et Absyrtum sive alio nomine Ægileum peperit Hecate uxor. *Idem.*

363 *Semivirum*] Qui nunquam nisi forma muliebri laudatus est: et arguit a majori, si illi barbari Dei et semideum rapinam poni non voluerunt, nos Græci patiemur rapinam cujusdam semiviri? *Maturant.*

366 *Quid si nunc aliquis*] Astute ei proponit raptum uxoris suæ. Quid, inquit, ageres, si quis Deidamiam tibi rapiat? quasi dicat, nunquid ferendum est tantam injuriam illatam esse regi? Sicque ejus animum incendit ad tale scelus ulciscendum. *Britann.*

374 *Quæ solitus*] Subaudi, 'sit,' ordo autem est: Ede ritus tuos et semina laudum, quæ Chiron solitus sit tibi pandere. *Semina laudum*] Principia ad laudes assequendas. *Idem.*

377 *Sit precium*] Si, inquit, hæc nobis narraveris, id loco præmii putabimus pro labore, quem tulimus dum quærimus te. *Idem.*

378 *His armis primum intendisse lacertos*] Malim *hos:* dein forte non adspernabile quod in Ms. *primum vestisse lacertos.* Solet alioqui uti pro 'induere,' 'tegere.' Ut lib. III. 'clypeum vestisse juvenco.' Lib. VI. 'hausta vestitur arena.' Lib. XII. 'thyrsos hederis vestistis.' Claudianus II. in Ruf. 'Par vestitus equis, ferrata fronte minantur, Ferratos-

que levant secari vulneris armos.' Gruteri tres codices, *tendisse*. Gronov.

379 *Quem pigeat sua facta loqui*] Autapophora est, quasi ille dixerit, turpe est homini sua facta narrare, et hic respondeat, neminem gravari debere sua gesta commemorare. legendum est cum interrogatione. *Tunc ille modeste*] Bene inquit modeste; nam arroganter de se ipso prædicare, viciosum est. *Britann.*

380 *Propiorque coacto*] Quasi simili homini coacto, et qui invitus loquatur. *Idem.*

381 *Et adhuc crescentibus annis*] Quasi non nunc quoque crescerent. Scholiastes et duo Mss. Gruteri, *restantibus*. Unde ille haud invita, ut videtur, Minerva: *et adhuc reptantibus annis*. Claudianus II. in Ruf. 'teneroque annis reptatus Achilli.' In quartum Honorii Cons. 'Cretaque se jactat tenero reptata Tonanti.' *Gronov.*

382 *Thessalus*] Id est, Chiron. *Britann.*

384 *Sed spissa leonum viscera*] Pueritia, inquit, mea carnibus leoninis pascebatur, nam viscera carnes significare ostendit. Virgil. 'Et viscera nudant.' *Spissa*] Naturam carnis respexit, quæ dura est et spissa in leone. *Idem.*

396 *Prævertere cervos*] Maronianum hoc, Æn. XII. 'Vel conferre pedem, vel equo prævertere ventos.' Sil. Italic. lib. VIII. 'Campi per aperta volantem Ipse pedes prævertit equum.' *Barth.*

398 *Gradu præpete*] Id est veloci. *Britann.*

399 *Admissus*] Ad cursum concitus; nam admissos equos dicimus currentes. Ovidius: 'Hic lacer admissos terruit Hector equos.' *Idem.*

Agebat] Insequebatur me. *Idem.*

400 *Omnibus campis*] Per omnes campos, ut ad labores me firmaret. *Idem.*

401 *Levabat*] Tanquam bajularet eum fessum, donec vires reciperet. *Maturant.*

402 *Primo torpore*] Id est, dum inciperet congelari, non expectans quod nimis duraretur glacies. *Idem.*

405 *Vacuos*] Quia feras omnes ego interfecerim, quæ asperiores sunt: ideo dicit, *sævo murmure*, ut leonum. Nam murmura parvorum animalium restabant. *Idem.*

406 *Nunquam ille imbelles*] Nunquam, inquit, voluit me feras imbelles et timidas persequi, sed sævas et immanes tantum. *Avia Osseæ*] Id est Avia Ossæ montis Thessaliæ. *Lynces*] Animal est timidum Baccho dicatum, hoc India mittit. Ejus animalis urinam redditam Plinius ait glaciari in gemmas carbunculis similes, unde Ovidius: 'Victa racemifero lyncas dedit India Baccho, E quibus (ut memorant) quicquid vesica remisit, Vertitur in lapides et congelat aëre tacto.' *Britann.*

409 *Sues fulmineos*] Appellant poëtæ fulmineos sues, quod more fulminis obvios irati prosternant. Martial. 'Fulmineo spumantis apri sum dente perempta.' *Tigris*] Animal est truculentum et velocissimum, quo et India et Hyrcania abundat: ejusdem nominis est etiam fluvius Armeniæ. *Idem.*

415 *Nec me ulla feri Mavortis imago fugit*] Tractandorum inquit armorum nulla me meditatio fugit. *Nulla imago*] Nullum pugnæ simulacrum. *Idem.*

416 *Pæones*] Populi sunt Macedoniæ, qui usque ad Strymonem fluvium Thraciæ extenduntur. *Idem.*

417 *Quo Maceda*] Macedas appellat Macedones, quemadmodum et superius, 'nec Macedum gens dura placet,' pro Macedonum, et hoc necessitate carminis, nam Macedones carmen non recipit heroicum propter tres syllabas breves. *Idem.* *Quo Magete sua gæsa*] Vetus *Mæfetæ*. Præsto

legendum *Macetæ*, id est, Macedones. Adi nobilissimi, a se et majoribus, Jos. Scaligeri ad Ausonium lectiones lib. I. cap. 11. *Bernart.* *Quo turbine castum*] Scaliger, *castrum*. Lipsius dubitare ait, *contum*, an *restim*; sed magis placere posterius. At *contum* et nos in scripto et in binis reperit Gruterus, nec aliter Maturantius et Britannicus legerunt. Silius lib. xv. 'Sustentata genu per campum pondera conti Sarmatici prona adversos urgebat in hostes.' Quod an emendandum sit, ne dubitare quidem debebat elegantissimus Opitius. Valerius Flaccus lib. v. 'et ingentis frenator Sarmata conti.' Tacitus Ann. VI. 'Sarmatæ omisso arcu, quo propius valent, contis gladiisque ruerent.' Et mox: 'neque conti neque gladii, quos prælongos utraque manu regunt, usui.' Claudianus etiam de Romano Milite in III. Cons. Honorii: 'pars cominus horrida contis.' In quarto: 'quis tendere contum Acrior?' Nec vero τὸ *turbine* non congruit *conto*. Est enim Virgilii Æneid. XI. 'quo turbine torqueat hastam.' Silius lib. IV. 'Sic ait, intorquens directo turbine robur.' Consul puta Gracchus. Cæstibus in præliis usos non modo miramur, sed nullam etiam gentem usam fuisse scimus. *Gronov.*

419 *Baleares*] Insulæ Hispaniæ Majorica et Minorica, in quibus usus fundæ fuit, unde nomen cœpit; βάλλω enim *jacio* significat. *Maturant.*

420 *Suspensa*] Ante jactum. *Libraret*] In aëre. *Idem.*

421 *Gyro*] Graphice describit jactum fundæ, nam circunvolvuntur habenæ, et causatur circulus, unde videtur aër dividi in gyrum. *Idem.*

422 *Vix memorem cunctos actus*] Longum, inquit, esset omnem tractandorum armorum rationem explicare. *Jungere fossas*] Tunc fossæ dicuntur jungi saltu, cum ab altera parte ad alteram transilitur. *Britann.*

425 *Simulacraque pugnæ*] Ordo est: Docet me excipere molares umbone. *Simulacra pugnæ*] Id est, quæ sunt imagines veræ pugnæ; nam sic tirones per simulatas pugnas erudiuntur ad vera certamina. *Idem.*

426 *Molares*] Lapides dicuntur majores. Ovidius: 'dextraque molarem Sustulit, et magnum magno conamine misit.' Molaris item capitur pro dente, quo cibus conficitur. Juvenalis: 'interque molares Difficili crescente cibo.' *Idem.*

427 *Peditem*] Id est, me peditem docet equis currentibus præcurrere, et remorari. *Idem.*

428 *Quadrijuges*] Dicuntur equi quod quaterni curribus sunt subjecti, bijuges vero quod bini. *Idem.*

430 *Sperchius*] Fluvius Thessaliæ. *Idem.*

434 *Referebat*] Retro ferebat. *Id.*

435 *Et latæ caligo viæ*] Subaudi, erat, id est, profunditas aquæ immensa quidem erat, et quæ timorem ingenerare posset. Nam *latæ viæ*, intelligit lati fluminis, sicque occurrit iis qui dicere potuissent aquas profundas non fuisse. *Minari*] Pro minabatur, quo sermonis genere historiographi sæpe utuntur. *Idem.*

436 *Urgere puderem*] Verbis, inquit, me accusabat, et me veluti trepidum verbis juvabat. *Puderem*] Id est me ipsum, in quo erat pudor et verecundia, ne ea non obirem quæ imperaret. *Idem.*

437 *Sic me sublimis agebat Gloria*] Ita, inquit, laudibus, et gloria incendebar. *Idem.*

439 *Œbalios*] Laconicos. Discum autem Laconicum ob id appellat, quod is ludus infamis sit factus cæde Hyacinthi, id est, Laconici, qui dum disco cum Apolline amatore suo certaret interfectus est, unde est illud Ovidii: 'Laberis Œbalide prima fraudate juventa, Phœbus ait.' Nam

Œbalia appellata est Laconia ab Œbalo rege Arguli filio. *Condere in nubila*] In palæstorio discus erat, in quo jactando is commendabatur qui in aërem altius misisset; erat enim lapis gravis et latus qui ad exercitationem corporis in auras mittebatur, qui jaculabantur oleo perfundebantur. Ovidius: 'Corpora veste levant, et succo pinguis olivæ Splendescunt, latique ineunt certamina disci.' *Idem.*

440 *Et liquidam nudare palen*] In gymnasio palæstritæ exercebantur nudo et uncto corpore, ut ad bellicos labores et tumultus essent promptiores, quam exercitationem Græci πάλην sive παλαίστραν vocavere, Latini vero *luctam:* qualis autem esset ludus, Plutarchus loquens de Alcibiade nos monet his verbis: 'Cum aliquando in palæstra cum puero quondam luctaretur, jamque adversarius eum ad terram deprimeret, volens Alcibiades ignominiam vitare, manum illius dentibus apprehendit.' *Idem. Pales*] Gen. Palis, Dea pastorum. 'Nunc te magna Pales,' in tertio Georgicorum. Pale, pales, pro palæstra ponitur. ἡ πάλη, τῆς πάλης dicitur. *Liquidam*] Quia in palæstris ungebantur nudati, unde ludi gymnici appellati sunt, et gymnas ipsa palæstra dicitur, quod nudos habere. γυμνὸς enim *nudus* a Græculis dicitur. In Arabia olea dotatur lacryma, quæ medicamentum conficitur, a Græcis enhæmon dictum, singulari effectu contrahendis vulnerum cicatricibus. Plinius lib. XII. cap. 17. *Cæstus*] A cædendo. Ludus in quo ludentes manicas corii induebant, et juxta manum plumbeas pilas habebant, quibus invicem cædebantur usque ad necem. Interdum et cæstus, cæsti, dicitur: hoc cestum sine *æ* cingulam est Veneris, unde Homerus, κέστον ἱμάντα appellat: ἱμὰς, ἱμάντος, *cingulum*, significat. *Maturant.*

441 *Ludus et requies*] In his ludis alii maxime laborant, sed ego ut ludum et requiem hos exercebam. *Idem.*

442 *Sudor*] Non magis laborabam in his ludis quam pulsando citharam. *Idem. Apollineo*] Quo primum usum fuisse constat Apollinem; nam, ut fabulæ tradunt, cum Mercurius lyram fecisset in Cyllene monte Arcadiæ, deinde postea Apollinis boves abegisset, deprehensus ab eo, quo sibi facilius ignosceret, petenti Apollini, ut liceret dicere se invenisse lyram, concessit, et ab eo virgulam quandam muneri accepit, quam caduceum appellant. Ait ergo Poëta, *Plectro Apollineo*, cujus inventorem se voluit vocari. *Mirarer*] Cum admiratione celebrarem laudes veterum virorum. *Britann.*

444 *Quin etiam*] Ponit quomodo didicit medicinam a Chirone, qui fertur unus de inventoribus medicinæ: quidam volunt ideo nuncupatum Centaurum quia medicinam ad hominem et ad equum pertinentem invenerit, et nuper inventus est liber, qui Chiron de medicina equorum inscribitur. *Maturant.*

445 *Staret*] Effluens sanguis sisteretur. *Idem.*

446 *Somnos*] Ut papaver, quando ægroti non possunt dormire. *Idem.*

447 *Quæ ferro cohibenda lues*] Utrum quæ vulnera ferro sint recidenda, an, quod magis placet, quæ vulnera ferro sanentur, ut de ærugine intelligamus ferri, quam ab Achille inventam fuisse diximus utilissimam emplastris, ut sit, *ferro*, id est rubigine ferri in vulnus infusa. *Cohibenda*] Id est, coërcenda, et reprimenda, ne ulterius serpat ulcus. *Quæ cederet herbis*] Quæ vulnera herbis curarentur. Nam, ut dictum est, alia vulnera ferro, alia herbis sanantur. *Idem.*

449 *Justitiæ*] Nam Homerus Chironem δικαιότατον κενταύρων vocat, id est, *justissimum Centaurorum*. Et dicto per quas artes Chiron auxisset

membra, nunc ponit quomodo auxit animum, at Diomedes petiit supra: 'quas membra augere per artes, Quas animum.' *Peliacis gentibus*] Quæ in Pelio monte erant, quas Chiron regebat. *Maturant. Peliacis*] Thessalis; nam Pelion mons est, ut sæpe diximus, Thessaliæ, ubi sedes fuit Chironis, natus ibi ex Saturno et Philyra filia Oceani in equam conversa a Saturno, quod ideo fecit ne deprehenderetur ab Ope uxore adventante, unde est illud Virgilii, 'Philyrides Chiron.' *Britann.*

450 *Suos*] Id est, sibi subjectos; nam inter Centauros populos Thessaliæ principatum obtinuit, navigavitque cum Argonautis. *Idem.*

451 *Comites*] Vocativus est casus. *Idem.*

452 *Meminisse juvat*] Cætera enim non juvat commemorare, cum existimationem meam quodammodo lædant. Si scire volueritis, commemorabit vobis mater, cujus jussibus obsequi me ætas cogit. *Vet. Schol.* Versus qui in aliquibus exempl. additur: *Aura silet; puppis currens ad littora venit*, perfidæ temeritatis alicujus asini est, opus absolutum indicare volentis, et pridem a doctis explosus. Insanit auctor ejus, opus autumans a Papinio sic pro perfecto editum, in qua stultissima persuasione fuit et Johannes Britannicus. *Barth.*

FINIS NOTARUM VARIORUM.

NOTITIA LITERARIA

DE

P. PAPINIO STATIO

POETA.

EX JO. ALB. FABRICII BIBLIOTHECA LATINA,
A JO. AUG. ERNESTI AUCTIUS EDITA, LIB. II. CAP. 16.

Statii Ætas.

P. Papinius Statius Neapolitanus, patre natus, præceptore Domitiani, qui multa carmine et oratione scripserat, ut filius testatur Epicedio in patrem lethargo sublatum, Sylv. v. 3.[1] Extemporali poëmata componendi facilitate Imperatori Domitiano gratissimus fuit, et a majestate carminis *Aquilinus* librariis dictus: tamen victus in agone quinquennali Domitiani, aliis poëtis contra ipsum coronatis, ut ipse innuit carmine ad Claudiam uxorem et in patrem Epicedio. Quod vero aliqui narrant, eum præacuto stylo ab indignante Imperatore esse confossum, id magis videtur credibile, quam quod Aligerius Dantes prodidit, eum, Christiano addictum

[1] Perperam quidam, ut Domitius Calderinus, Lindenbrogius, Fr. Morellus *Papinium Surculum Statium* appellant. Statius modo *prænomen* fuisse observatur, ut in priscis inscriptionibus Statius Æbutius, Statius Marcellus, et apud Livium Statius Cælius Imperator Samnitium: modo *nomen*, ut in iisdem inscriptionibus C. Statius Faustus, C. Statius Primigenius, C. Statius Neuretus, Statius Saturninus, et L. Statius Ursulus, Tolosensis rhetor sub Nerone, de quo Pontacus ad Eusebii Chron. p. 569. et Statius Sebosus Plinio et Solino laudatus supra: modo *cognomen* denique, ut Cæcilius Statius Comicus (de quo Gellius iv. 19.) et poëta noster P. Papinius Statius. Vide Jo. Marium Mattium L. ii. Opinionum cap. 13. Sed ista ita sunt ex vetere ratione nominum: sub imperatoribus autem, inprimis inde ab sæculo primo extremo, ratio nominum vel imponendorum vel assumendorum valde mutata est, habuitque idem sæpe plura nomina, v. c. alterum a patre, alterum a matre, &c. unde nec prænomina nec cognomina fieri debent: de qua re accurate nuper scripsit Cannegieterus JCtus in libro de nominum mutatione sub principibus Romanis: add. filium in Comm. ad fragm. Juris vet. in Collat. legg. Mosaic. et Rom. p. 240.

nomini, sævitiam Domitiani in Christianos pro virili temperasse. Extemporali Statii versus pangendi facultati invidisse Martialem, atque ideo sub *Sabelli* nomine IX. 40. perstrinxisse, sibi persuasit Gevartius cap. 35. Papinianarum lectionum. Inopia ejus tangitur a Juvenali VII. 87. 'Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agaven.' Ipse Epicedio in patrem queritur, quod 'vilis honos studiis.' Adulatorum maximum, ut poëtarum suo ævo, longeque post et ante principem vocat Barthius in notis Tom. I. pag. 287. Julius Cæsar Scaliger 'equum alatum.' Thoma de Pinedo judice pag. 488. ad Stephanum Byz. Statius Papinius 'eruditus poëta in Sylvis, sublimis in Thebaide, blandus in Achilleide.' Franciscum Malherbam, Lyricorum Gallicorum principem, ad Statii clangorem et crepitacula insaniisse, illaque prætulisse Virgilio, indigne fert Huetius p. 24. seq. de vita sua. Tempus obitus a Barthio quoque Tom. I. editionis ab eo curatæ p. 366. et Dodwello ad a. C. 96. sive Domitiani postremum refertur. Sed omnino dé Statii vita et rebus vid. Dodwellus in Annalibus Statianis Oxon. 1698. 8. editis. Add. Barthium l. c. et Crenium Animadvers. P. XI.

Scripta.

Extant ejus, I. Sylvarum [1] libri quinque, quorum primus Stellæ, secundus Meliori, tertius Pollioni, Marcello quartus, quintus denique Abascantio, singulis Epistolis ab auctore inscribitur, ex quibus Vavassor p. 211. 228. de ludicra dictione collegit, eum minus valuisse in soluta, quam ligata oratione: quod de Virgilio [2] quoque fertur. Porro in his libris quædam versibus Phalæcis, vel

[1] De sylvis, quæ apud Græcos dicuntur σχεδιάσματα, vide G. Jo. Vossii institutiones poëticas III. 22. et Gasp. Gevartium lect. Papin. cap. 2. et Jac. Pontani φιλοκαλίαν IV. 19.

[2] Laërtius in Xenocrate IV. 5. ποιηταὶ μὲν ἐπιβαλλόμενοι πεζογραφεῖν ἐπιτυγχάνουσι, πεζογράφοι δὲ ἐπιτιθέμενοι ποιητικῇ πταίουσι. Sed tam Virgilii prosa, quam Ciceronis Juliique Cæsaris ac Bruti versus, iis se minus probavit, qui Maronis poëmata, et Tullianæ orationis flumen ac vim, acutam Bruti Cæsarisque in scribendo elegantiam admirabantur. Unde Cassius Severus de Sallustio ita judicabat, ut ejus orationes nihilo meliores esse diceret, quam aut Ciceronis versus, aut Virgilii prosam. Seneca 3. controv. præf. 'Virgilium illa felicitas ingenii oratione soluta reliquit, Ciceronem eloquentia sua in carminibus destituit.' Confer dialogum de oratoribus c. 21. Juvenal. X. 121. seq. Theodecten magis tragico carmine, quam prosa placuisse, refert Hyginus apud Gell. x. 109. Similiter de Malherbio poëta Gallorum celeberrimo cives ejus observant, *que sa prose beaucoup plus négligée que ses vers, l'a fait comparer a l'hirondelle, qui marche mal, encore qu'elle vole très-bien.* De Molierio clarissimi nominis Comico Gallo Menagius in Menagianis p. 45. *La prose de Moliere vaut beaucoup*

Alcaicis, ut IV. 5. et Sapphicis IV. 7. reliqua hexametris scripta sunt.

II. Thebaidos,[1] sive de bello septem Ducum adversus Thebas, libri XII. compositi ad imitationem Antimachi et Æneidos Virgilianæ, de qua ipse: 'Sed longe sequere, et vestigia semper adora.' Hoc Statii opus respicit Stephanus Tornacensis Epist. v. 'divinam ejus responsionem, ut Thebais Æneida, longe sequor, et vestigia semper adoro.'

III. Achilleidos, de iis quæ bellum Trojanum[2] antecesserunt, libri II. etsi in quibusdam Mss. unus liber procedit, in aliis vero in quinque[3] dispescitur, inscite, judice Barthio LII. 13. Advers. Utrumque poëma Achilleida et Thebaida Statius dicavit Domitiano Imp. quem a poëseos studio commendat præter Statium Silius. Achilleida vero absolvere fata prohibuerunt. Ac ne illa quidem, quæ perfecit Statius, ad nos omnia pervenisse existimabat Barthius T. I. p. 460. qui ad Sylv. IV. 3. p. 366. itidem dubitat, an libros, quibus Domitiani res gestas in agone Albano celebrasse se innuit, unquam ediderit, et in manus hominum venire jusserit.

mieux, que ses vers. Eobano Hesso contra Erasmus lib. XXVI. Epist. 45. gratulatur contigisse, 'quod M. Tullio fuit negatum, quod Philelphus arroganter sibi vindicavit, ut ita pangeret carmen, quasi nunquam attigisset solutam orationem, ita scriberet prosam, quasi cum Musis nihil unquam fuisset commercii.' Idem de Bachanano pronunties, ac de Hugone Grotio. His adde Cornelium Gallum, qui 'sæpe poëtarum mendacia dulcia finxit,' nec minus ipse de se: 'Orator toto clarus in orbe fui.' De Antonio Maria Visdomini, Augustinus Oldoinus in Athenæo Ligustico p. 545. refert hos versus Dominici Carmellæ: 'Qui prosa volat, Etrusco qui carmine vadit, Hinc demum Latio carmine serpit humi.'

[1] Thebaidem e Græcis poëtis scripsere Antagoras, Antiphanes Colophonius, Menelaus Ægeus, (forte Anæus ex Anæa Cariæ civitate,) Anonymus quidam, Pausaniæ in Bœoticis et Suidæ in Καδμεία νίκῃ laudatus, et alii. Vide Colomes. ad Gyrald. p. 148. Apud Erasmum in adagio 'Bœotia auris' pro Anaxagora Thebaidos librum recitante, legendus Antagoras. Statii Thebaidem laudat Juvenalis VII. 83. ad quem locum confer Casaubonum in Domitianum Suetonii c. 4. Grævium p. 20. ad Hesiod. E Latinis ante Statium in hoc argumento versatus est Ponticus, de quo acutissimus Brouckhusius ad Propertii Eleg. I. 7. et II. 25.

[2] Vid. Dan. Heinsium ad Nonni Dionysiaca p. 183.

[3] Ut in Codice XIV. sæculi, qui cum glossis et librorum argumentis extitit Ms. apud Federicum Pacium Lugd. Bat. atque ante fuit Joannis Ugolini.

RECENSUS EDITIONUM

P. PAPINII STATII,

AUCTIOR FABRICIO-ERNESTINO,

ET IN IV. ÆTATES DIGESTUS.

[EX ED. BIPONT. 1785.]

ÆTAS I. 1472—1500.

a duabus principibus, Veneta et Parmensi, orta. Tertia nutrix, Romana, incrementa dedit ex interpretibus, vetere Placido Luctatio,[1] qui in Thebaid. Commentarium scripsit, novioribus Fran-

[1] Ab aliis Lutatius vel Luctatius Placidus, aliis Placidus Lactantius appellatur, sub quo nomine glossæ veteres Latinæ et in Ovidii Metamorph. argumenta extant. Longe quidem diversus est ab elegantissimo scriptore Lactantio Firmiano, Arnobii discipulo, cujus eloquentiæ et eruditioni pauca similia in istis ad Statium scholiis leguntur. Theodosii Imp. æqualem fuisse affirmat Jo. Rhodius diss. de acia p. 25. At non tantum meminit Sedulii, sed Boëthii quoque, unde juniorem esse recte colligit Vossius de poëtis Latinis c. 46. Perseum præceptorem suum in VI. Thebaid. pag. 213. laudare videtur his verbis: 'Sed de his rebus (de Antipodibus ibi sermo) prout ingenio meo connectere potui, ex libris ineffabilis doctrinæ Persei præceptoris seorsim libellum composui.' Vossii judicio commentaria ejus sunt centones ex Servio, Hygini Mythologicis et Astronomico, ejusdem Arateo, et aliis quibusdam, quod de eodem Luctatio ante Vossium etiam pronuntiaverat Jos. Scaliger p. 19. ad Euseb. Ade Vossium p. 736. de Hist. Latinis. Merito tamen Nicolao Loënsi 'doctus lectuque dignus exegetes' audit, 'præter quidem glossemata.' Confer Barthii commentar. in Statium T. II. p. 871. et LII. 13. Adversar. Priore loco Vossium quoque reprehendit Barthius, quod scripserat Lutatium a Lindenbrogio primum editum, et centones vocaverat ex Servio et Hygino, quorum commentationes vix centesimam illius partem sibi possint vindicare. Lutatius in Thebaidem jam Romæ 1475. fol. cum Statio lucem viderat, sed in Achilleidem primus edidit Lindenbrogius e Ms. Codice Francisci Pithœi. In catalogo Pseudonymorum Viri Cl. Vincentii Placcii p. 216. pro Luctatii Commentario in *Statium* typographus perperam in *Tacitum* excudit. Porro Christianum scriptorem fuisse apparet ex iis, quæ in IV. Thebaidos scribit pag. 144. 'Dei vocabulum sciri a nullo hominum potest, sed quid veritas habeat, percipe. Hujusne Dei nomen sciri potest, qui nutu tantum regit, continet cuncta, cujus ar-

cisco Maturantio († 1518. vel 1512.) in Achilleid. et Domitio Calderino († 1477.) in Sylvas. Ab his tribus edd. ceteræ fluxere omnes ad exitum usque sæculi xv.

1472 Veneta i. princeps i. fol. P. Papin. Statii Sylvæ. Hanc esse editionem omnium primam, vidit Marklandus in præfat. ad Sylvas: qui cum ope Parmensis a. 1473. Heinsio etiam valde laudatæ, in his Sylvis restituisset plura loca, quæ nulla alia ratione corrigere potuisset; ea omnia reperit deinde in hac Veneta, et plura quoque alia. Ex his autem duobus exemplis, Veneto a. 1472. et Romano a. 1475. ceteræ edd. veteres fluxisse videntur, sed ita, ut passim aliquid ab his, qui iis præessent, mutaretur, etiam erroribus operarum.

1473 Parmensis, princeps altera: fol. P. Pap. Statii Sylvæ per Stephanum Corallum. In fine: 'P. Papinii Statii liber quintus explicit: quanquam non desint, qui velint epistolam quæ scribitur Abascantio Priscillæ Marito, non esse principium quinti, sed interpositam in quarto; et silvas solum in libros quatuor esse divisas. quod quidem constare videtur ex his verbis poëtæ: Quare plura in Quarto Silvarum, quam in prioribus. Correctum p. d. (opinor, per dominum) Franciscum Puteolanum: et vere, ultra impressionem Venetiis factam, in iii. millibus locis emendatum, SS. Catullum et Silvas: ut tu Lector ambobus exemplaribus experiri possis: itaque nullo modo intelligi possit: et cætera. Impressum Parmæ per me Stephanum Corallum. Anno Christi mcccclxxiii. secundo Cal. Septembris.'

1475 Romana i. princeps iii. fol. P. Papinii Statii opera cum comment. Placidi Lactantii (in Thebaid.), Franc. Maturantii (in Achilleid.), et Domitii Calderini (in Sylvas). Fuit hæc perrara editio in Bibl. Hulsiana. Memorat eam P. A. Orlandi, Orig. e progressi dell' Arte impressoria (Bol. 1722. 4.) pag. 72. et ex hoc Maittarius in Annal. Typogr. To. iv. p. 349. et 350. n. 6.—Nomen impressoris abest. Cf. Lengnich. Beytræge part. ii. pag. 121.

— Romana ii. fol. per Arnold. Pannarz. Statii Sylvæ, cum Domitii Calderini Veronensis Secretarii Apostolici commentario,

bitrio deserviunt, cujus nec æstimari potest mundus, nec finibus claudi? Sed cum magi vellent virtutis ejus ut putabant sese comprehendere singulas appellationes, quas per naturarum potestates abusive modo designarunt, et quasi plurimorum nominum nobilitate Deum appellare conati sunt quasi ab effectu, cujusque rei ductis vocabulis, sicut Orpheus fecit, et Moyses Dei summi antistes, et Esaias, et his similes.' Plura hujus Scholiastæ loca illustravit emendavitque Thomas Munkerus notis ad Mythographos Latinos.

additis notis in Sapphonem Ovidii et Propertii loca obscuriora.— Præfuit huic Domitius Calderinus, vir illo ævo sane doctissimus. Multa ille Statio feliciter restituit: in multis pueriliter erravit. hoc nomine maxime culpandus, quod si quid non intellexerit, statim mutavit; etiam absurde nonnunquam; sæpe etiam, quod Marklandus suspicatur, nulla mentione facta. Utilis tamen editio, quod diversorum codicum scripturam repræsentet; cum jam pæne certum sit, Domitium, quando istam evulgaret, non vidisse aut Parmensem, aut libros ex quibus Parmensis expressa fuit.

— Veneta II. fol.—Sylvæ et Achilleis, cum commentario Jo. Britannici. Memorat hanc edit. Gronovius in Diatribe in Statium.

1481 Vincentiæ, fol. per Joannem Renensem et Dionysium Bertochum. Statii Sylvæ.—adjunctæ editioni Catulli, Tibulli, et Propertii, ibidem eod. an. impressæ. Posteriorem quidem memorat Ernestius inter edd. horum Triumvirorum, sed nulla facta Statii mentione. Vid. Lengnich. Beytræge part. II. p. 122.

1483 Veneta III. fol. Statii opera cum commentariis Placidi Lactantii in Thebaid. Francisci Maturantii in Achilleid. et Domitii Calderini in Sylvas. Venetiis, per Octavianum Scotum Modœtiensem, 1483. quarto Nonas Decembris. Vid. Maittarii Annal. Typogr. To. I. p. 445.

1485 Brixiæ, fol. P. Papin. Statii Sylvæ, cum Calderini, Achilleis cum Franc. Maturantii, et Thebais cum Luctatii commentariis.

1490 Veneta IV. fol. per Barthol. de Zanis. Rep. ed. a. 1483.

— Veneta V. fol. P. P. Statii Poëmata. Impress. Venetiis per Mag. Jacobum de Paganinis. Est hæc in Bibl. Gœtting.

1494 Veneta VI. fol. Statii Sylvæ cum Domitii (Calderini) commentariis. Thebais cum Lactantii commentariis.—Achilleis cum Maturantii commentariis.—Accedit pag. 198. Domitii elucubratio in quædam Propertii loca, quæ difficiliora videbantur, ad Franc. Arago. Fer. R. ne. F. Fol. 203. verso legitur: 'Hoc per Bartholomeum de Zanis de Portesio Venetiis impressum opus fœliciter explicit. M. CCCC. LXXXXIV. Die XV. Martii.' Hanc subscriptionem excipiunt Papinii vita per Domitium, et registrum hujus operis. Possidet eam illustriss. Heideggerus, Trib. Tur. et extabat in Bibl. Ludewig. n. 12606.

1498 Veneta VII. fol. per Barthol. de Zanis. Rep. edit. an. 1494.

ÆTAS II. ALDINA.
1502—1600.

ab Aldo Manutio, qui an. 1502. Statium dedit, etiam conjecturis correctiorem; majori dein diligentia 1519. quem secuti sunt Argentoratensis Schureri, Parisiensis Colinæi, Basilienses Henricpetri, Gryphianæ. Plantiniana Bernartii vulgo laudatur, Barthio culpatur. Ea vero repetita etiam Lugduni et Venetiis.

1502 Aldina I. 8. P. Pap. Statii Sylvarum libri quinque. Thebaidos libri XII. Achilleidos II. In fine: Venetiis, in ædibus Aldi mense Augusto 1502.—Marci Musuri Orthographia Statiana huic editioni subjecta est. Extat in Bibl. Gœtting.

1508 Venet. Luctatii scholia in Statium. ap. Aldum. Vid. Jo. Masson in Hist. Crit. Reip. literar. To. I. p. 191.

— Veneta, fol. per Barth. de Zanis.

1517 Argent. ap. Lazarum Schurerum, 4. Achilleidos lib. II.

1519 Aldina II. 8.—Sylvarum libri V. Achilleidos libri II. Thebaidos libri XII. Orthographia et flexus dictionum Græcarum omnium apud Statium, cum accentibus et generibus ex variis utriusque linguæ auctoribus.—In fine: Venetiis, in ædibus Aldi, et Andreæ Soceri, mense Januario 1519.—Hanc editionem majori diligentia, quam edit. a. 1502. typis expressam esse, affirmatur in Franc. Asulani epistola huic editioni præmissa. Extat in Bibl. illustriss. Heideggeri Trib. Turic.

1530 Paris. Colinæi I. 8. Statii opera omnia, item Orthographia et flexus dictionum Græcarum apud Statium. ap. Sim. Colinæum.

1531 Basil. I. 8. P. P. Statii opera. Ex Cat. Bibl. S. J. Mont. pag. 174.

1541 Basil. II. 8. ap. Henric. Petri.

1542 Witteb. 8.—Achilleidos libri duo.

1547 Lugdun. seu Gryphiana I. ap. Sebast. Gryphium.

1559 Gryphiana II. 12. ap. heredes Seb. Gryphii.

1595 Plantiniana I. Bernartii. Antv. 8. P. P. Statii opera, quæ extant. Jo. Bernartius ad libros veteres recensuit, et scholiis illustravit. Antv. ex offic. Plantin. Vidua et Jo. Moretus. Vid. Cat. de la Bibl. du Roi. Belles Lettr. T. I. p. 323.

1598 Lugd. 12. Rep. edit. Bernartii Antv. 1595.

1599 Venetiis eadem repetita. 8.

— Plantiniana II. Antv. 8. Commentarius Jo. Bernartii in Sylvas Statii (a scholiis et notis antea editis diversus).

ÆTAS III. LINDENBROGIANA.
1600—1653.

a Frid. Lindenbrogio, qui Statium non modo recensuit, sed et Luctatii Commentt. in Theb. ac primum quidem in Achilleida edidit. Post eum Statio seu affuere seu profuere curæ Jani Gruteri, Jo. Jac. Grasseri, Jani Casp. Gevartii, et Emerici Crucei, Barthio parum probati. Novi interpretes accessere, Jo. Barclaius ad Thebaidem, Fed. Morellus ad Sylvas. Ætati tandem venturæ prolusit Jo. Frid. Gronovii in Sylvas diatribe.

1600 Paris. 4. P. P. Statii opera, quæ extant. Placidi Lactantii (s. Luctatii) in Thebaida et Achilleida commentarius. Ex Bibl. Fr. Pithœi. Collatis Mss. veteribusque exemplaribus, recensuit, partim nunc primum edidit Frid. Tiliobroga (Lindenbrog) adjectis variarum lectionum observationibus indiceque uberrimo. Parisiis ex officina Plantin. ap. Hadr. Perier. Lactantii commentarius in Achilleida in hac edit. primum vulgatus est. Codices ad recensionem textus adhibiti Sylvas non habebant. Ceterum hujus edit. exemplum cum novis emendatt. et observatt. Lindenbrogii Mss. tum ad Statium, tum ad ejus commentatorem, servatur Hamburgi in Bibl. Joannea.

— Genevæ. Repetitio prioris.

— Heidelbergæ, ex offic. Commeliniana, cum notis Jani Gruteri.

1601 Mussiponti. 8. Jo. Barclaii Commentarii in Statii Thebaidem, de quibus sinistrum judicium Barthii To. I. ad Statium pag. 1273. ad Thebaid. IV. 799.

— Paris. 8. Fed. Morelli in Pap. Statii Sylvas obss.

1602 Paris. 4. Fed. Morelli et Domitii Calderini observationes ad Statii Sylvas cum Lindenbrogii annotationum ad easdem corollario.

1605 Genevæ, 12. Rep. edit. Bernartii.

1607 Antv. 8. P. P. Statii opera, ex rec. et c. scholiis Jo. Bernartii. Ex Cat. Bibl. S. J. Brug. p. 172.

1609 Argent. 8. P. P. Statii opera, cura J. J. Grasseri.

1611 Genev. in corpore omnium veterum poëtar. Latin. 4. Vol. II.

1612 Genev. 12. Rep. edit. Bernartii.

1613 Antv. 12.—Opera, quæ extant, omnia ad fidem antiquissimorum per Galliam, Angliam, et Italiam codicum, correcta. Ex Bibliotheca Jo. Jac. Grasseri. Antv. ap. Casp. Bellerum. vid. Cat. Bibl. Bunav. T. I. p. 356.

1616 Lugd. Bat. 8. ap. Jac. Marcum. P. P. Statii opera. Janus Casperius Gevartius recensuit, et Papinianarum lectionum lib. V. illustravit. Vid. Cat. de la Bibl. du R. Bell. Lettr. To. I. p. 322.

1618 Paris. 4. voll. II. ap. Tho. Blaise.—Opera cum observationibus ac cum commentariis tam veterum quam recentiorum interpretum. Emericus Cruceus recensuit, et novo commentario Statii Sylvas illustravit. Cum indicibus locupletissimis. Barthio T. I. p. 233. judice, 'Cruceus Papinium prius diligentius legere et penitius intelligere debebat, quam in tantum scriptorem commentarium moliri, tam male propitiato ejus genio.' Caspar Gevartius autem III. 9. elector. p. 113. 'Miseret me profecto, quoties illius interpretis notationes lego, qui meris commentariorum suorum senticetis aureolas elegantissimi Poëtæ Sylvas nuper obduxit.' Plures ibidem in Crucei scholiis, sive ut vocat scoriis, ad Statium admissos errores castigat, usque ad p. 153.

1619 Argentor. 12.—Ad fidem codicum Mss. emendata cum argumentis Jo. Jac. Grasseri.

1624 Amstel. 12. e recensione Nic.[1] Heinsii.

1637 Jo. Frid. Gronovii in Papinii Statii Sylvarum libros diatribe. Hagæ Com. 8.

1640 Amstel. 16. P. Pap. Statii Opp. poëtica omnia.

1651 Cantabr. 8. Publii Papinii Statii Sylvarum libri V. et duo Achilleidos, cum notis marginalibus Thom. Stephens. Ex rarissimis judice catalogo Bibl. Schalbruch. P. II. pag. 91.

ÆTAS IV. GRONOVIO-BARTHIANA.
1653—1664—1671—1728—

Qui edita jam 1637. in Statii Sylvas diatribe proluserat Jo.

[1] [... minori forma Amst. 1624. ex recensione *Danielis*, ni fallor, Heinsii.' Ernest. in Fabricii Bibl. Lat. Lib. II. cap. 16.]

Frid. Gronovius, is jam totum Statium recensuit, notisque suis illustratum dedit. Textum ab eo constitutum secutus est Casp. Barthius in ed. sua Luctatii Commentariis correctioribus instructa, quam ab ejus morte absolvit Christ. Daumius 1664. Tum ed. cum notis variorum in iisque et Barthii et Gronovii instructam pulchre adornavit Jo. Veenhusen 1671. Hanc insecuta est 1685. editio in usum Delphini curata a Claudio Beraldo, cujus hodie raritas major est, quam præstantia. Præclarius autem de Statio meritus est Jer. Marklandus, Anglus, qui eum denuo recensuit ex vetustis exemplaribus, emendavit, notisque illustravit. Quam editionem cum Gronoviana collatam nos inprimis secuti sumus.

1653 Amst. 24. ap. Lud. Elzevir—Opera; ex recensione et cum notis Jo. Fred. Gronovii. Hanc recensionem impense laudat Reinesius pag. 151. Epp. ad Daumium: 'Valde me delectarunt notæ tam accuratæ, et in pondere non magno satis ponderosæ, viri ad restituendum genuinum auctoris sensum, peculiari quopiam genio nati a Charitibusque educati.' Confer Hug. Grotii Epist. 673. ubi suas ad loca quædam Statii conjecturas ad Gronovium transmittit. Ejusdem Gronovii in Statii Sylvarum libros v. diatribæ seorsim prodierant Hagæ Comitis 1637. 8. quarum lectionem omnibus rei Criticæ studiosis vehementer commendat Ernestius in Bibl. L.—Hinc Gronovio lites intercesserunt cum Emerico Cruceo, qui illi Antidiatribam Paris. 1639. 12. et deinde Muscarium ad Statii Sylvas Paris. 1640. 8. opposuit. At Gronovius eum probe depexum dedit, edito Elencho antidiatribes Mercurii Frondatoris. Paris. 1640. 8.

— Daventr. 8. P. Papinii Statii opera. Ex ed. et cum notis Jo. Fred. Gronovii. Vid. Cat. libr. in Bibl. Gœtting. in duplo extantium, p. 299.

1658 Paris. 8. voll. III.—Opera cum notis Franc. Guieti Audini, Jo. Peyrarede Aquitani, et aliorum: opera Mich. de Marolles, cumque ejusdem interpretatione Gallica. Lutet. Paris. Seb. Haré, &c. Vid. Cat. de la Bibl. du R. Bell. Lettr. To. I. p. 322.

1664 Cygneæ, 4. voll. IV. ex offic. Gœpneri ap. Jo. Scheibium —Opera, quæ extant. Caspar Barthius recensuit, et animadversionibus locupletissimis illustravit: inspersis ad Thebaida et Achilleida commentariis ac glossis veterum, hactenus bonam partem ineditis, et scholiaste Lutatio multis locis corruptis castigato ad auctoritatem et opem manuscriptorum exemplarium, præcipue

unius alteriusque admirandæ bonitatis. Cum quatuor indicibus. —In hac editione, quam Christ. Daumius, mortuo Barthio, curavit, textus ex recensione Gronovii a. 1653. descriptus est. Margines Var. Lect. habent e Mss. &c. Sed omnino præfatio Daumii legenda est de hoc opere Barthiano.

1671 Lugd. Bat. 8. ex offic. Hackiana. Publii Papinii Statii Sylvarum lib. v. Thebaidos lib. xii. Achilleidos lib. ii. notis selectissimis in Sylvarum libros Domitii, Morelli, Bernartii, Gevartii, Crucei, Barthii, Jo. Frid. Gronovii Diatribe. In Thebaidos præterea Placidi Lactantii, Bernartii, &c. Quibus in Achilleidos accedunt Maturantii, Britannici. Accuratissime illustrati a Johanne Veenhusen.

— Amst. 16. Jansson. Elzevir.

1685 Paris. 4. voll. ii. ap. L. Roulland. P. P. Statii opera; interpretatione et notis illustrata a Cl. Beraldo, ad usum Ser. Delph. Vid. Cat. de la Bibl. du Roi. Bell. Lettr. To. i. pag. 323. Hæc omnium in usum Delphini editionum obvia rarissime.

1713 Lond. fol. in operibus et fragmentis veterum poëtarum Latinorum. To. ii. pag. 1015—1107.

1728 Lond. 4. ex typogr. G. Bowyer. P. Pap. Statii Sylvarum libri quinque. Ex vetustis exemplaribus recensuit et notas atque emendationes adjecit Jer. Marklandus.

1731 et 1732 Mediol. 4. P. Pap. Statii opera, cum versione Italica, in Corp. omnium Poëtarum Latin. To. i.—iv.

1782 Manhemii, 8. voll. ii. P. Pap. Statii opera ex recensione Jo. Friderici Gronovii, cura et sumtibus Societatis literatæ.

Ex Jos. Scaligeri Epistola 374. apparet, eum quoque et Jo. Wowerium junctis operis novam Statii, veterumque in eum Scholiorum, editionem molitos. At enim eorum conatus vulgato Parisiis Lindenbrogii, æmuli Woweriani, Statio sufflaminati videntur. Lipsius quoque in Epistola ad Janum Lernutium testatus est, sibi nota quædam fuisse ad sublimem hunc poëtam. Multa etiam Statii loca vel emendantur vel illustrantur in Observ. Miscell. Vol. i. pag. 53—269. p. 317—363. ii. p. 62—84. 217—239. 405—407. [iv. p. 388—397.] Auctor Britannus se usum dicit duobus Mss.

Lexicon et paraphrasin Statianam adornavit Henricus Schævius. Specimen Lexici illius pridem produxit, qui Schævio præceptore

usus fuit, Morhofius lib. III. polyhistoris cap. 10. sed integrum ab auctore absolutum extare Stetini apud filios, testatus est a. 1696. Michaël Filitzius in specimine Analectorum ad Olaum Borrichium de Poëtis. Hinc a. 1702. in Novis literariis, p. 73. ejus vulgandi spes facta est a Fred. Redtelio scholæ Stetinensis Correctore. 'Inveniet etiam amicus quidam noster,' inquit Rodolphus Martinus Meelfuhrerus præfat. Accensionum ad Bibliothecam promissam Almelovenii a. 1699. 'quas e Manuscripto quodam, quo olim Joannes Trithemius Abbas Spanheimensis usus fuit, aliorum in Statium observationibus addet.'

VERSIONES.

HISPANICA.

Hispanice Statium vertit Juan de Arjona; cf. Diego Saavedra in Republ. Literaria, in ejusdem Opp. T. I. p. 10. en Brussellas, et Lud. Jos. Velazquez in Hist. Poës. Hispanicæ, Germ. versa Gœttingæ 1769. p. 473.

GALLICA.

1658 par Mich. de Marolles. 3. voll. Paris. 8. adjunctis notis Franc. Guieti, Jo. Peyraredi, aliorumque. Vid. ed. ad h. a.

ITALICÆ.

1570 La Thebaide, tradotta in ottava rima da Erasm. Valvasone. Venet. 4.

1630 La Thebaide, tradotta in verso sciolto da Hyac. Nini. Senæ. 8.

1729 La Thebaide, tradotta in verso sciolto da Selvaggio Porpora. Romæ. 4. Sub ficto hoc nomine latet Cornelius Cardinalis Bentivoglio, Regis Hisp. apud Pontificem Orator, qui hujus versionis auctor est. Cf. Mém. de Trévoux 1729. p. 2066. et Acta Erud. 1731. p. 122. sq. ubi celebratur non modo interpretis implevisse officia, sed ipsum etiam interdum Statium ingenii felicitate antegressus omnino videri.

1731 Eadem repetita in Corpore omnium veterum Poëtarum Latinorum, Mediolan. 4. T. I. et II.

1732 Le cinque Libri delle Selve, tradotti in verso sciolto da un Pastor Arcade. (cioè dal Sig. Ab. Francesco Maria Biacca Parmeggiano, detto in Arcadia Parmindo Ibicheuse.) Extant in Corpore omnium vet. Poët. Lat. Mediolani. 4. T. III.

— I cinque Libri dell' Achilleide, tradotti in verso sciolto da un Academico, Quirino. (cioè dal Sig. Dottor Orazio Bianchi Romano.) In corpore vet. Poët. Lat. Mediolani. 4. T. IV.

ANGLICA.

1766 The Thebaid of Statius, translated into English Verse, with Notes and Observations, and a Dissertation upon the whole by Way of Preface. 2. voll. 8. Lond. Fletcher.

OMISSÆ sunt a Bipontinis, vel non lucide satis expositæ, editiones Statii quæ sequuntur.

Thebaidos Libri XII. et Achilleidos Lib. I. denotantur in Catalogo Ducis de la Valliere, Tom. II. p. 109. charactere Romano, sine anni et loci nota.

'In eadem Casanat. Bibliotheca,' ait Audiffredi, 'reperitur editio alia, quæ præsentis (nempe Rom. 1475.) repetitio est, signaturis instructa, sed omni loci, temporis, et typographi indicio carens. Quæ cum in calce Sylvarum Statii easdem subscriptiones ac præsens Romana exhibeat, credi posset, et ipsam Romanam esse, sicuti reipsa credita fuit ab antiquo ejus possessore. Sed nullum est dubium quin Veneta sit, et quidem Romana hac posterior.' Catal. Hist. Crit. Rom. Editt. sæc. XV. p. 185.

Thebaidos Libri XII. ex recensione Bonini Mombritii, Mediolani, circa annum 1478. Harles. Not. Brev. Lit. Rom. p. 467.

Versio Italica Sylvarum, Florent. apud S. Jac. de Ripoli, 1480. fol.

Panzer, Ann. Typogr. vol. II. p. 77. notat e Catal. Bibl.

Soubise, editionem Mediolanensem a. 1486. fol. Adjicit vero, 'forte Venetiis 1494.'

Ed. Venet. per Magistrum Andream Catanensem, 1488. fol.

Achilleidos Libri II. Paris. 1497. 4to. Harles. Brev. Not. p. 468.

Statii Opera: Sylvæ nempe cum comment. Domitii Calderini, et emendationibus Hieronymi Avantii: Thebais cum comment. Placidi Lactantii: Achilleidos libri duo cum comment. Franc. Mataratii. Venetiis, per Joan. Petrum de Quarengis Bergomensem, 1498. in fol. In Biblioth. Advocat. Edinb.

Editio Ferrariensis Achilleidos sine comment. per Andream Gallum notatur a Maittario, Ann. Typogr. vol. IV. p. 329. et ab Affò in Saggio di Mem. su la Tipogr. p. XXV.

Addenda est antiqua et rarissima editio Thebaidos et Achilleidos, impressa apud Joan. Petit, 4to. sine anno.

Bipontini memorant ex Jo. Masson. Hist. Crit. Reip. Literar. tom. I. p. 191. Luctatii Scholia in Statium, Venet. apud Aldum 1508. Inter editiones vero Aldinas hæc eadem invenienda non est in Annales de l'Imprim. des Aldes.

Marklandi editio Sylvarum, a Bipontinis memorata ad a. 1728. recusa est Lipsiæ a. 1729. 4to. cum curis secundis. Vid. Obss. Misc. Vol. II. P. 3. p. 407.

Publii Papinii Statii Opera, nempe Sylvarum Libri quinque, Thebaidos Libri XII. et Achilleidos Libri II. nitide et accurate impressa, Warringtoniæ, 2 voll. 12mo. 1778. edente J. Aikin.

La Thébaide de Stace, traduction nouvelle, par M. Carmiliolle. Paris. 1783. 3 voll. 12mo.—Des Sylves et l'Achilleide traduites par le même. Paris. 1802. 2 voll. 12mo.

Statii Sylvæ Gallice versæ a M. S. Delatour, cum Latino textu et notis. Marklandum sequitur. Paris. 1803. 8vo.

Inter Excerpta ex variis Latinis Poëtis qui in Scholis rarius leguntur, Lond. 1808. quædam sunt ex Achilleidos libro secundo desumta, notulis illustrata.

Novam, de qua magna sperarunt eruditi, Sylvarum editionem promisit Frid. Handius, Jenensis Professor. Tom. primus, tria priora carmina Sylvarum complectens, jam vulgatus est, Lips. 1817. 8vo. Præbet observationes, correctiones, et conjecturas summorum criticorum, una cum integro Marklandi commentario, et Gronovii annotationibus, adjectis insuper aliis ab ipso editore concinnatis.

P. Papinii Statii Opera, sedula recensione accurata, Lond. 1822. 18mo.

Bipontini unam tantum Anglicam versionem Thebaidos memorant, nempe a Lewis Lond. 1766. ni fallimur 1767. Addantur igitur libri quinque Statii Thebaidos metrice versi a T——, de qua versione videas præfat. ipsius Lewis. —Quinque Libri Thebaidos metro Anglico redditi a T. Stephens. Lond. 1648. 8vo.—Statii Achilleis, in quinque libros divisa, et Anglice versa, quorum singulis subjiciuntur annotationes, a Roberto Howard. Lond. 1660. 8vo. —Adrasti Exercitus, et socii ejus, &c. ex quarto et sexto Statii Thebaidos libris, Anglice, cum annotationibus, a Walter Harte, in Poëmatibus ejus, Lond. 1727. 8vo.— Pars secundi libri Thebaidos Statii a Christoph. Pitt:— Inter poëtæ nostri Alexandri Popii poëmata, libri primi Statii Thebaidos versio poëtica:—Ex Thebäidos libro VI. vss. 704—724. a Graio Anglice redditi:—Versiones etiam ex Statio a Jabez Hughes.

J. F. Gronovii in Sylvarum Libros v. Diatriben ab ipso auctore auctam et correctam, una cum Emerici Crucei Antidiatribe, edidit, suis annotationibus adjectis, F. Handius, Lips. 1812. 2 voll. 8vo.—Dodwelli Annales Statiani, cum Annalibus Velleianis, prodierunt Oxon. 1698.—Mitscherlischius, novam Statii editionem meditans, observationes criticas in Achilleida subjecit Epistolæ suæ criticæ in Apollodorum, Gotting. 1782.—Jo. Christoph. Dommerchi ad Statii Achilleida, ex membranis biblioth. suæ, anecdota vulgavit Wolfenb. 1758. sed Saxius notat litis Gronovianæ historiam ibi non satis accurate descriptam esse.—Præter Vossium et Fabricium consulantur etiam Crenii animadver-

siones philologicæ, part. VI. c. 1. Jortinus nostras in Tractatibus criticis et philologicis, Crusius in Vita Statii, in Poëtarum Latinorum Vitis, vol. I. Biographia Classica Lond. 1740. et Jo. M. Lockmanni Programma de P. Statio, Coburgi 1774.

RECENSUS CODICUM MSS.

P. PAPINII STATII,

QUI IN BIBLIOTHECIS BRITANNICIS ASSERVANTUR.

In Museo Britannico.

In *Biblioth. Reg.* 15 A VII. est cod. membran. sæc. XIII. complectens, inter alia multa, (N. 5.) Pap. Surc. Statii Achilleida, cum gloss.

15 A XXI. Thebaidos Libri XII. cum paucis annotationibus et gloss. Cod. membran. sæc. XIII. Fuit olim Roberti Cottoni, militis.

15 A XXIX. cod. membran. cum paucis notulis. Continet Papinii Surc. Statii Thebaidos libros X. et versus 140. libri undecimi.

15 C X. Pap. Surculi Statii Vita, et Thebaidos Libri XII. Codex membran. in 4to. sæc. noni: olim fuit Claustri Roffensis. Antiquus hic codex exhibet quasdam notulas et gloss. Omnino integer est usque ad finem libri XII. Vita non multa suppeditat.

In *Biblioth. Harl.* N. 2463. Surculi Papinii Statii Thebaidos Libri XII. cod. membran. sæc. XIV. oblongus, cum notis brevibus et gloss.

N. 2474. est Statii Thebais, cod. chartac. sæc. XV. illuminat. in 4to.

N. 2498. est cod. chartac. in fol. sæc. XIV. continens Statii Thebaida. Paucas variantes lectiones exhibet. Præmittitur argumentum metricum in duodecim Thebaidos li-

bros, et præterea unusquisque liber sibi proprium habet argumentum in versu heroico.

Alios septem codices Statii Thebaidos retinet bibliotheca Harleiana.

Inter Codices *Burneianos*, N. 257. est cod. membran. libros XII. Thebaidos continens, quibusdam paginis ad editionem Joan. Veenhusen collatis, charactere parvo Goth. lucide scriptus, et mire illuminatus, cum figuris eleganter pictis, omnes pæne Thebaidos partes illustrantibus. Præfigitur Compendium totius Thebaidos prosaice, a Lactantio Campanno, et subjunguntur singulorum librorum argumenta. Nullas habet annotationes, glossas, aut varias lectiones: Thebaidos vero codicum, quos vidimus, omnium longe est pulcherrimus.

N. 258. Thebaidos Libri XII. cod. Ms. membran. collat. ad quasdam pagg. editionis Joan. Veenhusen, cum notis marginalibus et gloss. sæc. XI. vel XII. nihil mutilatus.

In Bibliotheca Musei Britannici est etiam editio Lugd. Bat. 1616. cum notis Mss. Ricardi Bentleii, et Paris. 1618. cum notis Mss. ejusdem Bentleii. His addas Sylvarum Libros quinque (secundum varias editiones) cum notis Mss. Jer. Marklandi.

Codices Cantabrigienses.

In *Biblioth. Publ.* codex est Thebaidos, membran. sæc. XIV. charactere Goth. cum notis et gloss. Manceus est, et deficit post versum 664. libri XII.

Cujus in Ogygio stet princeps lancea muro.

In *Domu Petrensi* codex est cui tit.

Stacius
Papinius Thebaydos.
Oracii Carmina
Sermones
Epistolæ.

Hic Ms. incipit:

Fraternas acies alternaque regna prophanis
Discertata hodiis sontes que volvere Thebas.

Totam Statii Thebaida quidem continet, sed nihil habet Horatianum.—In eadem bibliotheca codex est Horatii qui habet in fine quædam ex Thebaide: alius etiam vetus codex, inter alia, complectitur librum Achilleidos.

In *Coll. Emman.* est codex membran. Statii Thebaidos. Oblongus est, eleganter scriptus literis minusculis, sæc. XIV. vel XV. sine notis et gloss. Prior pars diversa manu elegantius exarata quam posterior, sed circiter idem tempus. De hoc libro Ms. mentionem facit Bentleius in Horat. Epist. I. 6. 5.

In *Coll. Corp. Christi* (Bene't) N. 230. codex est membran. forma oblonga, Thebaidos Statii, sæc. XIII. Olim fuit Danielis Rogerii. Catal. cl. Nasmyth. p. 300.

In *Coll. SS. Trin.* cod. Statii, manu antiqua et accurata, membran. Inter codd. Mss. Thomæ Galei. Vide Catal. Mss. Angl. et Hibern.

Codices Oxonienses.

In *Biblioth. Bodl.* F. 55. Cod. membran. Thebaidos Italica manu sæc. XV. sine notis aut glossis; nitide scriptus: finitur vero Epicedio in filium suum; sed mancus est, et desinit vs. 36.

Adspiciant superi: pudeat Thebasque novumque.

Canonici Lat. 74. Cod. Thebaid. Libri XII. membran. illumin. nitide scriptus Gothico charactere: explicit versu 367. Libri XII.

Natus erit, parvoq. thorum Polynice fovebo.

Canonici Lat. 75. Lactantii Comment. in Thebaid. Ms. Chartac. sæc. XV.

Canonici Lat. 76. Cod. Thebaid. membran. illumin. charact. Goth. eleganter scriptus, sine notis et gloss.

Canonici Lat. 77. Cod. Thebaid. Libri XII. Chartac. sæc. XV.

Canonici Lat. 78. Statii Achilleidos Lib. II. cod. membr. eleganter script. charact. Goth. sine notis aut gloss. Subjungitur Fratris Bonuccini de Ripa de Vita Scholastica Poëma.

Canonici Lat. 79. Cod. illumin. charact. Goth. membran. cum quibusdam not. et gloss. et nitide scriptus.

Canonici Lat. 122. Cod. Achilleid. membran. sæc. XIV. cum gloss.

Inter *Codd. Mss. et impressos cum notis Mss. olim D'Orvillianos:* X 1. 1, 25. P. Statii Thebais, cum Glossis. In fine: 'Statii Papinii surculi tolosani thebaidos ultimus liber feliciter explicit. Sexto kldas septēbres 1464.' Cod. chart. ff. 178. in fol.

X 1. 1, 26. Index Rerum et Verborum in P. P. Statium. Ms. in fol. ff. 210.

X 1. 5, 33. P. P. Statii Thebaidos libri XII. Desinit XII. 756. *Conspicit abscedunt comites et Tesea jussi.* Cod. membr. ff. 227. forma min.

X 1. 5, 34. P. P. Statii Silvæ. Cod. chart. 4to. ff. 70. N.B. F. 16. bis repetitur.

X 1. 5, 35. cum aliis, 1. P. P. Statii Achilleis: f. 1—23. Cod. membr. in 4to.

X 1. 6, 1. 1. Collatio Statii Thebaidos ed. Gron. 12mo. cum cod. Taurinensi: ff. 34.—2. Collatio Thebaidos ex ed. Barthii cum cod. Bibl. Landgravii Casseliensis: ff. 19. Ms. in 4to.

X 1. 6, 2. 1. Collatio Statii Sylvarum a Fr. Junio cum Ms. Senensi (e Bibl. Leidensi): pp. 7. Ms. D'Orv.—2. Ad Statium Notæ N. Heinsii a P. Burmanno Sec. descriptæ 1729. a p. 21. cum Obs. Falconerii: pp. 29.—3. Collatio Achilleidos cum cod. Vossiano: 31—40.—4. Excerpta ex Statii Thebaide: 41—80. Hæc manu P. Burmanni Sec.—5. In Statii Theb. pp. 3. Ms. in 4to.

X 1. 6, 3. Eædem Collationes et Notæ ab alia manu descriptæ. Ms. in 4to.

X 2. 2, 6. Papinii Statii Opera, Paris. 1600. 4to. cum notis nonnullis Mss. P. Scriverii in principio et fine.—'Arnoldus Drakenborck. contulit Thebaida cum cod. P. Vlamingii, chartaceo, in quo tamen passim optimarum lectionum vestigia ut ex bonis membranis descriptum appareat: a quo ego accepi. *J. P. D'O.*'—'Drakenborckiana

quoque quæ in hoc libro deteriore et labante manu sunt notata.' Not. Ms. D'Orvillii.

X 2. 5, 25. P. P. Statii Opera ed. Veenhusen. L. Bat. 1671. 8vo. cum notis nonnullis Mss. J. P. D'Orvillii.

X 2. infr. 2, 3. Notæ et Var. Lectt. in Poëtas Latinos; inter quas, 3. Scriverii Notæ ad Statium Bernatii: p. 1.—7. In Statii Achill. Argent. 1515. p. 1. Ms. Strackhovii in 4to.

Hæc omnia D'Orvilliana ex Catalogo cl. T. Gaisford.

Achilleis, cum Notis Mss. Bellovisus J. Petit. 1506. 4to.

In *Coll. Magdal.* Statii Thebais cum not. marginalibus, cod. membran. circiter sæc. XII. Deperditi sunt versus 73. ex libro postremo.

In *Coll. Corp. Christi* Thebais, 8vo. membran. cum notis. Continet etiam, inter alia, Homeri Epitomen, de Bello Trojano, versibus Lat. script. a. 1377. Est etiam in eadem Bibliotheca alius Statii Thebaïd. cod. Ms.

In *Coll. Lincoln.* est Cod. continens, inter alia multa, *materialem prælibationem* Thebaidos Statii. Catal. Mss. Angl. et Hiberniæ.

Codex Edinensis.

In *Bibliotheca Advocatorum* apud Edinenses est cod. membran. Statii Thebaidos, 8vo.

INDEX

IN

STATIUM.

Literæ *T.* Thebaida : *S.* Sylvas : *A.* Achilleida notant. In Thebaide et Achilleide, prior numerus librum significat, posterior versum. In Sylvis primus numerus librum ; secundus Sylvam ; postremus versum designat.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

K.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

T.

V.

INDEX

VOCABULORUM OMNIUM

QUÆ IN EPISTOLIS SYLVARUM LIBRIS PRÆFIXIS REPERIUNTUR.

Prior numerus librum cui Epistola præfigitur, posterior Epistolæ lineam indicat.

Q.

R.

S.

T.

V.

FINIS.